Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/doctrinanvmorvmv41eckh

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM, ET REI ANTIQVARIAE IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE PRAEFECTO.

PARS II.

DE MONETA ROMANORVM.

VOLVMEN VII.

CONTINENS

NVMOS IMPERATORIOS AB ANTONINO PIO VSQVE AD IMPERIVM DIOCLETIANI.

EDITIO SECVNDA.

VINDOBONAE

SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE

MDCCCXXVIII.

THE J. PAUL GETTY CENTER
LIBRARY

CONSPECTVS VOLVMINIS VII.

Antoninus Pius	Pag. 1	Annia Faustina Elagabali	Pag. 260
Faustina sen.	— 37	Soaemias Elagabali mater	— 264
Galerius Antoninus	— 42	Maesa Elagabali avia	— 266
M. Aurel. Antoninus	— 43	Alexander Severus	— 267
Faustina jun.	— 76	Orbiana Alex. Severi	— 284
Annius Verus	— 82	Mamaea Alex. Severi mater	— 286
L. Verus	— 87	Vranius Antoninus	— 288
Lucilla Veri	— 98	Sulpicius Antoninus	— 288
Commodus	— 102	Maximinus I.	— 290
Crispina Commodi	— 138	Paulina Maximini I.	— 296
Pertinax	— 140	Maximus Caesar	— 297
Titiana Pertinacis	— 146	T. Quartinus	— 299
Didius Iulianus	— 147	Gordianus I.	— 299
Scantilla Iuliani	— 150	Gordianus II.	— 300
Clara Iuliani fil.	— 151	Balbinus, et Pupienus	— 305
Pescennius Niger	— 152	Gordianus III.	— 309
Clodius Albinus	— 161	Tranquillina Gordiani III.	— 318
Severus	— 166	Philippus I.	— 320
Domna Severi	— 194	Otacilia Philippi I.	— 332
Caracalla	— 199	Philippus II.	— 333
Plautilla Caracallae	— 224	Marinus	— 337
Geta	— 227	Pacatianus	— 338
Macrinus	— 236	Sponsianus	— 340
Diadumenianus	— 240	Decius	— 342
Elagabalus	— 244	Etruscilla Decii	— 347
Cornelia Paula Elagabali	— 258	Herennius	— 348
Aquilia Severa Elagabali	— 259	Hostilianus	— 350

CONSPECTVS VOLVMINIS VII.

Trebonianus . . . . Pag. 354
Volusianus . . . . — 366
Aemilianus . . . . — 371
Corn. Supera Aemiliani . . . . — 374
Valerianus . . . . — 376
Mariniana Valeriani . . . . . — 388
Gallienus . . . . — 389
Salonina Gallieni . . . . — 418
Saloninus . . . . — 421
Q. Iul. Gallienus . . . . . . — 435
Valerianus jun. . . . . — 436
Licinia Galliena . . . . — 437
Postumus . . . . — 437
Iunia Donata Postumi . . . . . — 447
Postumus fil. . . . . — 447
Laelianus . . . . — 448
Lollianus . . . . — 449
Aelianus . . . . — 450
Victorinus sen. . . . . — 450
Victorinus jun. . . . . — 453
Victorina Victorini sen. mater . — 453
Marius . . . . — 454
Tetricus . . . . — 455
Tetricus jun. . . . . — 459
Piso . . . . — 460
Valens . . . . — 461
Balista . . . . — 461
Regalianus . . . . — 461
Dryantilla Regalliani . . . . . — 463
Aureolus . . . . Pag. 464
Sulp. Antoninus . . . . — 465
Macrianus sen. et jun. . . . . — 465
Quietus . . . . — 468
Alex. Aemilianus . . . . — 468
Trebellianus . . . . — 469
Celsus . . . . — 469
Saturninus I. . . . . — 470
Cyriades . . . . — 470
Ingenuus . . . . — 470
Claudius Gothicus . . . . — 470
Censorinus . . . . — 477
Qnintillus . . . . — 477
Aurelianus . . . . — 479
Severina Aureliani . . . . . . — 487
Principes Palmyrae . . . . . . — 488
Firmus . . . . — 496
Tacitus . . . . — 496
Florianus . . . . — 499
Probus . . . . — 500
Bonosus . . . . — 507
Saturninus II. . . . . — 507
Proculus . . . . — 507
Carus . . . . — 508
Numerianus . . . . — 511
Carinus . . . . — 513
Magnia Vrbica . . . . — 517
Nigrinianus . . . . — 520
M. Aur. Iulianus . . . . — 521

MONETAE ROMANORVM

PARS II.

COMPLECTENS

NVMOS AVGVSTORVM, CAESARVM, TYRANNORVM.

ANTONINVS PIVS.

Huic nomina fuere ab utroque parente collecta *T. Aurelius Fulvus Bojonius Arrius Antoninus*, quae pleraque confirmat insigne marmor Ephesium vulgatum a Muratorio a), fuitque paternum genus Nemauso, et utrumque gestis consulatibus illustre b). Pater Aurelius Fulvus consul et ipse, mater Arria Fadilla c), natus ipse in villa Lanuvina XIII. Kal. Octob. d) anno V. C. 839 Domitiano XII. et Dolabella cos e). Functus quaestura, et praetura, et probata in utroque munere cum liberalitate, tum magnificentia consulatum sibi in annum V. C.

a) Pag. 232. 3. b) Capitolin. c) Gruter p. 607. 1. d) Capitolin. Vet. Kal. Lambec. e) Capitolin.

873 emeruit. Ab Hadriano postea inter quatuor consulares electus est, quibus Italia commissa fuit, subinde provinciam Asiam cum magna gravitate, ac integritate rexit, sic ut optimorum, qui ei praefuere, famam superaret [a]). Provinciae Asiae praefuisse, etiam ex Digestis tenemus [b]). E provincia redux in sanctius Hadriani concilium admissus magis per cognitos in omni vita mores, quam per leve pietatis specimen, quod commemorant Capitolinus [c]), et Aur. Victor [d]), adeptus est, ut mortuo repente Kalendis Ian. V. C. 891. Aelio Caesare, paullo post V. Kal. Martias ab Hadriano adoptaretur, dictus conlega in imperio proconsulari, et in tribunicia potestate, jussusque adoptare ipse M. Antoninum suum ex fratre uxoris Faustinae nepotem, et L. Verum mortui proxime Aelii Caesaris filium. Ergo ejus deinceps nomina fuere: *T. Aelius Hadrianus Antoninus.*

V. C. 891. P. X. 138.
IMP. CAES. TR. POT. COS.
Camerino et Nigro cos.

A. IMP. T. AEL. CAES. ANTONINVS. *Caput nudum, in AV. et AR.*

B. IMP. T. AELIVS. CAESAR. ANTONINVS. *Caput nudum, in AE. I. II.*

Vt lit. B.

HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P. *Caput Hadriani nudum.* AE. II. (Mus. Christinae.)

Vt lit. A.

PIETAS. TRIB. POT. COS. *Mulier ad aram accedens d. extenta granum thuris.* (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

Eadem aversa addito S. C. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

TRIB. POT. COS. *variis typis, iisque obviis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

TRIB. POT. COS. S. C. *variis typis.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Omissi in his numis tituli AVG. et PONT. MAX., ut et elogium PIVS invicte probant, descriptos hactenus numos percussos fuisse inde a V. Kal. Martias usque ad proximum Iulium, quo mense per Hadriani excessum unus rerum potitus non modo proprios summis principibus Augusti, et pontificis maximi titulos recepit, sed et extraordinario *Pii* elogio, ut continuo videbimus, ornatus fuit. Et confirmat istud praecipue numus ex propositis primus, in quo Hadrianus adhuc vivus cum adoptato recens Antonino conjungitur. Non satis hactenus antiquarii inter Antonini numos hoc anno percussos, nimirum quatenus ii ad Antoninum *Caesarem*, et Antoninum *Pium Augustum* pertinent, discrevere, atque omnium minime Mediobarbus, qui ad hunc annum omnia inique permiscet. Atque ego quoque candide confiteri cogor, me, cum catalogum musei Caesarei conscriberem, tres numos, nimirum 16. 17. 18. sic promulgasse, tanquam omisso *Augusti* titulo

a) Capitolin. Philostr. in vita Polemon. et laudatum mox marmor Ephesium. b) L. XLVIII. tit. III. §. 6. c) in Antonin. c. 4. d) de Caess. in Hadr.

additus tamen esset titulus *pontificis maximi*. At rursum a me curatius inspecti utrumque honorem manifesto conjungunt, ut continuo palam fiet.

Eodem anno

AVG. TR. P. COS. DES. II. P. M.
Incipit PIVS.

Mortuo die X. Iulii apud Baias Hadriano Augustus dicitur. (Vide Hadrianum ad hunc annum.) Eum acriter adversante primum senatu, mox cedente consecrat. (V. numos divi Hadriani.) In annum sequentem designatur consul iterum. PII appellationem deinceps in numis constanter duraturam recipit. De novo hoc honore agetur sub finem inter titulos hujus Augusti.

IMP. T. AEL. CAES. ANTONINVS. AVG. *Caput nudum*, vel: IMP. CAES. AEL. ANTONINVS. AVG. *Caput nudum*.
PONT. MAX. TR. POT. COS. *Typis variantibus, et obviis*. AR. (Mus. Caes.)

En tibi primitias numorum Antonini modo Augusti, qui a praecedentibus solo addito AVG. et PONT. MAX. elogio differunt.

* * *

IMP. CAES. AELIVS. ANTONINVS. AVG. *Caput nudum*.
P. M. TR. POT. COS. DES. II. S. C. *Mulier stans d. ramum, s. cornucopiae*. AE. I. (Mus. Caes.)

Nunc etiam Antonino consulis DES*ignati* II. honos accessit.

* * *

IMP. T. AEL. CAES. HADRI. (*in aliis* HADR.) ANTONINVS. *Caput nudum, vel laureatum*.
AVG. PIVS. P. M. TR. P. COS. DES. II. *Typis variis*. AV. AR.

Copiosi sunt in utroque nobili metallo numi sic inscripti. PIVS nunc primum appellari incipit.

* * *

IMP. T. AEL. CAES. HADRI. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput nudum, vel laureatum*.
P. M. TR. POT. COS. DES. II. S. C. *Mulier stans d. ramum, s. cornucopiae*. AE. II. (Mus. Caes.)

MONITVM.

Quoniam ex numis, certisque monumentis aliis comperi, tribuniciam potestatem inde ab Antonino Pio perinde ac consulatus Kalendis Ianuariis fuisse renovatam, deinceps singulis annis Iulianis unam tantum tribuniciam potestatem illis competentem praefigam. Haec indicasse satis esto. Nam hujus argumenti causas olim suo loco copiose, et adcurate comprobabo.

V. C. 892. P. X. 139.
TR. P. II. COS. II. DES. III. P. M.
IMP. II. forte.
Incipit PATER PATRIAE.
Antonio Pio Aug. II. C. Bruttio
Praesente II. Cos.

Titulum *patris patriae* admittit. Vide, quae de hoc inter titulos hujus principis observabo.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum, vel nudum, in numis omnis metalli, et formae.*

B. IMP. T. AEL. CAES. HADR. ANTONINVS. *Caput laureatum*, *vel nudum*, *in AV. et AR.*

C. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. II. *Caput laureatum*, *in AV. AR. AE. I.* (Mus. Caes.)

D. IMP. CAES. T. AEL. HADR. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput laureatum*, *in AE. m. m.* (Mus. Caes.)

E. IMP. T. AEL. CAES. HADR. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput laureatum in AE. I. et max. mod.*, *nudum vel radiatum in AE. II.*

F. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. II. *Caput nudum*, *in AE. max. mod.* (Mus. Pisani.)

Numi geographici.

Vt in Hadriani moneta, sic et Antonini variarum provinciarum imagines exhibentur. In illo, qui provincias imperii omnes adivit, ejus facti rationem tenemus, sed quae valere ad Antoninum nequit, qui Italia pedem nunquam extulit saltem fide certorum auctorum, et neglectis Malalae fabulis. Propositis primum id genus numis mox certam dicatae hujus Antonino monetae rationem expediemus.

Vt lit. A.

AFRICA. S. C. *Mulier stans capite elephanti exuviis tecto d. canistrum*, *s. cornucopiae*, *pro pedibus caput leonis.* AE. I. (Mus. Farnes. Vaillant.) In alio: *pro pedibus scorpius.* (Mus. Caes.)

Antica incerta.

AFRICA. COS. II. S. C. *Mulier gradiens unam eandemque coronam*, *eamque praegrandem utraque manu praefert*, *ante ejus pedes draco*, *retro tres spicae.* AE. I. (Mus. Christinae).

Antica incerta.

ALEXANDRIA. COS. II. S. C. *Mulier stans d. canistrum*, *s. ibin.* AE. I. II. (Vaillant.)

Vt lit. A.

ASIA. COS. II. S. C. *Mulier capite turrito stans d. coronam*, *s. ancoram*, *pro pedibus prora navis.* AE. I. (Mus. Caes.)

* * *

BRITANNIA. Numi hujus provinciae nomine inscripti quoniam diversum habent typum, et alterius sunt anni, huc non pertinent. Cum simili typo, qualis est in numis praesentis argumenti, aeneum I. formae, sed cum capite Claudii, edidit cl. Pinkertonus: BRITANNIA. *Mulier stans d. gubernaculum*, *s. porrecta vas*, *pro pedibus prora navis*, bis insuper professus, eum exstare in numis reginae Christinae ab Havercampo vulgatis [a]). Addit, similem alium, sed aureum, et sine vase in manu sinistra exstare. At miror profecto, singularem hunc numum citari ex opere Havercampi, in quo eum omni adhibita industria reperire non licuit. Memoriae lapsum suspicor. Cum ergo vir eruditus numum ipse non viderit, quia illum ex alieno laudat, mihi facile persuadeo, eum ad modum numorum praesentium fuisse confictum, additumque caput Claudii, quem constat suo ductu partem Britanniae oc-

a) Essay on med. Vol. I. p. 269 et 301.

cupasse. Adjectum alterum similis argumenti aureum, quia ex solis numis Arschotanis, dubiae plerisque fidei, cognitus est, confictum item existimo.

* * *

Vt lit. A.

CAPPADOCIA. COS. II. S. C. *Mulier succincta veste, et capite turrito stans d. vas, s. vexillum, pro pedibus mons Argaeus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

DACIA. COS. II. S. C. *Mulier stans d. monticulos*, (verba sunt editorum) *s. vexillum.* AE. I. (Vaill. Theup.)

Antica incerta.

HISPANIA. COS. II. S. C. *Mulier capite turrito stans d. coronam, s. ramum, pro pedibus cuniculus.* AE. I. (Vaillant. Morelli specim. tab. XI.)

* * *

ITALIA. Hujus quoque numi huc non pertinent propter causas sub BRITANNIA adlatas.

* * *

Antica incerta.

MAVRETANIA. COS. II. S. C. *Vir habitu succincto stans d. canistrum, s. hastam.* AE. I. (Mus. Christinae, Vaillant.)

Vt lit. A.

PARTHIA. COS. II. S. C. *Parthus stans d. coronam radiatam, s. arcum cum pharetra.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PHOENICE. COS. II. S. C. *Figura alte succincta stans d. vas, seu canistrum, s. scipionem, retro palma.* AE. I. (Mus. Caes.)

Ait Cellarius in Geographia antiqua, hanc regionem probe Latine scribi *Phoenicen*, non *Phoeniciam*, quam doctrinam confirmat quidem numus praesens, tamen et Conradus Schwarzius in subjecta nota memorat *Phoeniciam* ex Varrone [a]).

* * *

Antica incerta.

SCYTHIA. S. C. *Figura regionis stans d. coronam, s. baculum.* AE. I. II. (Vaillant.)

Antica incerta.

SICILIA S. C. *Mulier stans d. coronam, s. spicas.* AE. I. II. (Vaill. Mus. Caes.)

Vt lit. A.

SYRIA. S. C. *Mulier capite turrito stans d. coronam triplicem, ut videtur, forte canistrum, s. cornucopiae, dextro pede fluvio emergenti insistit.* AE. I. (Mus. Caes.) *addito* COS. II. (Mus. Theupoli.)

Perperam in numo simili Montfauconius legit SYBELE, et figuram stantem dixit Cybelen matrem deum [b]).

Animadversiones in recitatos numos.

Vt ex praesente elencho patescit, numi citati omnes egregie inter se conspirant. Primum antica in omnibus eadem est. Epigraphe aversae ut mentione provinciarum differt, ita in iis commemorandis eundem modum obtinet. Tempus in omnibus unum, nempe consulatus II. saltem secundum catalogos adcuratos. In paucis consulatus dissimulatur. Typus etiam, dempto unico, gestus figurae dextera porrecta quid offerentis, in omnibus idem est, nisi quod variant signa juxta posita, et singulis provinciis propria. Sunt omnes aenei, iique I. formae, demptis paucis, quos aeneos II. agnoscit Vaillantius. Ex auro, et

a) de L. L. lib. IV. p. 13. b) Ant. expl. Tom. I. tab. III. n. 9.

argento nondum observati. Quare cum tam constantem, et definitum in iis videamus modum, ut eorum recta procedat explicatio, nequaquam inquirenda ratio, quae ad singulas seorsim provincias, sed quae ad omnes simul sumptas pertineat. Quo in examine parum reperio solida antiquariorum judicia, qui hactenus in hos numos commentati sunt, dum alii ad explicandos eos advocant testimonium Capitolini generatim adfirmantis, imperante Antonino cunctas *provincias floruisse*, perinde quasi Antoninus in ipso imperii aditu jam stabiliverit felicitatem provinciarum, eamque hae per monetarios Romanos professae sint, et Capitolini effatum non omne ejus imperii tempus, sed annum nonnisi primum respiceret. Quid quod hoc pacto necesse erit dicere, Parthiam quoque, ac Scythiam in his numis memoratas a monetariis beatas praedicari, et Antonini auspiciis floruisse, quas tamen esse infirmas Romanorum maxime intererat. Alii singula Antonini facta, quae ad singulas provincias pertinent, quae auctores veteres memorant, ad hos numos adplicant, perinde quasi omnia, quae veteres de Antonino prodidere, primo statim imperii anno, seu in consulatu II. accidisse sit existimandum.

Antequam probabile de his judicium ferri possit, definiendum necessario, quidnam sit illud, quod partis aversae figura manu dextera porrigit. In aliis luculenta est corona, in aliis canistri, aut capsae quaedam species. In numo PARTHIA est corona radiata, in altero SYRIA canistrum est constans tribus coronis, quarum una alteri imposita est. In numo DACIA dicuntur esse monticuli, sed haud dubie coronae radii horum speciem praebent. Igitur si ex imagine capiendum judicium, partim coronam sistit, partim canistrum, quod quidpiam includit. His stabilitis expeditior est ad cetera via, qua sententiam meam eruditis propositum eo.

Illud, quod figura in his numis manu praefert, coronam auream esse censeo, aut quod pro hoc dari consuevit, *aurum coronarium*. Vetus enim erat jam etiam apud Graecos mos, ut iis, quibus habendus esset honos, aut habendae gratiae, corona aurea donaretur. Iam anno V. C. 331. Thraciae urbes Brasidam Spartanum tanquam Graeciae liberatorem corona aurea redimivere [a]). Vetustius exemplum de coronata auro Damareta Gelonis uxore dabimus infra, tum et posteriora, quorum multa quoque commemorant scriptores, cum habitos a civitatibus Alexandro M. honores commemorant, tum etiam Demosthenes [b]). Atque antiquum istud Graecorum institutum, quoniam ad rem faciendam valuit, facilem apud Romanos aditum reperit. Adhuc stante rep. ab Aemilio Paullo in triumpho ex victa Macedonia praelatae coronae aureae CD., a Manlio ex victa Gallograecia CC.; a T. Quinctio ex victa Macedonia CXIV., quas civitates Graecae victoribus honoris ergo, verius causa captandae benevolentiae ad triumphum obtulere. Vide de his Livium. Quam copiosas eodem nomine abstulerit I. Caesar, doce-

---

a) Thucyd. L. IV. c. 121. b) Orat. de Corona.

bunt Dio [a]), et Appianus perhibens [b]), eum finito bello Africano in triumpho duxisse coronas aureas 2822, quarum pondus fuit librarum 20414.

Factum non raro, ut pro corona aurea offerretur aurum ipsum, quod a re dictum fuit *coronarium*. Meminit Cicero legis, qua jubebatur is, qui de provincia decesserit, profiteri, quantum habeat auri coronarii [c]). Refert Polybius [d]), Antiochum pactum cum Romanis, se his daturum ταλαντα πεντηκοντα στεφανον, *talenta L. ad coronam*. Gerraei, ut ex Polybio refert Suidas [e]), εστεφανωσαν τον Αντιοχον πεντακοσιοις αργυρȣ ταλαντοις, *Antiocho coronae nomine dederunt D. argenti talenta*. Carthaginienses Damaretae Gelonis uxori, quod hujus ope commodam pacem impetrassent, polliciti sunt *coronam auream*, στεφανον χρυσȣν, ut refert Diodorus Siculus [f]), qui mox addit: και στεφανωθεισα υπ' αυτων εκατον ταλαντοις χρυσιȣ, *et coronata ab illis centum talentis auri*. Qui quidem loquendi modus, *pecunia coronare*, Graecis non infrequens fuit, sic tamen, ut hoc vocabulum στεφανȣν aliud non significet, quam *honorare*, *donare*, *remunerari*. Iam istud edixerat Harpocration, cum ait [g]): Demosthenem dixisse στεφανων αντι τȣ τιμων, *coronans pro honorans*, adducto etiam continuo exemplo Lycurgi oratoris: αλλα μην και Καλλισθενην εκατον μναις εστεφανωσατε, *sed et Callisthenem centum minis coronastis*, sc. *donastis*. Atque haec ejus verbi significatio αλληγορικως ad alios quoque modos valuit. Sic Pindarus [h]): στεφανωσαι Αιοληΐδι μολπᾳ, *coronare*, id est: *celebrare Aeolico cantu*, Xenophon [i]): ευδαιμονιᾳ οι θεοι τας πολεις στεφανȣσιν, *dii civitatibus felicitatem praestant*. De Palamede Philostratus [k]): επι τȣτοις ο μεν σοφιας αριστεια εστεφανȣτο υπο των Ελληνων, *istis autem de causis a Graecis sapientiae praemia ipse tulit*. Aristophanes [l]): ειτ' εστεφανȣν μ' ευαγγελια, quae verba sive a scholiaste, sive Kustero, sive nuper cl. Brunckio verti: *coronarunt me ob faustum nuncium*, jure displicet Baroni de Locella, qui postrema haec mihi exempla amice indicavit, cum potius secundum adductos modos reddenda sint: *causa fausti nuncii me honorarunt*. Multo autem vetustiorem hunc esse ejus vocabuli sensum, patet ex verbis epistolae II. ad Hebraeos cap. II. v. 7. δοξῃ και τιμῃ εστεφανωσας αυτον, *gloria*, *et honore coronasti eum*, quae verba capta, et ad literam traducta sunt ex psalmo VIII. v. 6, ubi legitur: תעטרהו, *coronasti eum*. Ad propositum ut redeam, non raro pecuniam pro ipsa corona repraesentari consuevisse, docet exemplum Rhodiorum, quod servavit Suidas [m]). Hi enim, inquit, quia αυτονομοι fuerant, (melius dixisset: ατελεις) exiguam quandam portionem honoris causa quotannis Romam misere, non tanquam tributum dominis, sed ut coronam amicis, quod illi στεφανικον τελεσμα, *coronarium tributum* vocavere. Addit, Gallograecos dicere στεφανικον,

---

a) L. XLII. §. 49. b) Bell. civ. L. II. c. 102. c) Orat. de leg. agr. cap. 4. d) Exc. legat. 83. e) in Σταχτη. f) L. XI. c. 26. g) in στεφανων. h) Olymp. I. v. 162. i) de Magist. equit. VIII. 7. k) Heroic. c. X. §. 4. l) Equit. v. 644. m) in Στεφανικον.

quidquid muneris, et beneficii loco alicui datur. Sed haec variis veterum testimoniis magis deinceps confirmabuntur.

Coronae hae *triumphales* vocatae sunt, quia eas civitates exterae ducibus Romanis ad triumphos, quos in urbe acturi essent, obtulere, in quibus eas palam ad ostentationem, et incredibili saepe numero praelatas fuisse, passim docet Livius. Festus a): *Triumphales coronae sunt, quae imperatori victori aureae praeferuntur, quae temporibus antiquis propter paupertatem laureae fuerunt*, et in eandem sententiam Gellius b). Verum haud dubie distinguenda fuere et tempora, et populi. Romanos integra rep. triumphatoribus suis in virtutis praemium obtulisse laureas ex vetere more, facile crediderim; at postea quam hi bella ultramarina gerere coeperunt, dubitari nequit, civitates Graecas victoribus ejus generis dedicasse coronas, cujus fuere illae, quas perpetuo more Alexandro M., ejusque successoribus dedicare consueverunt, aureas scilicet. Sed haec populorum externorum studia paullatim ducum R. cupiditatem accenderunt, sic ut etiam ante decretum triumphum coronas aureas a civitatibus expeterent; quam quidem avaritiem lege lata coercendam censuit I. Caesar teste ipso Cicerone his verbis L. Pisonem perstringente c): *Mitto aurum coronarium, quod te diutissime torsit, cum modo velles, modo nolles; lex enim generi tui et decerni, et te accipere vetabat, nisi decreto triumpho.* At parum valuit sive lex, sive ratio ad pravam ejus aevi magistratuum cupiditatem. Narrat enim Dio ad annum V. C. 720 d), etiam eos, qui vel minimam aliquam praefecturam obtinuere, triumphum sibi vel ab Antonio, vel Octaviano quaesivisse, atque ejus nomine magnam auri coronarii vim (χϱυσιον πολυ ἐς τῆς στεφανης) a civitatibus exegisse.

Eversa republica, cum jam bella unis imperatorum auspiciis gererentur, ad imperatores etiam tantum coronae aureae pertinuere, quas illis provinciae post relatam illustriorem victoriam, ex qua imperatoris titulum multiplicavere, dono miserunt. Paullatim aliae quoque causae accessere, ut aditus ad imperium, vel pontificatum maximum, adoptatio, ac similia principi laeta. Fuit vero donum istud sub imperatoribus ejus naturae, ut imperari etiam posset, et a vero tributo nonnisi mitiore vocabulo differret, cogerenturque provinciae in principem esse liberales, ac beneficae, et pendebat ex unius principis voluntate ejus doni vel multiplicare, vel minuere causas, tum et quantum, et quibus provinciis remissum vellet. Ejus moderationis manifesta quaedam habemus exempla legibus praescripta. Exstat constitutio Gratiani e): *Ad collationem auri coronarii placuit neminem absque consuetudine esse cogendum.* Alibi Iulianus f): *Aurum coronarium munus est voluntatis, quod non solum senatoribus, sed ne aliis quidem debet indici, licet quaedam indictionum necessitas postulaverit, sed nostro arbitrio reservari oportebit.* Sed et veterum monumenta nonnullorum principum in eo acceptando

a) in *Triumphales coronae.* b) L. V. c. 6. c) in Pison. c. 37. d) L. XLIX. §. 42.
e) Cod L. X. tit. 74. f) Cod. L. XII. tit. 13.

aut modum, aut in exigendo saevitiam notavere. Narrat Dio a), Octavianum in suo consulatu V. ab urbibus Italiae aurum coronarium non accepisse. Latius istud ejus anni beneficium praedicat Augustus ipse in marmore Ancyrano b): AVRI. CORONARI. PONDO. TRIGINTA. ET. QVINQVE. MILLIA. MVNICIPIIS. ET. COLONIIS. ITALIAE. CONFERENTIBVS. AD. TRIVMPHOS. MEOS. QVINTVM. CONSVL. REMISI. ET. POSTEA. QVOTIENSCVNQVE. IMPERATOR. APPELLATVS. AVRVM. CORONARIVM. NON. ACCEPI, quo luculento testimonio discimus tam magnitudinem muneris, et eo populis remisso Augusti beneficii, quam ejus oblati causam, et titulos. Augusti moderationem imitati sunt sequentium principum alii. Hadrianum, et Antoninum mox infra collaudabimus. Alexander Severus teste Lampridio aurum coronarium Romae remisit, atque idem de Iuliano praedicat Ammianus c). Contra lubet audire Caracallae duritiem, de quo haec Dio d): χωρις γαρ των στεφανων των χρυσων, ὃυς ὡς και πολεμιους τινας αει νικων πολλακις ᾔτει, λεγω δε ουκ ἀυτο τουτο το των στεφανων ποιημα, ποσον γαρ τουτο γε ἐστιν; ἀλλα το των χρηματων πληθος των ἐπ' ὀνοματι ἀυτου διδομενων, ὁις στεφανουν ἁι πολεις τους ἀυτοκρατορας ἐιωθασιν. *Coronas aureas continuo, velut perpetuus hostium victor exigebat; intelligo autem non ipsas ex auro factas coronas, quantulum enim id quidem? sed pecuniae vim coronarum nomine datam, qua imperatores a civitatibus coronari* (sc. donari) *solent.* Istud vero coronae tributum jam olim apud Graecos remitti fuisse solitum, docet eximius locus in Macchabaeor. L. I. c. 13. v. 37, ubi recitatur epistola a Demetrio Syriae rege ad Simeonem summum sacerdotem scripta, cujus verba huc pertinentia sunt: *coronam auream --- quam misistis, suscepimus*, et paullo post: *remittimus quoque ignorantias, et peccata usque in hodiernum diem, et CORONAM, QVAM DEBEBATIS, et si quid aliud erat tributarium in Ierusalem, jam non sit tributarium.*

Istud pecuniae honesto nomine inferendae artificium in inclinantis usque imperii aetatem durasse, ex citatis testimoniis perspeximus. Narrat praeterea Themistius e), Constantio II. Romae degenti a variis urbibus, atque ipsa etiam Constantinopoli missas fuisse coronas auri obryzi, et multorum talentorum. Gratiani de hoc auro constitutionem supra dedimus. Seriora exempla investigent alii.

Videndum jam, qua ratione ea, quae de hoc provinciarum seu munere, seu tributo commemoravi, applicari ad numos praesentes possint. Narrat de Antonino nostro Capitolinus, *aurum coronarium, quod adoptionis suae causa oblatum fuerat, Italicis totum, medium provincialibus reddidit*, secutus nempe exemplum patris Hadriani, qui teste Spartiano *aurum coronarium Italiae remisit, in provinciis minuit, et quidem difficultatibus aerarii ambitiose ac diligenter expositis.* Hoc Capitolini oraculo certi reddimur,

---

a) L. LI. §. 21. b) Tab. IV. v. 26. c) L. XXV. c. 4 d) L. LXXVII. §. 9.
e) Orat. IV. p. 54.

adfuisse ex provinciis oratores, qui munus imperatori deferrent, et cum illud oblatum sit causa adoptionis anno proxime superiore peractae, et necesse fuerit, justum intercedere tempus, dum ea adoptio innotesceret provinciis, cogeretur aurum, oratores ex remotissimis regionibus Romae adessent, dedicatio ejus auri coronarii saltem a remotioribus provinciis nisi sub exeuntem annum superiorem, aut ineuntem praesentem non potuit peragi, multo minus hi, de quibus agimus, numi feriri. Egregie igitur conspirat aetas numorum cum tempore dedicati muneris. At aeque cum sententia mea conspirat et typus. Exhibet hic stantem provinciae genium, qui manu extenta illud, quod gestat, porrigit, qui sane gestus est aliquid offerentis; quod vero manu gestat, in aliis capsa, vel arcula, prout nimirum provinciarum munus vel re ipsa corona aurea fuit, vel aurum capsae inclusum, et coronae aureae nomine datum, quae peristasis, tum et recitata hactenus testimonia iniquam Turnebi criminationem arguunt, cum ait [a]): *Nugantur hic nonnulli, a provincialibus datas bene meritis rectoribus initio coronas, postea aurum pro coronis, homines antiquitatis ignari.* Observandus praeterea typus expressus in numo *Africae*, qui sistit mulierem propere gradientem, nimirum sedulam in offerenda corona, quam manu praefert. Est haec corona majoris voluminis, quam videatur postulare proportionis lex, nempe in ostentationem, quales fuere illae, quarum meminerunt Iuvenalis [b]), et Festus [c]), et lepide Tertullianus [d]): *sunt et provinciales aureae coronae imaginum jam, non virorum, capita majora quaerentes.* Quae modo dixi, praeclare confirmantur numis obviis Antiochiae Syriae, in quorum antica legitur: ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ, in aversa intra coronam ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΟΚΝ. ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ, cujus inscriptionis unitae sensus est: *Caesari Augusto pontifici max. Antiochenses ob susceptum pontificatum max.* coronam dedicant.

Videri possit obstare huic sententiae, quod juxta provincias imperii R. memorantur etiam PARTHIA et SCYTHIA, quibus, utpote exteris, imperari donum istud non potuit. At enim quod provinciae ex consuetudine, quae in legem vertit, pendere solebant, istud injussu praestitere nationes exterae, sive quod socii essent, atque amici, sive ut per spem, aut metum benevolentiam captarent. Si verum est, quod refert Photius ex Memnone auctore historiae Heracleae Ponti, Romani Alexandro M. bellum in Persas paranti magni pretii coronam auream observantiae causa dono miserunt. Perhibente Dione [e]) multas I. Caesar coronas a regibus, principibusque post relatas tot suas victorias accepit, et quod huc maxime pertinet, narrat Iosephus [f]), Parthiae Regem Volagasem Tito ob relatam de Iudaeis victoriam misisse coronam auream, neque abolitum hunc fuisse aevo inferiore morem, testatur Eusebius narrans [g]), Constantino a remotissimis gentibus oblatas co-

a) ad Cicer. orat. de lege agr. c. 4. b) Sat. X. 39. c) in *Donaticae coronae.* d) de Corona milit. e) L. XLII. §. 49. f) Bell. Iud. L. VII. c. 5. g) in Vita Const. M. L. VII. c. 7.

ronas aureas, quibus significabant, ut continuo addit, obsequium ac societatem armorum offerre se imperatori, si vellet. Iulianum moto in Persas bello Euphratem transgressum *Saracenarum reguli gentium genibus supplices nixi oblata ex auro corona tanquam mundi, nationumque suarum dominum adorarunt* [a]). Eodem ergo consilio impulsi Parthi, Scythaeque, ut Antoninum recens adoptatum statim in dignitatis aditu sibi conciliarent, sueta tum munera, quae hominesque, deosque placant, destinato successori misere; neque istud Parthi nulla spe, nam constat ex Spartiano [b]), promisisse Hadrianum Parthis, se iis restituturum sellam regiam, quam Trajanus ceperat, non autem eum liberasse fidem, discimus ex Capitolino docente [c]), Antoninum eandem sellam Parthorum regi repetenti pernegavisse. De Scythis nihil certi constat, nisi forte studuere devincire sibi Antoninum, ne juvaret finitimos, cum quibus bella gessere. Refert sane Capitolinus [d]), Tauroscythas Olbiopolitis Ponti armis fuisse infestos, at missis ab Antonino civitati auxiliis vi rejectos, et ad dandos obsides aductos.

Numi hujus anni reliqui.

Vt lit. B.

AVG. PIVS. P. M. TR. P. COS. II. *addito in serius signatis* P. P. *Typis variis, et obviis.* AR.

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. P. M. TR. P. COS. II. S. C. *Typus congiarii.* AE. I. (Mus. Caes.)

Est hoc Antonini congiarium primum memoratum quoque Capitolino, dum inter prima ejus post aditum imperium facta refert: *Congiarium militibus, ac populo de proprio dedit, et ea, quae pater promiserat.*

* * *

Vt lit. E.

S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO. PRINCIPI. PIO. *intra lauream.* AE. m. m. (Mus. M. Ducis.) AE. I. (Bellori epist. de anni novi ausp.)

Epigraphen legendam: A*nnum* N*ovum* F*austum* F*elicem*, et duplicem a principibus annum novum celebrari solitum, satis ad similem Hadriani numum explicuimus [e]). Opportune tamen hoc loco addendum videtur, esse verisimilius, hac inscriptione auspicium anni novi communis esse intelligendum, quod me suspicari facit laurea, cui epigraphe inserta est. Mos enim erat apud Romanos, ut laureae, quae toto anno in sacris adhibebantur, ipsis Kalendis anni novi tollerentur, et mutarentur recentibus, de quo late Ovidius [f]). Atque ad hunc morem adlusit Sidonius Apollinaris, cum dixit [g]): *Tuque o, cui laurea, Iane, annua debetur.* Quo factum, ut non dubitaret Ausonius novas laureas ut consulatus numerare [h]):

Ter dominante Tito cingit nova laurea Ianum.

Similia anni novi vota non raro etiam

a) Ammian. L. XXIII. c. 3. b) in Hadr. c. 13. c) in Antonino c. 9 d) l. c. e) Vol. VI. p. 508. f) Fast. III. 135. g) Carm. 11. h) Carm. 258. c. 11.

in vilissimis veteribus figlinis expressa leguntur, de quo consule com. Caylus [a]).

* * *

Vt lit. A.

TR. P. COS. II. *addito in aeneis S. C. typis variis, et obviis.* AV. AR. AE. I. II.

* * *

In moneta Antonini numerus trib. potestatis vix additur usque ad tribunatum ejus XI. Quare insolentior est epigraphe anticae numi musei Pisani, quam supra sub litera F. proposui, in qua memoratur TR. P. II.

V. C. 893. P. X. 140.

TR. P. III. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.

Antonino Pio Aug. III. M. Aurelio Caes. cos.

Nihil ad hunc annum conferunt annales.

Numi:

Cum Antoninus per solidum quinquennium fuerit consul III., neque in numis per hoc tempus signatis numeri trib. potestatis addantur, hi nullo pacto suis annis, nisi per debiles conjecturas, quas semper fastidivi, tribui possunt. Quare praestat, numos omnes consulatu III. notatos, nisi qui DES. IIII. addunt, uno eodemque loco describere, quo saltem docebimur, eos ante annum praesentem feriri non potuisse:

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. *Caput laureatum, vel nudum, in numis omnis metalli, et formae.*

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. I. II. III.*

C. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. COS. III. *Caput laureatum, in AR.* (Mus. Caes.)

D. ANTONINVS. AVG. PIVS. COS. III. P. P. *Caput laureatum, in AE. I.* (Mus. Caes.)

Vt lit. A. Caput nudum.

S. P. Q. R. AMPLIATORI. CIVIVM. *intra coronam.* AE. I.

Numum hunc Spanhemius certae antiquitatis vocat, effossum saeculo praeterito, cum ad muniendam Bonnam terra egereretur, et a se conspectum, atque eodem loco copiosa eruditione, sed ex qua, velut e labyrintho, exitum vix reperias, de concesso omnibus Romani imperii incolis ab Antonino Pio civitatis jure disputat, atque ob eam illum causam *Ampliatorem civium* docente hoc numo dici promeritum [b]). At verisimilius alii beneficium istud in totum orbem collatum Caracallae, qui et ipse Antoninus dictus est, tribuunt moti manifesto Dionis loco L. LXXVII. §. 9, de qua lite vide in compendio Valesii, et Fabricii notam ad haec Dionis verba. Ceterum ampliator civium Antoninus ob varias causas dici potuit, quas inter facile esse potuit vel haec, quod Trajani exemplo soboli Italiae providit, de quo beneficio vide, quae disseremus ad numum uxoris Faustinae cum epigraphe: PVELLAE. FAVSTINIANAE.

* * *

Vt lit. A.

a) Rec. d'Ant. T. IV. p. 286. b) Orb. Rom. p. 114.

ANCILIA. IMPERATOR. II. S. C. *Duo ancilia.* AE. II. (Mus. Caes.)

De ancili regnante Numa de coelo lapso in salutem urbis, et ne pignus tam pretiosum auferri furto possit, undecim similibus aliis ab artifice Mamurio fabrefactis, tum de saliorum ritu ea statis diebus per urbem gestantium abunde actum ab eruditis, qui ritus Romanorum memoriae prodidere. Hic vero numus ancilis formam egregie ob oculos ponit, estque clypeus oblongus, et velut in tres clypeos minores divisus, quorum medius fulmen insculptum, et volumen contractius habet, ut adeo utraque extremitas magis exspatietur medio arctiore. Atque inspecto hoc numo facile intelliguntur aut verba Dionysii Halicarnassensis, illud simile esse *scuto virgato angustiores habenti laterum cavitates* adserenti [a]), aut Festi prodentis [b]), fuisse *ex utroque latere recisum*, *ut summum infimumque ejus latus medio pateret*, aut Plutarchi, qui illud *incisionem habere lineae cochleatim sinuatae*, *neque absolvere circulum ut peltam* adfirmat [c]). Non absimili modo exhibentur ancilia in denariis gentis Liciniae Stolonum, et in gemma Leonardi Augustini, quae sistit salios duos velatos ritu Gabino, et sex ancilia ex conto suspensa gestantes [d]). Eorum expressam formam vide etiam in Museo Florentino [e]).

Conjicere liceat, quoniam Antonini historia nihil suppeditat, quod cum ancilibus connectatur, hunc typum a monetariis lectum in gratiam Aurelii Caesaris ab illo adoptati. De hoc Capitolinus [f]): eum Hadrianus *octavo aetatis anno in saliorum collegium retulit. In saliatu omen accepit imperii. Coronas omnibus in pulvinar ex more jacientibus aliae aliis locis haeserunt, hujus velut manu capiti Martis aptata est. Fuit in eo sacerdotio et praesul, et vates, et magister, et multos inauguravit, et exauguravit nemine praeeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset.* Fuit autem saliorum munus et movere, et condere ancilia. Fieri poterat, ut, quae causa hujus typi esse potuit, peculiaris quaedam caerimonia ad ancilia pertinens circa istud tempus perageretur, cujus adeo honos ad utrumque Antoninum spectabat, ad Marcum saliatus praesulem, et Pium Augustum utpote pontificem maximum; nam arma Martis, sive ancilia ex instituto majorum semper apud summum pontificem servabantur, ipse vero teste Capitolino nullum sacrificium per vicarium fecit, nisi cum aeger fuit. Sed et lecti hujus typi causa esse potuit notus Antonini in res urbis veteres adfectus, de quo agemus infra post seriem chronologicam numorum Antonini.

* * *

Vt lit. A.

APOLLINI. AVGVSTO. *Apollo togatus stans d. pateram, s. lyram.* AV. (Thes. Brand.) AR. *et addito* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Apollo in his numis comparens, ut cultus docet, Actius est magna inde ab Augusto ab imperatoribus ob victum ad vicinum ejus templum M. Antonium religione observatus, ac propterea jure *Augusto* nomine decoratus.

a) L. II. p. m. 129. b) in Mamurius. c) in Numa. d) Gemm. ant. P. I. tab. 152.
e) Tom. II. tab. 23. f) in M. Aurelio.

* * *

Vt lit. A.

BRITANNIA. S. C. *addito in aliis:* IMPERATOR. II. *Mulier rupi (in aliis globo) insidens d. signum militare, s. hastam.*

Antica incerta.

BRITANN. *Victoria stans super globo d. coronam.* AV. (Vaillant.)

Antica incerta.

IMPERATOR. II. *Victoria sedens d. clypeum tenet, cui inscriptum:* BRITAN. AE. II. (Patin.)

Auctore Capitolino Antoninus *Britannos per Lollium Vrbicum legatum vincit alio muro cespititio submotis barbaris ducto.* Pausanias quoque ejus belli meminit, eamque Britannorum gentem *Brigantes* vocat, causamque adfert, quod hi Genuniam Romanis subjectam lacessiverant [a]). Docent hi numi, quod neglexit historia, bellum istud intra consulatus III. quinquennium gestum, aut saltem confectum, dictumque ex eo imperatorem II. primo ac postremo ejus tituli augmento. Quanquam si non fallit marmor Gruterianum, in quo Antoninus dicitur TR. P. II. IMP. II. COS. II. DES. III. [b]), is jam anno superiore excunte hoc titulo repetito ornatus fuit.

* * *

Vt lit. A.

CONCORDIAE. S. C. *Antoninus sinistra sigillum Concordiae, et Faustina senior s. sceptrum tenentes, et stantes super basi dexteras jungunt, infra duae minores figurae dexteras item jungentes, intermedia ara.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eleganter hic numus utriusque Augusti paris concordiam praedicat, nimirum ipsius Antonini, et Faustinae senioris, tum, qui minoribus signis indicantur, M. Aurelii recens cum Faustina juniore illorum filia matrimonio juncti.

* * *

Vt lit. A.

IMPERATOR. II. *typis variis.* AV. AR. AE. I. II.

Obvia est Antonini moneta sic utrinque inscripta.

* * *

Vt lit. A.

IVNONI. SISPITAE. S. C. *Iuno Sispita gradiens d. hastam intorquet, s. clypeum, pro pedibus serpens.* AE. I. (Mus. Caes.)

De Iunonis Sispitae apud Lanuvium cultu, ejusque attributis hic agere supersedeo, quoniam de ea affatim actum in numis gentis Rosciae, aliarumque, quos adi. Ejus observantia Antonino nativa fuit, quoniam Capitolino teste in villa Lanuvina natus fuit, inhaesitque deinceps quoque ea religio; nam *templa Lanuviana* ab eo sive condita, sive instaurata idem refert. Quare haec ejus in Sispitam pietas in moneta quoque jactatur. Eadem aversa recurrit in numis Commodi ad annum V. C. 930.

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. II. *in aliis* III. *Typus congiarii.* AV. (Mus. Caes.)

Liberalitatem primam ab Antonino in consulatu II. exercitam ex numis vidimus. Offert consulatus III. binas consequentes. Pluribus historiae suae locis Capitolinus collata ab eo congiaria, et

---

a) in Arcadic. p. 689. b) Pag. 253. 7.

donativa commemorat, et *vini*, *olei*, *et tritici penuriam per aerarii sui damna emendo, et gratis populo dando sedavisse.* Sed haec generatim, nulla facta temporis mentione, refert. Harum tamen liberalitatum, quas adducti numi collaudant, haud dubie una videtur fuisse, de qua Capitolinus: *nuptias filiae suae Faustinae usque ad donativum militum celeberrimas fecit.*

* * *

Vt lit A.

OPI. AVG. *Mulier sedens d. hastam, s. capiti admota.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Opis in hoc numo laudatae naturam explicabimus in moneta Pertinacis.

* * *

Vt lit. A.

REX. ARMENIIS. DATVS. S. C. *Imperator togatus stans Armenio regi tiaram imponit.* AE. I. (Mus. Caes.)

Quam acriter saepe Romanos inter, Parthosque dimicatum sit, ab utris Armenii inter utrorumque ditionem medii reges acciperent, satis hactenus per imperatorum historiam vidimus. Ex Antonini rebus gestis huc pertinens nihil reperio, nisi quod tradidit Capitolinus: *Parthorum regem ab Armeniorum expugnatione solis literis repulit*, atque etsi reliqua omnia ignoremus, faciunt tamen numi, ut minus ignoremus. Fuisse hunc Armeniae regem ab Antonino constitutum nomine Achaemenidem, parum concinne ex Iamblicho apud Photium Codice 94. eruit Vaillantius [a]).

* * *

Vt lit. A.

REX. QVADIS. DATVS. S. C. *Imperator togatus stans dexteram cum Quadorum rege jungit.* AE. I. (Mus. Caes.)

Fuere Quadi populus trans Danubium, qua is Austriam inferiorem secat, in Moraviam, et magis in Orientem usque ad Cusum flumen, hodie Vagum, porrectus, cui datum ab Antonino regem dissimulantibus illustre istud factum historicis omnibus numi pronunciant. Ejus gentis historia magis sub Marci imperio cognita, ac forte datus hic ab imperatore rex idem est cum illo, de quo loquitur Capitolinus in vita Marci: *Quadi autem amisso rege suo non prius confirmaturos eum, qui erat creatus, dicebant, quam si nostris placuisset imperatoribus.*

* * *

Vt lit. A.

ROMVLO. AVGVSTO. S. C. *Romulus habitu militari gradiens d. hastam, sive tropaeum super humero.* AE. I. (Mus. Farnes. Theupoli.)

En Romulum eo cultu, quo, caeso in pugna Acrone Ceninensium rege, detracta huic spolia Iovi Feretrio oblatum ibat. Lectus videtur hic typus propter singularem Antonini adfectum, quo veterem urbis historiam, et prodigia complexus est, ut magis infra ex singulari articulo patebit. Placuit adeo monetariis, imperatorem hunc, qui resuscitare amorem in patriam tot prodigiis ad eum apicem evectam, quibus poterat modis, conatus est, velut Romulum alterum, nempe AVGVSTVM, proponere, etsi propter pacis, ac pietatis consilia magis Numae a veteribus assimilatus sit. Hic typus est etiam in numis aureis, et

a) Arsacid. imper. p. 325.

aeneis II. formae inscriptis TR. POT. COS. III.

* * *

Vt lit. B.

TR. POT. COS. III. *variis typis* in omni metallo, et forma. Ex his memorandi: TR. POT. COS. III. *Imperator in quadrigis lentis una cum duabus parvis figuris.* AV. (Vaillant. Num. praest. T. II. p. 159. in iconismo.) In alio: *Ianus geminus stans d. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numus prior eximius, qui Antoninum una cum adoptatis M. Aurelio, et L. Vero in eodem curru conjungit. Vtrum hoc typo triumphus de Britannis indicetur, quod censet Vaillantius, tum tantum verum erit, cum certi erimus, Antoninum reipsa de iis victis triumphasse. At enim eum Victor disertis verbis *triumphorum expertem* dixit. Potest hoc typo aeque processus consularis, aut alia quaepiam insignior caerimonia indicari. In simili causa receptos in currum fuisse pueros, ac virgines sanguine junctas, refert Appianus in descriptione triumphi Scipionis Africani senioris [a]), et Capitolinus loquens de triumpho M. Aurelii et Veri [b]) *in triumpho autem*, ait, *liberos Marci utriusque sexus secum vexerunt*, *ita tamen*, *ut et puellas virgines veherent.*

Ianus numi alterius rarus in Augustorum moneta typus, sed arcessitus haud dubie ab Antonino, causa adfectus in antiquitates urbis, de quibus agetur infra. Eum offerunt etiam numi Hadriani, Pertinacis, et cultu nonnihil vario numus Gallieni, quem vide.

* * *

Alios numos ad hunc consulatum III. pertinentes vide infra in numis Antonini vetera historiae Romanae argumenta tractantibus.

V. C. 894. P. X. 141.

TR. P. IV. COS. III. P. M. P. P. IMP. II

M. Peducaeo Syloga Priscino, *T. Hoenio Severo cos.*

Tertio imperii anno moritur Faustina uxor. (Capitolin.)

Numi petendi ex anno praecedente.

V. C. 895. P. X. 142.

TR. P. V. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.

L. Cuspio Rufino, *L. Statilio Quadrato cos.*

Incerta hujus anni facta.

Numos vide ad annum V. C. 893.

V. C. 896. P. X. 143.

TR. P. VI. COS. III. P. M. P. P. IMP. II.

C. Bellicio Torquato, *Ti. Cl. Attico Herode cos.*

Incertae etiam hujus anni res gestae.

V. C. 897. P. X. 144.

TR. P. VII. COS. III. DES. IV. P. M. P. P. IMP. II.

P. Lolliano Avito, *C. Gavio Maximo cos.*

Antoninus in annum sequentem designatur consul cum M. Aurelio II.

---

a) de reb. Punic. c. 66. b) in Aurel. c. 12.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P.
Caput laureatum, *vel nudum.*
COS. III. DES. IIII. *variis typis.* AV. AR.
ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. *Caput laureatum*, *vel nudum.*
DES. IIII. S. C. *Hygia stans*, *vel sedens* AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 898. P. X. 145.
TR. P. VIII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.
Antonino Pio Aug. IV. M. Aurelio Caes. II. Cos.

Antoninus L. Vero togam virilem dat. Templum patris dedicat. Populo congiarium praebet. Vide mox infra ad numos inscriptos LIBERALITAS. IIII.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum*, in AV. et AR.
B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. *Caput laureatum*, *in AE. I. etiam radiatum in AE. II.*
C. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. IIII. *Caput laureatum*, *in AV. AR. AE. m. m. I. II.*

Vt lit. A.
COS. IIII. *vel:* TR. POT. COS. IIII. *variis typis.* Obvia hujus anni moneta in AV. et AR.
Vt lit. B.
COS. IIII. S. C. *vel:*
Vt lit. C.
S. C. *variis typis.* Obvia hujus anni moneta in AE. I. II.

* * *
Vt lit. C.
LIB. IIII. *Typus congiarii.* AV. (Mus. Caes.)
Vt lit. A.
LIB. IIII. TR. POT. COS. IIII. *Mulier stans d. tesseram*, *s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)
Vt lit. A.
LIB. IIII. TR. POT. COS. IIII. *Mulier stans d. labarum*, *s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)
Vt lit. B.
LIBERALITAS. AVG. IIII. COS. IIII. S. C. *Typus congiarii.* AE. I. (Mus. Caes.)
Vt lit. B.
LIBERALITAS. IIII. S. C. *Liberalitas stans.* AE. II. (Mus. Caes.)

Teste Capitolino [a]), *qua die togam virilem Verus accepit*, *Antoninus Pius ea occasione*, *qua patris templum dedicavit*, *populo liberalis fuit.* Dabatur toga virilis circa annum aetatis XV., cumque Verus, ut suo loco dicetur, natus probabiliter sit V. C. 883, togam virilem hoc anno acceperit, atque hujus causa, tum etiam propter dedicationem templi paterni videtur hoc anno suscepisse consulatum, et distribuisse congiarium.

Laudatus numus argenteus, in quo Liberalitas pro solita tessera labarum luculentum tenet, docet, liberalitatem principis in milites quoque porrectam, ut et testatur Capitolinus, sed dissimulato tempore: *Congiarium populo dedit*, *donativum militibus addidit.*

* * *
Vt lit. C.

---

a) in L. Vero.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. *intra lauream.* AE. II. (Mus. Caes.)

Fuisse Antonino, perinde ac Trajano, decretum a senatu *Optimi Principis* elogium, historia non prodit. Ceterum illi in hunc titulum inde a Trajano per adoptionem jus fuit.

* * *

Vt lit. C.

Sine Epigraphe. Chorus nympharum, quarum una infantem fasciis involutum sublimem gestat, aliae instrumentis musicis adplaudunt, aliae quiete consident; eis immixti duo Satyri. AE. max. mod. (Seguin pag. 127.)

Elegans numisma spectato signorum ordine, ac dispositione, sed in cujus explicatione bis offendit vir egregius Seguinus. Nam primum hoc typo puerperium Rheae, et infantem Iovem proponi censet. Verum circumstans Nympharum, et Satyrorum agmen manifestum Bacchum arguit. Deinde quod hac imagine *induci partum Faustinae sub specie matris Ideae* opinatur, quae tamen pridem ante Antonini consulatum IV. diem obivit.

V. C. 899. P. X. 146.

TR. P. IX. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

Sex. Erucio Claro II. Cn. Claudio Severo cos.

Annum urbis nongentesimum magnifice celebrat [a]). M. Aurelio tribuniciam potestatem impertit. (Vide hujus numos.)

Numi petendi ex anno V. C. 898.

* * *

V. C. 901. P. X. 148.

TR. P. XI. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

L. Torquato III. C. Iuliano Vetere cos.

Antoninus primos decennales solvit. (ex numis).

Ab hoc anno numeri tribuniciae potestatis hactenus neglecti in Antonini moneta notari incipiunt.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XI. *Caput laureatum. in AV. AR. AE. I. II.*

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XI. COS. IIII. *Caput laureatum, in AE. m. m. et AE. I.*

C. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. IIII. *Caput laureatum, in AE. I.*

Vt lit. A.

COS. IIII. *typis variis*, in omni metallo, et forma.

* * *

Vt lit. A.

LIB. V. COS. IIII. *Liberalitas stans.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

LIBERALITAS. AVG. V. S. C. *Liberalitas stans*, AE. I. (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. A.

PRIMI. DECENNALES. *intra quernam, addito in aliis* COS. IIII. AV. AR. *et* S. C. in AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VOT. COS. IIII. S. C. *Imperator ad tripodem sacrificans.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

---

a) Victor de Caesarib.

VOTA. SVSCEPTA. X. COS. IIII. *Typus idem.* AR. (Mediob).

Decennales, et *Vota* sive suscepta, sive soluta, nimirum pro principis incolumitate, nunc primum comparent, perpetuum deinceps, ac praecipue saeculo Constantiniano, numorum argumentum. Exivere primi decennales Antonini die X. Iulii anni praesentis, et coepere decennales alteri, in quibus soluta vota pro elapso feliciter decennio primo, et suscepta nova pro decennio instante. Sed hanc votorum rationem latius enucleabimus in Volumine VIII. tractatu singulari.

V. C. 902 P. X. 149.

TR. P. XII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

Serg. Scipione Orfito, Q. Nonio Prisco cos.

Steriles ad annum praesentem annales.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XII. *Caput vel nudum, vel laureatum, in AV. AR. AE. m. m. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XII. COS. IIII. *Caput laureatum, in AE. m. m.*

Vt lit. A.

COS. IIII. *typis variis.* Moneta hujus anni obvia in omni metallo, et forma.

* * *

Antica incerta. 255, 34 +35

LIB. VI. COS. IIII. *Liberalitas stans.* Quin. (Vaillant.)

Antica incerta.

LIBERALITAS. COS. IIII. S. C. *Mulier stans d. tesseram, s. vexillum, cui inscriptum* VI. AE. I. (Mus. Christinae).

Neglecta malo consilio ab utroque antiquario partis adversae mentio facit, ut verum praestitae hujus ab Antonino liberalitatis annum minore fiducia possimus definire. Igitur sexto huic congiario intra annum praecedentem, quo liberalitatem V. exercitam vidimus, et annum V. C. 907, quo septimum fuisse liberalem videbimus, adsignanda statio. Alter numus milites quoque in bonorum communionem fuisse vocatos, egregie evincit.

* * *

Vt lit. B.

MVNIFICENTIA. *Leo gradiens.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

MVNIFICENTIA. AVG. COS. IIII. S. C. *Elephas loricatus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Praeclare hi typi explicant, quod de Antonino narrat Capitolinus [a]): *Edita munera, in quibus ELEPHANTOS, et crocutas, et strepsicerotas, et crocodilos etiam, atque hippopotamos, et omnia ex toto orbe terrarum cum tigridibus exhibuit. Centum etiam LEONES una missione edidit.* Sub hoc primum Augusto incipit epigraphe MVNIFICENTIA in sequentium imperatorum numis obvia, addito typo animalis feri, aut peregrini ad venatus in spectaculis destinati. Nam *Munus* veteribus etiam dictum spectaculum ferarum, aut gladiatorum, prout dixit Cicero [b]); *magnificentissima vero nostri Pompeii munera secundo consulatu.* Atque hinc factum, ut vocabulum *muni-*

a) Cap. 10. b) de Offic. L. II. 57.

ficentia ad sumptum in ludos factum adhiberetur, quo et usus M. Bibulus, questus, edendis in aedilatu conlega I. Caesare ludis *evenisse sibi*, *quod Polluci. Vt enim geminis fratribus aedes in foro constituta tantum Castoris vocaretur*, *ita suam*, *Caesarisque MVNIFICENTIAM unius Caesaris dici* a).

Observandus praeterea in numo altero elephas, atque is loricatus. Armatum lorica primum vidimus in numis Titi ad A. V. C. 833, quo loco diximus, eum indicare ludos a Tito hoc anno celebratos, quod tanto magis verum, quia de eodem hoc principe dixit Suetonius b); *et tamen nemine ante se MVNIFICENTIA minor. Amphitheatro dedicato*, *thermisque juxta celeriter exstructis munus edidit adparatissimum*, *largissimumque.* Idem typus elephanti loricati, et scripto pariter juxta MVNIFICENTIA. AVG. recurret in numis Commodi ad annum V. C. 936, et Severi ad V. C. 950, lectus adeo ad indicanda ludorum solennia, de quo vide praeterea, quae dicemus in numis vagis Gordiani ad numum cum epigraphe: MVNIFICENTIA. GORDIANI. AVG. Munitur lorica elephas, ut saepe alias equi quoque, ut jaculis esset impervius, et tum Graecis dicebatur τεθωρακισμενος, de quo vide, quae erudite disputat Spanhemius c).

* * *

Vt lit. A.

TEMPORVM. FELICITAS. COS. IIII. *Duo cornuacopiae*, *quorum singulis impositum caput infantis.* (Mus. Farnes.) *addito* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Nemo non videt, typum aversae captum ex numis Drusi junioris, in quorum postica capita gemellorum eodem modo proponuntur. Dubium non videtur, his exhiberi binas proles M. Aurelio forte hoc anno natas, atque has quoque gemellas, sed quae hae fuerint, (nam plures per intervalla natae sunt) definiri nequit. Oculatior Vaillantius, qui in utroque capite, difficili in infantibus criterio, sexum distinxit, unumque *virile*, alterum *muliebre* potuit decidere.

V. C. 903. P. X. 150.
TR. P. XIII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.
Gallicano, *Vetere cos.*

Nihil ad hunc annum conferunt aut numi, aut historia.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XIII. *Caput laureatum.*
COS. IIII. etc. *variis typis* in omni metallo et forma.

IMP. CAES. T. AEL. HADR. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum.*
PIETAS. TR. POT. XIII. COS. IIII. *Mulier stans propter aram d. arietem tenet*, *s. pateram cum frugibus.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 904. P. X. 151.
TR. P. XIV. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.
Quintilio Condiano, *Quintilio Maximo cos.*

Incerta omnia hujus anni.

a) Sueton. in Iulio c. 10. b) in Tito cap. 7. c) Tom. I. p. 182.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P.P. TR. P. XIIII. *Caput laureatum, vel nudum*, in *AV. AR. AE. I.*

B. IMP. CAES. T. AEL. HADR. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum, vel nudum*, in *AV. AR. AE. I. II.*

Vt lit. A.

COS. IIII. *variis et obviis typis.* AV. AR. AE. I.

* * *

Vt lit. A.

LAETITIA. COS. IIII. *Duae figurae togatae, quarum una d. duas spicas tenet, altera sinistra globum.* AV. [a]). In alio: *Mulier stans d. spicas, s. pomum, cujus gremium puellus amplectitur.* AV. [b]).

Ingeniosa est explicatio cl. Visconti, qui in numo priore Cererem videt, quae repertam apud inferos filiam Proserpinam reducit [c]). Istud si verum, id, quod Proserpina manu sinistra stringit, non erit globus, ut visum Mediobarbo, sed malum Punicum, cujus esus deae fatalis fuit, ut refert Ovidius [d]), essetque adeo imago haec celebrata Praxitelis καταγȣσα, nimirum Ceres Proserpinam ab inferis reducens [e]), illustri sane laetitiae argumento, quando matri contingere laetius nihil potest, quam reperire filiam raptam, et retrahere. Altera sententia fuit Oiselii, existimantis, utriusque mulieris imagine proponi duas Faustinas Augustas, et seniorem quidem instar Cereris cum spicis, juniorem instar Veneris cum pomo suo [f]). Neuter vir eruditus ad numum alterum, quem ex Mediobarbo dedi, reflexit animum. In hoc enim non mulieres binae, sed unica, laetitiae partes sustinet, et quidem sola utrumque praeferens attributum, quod in numo priore inter utramque mulierem divisum est, spicas intelligo, et pomum, certo adeo indicio, idem in utroque numo argumentum contineri, neque aliud docere mulieres binas, aliud solitariam. Gravissime autem peccavit Oiselius, dum in Antonini consulatu IV., quem numus memorat, huc adegit Faustinam seniorem, quae plures jam ante annos vivere desiit, et quidem ad argumentum *Laetitiae*, cujus memoria tristitiae potius causa esse debuerat uxorio Antonino. Omissis ergo speciosis his explicatibus acquiescamus in simplici illo, qui procuratam ex omnis generis fructuum abundantia laetitiam his typis indicari mavult, quo modo Plinius agens de Nili incrementis dixit quoque, *XIV. cubita hilaritatem adferre, XV. securitatem, XVI. delicias* [g]). Alios laetitiae typos dabimus infra in moneta Faustinae jun.

Haec Laetitia, quae nunc primum in numis occurrit, frequenter deinceps monetae inscribitur, et variis quidem additis nominibus, v. c. *Laetitia Aug. — Temporum, — Publica — Fundata* etc. neque dubitari potest, publice ei constituta fuisse sacra, qualia facta fuisse Iucunditati legimus in vetere marmore [h]):

---

a) Tristan Comment. hist. T. I. pl. XII. Catal. d'Ennery p. 208. Mediob. b) Mediob. c) Mus. Pio. Clem. Tom. I. p. 95. d) Metam. L. V. v. 533. seq. e) Plin. L. XXXIV. p. 953. f) Thes. sel. num. p. 337. g) Hist. nat. L. V. §. 10. h) Mus. Veron. p. 177.

GENIO
IVCVNDITATIS
MVSIS
FLORAEQ.
S.

* * *

Vt lit. B.

PIETAS. TR. POT. XIIII. COS. IIII. S. C. *Templum octo columnarum, in quo duae figurae sedentes cum hastis.* AE. I. (Mus. Caes.)

Verisimile, binis his signis exhiberi parentes Hadrianum, et Sabinam, templumque eorum honori impulsu *Pietatis* erectum. Et refert Capitolinus inter opera ejus publica *templum* quoque *Hadriani honori patris dicatum.*

* * *

Vt lit. A.

Sine epigraphe. Imperator togatus stans inscribit clypeo, quem Victoria columellae insistens tenet; eum coronat mulier retro stans, et infantem in sinu gestans altero pro pedibus adstante, ante imperatorem duae alterae parvae figurae manum attollentes. AE. max. mod. (Mus. M. Ducis.)

Refertur hic typus ad pueros, et puellas alimentarias, de quibus vide numum divae Faustinae inscriptum: PVELLAE. FAVSTINIANAE.

V. C. 905. P. X. 152.

TR. P. XV. COS. IIII. P. M. P. P. IMP. II.

Man. Acilio Glabrione, M. Valerio Homullo cos.

De actis hujus anni nihil constat.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XV. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

B. IMP. CAES. T. AEL HADR. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. I., etiam radiatum. in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

COS. IIII. *typis variis* in omni metallo, et forma.

Vt lit. B.

TR. POT. XV. COS. IIII. *typis variis* in omni metallo, et forma.

V. C. 906. P. X. 153.

TR. P. XVI. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

C. Bruttio Praesente, A. Iunio Rufino cos.

Incerta omnia hujus anni.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XVI. *Caput laureatum.*

COS. IIII. *typis variis.* AV. AR.

* * *

Eadem adversa.

INDVLGENTIA. AVG. COS. IIII. S. C. *Mulier stans d. extenta, s. hastam. AE. I.* (Mus. Caes.)

Confirmantur hoc numo verba Capitolini adserentis, fuisse Antoninum *ad indulgentias pronissimum.*

V. C. 907. P. X. 154.

TR. P. XVII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

L. Ael. Aur. Commodo, T. Sextio Laterano cos.

Omnia rursum incerta.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XVII. *Caput laureatum, in aliis nudum, vel radiatum.*
COS. IIII. *variis et obviis typis*, in omni metallo, et forma.

* * *

Eadem adversa.
LIBERALITAS. VII. COS. IIII. *Liberalitas stans.* In aliis: *Imperator stans d. tesseram, s. volumen.* In aliis: *Mulier stans ex cornucopiae fruges effundit.* AR. (Mus. Caes.) In aliis: *Typus congiarii addito* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 908. P. X. 155.
TR. P. XVIII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.
C. Iulio Severo, M. Rufino Sabiniano cos.

Omnia incerta.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XVIII. *Caput laureatum, vel radiatum, vel nudum.*
COS. IIII. *variis typis*, in omni metallo, et forma.

V. C. 909. P. X. 156.
TR. P. XIX. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.
M. Ceionio Silvano, C. Serio Augurino cos.

Omnia rursum incerta.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XIX. *in aliis* XVIIII. *Caput laureatum in AV. AR. AE. m. m. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*
B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. IMP. II. *Caput ut in prioribus. AV. AR. AE. I. II.*

* * *

Vt lit. A.
COS. IIII. *typis variis*, in omni metallo, et forma.
Vt lit. B.
TR. POT. XIX. COS. IIII. *variis typis*, in AV. AR. AE. I. II.

V. C. 910. P. X. 157.
TR. P. XX. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.
Barbaro, Regulo cos.

Certi nihil adfert historia.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. IMP. II. *Caput laureatum, vel radiatum in AV. AR. AE. m. m. AE. I. II.*
TR. POT. XX. COS. IIII. *variis typis*, in omni metallo, et forma.

V. C. 911. P. X. 158.
TR. P. XXI. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.
Tertullo, Claudio Sacerdote cos.

Eadem rerum gestarum ignoratio.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XXI. *Caput laureatum, vel nudum in AV. AR. AE. I., etiam radiatum in AE. II.*
B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. IMP. II. *Caput, ut supra, in AV. AR. AE. I. II.*

* * *

Vt lit. A.
COS. IIII. *typis variis*, in vario metallo, et forma.

* * *

Vt lit. A.

FORTVNA. OPSEQVENS. (sic) COS. IIII. S. C. *Mulier stans d. pateram cum gubernaculo, s. cornucopiae.* AE. II. (Mus. Caes.)

Haec aversa in moneta anni praesentis primum adhiberi coepta, subinde frequentius comparet in trib. potestate XXII., atque in auro etiam, et argento. Observandum in hoc vocabulum OPSEQVENS, quod in numis omnibus, quotquot viderim, sic exaratur, cum ex lege ordinaria scribendum fuisset OBSEQVENS. Latinos non modo pervetustos illos, sed et recentiores saepe elementum B in P mutasse, obvia habemus exempla, v. c. cum scriberent *oppono*, *opprimo*, *optineo* pro *obpono*, *obprimo*, *obtineo*. At frequentius istud factum sequente S; sic ex *labor* est *lapsus*, ex *scribo* ortum *scripsi scriptum*. In antiquissimo sepulcro Scipionum legitur OPSIDES pro OBSIDES. In lapide aevi Augustei apud Fabrettum a): APSENTIS. SVPSTITVTA. In alio Tiberii aetate posito apud Sponium b), aliosque passim, legas: PLEPS. VRBANA pro PLEBS, unde formatur *plebis*, *plebem*. Sed et Graeci eodem modo scripsere Αϱαψ pro Αϱαβς, etsi inde ducatur genitivus Αϱαβος. Atqui et Plutarchus juxta eandem hanc numi praesentis scripturam nomen Fortunae *Obsequentis* vertit Οψεκϐεντης c).

Teste Victore binae fuerunt in urbe aedes *Fortunae obsequentis*, quarum aliam restauratam forte ab Antonino fuisse conjicit Vaillantius. Haec Fortuna jam Plauti aetate Romae cognita fuit; nam Leonida servus interrogatus, cujus dei nomine se compellari vellet, *Fortunae* ajebat, et quidem *Obsequentis* d).

* * *

Vt lit. B.

LIB. VIII. TR. POT. XXI. COS. IIII. *Liberalitas stans.* AR. *et addito* S. C. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Certum hoc est anni praesentis congiarium; at exiguam fidem merentur bini aenei I. formae sic a Vaillantio descripti: CONG. AVG. TR. POT. XX. IMP. III. COS. III. alter: CONG. AVG. IIII. TR. POT. XXI. IMP. III. COS. III. e), in quo utroque peccatur, quod imperatoris titulus unitate nimio augetur, et consulis unitate nimio minuitur. Quare conjici jure potest peccatum quoque fuisse in numero congiarii, nimirum IIII., cum tamen ex certis aliis, et frequentibus liberalitas VIII. hoc anno praedicetur.

* * *

Vt lit. B.

TR. POT. XXI. COS. IIII. *typis variis* in omni metallo, ac forma. Nimirum sic inscripta fuit ordinaria anni hujus moneta.

V. C. 912. P. X. 159.

TR. P. XXII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

Plautio Quintillo, Statio Prisco cos.

Nihil certi ad hunc annum.

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XXII. *Caput laureatum*

---

a) Pag. 168. b) Miscell. p. 266. c) de Fort. Rom. d) Asin. Act. III. sc. III. v. 126.
e) Num. praest. T. I. p. 74. edit. Rom.

in AV. AR. AE. I. et in II. etiam radiatum.

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. A. vel B.

AED. (*in aliis:* AEDE.) DIVI. AVG. REST. COS. IIII. *Templum octo columnarum, intra quod duae figurae, duae item in intercolumnio, et duae in ipsis gradibus.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. vel B.

TEMPL. DIV. (*in aliis:* TEMPLVM. DIVI.) AVG. REST. COS. IIII. *Idem typus.* AV. (Vaill.) AR. *et addito* S. C. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Augusti templum jam alias in numis vidimus, ac primum in numis Tiberii ad annum V. C. 787, in numis Caligulae variorum annorum, ac videmus modo illud in numis Antonini anni praesentis, qui, quod historia neglexit, docent, sacrum illud Augusti heroum, sive aevo fatiscens, sive damna passum Antonini pietate fuisse restitutum. Dubium non est, ex binis signis, quae intra templum comparent, alterum esse Iuliae docente Dione [a]): *aviam Liviam* a Claudio *consecratam, ejusque effigiem dedicatam in templo Augusti.* Observandum, alias esse leges architectonicas templi Augusti in numis praesentibus, quam quas offerunt citati numi Tiberii, et Caligulae cum eodem Augusti templo, an quod Antoninus, dum eas aedes restituit, nonnulla immutavit? an quod praesentium numorum templum diversum ab altero est? nam Sex. Rufus praeter templum Augusti in regione VIII. memorat aliud Romae, et Augusti in regione IV., an quod monetarii in fingenda templorum fronte minus semper fuere fideles?

* * *

Vt lit. A. vel B.

VOTA. SOL. DEC. (*in aliis:* DECENN.) II. COS. IIII. *addito in aeneis* S. C. *Imperator togatus stans ad tripodem sacrificat.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. vel B.

VOTA. SVSCEPTA. DEC. (*in aliis:* SVSCEP. DECENN.) III. COS. IIII. *addito in aeneis* S. C. *Idem typus.* AV. (Mus. Caes.)

Celebratos primos Antonini decennales in ejus trib. potestate XI. vidimus. Praesentes numi docent, soluta fuisse vota pro altero decennio feliciter exacto, et suscepta alia pro ineunte decennio tertio. Ex praescripto primi decennii vota, de quibus in numis his sermo, nuncupanda fuere in ejus trib. potestate XXI., et revera Norisius commemorat numum cum hoc tribunatu, cui soluta haec vota testatur esse inscripta, sed quem alibi laudatum non reperio [b]). Sin numus est verus, votorum mentio restituta est anno praesente, ac sequente.

V. C. 913. P. X. 160.

TR. P. XXIII. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

T. Clodio Vibio Varo, App. Annio Atilio Bradua cos.

Res anni hujus incertae.

a) L. LX. §. 5. b) de Vot. decenn. p. 122.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XXIII. *Caput laureatum, vel radiatum etiam in AE. II.*

Non reperio aliam in numis hujus anni capitis epigraphen. Numi memorabiliores sunt:

* * *

PIETATI. AVG. COS. IIII. *Mulier stans d. globum, s. infantem in ulnis, duobus aliis hinc et illinc adstantibus.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Explica typum ex numis divae Faustinae inscriptis: PVELLAE. FAVSTINIANAE.

* * *

VOTA. SVSCEPTA. DEC. III. COS. IIII. *Imperator ad tripodem sacrificans.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vide de his votis dicta ad annum praecedentem.

* * *

COS. IIII. *Imperator paludatus stans d. parazonium, s. hastam, juxta mulier elephanti proboscide tecta humi decumbens d. leonem contingit, s. spicas tenet, pone Victoria tropaeum statuens.* AE. max. mod. (Mus. Pisani.)

Hunc typum cl. Mazzolenus ejus musei editor ad victos in Africa Mauros refert. Verum habemus eundem omnino typum in numo Commodi ad annum V. C. 943, quem vide.

V. C. 914. P. X. 161.

TR. P. XXIV. COS. IV. P. M. P. P. IMP. II.

M. Aurel. Caes. III. L. Ael. Aur. Commodo II. cos.

Hoc anno Antoninus apud Lorium exstinguitur, quod factum chronologi die VII. Martii censent consulibus hujus anni M. Aurelio Caes. III. L. Vero II. Ex marmore posito X. KAL. APRIL. hujus anni [a]) certum fit, Antoninum hoc die, seu XXIV. Martii non amplius fuisse superstitem, quoniam in eo uterque consul jam Augustus dicitur. Vide, quae de anno, et mense mortis plura disputavimus in Antonini numis Alexandrinis.

Fuit Antoninus conspicuus forma, sermone, ingenii ac litterarum cultu, at multo illustrior probitate morum, atque innocentia vitae, quae tanta in eo fuit, ut uno ore a veteribus propter pietatem et in sacras caerimonias adfectum cum Numa compararetur, atque ipse mensuram nominis PII per mores integros et inculpatos parti ad vitae usque exitum adimpleret. Cum esset placidus ac mitis ingenio, amans innocui in agris otii, indulgentia in eos quoque, qui deliquere, singulari, tamen omni virium contentione ad tuendam imperii majestatem, ac felicitatem incubuit coercita praesidum avaritia, compressis seditionibus, hostibus externis legatorum virtute (nam bellum per se ipse nullum gessit) ad petendam pacem adactis. Enim vero nunquam majus sanctiusque fuit imperii Romani nomen, *adeo trementibus eum*, ut ait Victor [b]), *atque amantibus cunctis regibus, nationibusque et populis, ut parentem, seu patronum magis, quam dominum imperatoremve reputarent, omnesque uno ore in coelestium morem propitium optantes de controversiis inter se judicem poscerent. Ad quem etiam Indi, Bactri, Hyrcani legatos misere ju-*

a) Vignoli de Columna Anton. p. 51.

b) in Epitome.

stitia tanti imperatoris comperta, *quam ornabat vultu sereno*, *et pulchro*, *procerus membra*, *decenter validus*. Quo factum, ut moreretur senex, sed quasi adolescens desideraretur, atque efficeret, ut Antonini nomen, quo ipse Augustorum primus praeditus fuit, non venerabile modo esset successoribus, sed ab his avide quoque expeteretur. Certe teste Lampridio [a]) *tam amabile illis temporibus fuit nomen Antoninorum*, *ut*, *qui eo nomine non niteretur*, *mereri non videretur imperium*, et paullo infra testatur idem, *Antoniniano nomine clarius illis temporibus non fuisse vel nomen deorum.* Laudatus est pro rostris ab utroque successore Augusto, et consecratus, corpusque aeterni principis illatum Hadriani sepulchro [b]).

Vxor: ANNIA FAVSTINA, de qua infra.

Proles: de his agetur in Annia Faustina.

Numi:

A. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XXIIII. *Caput laureatum*, *in AV. AR. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

B. ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum*, *vel radiatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

CONG. AVG. VIIII. COS. IIII. *Liberalitas stans* AR. *et addito* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VIIII. COS. IIII. *Liberalitas stans ex cornucopiae opes effundit.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. B.

TR. POT. XXIIII. COS. IIII. S. C. *variis typis.* AE. II.

Coepit Antonini trib. potestas XXIIII., ut major hactenus antiquariorum pars censuit, die XXV. Februarii hujus anni, ipse vero mortuus est, ut dictum, die VII. Martii sequentis, aut certe non multo post. Intra paucos igitur hos dies et praestitum est congiarium IX., et cusi tot numi trib. potestatem XXIV. praeferentes, quorum non exiguus numerus ad nos pervenit. Sed et ipsa haec peristasis facit, ut credam, jam hunc ipsum Antoninum trib. potestatem Kalendis Ianuariis iterasse, ut docebimus amplius Volumine VIII. in tractatu de tribunicia potestate.

DIVVS ANTONINVS.

De Antonini consecratione haec Capitolinus [c]): *A senatu DIVVS est appellatus cunctis certatim adnitentibus*, *cum omnes ejus pietatem*, *clementiam*, *ingenium*, *sanctimoniam laudarent. Decreti etiam sunt omnes honores*, *qui optimis principibus ante delati sunt. Meruit et flaminem*, *et Circenses*, *et templum*, *et sodales Antoninianos.* Alibi idem constitutos ei sodales Aurelianos memorat [d]). Ejus causa numi non pauci, iique varii signati, quos subjicio.

---

a) in Diadumeniano. b) Capitolin. in M. Aurel. c) sub finem. d) in Aurelio cap. 7.

DIVVS. ANTONINVS. *Caput nudum, raro laureatum.*

CONSECRATIO. *Rogus, vel aquila vario situ, vel ara.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

* * *

DIVVS. ANTONINVS. *Caput nudum.*

DIVO. PIO. *Columna cancellis septa, cui insistit statua imperatoris, s. hastam.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Est haec insignis illa columna ex marmore solido rubeis punctis vario hodiedum superstes, sed infeliciter procumbens, visiturque nunc in parte aversa magnificae curiae a monte Cytorio appellatae, cujus altitudo pedes Romanos L. omnino aequat. Neque minus memorabilis stylobata ex marmore Pario, eoque solido, cujus latera singula lata sunt pedes XII., alta XI., et in quorum uno est epigramma: DIVO. ANTONINO. AVG. PIO. ANTONINVS. AVGVSTVS. ET. VERVS. AVGVSTVS. FILII., in altero insigne opus anaglyphum exhibens Antoninum Pium, et Faustinam a genio alato sursum elatos adsidentibus inferne Roma cultu solito, et Aeternitate obeliscum sinistra complexa. Reliqua duo latera decursiones equestres in justis funebribus celebrari solitas objiciunt. Qui plura de insigni hoc monumento nosse cupiet, adeat eruditam dissertationem Ioannis Vignoli de Columna Antonini Pii. Sed existimat cl. Ficoronus, dictam montis Cytorii columnam Trajano fuisse a senatu dedicatam a). Vide, quae super hoc argumento notavimus ad numum Trajani V. C. 867. inscriptum: SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS.

* * *

DIVVS. ANTONINVS. *Caput nudum.*

S. C. *Imperator d. ramum, s. hastam sedens in quadrigis elephantorum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vidimus ex Capitolino, Antonino decretos fuisse a senatu omnes honores optimis principibus deferri solitos, et vidimus etiam in numis divi Augusti, bono huic principi post obitum decretas elephantorum quadrigas. Quare et Antoninum in singularis hujus honoris partem venisse praesens numisma comprobat.

* * *

DIVO. PIO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Ara ignita, vel: Aquila expansis alis.* AR. (Mus. Caes.)

Sunt hi numi ex argento vili, et ex eorum genere, quos in memoriam consecratorum principum multo serius signatos statuemus in tractatu de numis consecrationum Vol. VIII.

* * *

Agmen hujus generis numorum claudant numi bini prorsus singulares:

DIVVS. ANTONINVS. *Caput nudum.*

DIVA. FAVSTINA. *Caput uxoris Faustinae.* AR.

Numum hunc Khellius ex museo comitis Ariosti, quod nunc cum gaza Caesarea unitum est, vulgavit. At vero indubitatum est, mercem esse adulterinam, neque satis ejus fidem a viro egregio in examen vocatam.

---

a) Piombi. pag. 6.

Eadem adversa.
IMP. L. AVREL. VERVS. AVG. *Caput L. Veri nudum.* AR.

Singularis hic numus, nisi forte una permutatio matricis, aut quaepiam veteris impostoris fraus singularem effecit, editus est a Vignolio in dissertatione de Columna Ant. p. 167.

Numi Antonini
antiquitatem Romanam restituentes.

Vt religionem avitam, ac caerimonias conservare integras, ac puras omni contentione adlaboravit Antoninus, atque etiam hoc titulo alter Numa vulgo est habitus, ita et Romae nascentis, ac primi ejus aevi prodigia summa religione observavit, eorumque memoriam qua potuit ratione ad renovandum civium in patriam amorem revocavit. Acuerit principem super innatam pietatem natalis urbis nongentesimus, quem celebrari se imperante contigit. De ejus in antiquitatem patriam observantia nihil memoriae prodidere superstites rerum Romanarum scriptores. Tamen insigne ejus factum huc pertinens commemorat Pausanias, qui narrat, Antoninum Pallantium Arcadiae, cum vicus esset ignobilis, in urbis formam ampliasse, liberumque, et a tributis immune fecisse, quoniam inde cum colonis profectus Evander propter Tiberim eo loco consedit, qui pars postea urbis Romae fuerat, et pro Pallantio ablatis inde literis L et N *Palatium* sit dictum [a]). Praeter illustre hoc testimonium praesto est etiam marmor vulgatum a Fabretto [b]), dedicatumque Antonino OPTIMO. MAXIMOQ. PRINCIPI. ET. CVM. SVMMA. BENIGNITATE. IVSTISSIMO. OB. INSIGNEM. ERGA. CAERIMONIAS. PVBLICAS. CVRAM. AC. RELIGIONEM. At multo istud magis confirmant numi pium hoc ejus studium depraedicantes, qui plerique maximae formae sunt, quos adeo omnes argumenti causa lubet eodem loco in conspectum dare.

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Hercules s. leonis exuvias tenens, dexteram, qua clavam tenet, quibusdam deosculandam porrigit; juxta Cacus humi stratus, et specus, ex quo protractus fuit. AE. m. m. (Mus. Albani.)

Nota ex Virgilio, Ovidio, aliisque Caci esuritio, et latrocinia ex monte Aventino, quem insedit, vicina infestantis, ejusque exitium ab Hercule abactas boves repetente acceleratum. Grati accolae, nam erat hic praedo *non leve finitimis hospitibusque malum* teste Nasone [c]), vindicem liberatoris dexteram deosculantes in egregio hoc cimelio proponuntur. Caci argumentum exhibetur etiam in numo Aurelii Caesaris, quem vide infra ad annum V. C. 900. Vide et numos sequentes duos.

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XVIII. *Caput laureatum.*
COS. IIII. *Hercules s. clavam, et exuvias leonis d. pateram tenens ad aram ignitam sacrificat, popae duo taurum attinent, ad-*

a) L. VIII. c. 43. b) Inscript. cap. X. n. 62. c) Fast. I. 552.

stat vir hastam tenens, *et ad Herculem conversus*, *retro templum 4 columnarum.* AE. max. mod. (Mus. Pisani, et de Camps.)

Numi hujus explicationem jam praecepit eruditus Mazzolenus in numos musei Pisani commentatus, nimirum quod docet Dionysius Halicarnassensis [a]), Herculem caeso Caco, bobusque recuperatis in proximo aram Iovis Inventoris (Διος Ευρεσιȣ) posuisse, quae Romae fuit prope portam tergeminam, et ob inventas boves deo juvencum unum immolasse, quo facto Evander viciniae rex Herculi divinos honores habere coepit. Atque secundum haec Ovidius de Hercule [b]):

Immolat ex illis taurum tibi, *Iupiter*, *unum*
Victor, *et Evandrum*, *ruricolasque vocat.*
Constituitque sibi, *quae Maxima dicitur*, *aram*,
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Adde testimonium Propertii [c]). Memorat etiam Tacitus *magnam aram*, *fanumque*, *quae praesenti Herculi Arcas Evander sacraverat* [d]). Stetisse hanc aram adhuc Diocletiani aetate, testatur Mamertinus in panegyrico Maximiani [e]).

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. IIII. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Hercules sedens ante mensam s. clavam, *d. pateram*, *adsident figurae plures pateras manu tenentes*, *circum urnae*, *et vasa varii voluminis.* AE. max. mod. (de Camps.)

Exhibet hic numus epulum ab Hercule institutum eliso Caco. Festum istud deinceps quoque annuum, gentibus Pinaria, et Potitia ea sacra procurantibus, de qua caerimonia late Virgilius [f]). Hospites epulo non adcumbunt, sed adsident, rite istud ad festi hujus legem. Nam de ea disserens Macrobius [g]) *propria*, inquit, *observatio est*, *in Herculis sacris epulari sedentes*, *Cornelius Balbus* κατα διαστολην *libro XVIII. ait*, *apud ARAM MAXIMAM observatum*, *ne lectisternium fiat.* Vide de hoc festo plura apud Livium [h]), ejusque enarratores.

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS IIII. *Caput laureatum.*

S. C. *Aeneas Anchisen humeris efferens*, *et d. Ascanium pileo Phrygio tectum ducens.* AE. I. (Theup. Mus. reg. Christinae.)

Notum in vulgus thema.

* * *

Epigraphe capitis varia.

Epigraphe varia. Scrofa cum suculis infra arborem. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Epigraphe capitis ignota.

Sine epigraphe. Aeneas navi egressus, *et s. Ascanium ducens scrofam suculis incubantem contemplatur.* AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

---

a) Ant. Rom. L. I. b) Fast. I. 579. c) L. IV. eleg. 10. d) Annal. XV. c. 41.
e) Sub init. f) Aen. L. VIII. 268. g) L. III. c. 6. h) L. I. c. 7.

IMP. T. AEL. CAES. HADRI. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Porta urbis, super qua scrofa cum suculis, retro Aeneas Anchisen efferens, ara luculenta, et templum rotundum. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Omnes hi numi eodem pertinent, nempe ex verbis Tiberini ad Aeneam [a]):

Iamque tibi, ne vana putes haec fingere somnum,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus
Triginta capitum fetus enixa jacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati,
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Et paullo infra [b]):

Ecce autem subitum, atque oculis mirabile monstrum!
Candida per silvam cum fetu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conspicitur sus.

Vrbs, quae in postremo numo fingitur, est Lavinium, quod ut planius intelligas, vide, quae olim ad denarios Sulpicii Rufi adverteram [c]).

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput nudum, vel laureatum.*

TR. POT. COS. III. *Mars d. hastam, s. clypeum ex alto delapsus Rheae dormienti imminet.* AV. AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Epigraphe varia.

Epigraphe varia. Lupa in antro gemellos lactans, in nonnullis inferne navicula. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Exhibet numus prior furtivum Martis cum Rhea Sylvia congressum, quo concepti fuere Romulus, ac Remus, quod argumentum restitutum video in numis pluribus Gallieni. Operae pretium observare in numi imagine Martem veluti libratum in aere, ac desuper Rheae illapsum, quo typo egregie illustratur locus Iuvenalis narrantis [d]), a rudibus adhuc Romanis conflatum quidem argentum, sed non in luxus illecebras, verum

Vt phaleris gauderet equus, caelataque cassis
Romuleae simulacra ferae, mansuescere jussae
Imperii fato, geminos sub rupe Quirinos,
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis et hasta,
PENDENTISque DEI perituro ostenderet hosti.

Confer postremos duos versus cum pictura numi, et mirare poetae cum artifice monetario concordiam, atque una cape verum sensum *pendentis dei.* Ea vocabula primum ambigua plerisque sunt visa, ac varie explicata, deinde non paucos impulere, ut luxata a librariis opinarentur. Eodem modo Statius dixit *pendentem ungulam* Pegasi [e]). Nolo quid ademptum laudi cel. Addisoni Angli, qui primus numum hunc

---

a) Virgil. Aen. VIII. 42. b) v. 81. c) Vol. V. p. 320. d) Sat. XI. v. 100.
e) Silv. L. II. carm. VII. v. 4.

cum verbis poetae contendit, etsi hanc ejus sententiam, sed ob leviores, ut existimo causas, admittendam non censeat Lessingius [a]).

Alter numus quae postea consecuta sunt, proponit, nimirum conceptos occulto crimine, natosque geminos. Adest alveus, in quo expositus uterque, quique subsidente Tiberis eluvie ad radicem montis Palatini, et sic dictam ficum Ruminalem adhaesit, lupa interim matris pio officio fungente. Fuit prodigium istud non modo in vulgus creditum, verum etiam, ut venerabile est magnarum civitatum exordium, innumeris publice monumentis consecratum, et quoddam velut rei Romanae symbolum habitum, ac speciatim coloniarum, ut ex obviis harum numis discimus. In ipsis etiam armis miraculum illud opere anaglypho saepe exstabat, velut in casside teste supra Iuvenali, in clypeis, ut videre est in numis, in quibus Roma sedens fingitur, aut in illo clypeo, quem a Vulcano elaboratum fingit Virgilius [b]): cujus versus, quoniam praesentes numos praeclare illustrant, huc appono:

Fecerat et viridi fetam Mavortis in antro
Procubuisse lupam, geminos huic ubera circum
Ludere pendentes pueros, et lambere matrem
Impavidos, illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, et corpora fingere lingua.

* * *

Numus inscriptus:

ROMVLO. AVGVSTO. explicatus jam exstat in moneta anni V. C. 893.

Numus item inscriptus:

ANCILIA explicatus est in numis ejusdem anni.

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P.P. TR. P. COS. III. IMP. II. *Caput nudum.*

NAVIVS. *Navius augur capite velato s. lituum tenens novacula cotem dissecat, Tarquinio Prisco togato adstante, et ad miraculum attonito.* AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Notum ex rerum Romanarum scriptoribus Accii Navii prodigium novacula cotem bifariam secantis, quo Tarquinium Priscum auguratus potentiam in dubium vocantem argúeret. Adi praecipue Livium [c]), Ciceronem [d]), et Dionysium Halic. [e]).

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. *Caput laureatum.*

COCLES. *Horatius Cocles in undis natans, desuper pons fractus, plurimae hinc et illinc figurae armatae.* AE. max. mod. (Pellerin. Mel. I. p. 208. Albani.)

Nota etiam historia Horatii Coclitis, qui unus irruentium Etruscorum duce Porsena vim in ponte sustinuit.

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. *Caput laureatum.*

AESCVLAPIVS. *Duo arcus in flumine, ex quorum uno prominet prora navis, supra quam serpens, juxta Tiberinus humi sedens s. arundinem, pone aedificium.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

---

a) Laocoon pag. 81. b) Aen. VIII. 630. c) L. I. c. 35. d) de Divinat. L. I. c. 17.
e) Ant. Rom L. III. p. 202.

Graſsante Romae peste missi Epidaurum legati, qui Aesculapium inde arcesserent. Paruit is, atque serpentis specie eorum triremem ultro conscendit, invectusque Tiberim, cum ad insulam ventum esset, quam in ipsa urbe flumen efficit, in eam tranavit, quo loco ei mox sumptu publico aedificatum templum. Factum istud anno V. C. 463. Vide Ovidium a), Val. Maximum b), aliosque. Quam praeclara Epidauri opera honori Aesculapii fabricatus fuerit Antoninus noster adhuc senatorius, enarravit Pausanias c). Vide et paullo post alium Aesculapii numum.

Antica incerta.

Sine epigraphe. Iuppiter sedens adsidente a dexteris Minerva, a sinistris Iunone. AE. max. mod. (Mus. regis Galliar.)

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput laureatum.*

COS. III. S. C. *Aquila stans adstante a dexteris noctua, a sinistris pavone.* AE. III. (Mus. Caes.)

Non repeto, quae de typo simili trium cellarum in templo Iovis Capitolini, in quibus tria haec numina prostabant, et stantibus in numo altero eodem ordine famulis alitibus dixi in numis Vespasiani pag. 328., ubi et narravimus, illustre hoc argumentum in aliorum etiam Augustorum monetam fuisse vocatum. Etiam numus max. formae, in cujus antica sunt capita M. Aurelii et L. Veri, eundem typum offert d), tum et alius Hadriani e).

Numi alii
maximi moduli insignioris argumenti.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. IMP. II. *Caput nudum.*

Sine epigraphe. Puellus nudus caprae insidens, juxta ara, aquila, arbor. AE. max. mod. (Mus. Farnes.)

Typus rite explicatur ex numis argenteis Gallieni, ejusque familiae, in quibus juxta puellum similem insidentem caprae legitur IOVI. CRESCENTI, nempe caprae beneficio lac praebentis, ex quo Iovem appellatum Αἰγίοχον, *a lacte nutritum* tradit Diodorus f), de quo plura te docebit summus vir Spanhemius g). Adest aquila sive προληπτικῶς ad indicandum certius Iovem, sive quod haec Iovi infanti nectar attulit h).

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. IIII. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Aesculapius sedens ad aram d. pateram, s. baculum suum, pro pedibus canis, adstat Hygia item sacrificans. AE. max. mod. (Mus. Farnes.)

Vt Aesculapii signum in vetere moneta perfrequens, ita rarum videre in ea adstitutum canem. Hunc in insigni ejus dei simulacro, quod erat Epidauri, ad ejus pedes adcubuisse refert Pausanias i). Causam paullo supra exposuit k), quoniam eum mox a partu a matre Coronide in saltu expositum nutrivit capra, et canis custodivit.

---

a) Metam. XV. 622. b) L. I. c. 8. c) L. II. c. 28. d) Mus. Theup. pag. 784. e) Mus. Albani. f) L. V. c. 70. g) ad Callim. hymn. in Iov. v. 49. h) Athenaeus L. XI. p. 491. i) L. II. c. 27. k) L. II. c. 26.

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. IMP. II. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Arbor, cui obvolutus serpens, ex qua adstans cum attributis suis Hercules mala decerpit, adstant tres nymphae Hesperides. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall. Pisani, Mus. Medic.)

Argumentum notum, sed eleganter in praeclaris his numis expressum.

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XI. COS. IIII. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Herculis cum Centauris pugna, quorum unus cum muliere rapta fugit, retro templum. AE. max. mod. (Mus. de Camps.)

Saepius Herculem cum Nubigenis raptae mulieris ergo congressum legimus. Ad quod ex his praelium elegans hic typus pertineat, difficile est divinare.

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Prometheus in rupe sedens hominem fingit; ejus capiti adstans Pallas papilionem imponit, retro arbor, cui serpens obvolutus. AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Vetus argumentum hominis a Prometheo formati, a Minerva animati. Confer marmor anaglyphum insigne saepe editum, nuper restitutum [a]).

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. IMP. II. *Caput laureatum.*

T. POT. XX. COS. IIII. *Iupiter in quadrigis Gigantem fulmine prosternit.* AE. max. mod. (Mus. Albani)

Hunc typum liberaliter explicatum vide a Winckelmanno producta gemma, opere Athenionis [b]), et a me olim vulgata gemma ejusdem argumenti [c]).

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XXII. *Caput laureatum.*

Sine epigraphe. Vulcanus sedens ad incudem d. malleum, s. fulmen, cum quo colloquitur adstans Minerva. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.) Idem typus exstat in aeneo max. mod. M. Aurelii Caes. (Mus. Farnes.)

Vide, quae de Pallade Vulcanum adeunte, et ut sibi arma fabricaret, postulante, et quae tum turpiter acta fuere, prolixe narrat Apollodorus [d]). Forte tamen aliud non placuit monetario, quam jungere simul utrumque artis magistrum, Vulcanum et Minervam, nimirum teste Platone [e]): Ηφαιστȣ και Αθηνας ἱερον το των δημιȣργων γενος, *Vulcano, et Minervae sacrum est genus artificum.* Idem argumentum est etiam in numo Thyatirae max. mod. cum capite Commodi: (Mus. reg. Gall.)

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. IIII. *Caput nudum.*

Sine epigraphe. Hercules stans juxta arborem puellum in monte expositum, et a cerva lactatum contemplatur, in montis vertice aquila. AE. max. mod. (Mus. Albani Vaill.)

Vaillantius, et Venutus musei Albani

a) Mus. Capitol. Tom IV. p. 129. b) Monum. ant. num. 10. c) Choix de pierres grav. p. 32. d) L. III. c. XIII. §. 6. e) de Legib. L. XI.

enarrator in hoc numo geminos a lupa nutritos exhiberi existimant, at ego Telephum Arcadem in monte Parthenio expositum, et a cerva lactatum, ut copiose demonstravi, cum in moneta Pergami Mysiae ejusdem argumenti numum explicarem, quem vide [a]).

* * *

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. *Caput laureatum.*
Sine epigraphe. Diana Lucifera citato equo insidens facem tenet. AE. max. mod. [b]).

In elegante hoc numo proponi Dianam Luciferam, ambigi nequit. Constat, Dianam, quatenus luna fuit, jam mulis, jam bobus, jam equis fuisse vectam. Vide, quae notabimus in numis Caracallae anni V. C. 967. Elegantem imaginem Lunae equorum bigis vectae dedit Passerius in Lucernis suis [c]). Facile dedero Buonarrotio, Faustinam hac imagine videri propositam; tamen non aeque dedero, hac forma statuam equestrem Faustinae fuisse positam, cui conjecturae vehemens equi cursus haud dubie obstat.

De aeneis III. formae.

Antonini quoque imperium dedit numos III. formae, eosque rariores, in quorum aversa est S. C. typis obviis. At quod sciam, cum hoc etiam imperatore desinunt hujus formae numi, et sub Decio demum redire occipiunt.

Numi commatis peregrini.

Hujus generis numi copiosi sunt tam urbium liberarum, quam coloniarum, at cumprimis abundant numi Alexandrini I. formae, qui etiam ob typos varii argumenti sese insigniter commendant. Obvii etiam sunt aenei I. rarius II. formae Graece inscripti, qui hinc caput Antonini, illinc M. Aurelii Caesaris exhibent, sed quorum patria ignoratur.

Memorandus adhuc numus singularis:

Anticae inscriptio non proditur.
ЄΤΗCΙΑ. CΥCCΙΤΙΑ. *Mulier stans d. incertum quid, s. hastam.* AE. II. (Mus. Christinae tab. 57.)

Erant συσσιτια publica, et communia Lacedaemone convivia ex instituto Lycurgi. Vtrum Antoninus *annua convivia*, quae numus eloquitur, et qua in urbe Graeca per statam liberalitatem constituerit, ignoramus. Forte epigraphe eundem sensum habet, quem CЄΙΤΟC *annona*, inscriptum numo Tarsi, vel BENEFICIVM. AETERNVM in numis Laodiceae Syriae, nimirum his urbibus liberalitate principis adsignatum.

TITVLI ANTONINI.

Pater patriae.

Teste Capitolino *patris patriae nomen delatum a senatu, quod primo distulerat, cum ingenti gratiarum actione suscepit.* Factum istud esse in ejus consulatu II., seu anno V. C. 892, atque adeo saltem jam in II. trib. potestate, praeclare eruitur ex numis; nam horum alii consulatum II. notantes hoc adhuc titulo carent, alii eum adhibent. Eusebius in Chronico titulum hunc in secundum Antonini

---

a) Vol. II. p. 468. b) Buonarroti Osserv. istor. p. 42. c) Vol. I. p. 77.

annum differt. Sed en numum singularem, qui sententiae huic repugnat.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. IMP. COS. *Caput nudum.*

Sine epigraphe. Mulier grypho currenti insidens. AE. max. mod.

Numum hunc Vignolius ex museo Ficoronii delineatum stitit a), qui si sincerus est, aut rite promulgatus, liquido probabit, Antoninum jam in consulatu I., atque adeo anno V. C. 891 patris patriae decus suscepisse. Sed praeterquam quod omnes alii, ac tot hactenus reperti numi repugnant, qui hunc titulum in consulatu I. constanter omittunt, ipsa capitis epigraphe non levem aut *νοθειας*, aut falsae lectionis suspicionem injicit, cui similis in nullo omnium annorum Antonini numo, nedum consulatus I. occurrit. Satis causae, cur novo examini numus hic, si alicubi exstat, mereatur subjici. Sitne Occonis, hunc honorem jam primo ejus anno adfingentis, auctoritas tanti, ut ejus sententiae subscribendum continuo sit, alii viderint.

Pius.

Alias alii ex scriptoribus veteribus collati hujus tituli causas adferunt, et tres quidem vel unus Spartianus b), sive quod socerum fessum aetate manu sublevavit, sive quod multos senatores ab Hadriano in extrema valetudine ad necem quaesitos hujus furori eripuisset, sive quod Hadriano post excessum ingentes honores detulit. Quae quidem postrema causa una ex potioribus fuerit; nam ipsum certamen quinquennale, quod idem Spartianus ab Antonino in honorem patris mortui Puteolis constitutum refert c), *Pialia* dictum est, ut prodit Artemidorus, qui memorat *σταδιεα, ὁς μελλων ἀγωνιζεσθαι* ΕΥΣΕΒΕΙΑ *τα ἐν Ιταλιᾳ ἀχθεντα ὑπο βασιλεως Αντωνινȣ ἐπι τῳ πατρι Αδριανῳ*, *certatorem, qui progressurus erat in PIALIBVS, quae in Italia ab imperatore Antonino in honorem patris Hadriani acta sunt* d), quae ipsa in binis marmoribus apud Muratorium e) dicuntur ΕΥΣΕΒΕΙΑ. ΕΝ. ΠΟΤΙΟΛΟΙΣ, *Pialia Puteolis.* Easdem collati ejus tituli causas, quas ex Spartiano dedimus, repetit Capitolinus f) additque binas alias, vel quod Hadrianum, cum is interimere se prae vitae taedio pararet, ingenti custodia sepsit, ne perficere posset, quod animo conceperat, vel denique, quod vere natura clementissimus, et nihil temporibus suis asperum fecit. Postrema haec causa probata fuit M. Aurelio, in epistola ad Faustinam, quae exstat apud Vulcatium in vita Avidii Cassii, sic scribenti: *haec* (Clementia) *patrem tuum inprimis PII nomine ornavit.* Aliam illustrem causam commemorat Pausanias synchronus, quod cultus divini omnium esset maxime studiosus g). Verius crediderim, illustrem illi hunc titulum non ab una causa, sed ab omnibus hic commemoratis, et per probatam multiplici specimine pietatem fuisse inditum, sic ut *Pius* jam omnium ore vocaretur, antequam senatus consultum accederet.

Et vero eximium istud Pii cognomen,

---

a) de Columm. Ant. p. 61. b) in Hadriano. c) in Hadriano sub fin. d) Oneirocrit. L. I. c. 28. e) Pag. 632. 1. et 648. 1. f) in Antonino. g) in Arcad. L. VIII. c. 43.

ab Antonino primum adscitum, tantum apud successores valuit, ut deinceps fere constante lege illud sibi imponerent, atque cum Augusti nomine velut unirent. Quo pertinent verba Iustiniani [a]) : *sicut enim Antoninus PIVS cognominatus est, ex quo etiam appellatio haec ad nos pervenit.* Et Lampridius [b]) : *Pius verum nomen Antonini habuit, cognomen PII.*

Tempus adoptati hujus ab Antonino nominis satis supra ex numis definivimus, nimirum annum V. C. 891 haud multo postea quam mortuo Hadriano imperium solus tenuit.

Imperator.

Titulum imperatoris toto imperii tempore una tantum vice auxit. Certe in marmore Gruteriano sub ejus excessum posito dicitur TR. P. XXIV. IMP. II. COS. IIII. [c]). Quo anno decus hoc iteraverit, paucis disputavi supra ad annum V. C. 893. ad numum IMPERATOR. II.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei et argentei	C.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	R.
Commatis peregrini:	
Argentei urbium Graecarum	RR.
Aenei variae formae.	R.
Coloniarum	R.
Alexandrini	C.

FAVSTINA SENIOR.

Annia Galeria Faustina, ut eam vocat Capitolinus [d]), Antonino adhuc privato conjuncta mox post Hadriani excessum titulum *Augustae*, ut maritus *Pii*, a senatu accepit [e]). Verum non diu huic honori superfuit elata tertio imperii anno V. C. 894, ut tradit Capitolinus, et consentit marmor Muratorii [f]), quod Faustinam jam *divam* pronunciat in Antonini tribunatu IV., quem is eodem anno auspicatus est. In numis ejus Alexandrinis legimus annum V., quem numerum explicavimus in hac numorum classe. Teste marmore Gruteri [g]) vixit annos XXXVI. menses III. dies XI. In eo praeterea omissis reliquis legitur:

a) Novell. LXXVIII. c. 5. b) in Diadumeniano. c) Pag. 256. 6. d) sub init. Ant. Pii et M. Aurel. e) Capitolin. in Anton. f) Pag. 239. 3. g) Pag. 261. 3.

MEMORIAE. DIVAE. FAVSTINAE --- RELICTA. MATRE. INFELICISSIMA. quibus postremis verbis docemur, perperam illud a Scaligero Faustinae juniori tribui [a]), nam haec cum mortua est, matrem pridem amiserat, nempe hanc ipsam Faustinam seniorem. Ejus nimiam libertatem, et vivendi facilitatem perstringit Capitolinus, quae tamen vitia ab Antonino cum animi dolore compressa idem memorat. Istud certum, quod ex numis continuo docebimur, eum tam vivae, quam mortuae honores omnes indulsisse.

Proles: mares duo, sed quorum nomina reticet Capitolinus. Horum uni fuisse nomen *M. Galerio Antonino*, patebit ex numo, quem infra dabimus. Alterum vocatum *M. Aurelium Fulvium Antoninum*, Pagius ex marmore eruit [b]).

Aurelia Fadilla, quod nomen tacentibus historicis ex antiquo item marmore hauserunt Pagius [c]), et de Boze [d]). Eam mortuam refert Capitolinus, cum pater ad proconsulatum Asiae proficisceretur.

Faustina nobis dicta *junior*, nupta M. Aurelio, de qua loco suo.

Numi:

A. FAVSTINA. AVGVSTA. *in AV. et AR.*

B. FAVSTINA. AVG. ANTONINI. AVG. *in AR.* (Mus. Caes.)

C. FAVSTINA. AVG. ANTONINI. AVG. PII. P. P. *in AE. I. II.*

D. FAVSTINA. AVG. ANTONINI. AVG. P. P. *in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. C.

CONCORDIAE. S. C. *Antoninus togatus stans, et s. icunculam cornucopiae tenentem praeferens dexteram jungit cum Faustina velata adstante, inter utrumque similes, at minores duae figurae dexteras item jungentes, ara intermedia.* AE. I. (Vaill.)

Eandem aversam vidimus in numo mariti ad annum V. C. 893, unde petenda explicatio.

* * *

Vt lit. B.

VESTA. *Dea sedens d. Palladium, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Videtur numus hic mox posteaquam imperium maritus adivit, fuisse signatus, quoniam is imperatorem necdum aut *Pium*, aut P. P. appellat.

* * *

Reliquorum numorum huc spectantium aversae sistunt *Cererem*, *Iunonem Reginam*, *Venerem Augustam*, aliosve typos in Augustarum moneta obvios.

DIVA FAVSTINA.

De Faustina mortua, et consecrata haec perhibet Capitolinus: *tertio anno imperii sui Faustinam uxorem perdidit, quae a senatu consecrata est delatis Circensibus atque templo, et Flaminicis, et statuis aureis, atque argenteis, cum etiam ipse hoc concesserit, ut imago ejus cunctis Circensibus poneretur.* Non aliunde magis moderatum Antonini ingenium noxarum immemoris, quam ex hac in mortuam conjugem observantia patuit. Nam cu-

a) in indice Grut. p. CV. b) Crit. Baron. ad V. C. 914. c) L. c. d) B. L. Tom. XV. p. 470.

jus memoriam propter mores minus probatos obliterare licuit, ei non modo honores, quos mox ex Capitolino memoravi, passus est a senatu decerni, verum tot etiam ejus mortuae nomine curavit feriri numos, quot neque antea, neque post, sive copiam ipsam spectes, sive typorum varietatem, cuiquam principi mortuo sunt signati. Atque horum quidem numerus incredibilis dubitare non sinit, deinceps quoque per reliquos annos omnes id genus numos a pio in conjugem suam Antonino fuisse percussos.

A. DIVA. FAVSTINA. *in omni metallo, et forma.*

B. DIV. AVG. FAVSTINA. *in AV. et AR.*

C.* DIVA. AVGVSTA. FAVSTINA. *rarius in AV. et AR., frequentius in AE. omnis moduli.*

Caput in omnibus vel est cultu solito, vel insuper velatum.

* * *

Vt lit. A.

AED. DIV. FAVSTINAE. *Templum sex columnarum, intra quod Faustina stans, in aliis sedens.* AR. (Mus. Caes.)

Huic jungendus alter:

Vt lit. A.

DEDICATIO. AEDIS. *Templum idem, sed nullo intus signo.* AR. (Mus. Caes.)

En aedem, sive templum, quo honoratam post excessum Faustinam ex Capitolino diximus. Sita fuit in via sacra, fuitque primum dedicata Faustinae soli, verum marito mortuo hujus quoque additam fuisse religionem, eloquitur templi ipsius frons (nam duravit in nostram usque aetatem), in quo legitur epigramma: DIVO. ANTONINO. ET. DIVAE. FAVSTINAE. EX. S. C. Idem templum exhibetur etiam in aliis ejus numis, inscriptis: AETERNITAS, vel PIETAS. AVG.

* * *

Antica varia.

AETERNITAS. Typi eximie varii in omni metallo, et forma. Ex his magis illustres: *Faustina cultu Cybeles in bigis leonum.* AR. (Mus. Caes.) vel: *Eadem in bigis elephantorum, aut in thensa a mulis tracta* exemplo Augustarum praecedentium, quibus confirmatur, quod Capitolinus in genere de delatis Circensibus, et imagine ejus in his proposita commemorat. Iidem typi sunt etiam in numis, qui inscribuntur EX. S. C., vel plenius: EX. SENATVS. CONSVLTO. ut legitur in aureo musei Theupoli.

* * *

Vt lit. A.

AVGVSTA. in omni metallo et forma, et typis variarum dearum, quibus unam Faustinam adsimilatam voluit vetus superstitio. Exstat numorum sic inscriptorum ingens vis.

* * *

Antica varia.

CONSECRATIO. variis typis. *Faustina velata s. hastam ab aquila, vel Victoria sursum effertur*, vel: *sedens in bigis Victoria habenas moderante*, in AE. max. mod. (Mus. Caes.) vel: *typo pavonis, aquilae, rogi.* In omni metallo, et forma.

* * *

Vt lit. C.

MATRI. DEVM. SALVTARI. *Templum, in quo sedet Cybele, extra quod stat Atys juxta arborem, quam sinistra adprehendit.* AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Alii similes, sed abest templum, et Atys. AE. I. (Mus. Caes.)

Typus Cybeles, sive Matris deum obvius est in moneta hujus Faustinae; at numo priori pretium facit adstitutus Atys, Cybeles et sacerdos, et amasius. Stat ille ad arborem, eamque contingit, sive quod a Cybele in vetito amore deprehensus, et ad poenam quaesitus sub pinu latuit, sive quod revera a Cybele mutatus in pinum est, quae nonnullorum sunt mythologorum opiniones, sive quod arbor haec ea ipsa erat, qua stante et integra Nymphae Sagaritidis, quam is invita Cybele deperibat, salus nitebatur, quamque propterea irata dea multis vulneribus succidit [a]). Ceterum memorata in his numis *Mater deum salutaris* est famigerata illa Mater Idaea a Romanis ad sopiendam pestilentiam in urbem accita, de qua mox infra plura ad numum anepigraphum argumenti analogi disseremus. Numus prior, quem ex museo regis Galliarum laudavi, est etiam idem plane in museo Caesareo, sed certus contorniatus, et suspicor, ejusdem quoque naturae esse regium Gallicum.

* * *

Vt lit. B.

PVELLAE. FAVSTINIANAE. *Suggestus, in quo imperator togatus sedens adstante alia figura puellam ab alia figura oblatam acceptat, infra puellae plures.* AV. (Vaill. Mus. Theup.) AR., sed in his typus differt minore puellarum numero. (Mus. Caes.)

Numi argumentum insigne, quo confirmatur, quod paucis verbis absolvit Capitolinus: *puellas alimentarias in honorem Faustinae Faustinianas constituit.* Non ergo Faustina ipsa pii hujus instituti fuit auctor, ut Winkelmanno facta hujus numi mentione adfirmare placuit [b]). Decretum igitur a Trajano soboli Italicae beneficium pius hic imperator non modo praestare perrexit, sed constitutis in uxoris honorem puellis aliis ampliavit. Et vero impensae in id genus alimentorum ab Antonino curae luculente meminit marmor, quod Antonino in tribunatu XII. posuerunt PVERI. ET. PVELLAE. ALIMENTARI. CVPRIENSES. MONTANI. [c]) tum Gruterianum [d]), quod T. AELI. HADRIANI. ANTONINI. AVG. PII. PONT. MAX. TRIB. POT. XIII. IMP. II. COS. IIII. P. P. FILIO. (scilicet M. Aurelio) PVERI. ET. PVELLAE. ALIMENTARI. posuerunt, tum etiam marmor proximum, quod DIVO. ANTONINO. AVG. PIO. ALIMENTARI. iidem, et mortui principis beneficia grato animo recolentes dedicaverunt. Ad hoc etiam argumentum pertinent numi Antonini in ejus tribunatu XXIII. et XXIV. signati, in quorum aversa legitur: PIETATI. AVG. COS. IIII. et typus est: *Mulier stans, et infantem in sinu gestans, aliis juxta adstantibus*, insigni collatae in teneram juventutem opis imagine, atque item alter maximae formae, quem vide ad annum V. C. 904. Antonini exemplo successor M. Aurelius *novas puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuae*,

a) Ovid Fast. IV. 223. b) Hist. art. Vol. II. pag. 393. edit. Feae. c) Donatus Suppl. ad Murat. p. 334. 2. d) Pag. 1022. 6.

ut narrat Capitolinus a), sed quarum in numis Aurelii nulla fit mentio.

* * *

Vt lit. C.

Sine epigraphe. Mater Idaea inter duos leones sedens in navi, quam mulier manu ad se trahit adstantibus matronis aliis, et faces attollentibus. AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Exhibet insignis hic numus decantatam a veteribus rerum Rom. scriptoribus fabulam Claudiae Quintae matronae nobilis, quae illiciti amoris rea diu credita, dum adhaerentem vado Tiberino navim, qua mater Idaea Pessinunte advecta Romam deportabatur, per se sola, nulla aliena ope attraxit, et pudicitiam suam hoc miraculo comprobavit, de quo vide praeter alios Ovidium b), Herodianum c), Iulianum Aug. d), tum et numum gentis Claudiae. Factum istud anno V. C. 549, institutique tum ludi *Megalesia*, nomine ipso religionem externam indicante. Satis causae, cur Antoninus veterum caerimoniarum cultor pertinax, ut in ejus moneta singulari articulo comprobavimus, illustre istud factum in numo restitueret.

* * *

Antica incerta.

Sine epigraphe, nisi haec vitiata est. Praelium Romanos inter, ac Volscos duce Coriolano ab hujus matre, uxore, liberis diremptum. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Celebrata omnium sermonibus Coriolani historia. Numum ipsum vererer genuinis accensere, nisi ejus fides gravium praeconum auctoritate tuta esset.

* * *

Vt lit. A.

Sine epigraphe. Isis cani currenti insidens d. sistrum, s. hastam. AE. II. (Mus. Theup.)

Explicationem typi pete ex simili numo anepigrapho Hadriani Volum. VII. p. 512.

Vt lit. A.

SOVSTI. S. C. *Ceres insistens globo utraque manu facem tenet.* AE.

Proditur hic numus in Memoriis Trevoltiensibus ex museo P. Chamillart additis variorum eruditorum judiciis, quae jam nemo sanus aut non rideat, aut non stomachetur e). Minus anxii hodierni eruditi Galli in eo haud dubie infelicem abortum ignavi pecoris monetarii videbunt, cujus generis jam plura hactenus monstra videre contigit.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum numi Graeci nequaquam magno numero habentur, credo, quod mature diem obivit, neque hi aliquid ad ejus historiam conferunt.

Numum urbis incertae, in quo ejus filius Galerius jungitur, mox producam.

Coloniarum numi parcissimi, et solius Corinthi unum inferre potuit sedulus Vaillantius.

Alexandrinus ejus vivae unus hactenus compertus cum L. Є., ejus mortuae non plures binis, aut tribus cum eodem anno, quos vide suo loco.

---

a) in Aurel. cap. 26. b) Fast. IV. v. 305. c) in Commodo. d) Orat. V. p. 159. e) in Februario 1703.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei, et argentei	C.
Aenei maximae formae	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Ex mox dictis collige.

M. GALERIVS ANTONINVS.

Antonino, et Faustinae natos fuisse mares duos, supra ex Capitolino vidimus, at quae fuerint eorum nomina, quod fatum, ipse, et scriptores omnes dicere neglexerunt. Eum defectum supplent numi Graeci, qui alterutrius nomen et caput, neque amplius, conservavere, quos hic descriptos potes intueri, quanquam et Pagius recitet marmor, quo teste filiorum uni fuisse nomina *M. Galerii Aurelii Antonini* intelligimus a).

Numi:

M. ΓΑΛΕΡΙΟϹ. ΑΝΤωΝΕΙΝΟϹ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟϹ. ΑΝΤωΝΕΙΝΟΥ. ΥΙΟϹ. *Caput puerile nudum.* ΘΕΑ. ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ. *Caput Faustinae velatum.* AE. I. II.

M. ΑΝΝΙΟϹ. ΓΑΛ. ΑΝΤ. ΥΙΡ. *Caput juvenile nudum.* *Sine epigraphe. Victoria in lentis bigis, quas ducit praecedens mulier s. palmae ramum tenens.* AE. II. b).

Prior ex pluribus jam museis cognitus, etsi ignoretur ejus patria, cujus mentionem invidit. Majori eruditorum parti visum, Galerium hunc jam e vivis fuisse sublatum, quando ad imperium pervenit pater Antoninus, non tam propterea, quod nihil causae fuisset Hadriano, cur Antoninum ad adoptandos M. Aurelium, et L. Verum adigeret, si huic filius naturalis praesto fuisset; nam parum poterat videri consultum imperio nixo in imbellis pueri vita, si quid patri humanitus accidisset; quam quod mirum utique esset, Galerium in his numis non dici Caesarem, si mortuus fuisset patre jam Augusto. Atque etiam si filium habuisset superstitem, cum imperium adivit, incredibile videretur, ejus mentionem praetermissam a Capitolino, eo praecipue loco, quo utriusque adoptati filii meminit.

Nescio, utrum eruditus de Boze propositas difficultates feliciter satis expediverit. Is ex citato altero numo, cujus imago Galerium annos natum fere

a) Critic. Baron. ad V. C. 914. b) de Boze B. L. T. XV. p. 468.

XVIII. sistit, probare contendit, eum matri octo, decemve annis fuisse superstitem, mortuum adeo jam satis provecto Antonini imperio. Verum an credibile, etiam tum Galerio, jam utique satis adulto, nondum decretum Caesaris titulum? Et vero tot supersunt numi M. Aurelii, qui Caesar tantum erat per adoptionem, imperante Antonino Romae signati, et nullum is signari permiserit in honorem filii per naturam? Denique si permissum est eloqui, quod sentio, non parum mihi videtur suspectus alter hic numus, etsi ejus, fides gravi praecone nitatur, cujus exemplar aliud hactenus repertum non est. Nam primum molestae sunt literae TIP., quas speciosa magis, quam verisimili explicatione legendas censet TIος Ρωμης, quod utrum sit pro ejus aetatis ingenio, nempe filium imperatoris dicere *filium Romae*, persuadere mihi haudquaquam possum. Deinde eum numum vir eruditus vocat Alexandrinum fabricae causis permotus; at cur praeter morem abest annus imperii? Cur in hoc reperitur litera Σ, quae in moneta Aegyptia jam inde a Trajano exulat invecto constante C? Verum de numi ejus integritate judicium ferant ii, qui viderunt, et cum animi pendent, videre possunt. Interea certum est, numum priorem signatum fuisse post matris Faustinae excessum, quae in numo velata, et cum appellatione ΘΕΑC proponitur, et plane verisimile, hunc Galer. Antoninum privato adhuc patre vivere desivisse, quaecunque deinde causa fuit, (nam quot, et quanta sunt, quae ignoramus) quae Graecam civitatem, hujus auctorem numi, impulit, ut cum Augusta mortua filium quoque mortuum in moneta sociaret.

PRETIVM.

Tantum commatis peregrini:

Aenei I. formae . . . . RRRR.

Aenei II. formae . . . . RRR.

Eorum multi exstant spurii.

M. AVRELIVS ANTONINVS.

Natus Romae, ejus avo Annio Vero II. et Augure cos., seu V. C. 874. a). VI. Kal. Majas b) patre Annio Vero praetore, matre Domitia Calvilla, cui et Lucillae nomen fuit c), habuitque amitam Galeriam Faustinam Augustam, cujus deinde filiam Faustinam, consobrinam nempe suam, duxit d). Nomen

---

a) Capitolin. cap. 1. Spartian. in Iuliano. c. 1. b) Ibid. et Kalendar. Lambec. c) Capitolin. in M. Aurel. c. 6. d) Capitolin. c. 1.

ei principio fuit *Annii Veri*, sed ab Hadriano, in cujus gremio patre mortuo educatus fuit, dictus *Annius Verissimus*, nomine hoc altero etiam numis Graecis confirmato, quod docebimus infra in ejus titulis, donatusque sexennis equo publico, et octennis in Saliorum conlegium relatus a). Anno aetatis XV. sumpta virili toga subinde per improvisam Aelii Caesaris mortem summae spei admoveri coepit. Etenim V. C. 891 Antoninus Pius ab Hadriano adoptatus jussus ipse fuit adoptare Annium Verum nostrum, et L. Ceionium Commodum Aelii Caes. filium, serius Augustum L. Veri nomine. Qui e veteribus dixere, Ceionium Commodum a Marco, non Antonino Pio fuisse adoptatum, falluntur, ut dicetur in L. Vero. Adoptatus pro Annio dictus est *Aurelius*, et secundum insigne marmor Gruterianum b) ejus, antequam imperium adiret, omnia nomina fuere: *M. Aelius Aurelius Verus Caesar*. De anno, quo uterque est adoptatus, litigant eruditi. Diserte Capitolinus id factum tradit in Antonini consulatu II., et cum Aurelius annum XVIII. ageret c), quem tamen locum Casaubonus in codicibus misere depravatum profitetur. Alii istud factum censent vivo Hadriano, et anno V. C. 891, de quo lege disputantem Tillemontium d), et in hoc examine abundantem Camillum Silvestrum e). Quidquid erit, ejus certe numi ante annum V. C. 892 non occurrunt. Praeter collatum *Caesaris* nomen gratia aetatis facta designatus est quaestor f).

V. C. 892. P. X. 139.
CAESAR. QVAESTOR. COS. DES.

AVRELIVS. CAES. AVG. PII. F. COS. DES. *Caput nudum.*
ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. *Caput Antonini laureatum, vel nudum.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Numos hos signatos esse anno hoc, et non praecedente, probatur non tam ex addito COS. DES. (poterat enim designari consul in annum aliquem remotiorem, et non proxime continuum) quam ex Antonini titulo P. P., quem hoc demum anno, neque antea ab eo adoptatum ex numis probabile fit.

V. C. 893. P. X. 140.
CAESAR. COS.

Consulatum init cum Antonino cos. III.

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. COS. *Caput nudum.*
ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. COS. III. *Caput laureatum* AV. AR. AE. I. II. Numi obvii.

* * *

Eadem adversa.
HONOS. *Vir togatus stans d. ramum, s. cornucopiae.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

HONORIS caput jugatum cum capite VIRTVTIS observatur in numis gentium Fufiae, et Muciae, utrumque etiam numen proponitur stans in aversa numorum Galbae. De templo utrique Romae erecto vide Livium g). VIRTVS etiam infra occurret. Praeclara argumenta

a) Capitolin. c. 1. et 4. b) Pag. 300. 1. c) in Aurel. c. 5. d) Nota II. ad Ant. Pium. e) Raccolta di Calogera T. III. P. 23. f) Capitolin. c. 5. g) L. XXVII c. 25.

in moneta juvenis Caesaris tam ad honorem, quam virtutem in hac aetate ducendi.

* * *

Eadem adversa.

IVVENTAS. *Mulier stans d. granum turis candelabro imponit, s. pateram.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

IVVENTAS. S. C. *Vir juvenis succincto habitu stans d. ramum, s. hastam, juxta tropaeum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Iuventas Romanis idem, quod Graecis Hebe, teste vel ipso Tullio haec de ea scribente a): *At poetae quidem nectar, ambrosiam, epulas comparant, et aut Iuventatem, aut Ganymedem pocula ministrantem.* Idem illi munus impertitur Ovidius b):

Nectar, et ambrosiam, laticesque, epulasque deorum
Det mihi formosa nava Iuventa manu.

Sed Graeci Heben juventutis praesidem dixere. Ita Iolaus aevo invalidus cum Eurystheo congressurus

Ηρασαθ' Ηβη Ζηνι θ' ἡμεραν μιαν
Νεος γενεσθαι

Supplicabat Hebe Iovique, ut per diem unum
Iuvenesceret c).

Aedes Iuventatis in Circo maximo stetit vota a M. Livio, quo die Asdrubalem vicit d). Sed multo adhuc vetustior jam sub regibus in urbe fuit, jubente Servio Tullio in ea deponi numum ab iis, qui togam virilem sumpsere e). Aliud Iuventatis templum statuisse Augustum, ipse de se profitetur in marmore Ancyrano: AEDEM. IVVENTATIS. - - IN. PALATIO. FECI f). Aediculam quoque Iuventae P. Victor in regione VIII. collocat. Constitutos etiam a M. Livio Iuventatis ludos memorat Cicero g).

Haec Iuventatis in Aurelii moneta inscriptio varie potest accipi, sive quod haec dea ab aetatis statu, ac vigore sic vocata egregie cum praesente Aurelii aetate componitur, sive quod revera Iuventati pro Aurelii salute sacra peracta sunt, qualia exhibet numus prior, praecipue cum teste Festo Pompejo *Iuventatis sacra pro juvenibus sint instituta.* Referri potest etiam ad Aurelium eo nomine, quod *Princeps juventutis* fuerit, etsi illi istud nomen neque in numis, neque marmoribus, neque, saltem diserte, ab historicis tribuatur. Certe typus juvenis stantis cum hasta adstituto tropaeo, qui exstat in numo ex propositis altero, et in sequentium quoque annorum numis redit, frequens est in numis Caesarum consequentium scripto juxta PRINCEPS. IVVENTVTIS, qui typus, qua ratione ad principem juventutis pertineat, docebimus olim in animadversione ad hunc titulum. In numis, quos proximo quinquennio producemus, habetur IVVENTVS intra coronam explicatione analoga, et in numis pueri Ca-

a) de Nat. deor. L. I. c. 40. b) de Ponto L. I. eleg. X. v. 11. c) Euripid. in Heraclid. v. 851. d) Liv. L. XXXVI. c. 36. e) Dionys. Halic. L. IV. p. 220. f) Tab. IV. v. 8. g) in Bruto cap. 18.

racallae, etsi jam Augusti, legitur: IVVENTA. IMPERII.

* * *

Eadem adversa.

PIETAS. AVG. *Instrumenta pontificalia.* AR. AE. I. II. Obvius.

Haec aversa nunc primum in numis Aurelii Caesaris, at frequenter deinceps in numis Caesarum nondum Augustorum typum facit. Ejus instituti ratio inde ab Augusto repetenda, qui adoptatis Caio et Lucio, novisque Caesaribus, varia sacerdotia decrevit; quare et in area numorum AV. et AR. utriusque honori dedicatorum, in quibus stans uterque proponitur, adhaerent lituus, et simpuvium. Idem institutum in Nerone quoque valuit, qui adoptatus a Claudio, paullo post *sacerdos cooptatus est in omnia conlegia supra numerum ex S. C.*, suntque instrumenta pontificalia typus numorum sic inscriptorum. Ex eadem lege Aurelium *et Caesarem dictum, et jubente senatu in collegia sacerdotum receptum* tradit Capitolinus, quorsum et spectat typus numorum praesentium.

Numi ad hunc annum descripti ad proximum etiam triennium pertinent.

V. C. 897. P. X. 144.
CAESAR. COS. DES. II.

Ipse in annum sequentum consul II., pater Antoninus consul IV. designantur.

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. *Caput nudum.*

COS. DES. II. *Vir togatus stans d. ramum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Typus exhibet *Honorem*, de quo supra. Huc spectat aeneus I. formae musei Caesarei cum eodem typo, et inscriptione hybrida: DESNOS, monetarii incurii vitio concepta, qui cum scalpere intenderet DES. II., finivit prave in NOS, quae sunt postremae literae τȣ HONOS. Ex quo apparet, annum praesentem luxati hujus numi natalem esse.

V. C. 898. P. X. 145.
CAESAR. COS. II.

A. AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. COS. II. *Caput nudum.*

B. AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. *Caput nudum.*

C. AVRELIVS. CAES. AVG. PII. F. *Caput nudum.*

* * *

Vt lit. B.

COS. II. *typis Palladis*, *Honoris*, *Spei etc.* AV. AR. (Mus. Caesar.)

Vt lit. A.

IVVENTVS. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Explicationem aversae vide ad annum V. C. 893.

Vt lit. A.

S. C. *M. Aurelius in lentis quadrigis d. scipionem cum aquila.* AE. I. (Mus. Caes.)

Indicatur hoc typo M. Aurelii processus consularis.

Vt lit. C.

VIRTVS. COS. II. *Figura militaris stans d. hastam, s. parazonium, s. pede galeam calcat.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Iungendus numus cum altero inscripto: HONOS, quem proposui ad annum V. C. 893.

Vt lit. A.

VOTA. PVBLICA. *Aurelius et Faustina*

jungunt dexteras intermedia alia figura muliebri. AV. AR. II. (Mus. Caes.)

V. C. 900. P. X. 147.
CAESAR. TR. P. COS. II.

Aurelius suscepta ex Faustina filia a patre tribunicia potestate, et imperio extra urbem proconsulari donatur addito jure quintae relationis [a]).

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. *Caput nudum.*

TR. POT. COS. II. *typis Palladis, Spei etc.* AV. AR. AE. I. II.

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. TR. P. COS. II. *Caput nudum.*

Sine epigraphe. Hercules nudus d. clavam stans ante antrum, juxta quod jacet Caci cadaver. AE. MM. M. (Mus. Caes.)

Numus hic volumine suo conspicuus jungendus cum aliis similis argumenti, quos in moneta Antonini inter numos antiquitatem Romanam restituentes produxi.

V. C. 901. P. X. 148.
CAESAR. TR. P. II. COS. II.

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. *Caput nudum.*

TR. P. II. COS. II. *variis typis*, in aliis: HONOS. TR. P. etc. in omni metallo, et forma.

V. C. 902. P. X. 149.
CAESAR. TR. P. III. COS. II.

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. *Caput nudum*, in numis omnis metalli, et formae.

AVRELIVS. CAESAR. ANTONINI. AVG. PII. FIL. *Caput nudum*, in aeneis.

HONOS. *vel:* IVVENTAS. *etc. cum typis congruis, addito constanter* TR. POT. III. COS. II.

V. C. 903 — 912. P. X. 150 — 159.
CAESAR. TR. P. IV.—XIII. COS. II.

A. AVRELIVS. CAESAR. ANTONINI. AVG. PII. F. *Caput nudum, in numis omnis metalli, et formae.*

B. AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. *Caput nudum, in numis omnis metalli, et formae.*

Hoc modo inscribuntur numi Aurelii a trib. potestate III. usque X., deinceps:

C. AVRELIVS. CAES. ANTON. AVG. PII. F. *Caput nudum, in numis omnis metalli et formae.*

D. AVRELIVS. CAES. AVG. PII. F. *Caput nudum, in omni metallo et forma.*

* * *

Antica varia.

CLEM. *addita varia* TR. POT. *et* COS. II. *Mulier stans d. pateram, s. pallium adducit.* AV. AR. (Mus. Caes.)

In numis aliis trita illa: HONOS. — VIRTVS — IVVENTAS. etc.

* * *

Memorandus in hujus intervalli numis sequens:

Vt lit. B.

TR. POT. VII. TR. POT. VIII. S. C. *Mulier galeata sedens d. hastam, humi clypeus.* (Spanheim. T. II. p. 432.)

a) Capitolin.

De singulari hujus numi epigraphe agetur in doctrina de trib. potestate Vol. VIII.

V. C. 913. P. X. 160.
CAESAR. TR. P. XIV. COS. II. DES. III.

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. *Caput nudum.*
TR. POT. XIIII. COS. II. addito in nonnullis: DESIG. III. typis *Romuli conditoris*, *Palladis etc.* in omni metallo et forma.

V. C. 914. P. X. 161.
CAESAR. TR. P. XV. COS. III.

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. *Caput nudum.*
TR. POT. XV. COS. III. *Pietas stans utraque manu infantem tenens, aliis circum adstantibus*, vel: *Aurelii processus consularis etc.* in omni metallo et forma.

Eodem anno.

AVGVSTVS. TR. P. XV. COS. III. P. M.
M. Aurelio Aug. III. L. Vero Aug II. cos.

Antonino Pio circiter VII. Martii mortuo imperium suscipit, Commodum ex adoptione fratrem imperii consortem facit, Caesaremque, et Augustum appellat, ei filiam Lucillam despondet, sibi *Antonini*, fratri suum *Veri* nomen indit. Praetorianis ob participatum imperium ingens donativum largitur [a]).

A. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AE. I. etiam radiatum, in AE. II.*
B. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. *Caput laureatum, vel nudum in AE. I. etiam radiatum in AE. II.*
C. IMP. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*
D. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

* * *

Vt lit. A. vel in AE. ut lit. B.
CONCORDIA. AVGVST. TR. P. XV. COS. III. *Aurelius, et Verus togati stantes jungunt dexteras.* AV. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Comprobat numus, quod supra dictum, Aurelium patre mortuo sibi continuo sociasse L. Verum, omnibus Augusti honoribus, dempto solo pontificis maximi titulo, eidem delatis, etsi soli Aurelio post Antonini excessum senatus detulisset imperium, ut diserte Capitolinus [b]). Et vidit imperium Romanum tum primum duos Augustos aequata potestate summae rei praefectos, cumque istud forte evenisset, ut hoc anno uterque consul esset, hinc factum, ut annus hic deinceps consulatu *duorum Augustorum* in fastis notaretur. Concordiam, quam numi aversa praedicat, principio inter utrumque constitisse, nequaquam mirum; at quod ea usque ad Veri obitum ipsis novem annis in tanta morum discrepantia incolumis atque integra stetit, istud orbis Aurelii excelsae indoli, et haustis ex philosophia praeceptis ac-

a) Capitolin. b) in Vero.

ceptum tulit, facile ferentis parem, et fratris vitia dissimulantis, tum vero auctoritate sua, et praeclaro exemplo ejus cupiditatibus frenum injicientis.

* * *

Vt lit. B.

LIB. AVGVSTOR. TR. P. XV. COS. III. S. C. *Duo imperatores togati sedentes in suggestu adstante Liberalitate, et alia figura infra stante, quae sinum aperit.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Huc pertinet, quod refert Capitolinus: *mox* (suscepto nimirum imperio) *pariter castra praetoria petiverunt, et vicena millia numum singulis ob participatum imperium militibus promiserunt, ceteris pro rata.* Vide etiam Dionem [a]). Quid collatum fuerit in cives, non proditur.

* * *

Antica varia.

FEL. TEMP. *vel:* PROV. DEOR. *cum suis typis, addito semper:* TR. P. XV. COS. III.

V. C. 915. P. X. 162.

TR. P. XVI. COS. III. P. M.

Iunio Rustico, C. Vettio Aquilino cos.

Volagases III. Parthiae rex moto, ut videtur, Armeniae causa bello, victisque primum, qui obstitere, Syriam ipsam invadit, terrorem ubique circumfert. Ad eum reprimendum L. Verus in Syriam proficiscitur, M. Aurelius Romae subsistit, turbatae item Germaniae irrumpentibus Cattis, ac Britanniae prospecturus [b]).

A. IMP. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. *Caput laureatum in AE. I. radiatum in AE. II.*

C. M. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR.*

* * *

Vt lit. C. in AV. ut lit. B. in AE. I. II.

SALVTI. AVGVSTOR. TR. P. XVI. COS. III. *Mulier stans serpentem ab ara adsurgentem ex patera pascit, s. hastam.* AV. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Aurelius cognito, Verum suscepto in Parthos itinere apud Canusium aegrotare, ad eum videndum contendit, susceptis in senatu votis, quae, posteaquam Romam rediit, audita Veri transmissione statim reddidit. Verba sunt Capitolini in Aurelio cap. 8.

* * *

Antica varia.

CONCORD. AVGVSTOR. *vel:* PROV. DEOR. *typis solitis addito* TR. POT. XVI. COS. III. in omni metallo, et forma.

V. C. 916 P. X. 163.

TR. P. XVII. COS. III. P. M. IMP. II.

L. Aeliano, Pastore cos.

Vero per Syriae urbes sibi indulgente duces Statius Priscus, et Martius Verus rem strenue gerunt, Armeniam sibi subjiciunt, utrique Augusto *Imperatoris* titulum pariunt.

---

a) L. LXXIII. § 8. b) Capitolin. in Aurel.

A. M. ANTONINVS. AVG. *Caput nudum*, *in AR.* (Mus. Caes.)

B. IMP. M. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum*, *vel nudum*, *in AV. AR.*

C. M. ANTONINVS. AVG. IMP. II. *Caput nudum*, *in AR.* (Mus. Caes.)

D. IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. *Caput laureatum*, *vel nudum*, *in AE. I. radiatum in AE. II.*

E. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. *Caput laureatum*, *in AE. I.*

* * *

Vt lit. E.

TR. P. XVII. IMP. II. COS. III. S. C. *Victoria gradiens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numus testis rei in Armenia prospere gestae, et parti imperatoris tituli.

Numi hujus anni reliqui superiorum annorum argumenta repetunt.

V. C. 917. P. X. 164.

TR. P. XVIII. COS. III. P. M. IMP. II.

Incipit ARMENIACVS.

M. Pompeio Macrino, *P. Iuventio Celso cos.*

Aurelius Lucillam filiam Vero desponsatam Brundusium usque comitatur, mox in urbem revertitur. Ad eam excipiendam Verus Ephesum procurrit [a]. *Armeniaci* titulum adoptat jam ante a Vero captum.

A. M. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput laureatum*, *vel nudum*, *in AV. et AR.*

B. M. ANTONINVS. AVG. IMP. II. *Caput laureatum*, *vel nudum*, *in AV. et AR.*

C. IMP. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *in subaerato musei Caesarei.*

D. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. *Caput laureatum*, *in AE. I. radiatum*, *in AE. II.*

E. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. *Caput laureatum*, *in AE. I. radiatum*, *in AE. II.*

F. M. ANTONINVS. AVG. P. M. *Caput nudum*, *in AE. II.* (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. A.

ARMEN. P. M. TR. P. XVIII. IMP. II. COS. III. *Armenia moesta humi sedens inter arma patria*, *s. prorae navis imposita.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. E.

VICT. AVG. TR. P. XVIII. IMP. II. COS. III. S. C. *Victoria gradiens cum tropaeo*, *ante cujus pedes Armenia moesta sedens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Typi per ipsam aetatis praesentis historiam explicantur, et magis explicabuntur in L. Vero.

Reliquorum numorum typi obvii.

V. C. 918. P. X. 165.

TR. P. XIX. COS. III. P. M. ARM. IMP. II. III.

L. Arrio Pudente, *M. Gavio Orfito cos.*

Finitur bellum Parthicum hostibus

a) Capitolin.

quaquaversum victis, et Mesopotamia imperio adjecta, ex quo Aurelius cum Vero *Imperator III.* dicitur [a]).

A. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.*

B. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. *Caput laureatum, vel radiatum, in AE. II.*

C. M. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

D. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. *Caput laureatum, in AE. I. etiam radiatum, in AE. II.*

* * *

Vt lit. B.

LIBERAL. AVG. TR. P. XIX. IMP. II. COS. III. S. C. *Liberalitas stans d. tesseram, s. cornucopiae.* AE. II. (Mus. Caes.)

Causa erogati hoc anno congiarii non proditur.

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XIX. IMP. II. *in aliis*: IMP. III. COS. III. *variis typis* in AV. et AR.

Vt lit. D.

TR. POT. XIX. IMP. II. *in aliis:* IMP. III. COS. III. S. C. *variis typis* AE. I. II.

ARMEN. AVG. *etc. ut ad annum praecedentem.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 919. P. X. 166.
TR. P. XX. COS. III. P. M. ARM. IMP. III.
Q. Servilio Pudente, L. Fufidio Pollione cos.

L. Verus ex Oriente redux cum M. Aurelio de Parthis triumphat, uterque *Parthici Maximi, Medici*, et *imperatoris IV.* titulos capit [b]), an etiam *patris patriae*, infra in hoc titulo disputabitur. De adscito nomine *Medici* infra quoque sub hoc titulo agetur. Ad bellum Marcomanicum, jam priore anno coeptum, se accingit uterque imperator.

A. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. *Caput laureatum, in AE. I.*

B. M. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

C. M. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS. P. M. *Caput laureatum, in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

CONG. AVG. III. TR. POT. XX. IMP. III. COS. III. S. C. *Duo imperatores sedentes in suggestu hinc Liberalitate, illinc alia figura adstantibus, et alia per gradus adscendente.* AE. I. (Mus. Caes.)

Hujus quoque congiarii non meminere veteres, sed praebitum haud dubie est occasione Veri incolumis reversi, et belli Parthici feliciter confecti. In numis L. Veri ejusdem anni est LIB. AVG. III.

---

a) Tillemontius ad hunc annum, et numi.

b) Capitolinus, et numi.

* * *

Vt lit. B.

PAX. AVG. *vel:* VICT. AVG. TR. P. XX. COS. III. *cum typis congruis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Victoriam Parthicam, et secutam inde pacem celebrant hi numi.

Alii numi obvii inscripti: TR. POT. XX. IMP. III. etc.

Eodem anno:
incipit PARTH. MAX. MEDIC. IMP. IV.

A. M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum, in AE. I. etiam radiatum, in AE. II.*

C. M. ANTONINVS. AVG. PARTH. MAX. MEDIC. *Caput laureatum, in AE. I. singulari, de quo mox.*

* * *

Vt lit. A. et B.

TR. P. XX. IMP. IIII. COS. III. *Victoria stans d. palmam, s. clypeum, cui inscriptum:* VIC. PAR., *super palmae trunco tenet.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. et B.

PAX. *vel* VICT. AVG. TR. POT. XX. IMP. IIII. COS. III. *cum suis typis.* AV. AR. AE.

Vt lit. C.

TR. POT. XX. IMP. IIII. COS. III. S. C. *Vterque imperator ramum praetendens in curru triumphali.* AE. I.

Insignem hunc spectata utraque facie numum, atque hactenus unicum ex museo Pelleriniano addito altero simili, sed cum imagine conlegae Veri, protulit, et erudite explicavit Belleyus [a]). Anticam summi pretii facit additus titulus MEDIC*i*, quem utrique praeter alios ob captam eodem bello *Mediam* a senatu decretum tradit Capitolinus, et confirmant marmora, at numi hactenus reticuerunt. Aversa quoque ad historiam illustris. Nam actum hoc anno ab utroque Augusto triumphum Parthicum facili quidem conjectura ex scriptoribus poterat elici, de quo nunc numus praesens dubitare non sinit. Vtramque numi partem egregie illustrat Capitolinus [b]): *pariter cum fratre triumphavit susceptis a senatu nominibus, quae in exercitu acceperat,* et infra: *habuit hanc reverentiam Marci Verus, ut nomina, quae sibi delata fuerant, cum fratre communicaret die triumphi, quem pariter celebrarunt.*

V. C. 920. P. X. 167.
TR. P. XXI. COS. III. P. M. ARM. PARTH. MAX. IMP. IV.
Exspirat MEDIC.
L. Vero III., Quadrato cos.

Gravia hoc tempore imperii incommoda, primum a peste, quam Capitolinus a Vero ex Oriente illatam scribit, at nunc funeribus orbem replevit, alterum a Marcomanis, Quadis, Victovalis, ac toto fere Septemtrione. Vterque imperator ad id bellum, periculo Punicis par, paludatus exit [c]).

M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum,* in omni metallo et forma.

---

a) B. L. T. XXV. hist. p. 82. b) in Vero. c) Capitolin. Dio, Eutropius.

CONG. AVG. IIII. TR. P. XXI. IMP. IIII. COS. III. S. C. *Duo imperatores sedentes in suggestu, adstat Liberalitas, alia figura per gradus adscendente.* AE. I. (Mus. Caes. Theupoli.) Perperam Vaillantius in simili legit IMP. III.

Tanto gratior populo haec liberalitas exstitit, quod circa istud tempus gravi fame pressus fuit, ut refert Capitolinus [a]). Distributum ergo hoc congiarium praesentibus adhuc in urbe Augustis.

* * *

Eadem adversa.

TR. P. XXI. IMP. IIII. COS. III. *Vterque imperator d. ramum in quadrigis triumphalibus praecedente milite cum labaro; pone quatuor bajuli ferculum gestant, super quo tropaeum, et duo captivi sedentes.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Recolitur in hoc numo memoria triumphi Parthici, anno superiore acti. Praesentis numi pretium auget typus triumphi locupletior.

* * *

Eadem adversa.

VOTA. TR. P. XXI. IMP. IIII. COS. III. S. C. *Imperator togatus ad aram sacrificat.* S. C. (Theup. Mus. Caes.)

Sunt haec haud dubie vota suscepta ad avertenda ingentia mala, quae tum imperium obsedere. *Tantus*, inquit Capitolinus [b]), *terror belli Marcomanici fuit, ut undique sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romam omni genere lustraverit, retardatusque a bellica profectione sit. --- Tanta autem pestilentia fuit, ut vehiculis cadavera sint exportata.* His seu periculis, seu malis in hostiarum caede remedium religiosus imperator quaesivit, quas tanto numero immolari jussit, ut boves albi epistolium Caesari in hanc sententiam mitterent [c]).

Οἱ βοες οἱ λευκοι Μαρκῳ τῳ Καισαρι
Χαιρειν.
Ην δε συ νικησῃς, ἀμμες ἀπωλομεθα.

Boves albi Marco Caesari Salutem.
Sin tu viceris, nos perivimus.

Iam vero et olim propter eandem causam optasse tauros, et vitulos, ne Augustus ex peregrinatione salvus rediret, refert Seneca [d]).

Similia qui legit, pendebit animi, neque rationem reperiet, qua Aurelii philosophiam tantopere omni aevo jactatam cum hac ejus superstitione, quae consilio, ac sanae menti οὐρανιον ὁσον adversatur, possit componere. Atque multo is magis mirabitur, cum eum ipsum palam professum legerit, diis se debere, quod per insomnia remedia sibi fuerint indicata cum alia, tum adversus sanguinis exscreationem, et capitis vertiginem [e]), aut cum apud Lucianum legerit [f]), passum eum fuisse in bello Germanico binos leones in Istrum demergi, certa inde victoriae spe, suppeditante ex ultima Paphlagonia consilium Alexandro, quem philosophiae adminiculo, quod serius patuit, agnoscere impostorem facile poterat. Inter hos alienati animi

a) in Aurel. c. 13. b) in Aurel. c. 13. c) Ammianus L. XXV. c. 5. d) de Benefic. L. III. c. 27. e) εἰς ἑαυτον L. I. sub. fin. L. IX. §. 27. f) in Pseudomant.

errores an agnoscimus Aurelium illum, qui in commentariis suis exigit, ut quis sit *deorum cultor absque tamen superstitione*, θεοσεβης χωρις δεισιδαιμονιας [a]), qui a Diogneto se didicisse profitetur το ἀπιστητικον τοις ὑπο των τερατευομενων και γοητων περι ἐπῳδων, και περι δαιμονων ἀποπομπης και των τοιουτων λεγομενοις, *non habere fidem iis, quae portentorum praestigiarumque doctores de incantamentorum daemonumque depulsione, et quae sunt id genus alia, in vulgus efferunt* [b]), qui legem ipse tulit, *ut in insulam relegarentur, qui aliquid facerent, quo leves hominum animi superstitione numinis terrerentur* [c]). Qui animam hominis esse immortalem, aut plane dubitavit [d]), aut disserte negavit [e]), idem tamen magistrorum suorum sepulcra hostiis honoravit [f]).

At vero si hunc animi habitum cum sana philosophia posse consistere incredibile videtur illi, qui, quod nos hodie facimus, veterem auspiciorum, oraculorum, prodigiorum vanitatem ridet, is quaeso reputet, ipsum horum exercitium tum cum causis religionis fuisse connexum, atque ut P. Clodius, Lucretius, Lucianus, qui auspicia, et a diis metum riserunt, dicti fuere impii, sic contra pios, qui haec omnia probavere. Quod si quis fuit animo paullo magis tenero, diisque suis indulgentior, contingere pronum fuerat, ut nonnullorum judicio excedere justae pietatis fines videretur. An vero etiam tum continuo superstitionis reus putandus? Quis enim in omni antiquitate censoria sua virga ausus est definire: *hactenus sincera religio; quod ultra est, superstitio habetor?* Quo quidem in arbitrio verorum limitum ignoratione tantum fluctuavit antiquitas, quantum in admittendis, repudiandisve religionis nostrae cultibus non raro hodieque fluctuamus ipsi, tam saepe incertis olim et nunc causae hujus finibus, quam non semper satis est exploratum, ubi desinat liberalitas, parsimonia, cautio, ubi deinde succedat prodigalitas, avaritia, ignavia. Accedit, quod omni aevo humana ratio incredibili stupore, et post tot seculorum experimenta nondum depulso, quod recte factum est, quod inique, ex fortuitis rerum eventis solet metiri. In Nicia Atheniensium duce, superstitionem culpavit antiquitas, quod religione lunae tum forte deficientis veritus est movere castra, atque inconsulto hoc angustae mentis proposito semetipsum ac patriam perdidit. Eadem in P. Clodio culpavit impietatem, quod pullos tripudium solistimum aversatos ad potum damnavit, ac mox cladem mari perpessus rem Romanam adflixit. Vicisset Nicias, non illum superstitiosum dixisset fama, sed deorum monitis recte obsecutum; vicisset Clodius, ac tum ille non impius, sed pullorum fastidium prudentia castigasse fuisset creditus. Quapropter si vigentibus tum adhuc patrii cultus institutis, atque in illo opinionum publicarum conflictu nonnunquam a se ipso dissidere bonus Aurelius est visus, sive quod naturalis ejus in deos suos pietas, et primaeva institutio, quae etiam cordatissimum quemque raro plene deserit,

---

a) ἐις ἑαυτον L. VI. § 30. b) Ibid L. I. § 6. c) Paulus Digg. L. XLVIII. tit. 19. de poenis lib. 30. d) ἐις ἑαυτ. L. III. § 3. L. IV. — 21, L. VI. 24. e) Tzetzes Chil. VII. c. 147. et Chil. VIII. c. 180. f) Capitolin. in Aurel. c. 3.

animum fortius impulere, sive quod causa reip. necesse visum, plusculum communi eorum temporum sensui tribuere, sive denique quod summi etiam viri, ex quo se homines norint, aliquam habent admistam dementiae particulam, non illi nos propterea negabimus philosophi nomem, nisi illud negare quoque velimus Iustino martyri longo illi saeculorum usu tributum, quia suo in Christiana sacra adfectu longius abreptus carminibus Sibyllinis, Simonis magi miraculo, LXX. interpretum jactatae concordiae, regno millenario, malorumque daemonum perpetuis occursibus praeliisque fidem habuit, ut praeteream tot viros alios, quos maxime philosophos aut vetus, aut recentius aevum celebrat.

An vero hac nostra aetate, qua philosophiae nomen omnium ore ac sermonibus circumfertur, meliorem esse putamus divinae ejus scientiae, quae sola est mentis, rationisque humanae magistra, conditionem? Non verisimile istud modo, sed plane necessarium videatur, nostrum aevum prae vetere illo recte sentiendi judicandique facultate excellere, cui non vetustatis modo, sed sequentium etiam temporum suppetunt exempla, cui artium omnium perfectio, historiae naturalis multo liberalior cognitio, aperti cum remotissimis gentibus commeatus, et id genus alia, amplissima ad ingenii judiciique culturam, eruendumque verum attulere subsidia. Atque hae tantae opportunitates an satis adhuc ad parandam tuendamque mentis sanitatem profuere? non hercle apud eos, quorum infelix examen inde ab aliquot annis pullulare conspicimus, qui non contenti remediis ordinariis, quae auctor generis humani ad vitam recte beateque agendam praescripsit, alium orbem extra rerum naturam positum rimantur et explorant, manes ab inferis evocant, animum admotis contactus lenociniis, et medicato somno a corpore avellunt, omnes praestigias, mysteria, arcanae virtutis modos, quos fraudulenta, aut cerrita ingenia in commentarios retulere, solerter investigant, ex quorum omnium consiliis monitisque caperent praescientiam futuri, artem reparandae valetudinis, aut rei familiaris, et quaecunque nosse inconsulti hominum animi sua interesse putant. An istud sapere est, ac non potius supra quam credi potest, insanire, ac laborare morbo, quem tota Anticyrarum horrea non sanabunt? Quid prodest, nascentis philosophiae ope exemptos tandem ex hominum animis gravissimos errores, sublata judicia per ignem et aquam, contempta sortilegia, et astrorum in mentes humanas gravia imperia, exstinctos sagarum rogos, demptos inanes metus, quos creditae lemurum larvarumque ἐπιφανειαι, et nocturni strigium circuitus ingenerabant, et quascunque alias fallacias praecedentium saeculorum caligo invexit, si eiusdem naturae monstra alia, ac prioribus multo pestilentiora in hominum societatem admittuntur.

At quorsum ego ista disputo, quippe ab instituto meo aliena? quasi vero ea contagio, quae alias plerasque disciplinas corrupit, rei nostrae antiquariae pepercisset. Quis enim ignorat novum hominum genus, qui monumenta veterum non sensu communi, intelligo, te-

stimoniis scriptorum, exploratis sacris profanisque populorum institutis, tum et vario opinionum, studiorum, adfectuum habitu, symbolorum cognita significatione explicare amant, sed uno mysteriorum, allegoriarum, et doctrinae mysticae adminiculo, tanquam veriora essent, quae divinamus, quam quae oculis percipimus, et veterum artefacta non essent nisi aenigmata, griphi, et oraculorum responsa a Sphinge quapiam, aut Apolline dictata. Nimirum ut non defuere novi Platonici, qui puram, limpidam, et ex unius naturae fontibus ductam Socratis philosophiam infaustis suis commentis reddere obscuram impeditamque adlaborabant, sic et disciplinae nostrae fatale fuit, exsistere aliquando homines, quibus turpe videtur, parumque humano ingenio dignum, *non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem*, nimirum *ut speciosa dehinc miracula promant*, quasi vero, qui Harduini deliria jam odimus, istorum insomnia, et vecordiam amemus *). Quod si usque adeo fastidiunt illud omne, quod suapte clarum est, atque perspicuum, et nonnisi umbris et caligine oblectantur, habent illi materiam se dignam, ac numero varietateque infinitam, lapides illos, quos Gnosticos, Basilidianos, Mithriacos vocamus, quorum et inscriptiones et imagines mysteria sunt, et luculenta corruptae mentis humanae testimonia. Has illi glandes in pabulum sectentur, nostras coenarum venustates ac lautitias non adrodant. Atque ut ad Aurelium nostrum revertar, etsi in aliis fluctuasse, in aliis excessisse modum videri possit, quod utrumque aetatis potius vitium putandum est, quam suum, tamen cum bellis his nostri aevi philosophis comparatus, quam ille hos omnes plano suo solidoque judicio post se relinquat, facile intelligimus. Plura praestantis ejus philosophiae argumenta vide infra ad annum V. C. 933.

V. C. 921. P. X. 168.
TR. P. XXII. COS. III. P. M. ARM. PARTH. MAX. IMP. IV. V.
T. Iunio Montano, L. Vettio Paullo cos.

Barbari Augustorum adventu, et immani belli apparatu territi pacem petunt, quam L. Verus victus belli tae-

*) Audiamus in hac causa sententiam Raspii, non ab eruditione magis, quam perpurgato judicio mihi cumprimis probati: *(A descriptive Catalogue of engraved Gems pag. 725.) It is,* inquit, *but two years since, that, in the face of the Royal Academy of Painting, there has been published here in London a new and very voluminous edition of the compilation of* Cesare Ripa, *amply augmented with the dreams of ancient and modern poets. - - - What will become of art and allegory, if some speculator of* Pater - noster - Row, *encouraged by his unmerited success, (truly fatal to the arts) on purpose to render that book still more voluminous, shall one day add the allegorical and symbolical dreams of Madhouses, Alchymists, Freemasons, the Illuminats, the Mystical Theosophs of every kind, and more especially the* Swedenborgians, *who, by a dream, metaphysical enough of their Prophet:* Clavis hieroglyphica arcanorum per vim repraesentationum, et correspondentiarum, ab Em. Swedenborg, Londini 1784, *pretend to have found a master-key to modern and ancient hieroglyphics, or rather a key, which not only opens to them the gates of the new Ierusalem, but likewise shews them* luce meridiana clarius, *that this visible world is not at bottom, either in the whole or in all its parts, but a type of the* spiritual World, *and that there is a natural and mysterious correspondence between the ideas and their objects?*

dio, et desiderio vitae remissioris acceptandam suadet. Ea causa Tillemontius opinatur, Aurelium, postquam Italiae securitati satis provisum esset, cum Vero exeunte adhuc anno superiore Romam regressum. Sed incassum ex Capitolini omnia turbantis tenebris lucem requirimus. Istud certum, sive duravit id bellum saltem ex parte, sive jam nunc recruduit, utrumque imperatorem hoc anno *imperatoris* titulum auxisse.

M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum in omni metallo, et forma, in AE. II. etiam radiatum.*

TR. P. (*in aliis* POT.) XXII. IMP. IIII. COS. III. *typis variis in omni metallo, et forma.*

Eadem adversa.

TR. P. XXII. IMP. IIII. COS. III. *Duae Victoriae tenentes lauream, intra quam:* S. P. Q. R. VIC. PARTHICAE., *infra Parthus sedens.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Eadem adversa.

FORT. RED. TR. P. *vel* (POT.) XXII. IMP. V. COS. III. *Mulier sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Ex his numis colligi posset, utrumque Augustum revera in urbem reversum. At enim eadem *Fortuna redux* occurrit etiam in numis anni sequentis, et aliorum.

V. C. 922. P. X. 169.

TR. P. XXIII. COS. III. P. M. ARM. PARTH. MAX. IMP. V.

Q. Sosio Prisco, P. Caelio Apollinare cos.

Aurelius, sive nunc demum urgente Vero in urbem redux, sive quod censet Tillemontius, altera expeditione cum Vero ex urbe in Germanos profectus, sed per pestis saevitiem redire coactus prope Altinum Venetorum Verum eadem secum lectica vectum ex apoplexia amittit [a]. Ejus corpus Romam defert, et consecrat, et exeunte anno iter in Germaniam ingreditur. (V. numos sequentes.)

M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum in AV. AR. AE. in AE. II. etiam radiatum.*

FORT. RED. TR. P. XXIII. IMP. V. COS. III. *Fortuna sedens in AR. et AE. I.* (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

TR. P. (*in aliis* POT.) XXIII. IMP. V. COS. III. *Aequitas sedens*, AR. AE. I. II.

* * *

Mortuo Vero cessant tituli ARMENIACI *et* PARTHICI MAXIMI.

M. AVREL. ANTONINVS. TR. P. XXIII. *Caput laureatum.*

DIVVS. VERVS. *Caput nudum.* AE. I. (Vaill.)

Legendum esse in hoc numo TR. P. XXIII., non, ut legit Vaillantius, TR. P. XXII., probabo infra in numis divi Veri.

* * *

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXIII. *Caput laureatum.*

LIBERAL. AVG. V. COS. III. *Liberalitas stans.* (Mus. Caes.)

Praecone hoc numo suas iterum opes erogavit Aurelius, antequam ad bellum

a) Capitol. Galenus περι των ἰδιων βιβλιων.

exiret, quod institutum ante biennium quoque tenuit.

* * *

Eadem adversa.

PROFECTIO. AVG. COS. IIII. S. C. *Imperator eques d. hastam praecedente milite, tribus sequentibus.* AE. fere max. mod. (Mus. Caes.)

Insigni hoc numo notari nequit profectio, quam Aurelius ex Tillemontii sententia anni hujus principio cum fratre in Germaniam instituit: nam quamdiu is in vivis erat, titulis Armeniaci et Parthici constanter usus est, qui desunt in hoc numo, quosque eo mortuo, tanquam uni Vero jure debitos, ultro abjecit, ut numi plene docent, atque infra in his titulis uberius confirmabo. Mirum etiam videretur, si ad utriusque Augusti profectionem numus pertineret, unum tantum Augustum equitem in eo exhiberi. Intelligitur ergo altera expeditio ab Aurelio solo post fratris excessum in Germaniam suscepta. Sed patet etiam ex hoc numo, eam profectionem a Tillemontio plus justo differri, cum ait, exivisse Aurelium ante diem VII. Martii anni P. X. 171., cum tamen tribunatus XXIII. Aurelii huic numo inscriptus, quo labente ex numi hujus indicio haec profectio contigit, saltem in mea sententia, ne quidem in annum sequentem 170 porrigatur, ut in Aurelii trib. potestate disputabimus. At enim numus praesens ignotus fuit Tillemontio, notus vero solum ille, qui eandem ejus profectionem cum tribunatu XXIIII. memorat, qui revera in Tillemontii sententia usque ad diem VII. Martii anni P. X. 171 durat. Igitur, ex praeclari hujus numismatis praecepto maturandum ejus iter, sic ut videatur exeunte hoc anno iter in hosticum susceptum.

* * *

Eadem adversa.

RESTITVTORI. ITALIAE. IMP. V. COS. III. S. C. *Imperator paludatus stans mulierem turritam in genua prolapsam, et s. globum tenentem sublevat.* AE. I. (Mus. Farnes.)

Nimirum *Restitutor Italiae* dicitur per depulsum ab regione orbis terrarum principe periculum, quod ei a rebellibus Germanis impendebat.

* * *

Eadem adversa.

COS. III. *vel:* FELICITAS. AVG. COS. III. *vel:* SALVTI. AVG. COS. III. *cum suis typis*, in omni metallo, et forma.

V. C. 923. P. X. 170.

TR. P. XXIV. COS. III. P. M. IMP. V.

M. Cornelio Cethego, C. Erucio Claro cos.

Bellum cum Marcomanis omni vi gerit gravibus per intervalla acceptis incommodis, omnibus superstitionis adminiculis saepe frustra arcessitis, inutili etiam illo, quod suasit Alexander Abonuticheos Paphlagoniae propheta, ut dictum supra ad annum, V. C. 920. Rara propter pestilentiae vim juventute servos et exules ad arma vocat, exhausto aerario pretiosam palatii supellectilem vendit [a]. Carnuntum Pannoniae superioris belli sedem deligit [b]).

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXIIII. *Caput laureatum.*

a) Capitolin. b) Eutrop.

VICT. AVG. COS. III. *Victoria gradiens d. lauream, s. tropaeum.* AR. AE. II.

Videtur verisimile, Aurelium ex victoria hac, quam generatim enunciat numus, dictum imperatorem VI., etsi ex numis istud probari nequeat. Nam universim imperatoris titulus ex anni hujus moneta abest, dempto unico aeneo I. formae apud Vaillantium, sed quem non dubitem prave descriptum: LIB. AVG. VI. TR. P. XXIV. IMP. VI. COS. III. Liberalitatem Aug. VI. videbimus ad annum denique V. C. 928.

* * *

Eadem adversa.

COS. III. *vel:* FORT. RED. COS. III. *vel:* PROFECTIO. AVG. COS. III. *vel:* SALVTI. AVG. COS. III. *cum typis solitis.*

V. C. 924. P. X. 171.

TR. P. XXV. COS. III. P. M. IMP. VI.

L. Sept. Severo II. L. Alfidio Herenniano cos.

Vota prima decennalia solvuntur.

A. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXV. *Caput laureatum in omni metallo, et forma, in AE. II. etiam radiatum.*

B. IMP. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXV. *ut in prioribus.*

* * *

Vt lit. A.

IMP. VI. COS. III. *Victoria stans clypeum ex palmae trunco suspensum tenet, cui inscriptum:* VIC. GER. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PRIMI. DECENNALES. COS. III. *intra coronam.* AR. AE. I. II. (Mus Caes.)

Vt lit. B.

VOTA. SOL. DECENN. COS. III. *Imperator velatus stans d. pateram ad tripodem sacrificat.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

VOTA. SVSCEP. DECENN. II. COS. III. *Idem typus.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Exeunte hoc anno Aurelii primo decennio vota decennalia soluta sunt, et pro more suscepta alia in proximum decennium, de quo instituto distinctius agetur alibi.

V. C. 925. P. X. 172.

TR. P. XXVI. COS. III. P. M. IMP. VI.

Incipit GERMANICVS in aversa numorum.

Maximo, Orfito cos.

Aurelio ex victoriis in Germania partis *Germanici* titulus accedit testibus numis. Vide de hoc infra sub hoc titulo.

A. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXVI. *Caput laureatum in AV. AR. AE. I. in AE. II. etiam radiatum.*

B. M. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in Quin. musei Caes.*

* * *

Vt lit. A.

COMMODVS. CAES. GERM. ANTONINI. AVG. GERM. FIL. *Caput Commodi nudum.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Vt lit. A.

GERMANICO. AVG. IMP. VI. COS. III.

S. C. *Tropaeum cum captivo sedente.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

IMP. VI. COS. III. variis typis in omni metallo, et forma; inter hos insignior: *Imperator paludatus stans d. fulmen, s. hastam coronatur ab adstante Victoria.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VICT. GERM. IMP. VI. COS. III. *Victoria in quadrigis triumphalibus.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Vt lit. A.

VIRTVS. AVG. IMP. VI. COS. III. S. C. *Pons navalis, super quo incedit imperator sequentibus militibus cum signis militaribus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Fluvius, in quo pons hic factus, haud dubie est ipse Danubius, propter quem magna pars belli gesta, et refert Capitolinus, Marcomanos ab Aurelio in ipso transitu ejus fluminis fuisse deletos.

V. C. 926. P. X. 173.
TR. P. XXVII. COS. III. P. M. IMP. VI.
M. Aurelio Severo II. T. Claudio Pompeiano cos.

Subactam per repetitas victorias Germaniam docent numi.

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXVII. *Caput laureatum.*

GERMANIA. SVBACTA. IMP. VI. COS. III. S. C. *Germanus moestus sedens juxta tropaeum.* AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

GERMANICO. AVG. IMP. VI. COS. III. S. C. *Tropaeum, juxta quod stans captivus manibus retro ligatis, et alter moestus sedens.* AE. I. (Mus Caes.)

Eadem adversa.

RELIG. AVG. IMP. VI. COS. III. S. C. *Templum quatuor Hermis suffultum, in cujus epistylio testudo, gallus, aries, caduceus, galea alata, crumena; intus Mercurius stans d. pateram, s. caduceum.* AE. I. In aliis: *Mercurius eodem modo stans sine templo.* AE. II. In aliis: *Idem stans d. crumenam, s. caduceum, pro pedibus gallus.* AE. II. (Sunt omnes in museo Caes.)

Inusitata hactenus in numis epigraphe RELIG*io* AVG., atque etsi satis constet, fuisse Aurelium religioni ad superstitionem usque deditum, ut ad annum V. C. 920 ex Capitolino docui, tamen non perinde explicata ratio, cur ad contestandam ejus religionem ex tanto deorum agmine unus selectus sit Mercurius. Removit difficultatem testimonio suo Diodorus Siculus narrans [a]), Mercurium in Aegypto τας των θεων τιμας, και θυσιας διαταξαι, *deorum cultum, et sacrificia ordinasse.* Addit mox infra, Osirin in conscribendis sacrorum legibus Mercurii potissimum consiliis usum. Quapropter cum Aurelius religionis amorem profiteri voluit, apposite Mercurium intulit, qui religionis auctor est habitus. Neque aliam ob causam in numis Decii, et filiorum juxta signum Mercurii scriptum videtur PIETAS. AVG. Tamen ex privato principum arbitrio pependerit, seligere numen, in quod religionis honorem mallent conferre. Sane in numis Valeriani RELIGIO. AVGG. sociatur

a) L. I. c. 16.

cum Diana venatrice. Pagius commemorato numo simili, sed cum TR. P. XXVIII., inscriptione RELIG. AVG. et typo Mercurii adludi putat ad mirabilem illam pluviam, de qua mihi ad annum sequentem sermo; nimirum testante Xiphilino ex Dione [a]), Marcum hanc pluviam Mercurio, cujus cultui addictus fuerat, acceptam tulisse [b]). Perperam. Non enim narrat Xiphilinus, Marcum aut Mercurio impensius fuisse deditum, aut ejus beneficio aquas coelestes imputasse, sed narrat tantum, Arnuphin quendam magum Aegyptium, qui cum Marco erat, Mercurium praesertim aerium invocavisse, ac per eum pluviam elicuisse. Deinde Mercurio horum numorum nihil esse commune cum eo pluviae miraculo, eo est manifestum, quod haec aversa in numis anni praesentis exstat, illa autem pluvia anno primum sequente cecidit. Ceterum numi praesentes operis sunt perelegantis, signis quoque minutis, quae nota sunt Mercurii attributa, in templi epistylio nitide expressis, sed quae tantum in numis prorsus integris possunt discerni.

* * *

Eadem adversa.

VICT. GERM. IMP. VI. COS. III. S. C. *intra coronam.* AE. I. II. In alio, sed sine S. C. *Victoria in lentis quadrigis.* AE. max. mod. (Mus. M. Ducis.)

V. C. 927, P. X. 174.
TR. P. XXVIII. COS. III. P. M.
IMP. VI. VII.
Gallo, Flacco Corneliano cos.

Ingens prodigium, et copiosis veterum testimoniis celebratum, dum Romanorum exercitus a Quadis obsessus, et siti ad extrema deductus leni pluvia recreatur, hostibus interea procella, et fulminum terrore perculsis, et disjectis, cujus facti memoriam conservat quoque exstans Romae columna cochlis M. Aurelii. Id beneficium scriptores ethnici benevolentiae suorum deorum, Christiani precibus legionis Melitenes ex Christianis conflatae, ac propterea *Fulminatricis* dictae acceptum tulere, de quo vide Tillemontium copiose, et adcurate disputantem. Patratum fuisse istud, ut fama tulit, miraculum anno praesente, docet primum Eusebius in Chronico, deinde Xiphilinus, qui ex Dione refert, Aurelium ex hac victoria ope coelesti parta dictum *imperatorem VII.* [c]). Sed et numi hunc titulum hoc anno renovatum docent. Romam revertitur Aurelius teste numo.

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXVIII. *Caput laureatum.*

ADVENTVS. AVG. IMP. VI. COS. III. *Imperator paludatus d. hastam, s. tropaeum super humero arcum triumphalem intrat, praecedunt duo vexillarii, sequitur Victoria imperatorem coronans, pone templum, et ara.* AE. max. mod. (Mus. de Camps.)

Certum hic numus testimonium praebet, Aurelium hoc anno in urbem reversum, quod reticent historici. Videtur tamen paullo post iter in Germaniam relegisse.

* * *

Eadem adversa.

---

a) L. LXXI. § 8. b) Crit. Baron. ad ann. V. C. 927. c) L. LXXI. § 10.

IMP. VI. COS. III. *vel:* GERMANIA. SVBACTA. *vel:* MARTI. VICTORI. *vel:* VICT. GERM. *vel:* RELIG. AVG. *addito in omnibus* IMP. VI. COS. III. *typis jam cognitis*, in omni metallo, et forma.

Eadem adversa.

IMP. VII. COS. III. *typis variis*, numi copiosi in omni metallo, et forma.

V. C. 928. P. X. 175.
TR. P. XXIX. COS. III. P. M. IMP. VII.
Calpurnio Pisone, M. Salvio Iuliano cos.

Attritis jam fere quaquaversum barbaris, et ad pacem compulsis Aurelius *Germanici* titulum, mox etiam *Sarmatici* cum elogio *imperatoris VIII.* suscipit. Quo minus belli reliquias praesens ipse conficeret, obstitit Avidii Cassii in Oriente rebellio, qui clarus militia, et disciplina in castris ad crudelitatem usque exercita, rebusque in Armenia, et Aegypto praeclare gestis imperatorem se appellat. Re intellecta Aurelius filium Commodum arcessit, dataque ei toga virili in Orientem adversus Cassium proficiscitur, sed qui interea a suis perimitur. Per iter Faustinam uxorem in radicibus Tauri amittit [a]).

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXIX. *Caput laureatum.*
IMP. VII. COS. III. *typis variis.* AR. *vel:* ANNONA. AVG. IMP. VII. COS. III. S. C. *typo modii.* AE. II. *vel: Victoria sedens inscribit clypeo* VIC. AVG. AE. max. mod. (Theup.)

Eodem anno:
incipit GERM. in antica numorum.

M. ANTONINVS. AVG. GERM. TR. P. XXIX. *Caput laureatum.*
IMP. VII. COS. III. *variis typis.* (Mus. Caes.)
LIBERAL. AVG. VI. IMP. VII. COS. III. *Liberalitas stans.* AV. AR. AE. I. (Sunt omnes in museo Caesareo.)

* * *

Eadem epigraphe. Caput radiatum.
LIBERALITAS. AVG. VII. IMP. VII. COS. III. S. C. *Liberalitas stans.* AE. II. (Mus. Caes.)

Duplicem hanc liberalitatem VI. et VII. hoc anno in Commodi gratiam fuisse exhibitam, dicam infra in numis Commodi ad hunc annum.

Eodem anno:
incipit SARMATICVS IMP. VIII.

A. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum, in AV. et AR.*
B. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARMATICVS. *Caput laureatum, in AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

Vt lit. A.
TR. P. XXIX. IMP. VIII. COS. III. *variis typis, vel:* FORT. REDVC. *vel:* SECVRIT. PVB. *addito in his:* TR. P. XXIX. IMP. VIII. COS. III. *typis propriis.* AR.

Vt lit. B.
TR. P. XXIX. IMP. VIII. COS. III. S. C. *variis typis.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

(a) Dio, Capitolinus, Vulcatius in vita Avidii Cassii.

De titulis *Germanici*, *Sarmatici*, *Imperatoris VIII.* vide infra in singulis his articulis.

V. C. 929. P. X. 176.

TR. P. XXX. COS. III. GERM. SARM. IMP. VIII.

Incipit forte hoc anno titulus P. P.

T. Vitrasio Pollione II. M. Flavio Apro II. cos.

Aegyptum, et Syriam invisit, Antiochenos, quod Cassio pertinacius adhaesere, ornamentis, sive privilegiis exuit, redux perlustratis Athenis Brundusium appellit, die XXIII. Decembris cum filio Commodo de Germanis, et Sarmatis triumphat a).

A. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. TR. P. XXX. *Caput laureatum*, *in AE. I.*

B. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARMATICVS. *Caput laureatum*, *in AE. I. et II.*

C. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum*, *in AR. et AE. II.*

* * *

Vt lit. B. vel C.

TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III. *typis variis*, in AR. et AE.

Antica varia.

CLEMENTIA. AVG. *vel:* PAX. AVG. *vel:* SECVRIT. PVB. *addito in omnibus* TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III.

Vt lit. C.

DE. GERM. TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III. P. P. *Tropaeum*, *juxta quod captivi humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

Primus hic est numus, qui sero tandem *Patris Patriae* titulum prodit. De hoc numismate copiosius agam infra sub hoc titulo, quo ejus primum capti tempus propius definire conabor.

Vt lit. C.

FORT. DVCI. TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III. *Fortuna sedens d. gubernaculum*, *s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Numum hunc in catalogis Mediobarbi, Vaillantii, Gessneri praeteritum video, quin neque in indice Mediobarbi Fortunam *ducem* memorari, etsi *reducem* frequentissime. Ac propterea cum primum numum hunc viderem, monetarii sphalma suspicabar. At cum serius similes bini alii museo Caesareo accederent, absolvendus sane fuit monetarius. Ergo etiam *Fortunam ducem* numis habemus stabilitam, et mirum profecto, tam parce ejus fieri mentionem, cum neminem esse existimem, qui non Fortunam ducem prae reduce malit. Vulgato exemplo hanc quoque dedit imperium Commodi in numo, quem dabimus ad annum V. C. 939.

V. C. 930. P. X. 177.

TR. P. XXXI. COS. III. P. M. P. P. GERM. SARM. IMP. VIII.

Commodo Aug., *Quintillo cos.*

Filium Commodum consulem hoc anno *Augustum* dicit communicato etiam *Patris Patriae* honore. (Vide numos Commodi.) *Imperator IX.* adclamatur.

A. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum*, *in AR.*

B. M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. TR. P. XXXI. *Caput*

---

a) Capitolin. in Aurel. Lamprid. in Commodo.

laureatum, in AE. I. etiam radiatum in AE. II.

Vt. lit. A.

DE. GERM. TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. *Congeries armorum Germanicorum.* AR. *Similes aliquantum diversi.* AE. I. II.

Vt lit. A.

DE. SARM. TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. *Congeries armorum Sarmaticorum.* AR. *Similes aliquantum diversi.* AE. I. II.

Numi hi testes triumphi ab Aurelio sub ipsum anni praecedentis exitum de Germanis, Sarmatisque acti.

* * *

Vt lit. B.

FELICITATI. AVG. IMP. VIII. COS. III. S. C. *Navis cum multis remigantibus, in nonnullis Neptuno in prora stante.* AE. II. (Mus. Caes.)

Egregie numus confirmat id, quod de Aurelio proxime maritimo itinere Athenis Romam reverso refert Capitolinus [a]): *revertens ad Italiam navigio tempestatem gravissimam passus est.* Igitur quod periculum evasit, *felicitati Augusti*, in his numis tribuitur. Idem typus exstat etiam in numis Commodi anno praesente signatis adscripto: FELICITATI. CAES., at constat etiam, Commodum et itineris, et periculi fuisse socium.

* * *

Vt lit. B. Protome Aurelii laureata obverso tergo cum aegide ad pectus, et hasta.

IMP. VIII. COS. III. P. P. *Aurelius, et Commodus in quadrigis triumphalibus, praecedit miles cum tropaeo, superne volitat Victoria item cum tropaeo.* AE. max. mod. (Mus. M. Ducis.)

Confirmatur insigni hoc numo, quod in annalibus prioris anni diximus, Aurelium una cum Commodo de Germanis, et Sarmatis triumphasse.

* * *

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVG. VII. IMP. VIII. COS. III. P. P. S. C. *Liberalitas stans.* In alio: *Duo imperatores sedentes in suggestu, adstat Liberalitas, cive per gradus adscendente.* AE. I. (Mus. Caes.)

Dubium non est, congiarium istud praebitum occasione matrimonii Commodum inter, et Crispinam initi, ut ad numum Commodi synchronum ex Capitolino docebo. Liberalitatem Aurelii VII. jam quidem in numis anni V. C. 928 vidimus, sed dicetur in moneta Commodi ad eundem annum 928, qua ratione difficultas haec videatur expedienda.

Vt lit. A.

TR. P. XXXI. IMP. VIII. COS. III. P. P. *typis variis.* AR.

Eodem anno IMP. IX.

Vt. lit. B.

IMP. VIIII. COS. III. P. P. S. C. *Fulmen.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PROPVGNATORI. IMP. VIIII. COS. III. S. C. *Iupiter nudus fulmen in jacentem humi barbarum intorquet.* AE. I. (Vaill.)

Vt lit. A.

TR. P. XXXI. IMP. VIIII. COS. III. P. P. *typis variis.* AR.

a) Cap. 27.

V. C. 931. P. X. 178.
TR. P. XXXII. COS. III. P. M. P. P. IMP. IX.
Exspirat GERM. SARM.
Iuliano Rufo, Gavio Orfito cos.

Germanis rursum turbantibus ipse cum filio in Germaniam proficiscitur die V. Augusti [a]).

A. M. AVREL. ANTONINVS. TR. P. XXXII. *Caput laureatum, in AE. I. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

C. M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXXII. *Caput laureatum, in AE. II.*

* * *

Vt lit. B.

TR. P. XXXII. IMP. VIIII. COS. III. P. P. *typis variis.* AR.

V. C. 932. P. X. 179.
TR. P. XXXIII. COS. III. P. M. P. P. IMP. IX. X.
Commodo Aug. II., T. Annio Aurel. Vero II. cos.

Marcomanos, Hermunduros, Quados, Sarmatasque cruento praelio vincit [b]). Ex ea victoria *Imperator X.* appellatur [c]).

A. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXXIII. *Caput laureatum, in AE. I. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

C. M. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

Vt lit. B. vel C.

COS. III. P. P. *variis typis.* AR.

Hos numos ad istud aevi pertinere, dicetur infra ad titulum P. P.

Vt lit. B.

TR. P. XXXIII. IMP. VIIII. COS. III. P. P. *typis variis.* AR.

Vt lit. B.

TR. P. XXXIII. IMP. X. COS. III. P. P. *typis variis.* AR.

V. C. 933. P. X. 180.
TR. P. XXXIV. COS. III. P. M. P. P. IMP. X.
L. Fulvio Bruttio Praesente II., Sex. Quintilio Condiano cos.

Marcomanis fere internecione deletis ex contracto morbo exstinguitur Vindobonae Pannoniae [d]) die XVII. Martii [e]) exactis aetatis annis LVIII. mensibus fere XI. imperii XIX., et diebus paucis, non sine suspicione veneni a medicis suadente Commodo propinati [f]). Apud Sirmium diem obivisse tradit Tertullianus [g]).

Si quid valet unanimis antiquitatis consensus, ex omnibus, quos unquam fortuna in summo fastigio collocavit, non erat alius, qui per raras virtutes, atque egregias imperandi artes regendis populis aptior, digniorque esset habitus. Iam a prima infantia gravitatem

---

a) Lamprid. in Commodo. b) Dio. c) Dio L. LXXI. § 33. d) Victor uterque.
e) Tertull. Apologet. c. 25. Dio. f) Dio. g) l. c.

morum prae se tulit singularem, amorem vero a puero ad severa philosophiae studia incredibilem, sic ut duodecim annos natus philosophi habitum palam adsumeret, et deinceps in tradendis morum praeceptis, quae ipse pluribus libris hodieque superstitibus complexus est, tum vero, quod amplius est, vita secundum ea sanctissime instituenda omnis aetatis sapientiae magistros superaret, dictus propterea a Iustiniano φιλοσοφωτατος, id est: (ut cum vetere interprete loquar) *philosophissimus* [a]), cujus testimonium, ut alia abessent omnia, locupletissimum suppeditat epistola, quam ad fratrem Verum in Orientem scripsit conservavitque Vulcatius Gallicanus [b]), paucis verbis complexam severissimae virtutis praecepta omnia, et qua perlecta fatebitur quisque, non alias magistrae philosophiae alumnum obsequentiorem in disciplinam fuisse traditum. At quod maxime Marcum vere philosophum comprobat, illud est, quod, cum Stoicum ille institutum non modo profiteretur, sed et numeris omnibus impleret, ipse diversas sectas professos non modo patienter ferret, sed eodem etiam, quo suam, loco putaret et ornaret quoque, cum alii vulgo aliter sentientes odiis et bellis ἀσπονδοις persequerentur. Etenim ille, ut sapientiae studium promoveret, singulis philosophorum generibus, non modo Stoicis, Platonicis, Peripateticis, sed, quod mirere, Epicureis quoque, salarium locuples Athenis constituit, ita, ut unicuique, qui juventutem doceret, praemium esset aequale [c]). Neque vero is, qui tranquillis philosophiae studiis apprime delectabatur, non etiam ad res agendas, sive pacis, sive belli negotia spectes, singularem attulit alacritatem, atque animi robur indefessum, et fuit communis praeteritae aetatis sensus, nisi ad illa tempora reservatus fuisset Aurelius, quibus saeva lues, bella maximis, quae unquam fuere, aequiparanda, fames, terrae motus per Asiam, inundationes fluminum, aliaque omnis generis mala in imperii perniciem conjuravere, rem Romanam velut uno lapsu fuisse interituram. Quae bella externa, et quanta felicitate, et Romani nominis gloria gesserit, in annalibus exposuimus. Idem liberalis publice, domi suae parcus, atque ne tributorum onere provinciae opprimerentur, providus, qui in belli Marcomanici sumptus, ut civibus parceret, ipsa palatii ornamenta, pocula aurea, crystallina, murrhina, vestem uxoriam sericam, gemmas vendidit. At nulla alia virtute magis, quam clementia, atque animi lenitate gloriabatur, qua non modo suorum vitia, et illatas sibi injurias nullo poenae, aut vindictae studio pertulit, verum et externis hostibus, atque iis quoque, qui in caput suum, ac sanguinem conjuravere, facile indulsit. At enim tum quoque patuit, virtutem ipsam, cum nimis evagari patimur, in opprobrium, ac saepe perniciem vertere. Nam quod L. Verum pridem per domestica flagitia cognitum, atque ea propter ab Antonino Pio despicatui habitum, non modo cogente nemine, sed

a) Cod. L. V. tit. 17. § 12. b) in vita Avidii Cass. c) Lucian. in Eunucho. Philostratus Vita Soph. L. II. § 2. Dio. L. LXXI. §. 31.

nullo etiam adhuc exemplo sibi in imperio conlegam junxit, quod uxoris Faustinae effrenes libidines magno cum suo, tum imperii dedecore impune tulit, utrumque vero post exactam inter flagitia vitam divorum honore adfecit; quod filium Commodum adhuc puerum non modo ad consulatum, sed etiam imperium, et ipsum Patris Patriae honorem, quem ipse nonnisi sero admisit, jam perspectis ejus opprobriis, et vita impura vocavit, id quidem ejus lenitati, et in suos indulgentiae tribuendum, sed qua sempiternam praeclarae suae vitae maculam inussit, imperio vero per filium successorem gravissima mala accivit. Vt imperavit in amore omnium, ita sinceris quoque ab omnibus lacrimis mortis nuncius est acceptus, nam viguit eo imperante res Romana, ut secundum Platonis oraculum, quo et ipse frequenter usus est, vigere debuit, nimirum florere civitates, si aut philosophi imperarent, aut imperatores philosopharentur. Ejus vitam, et res gestas scripsere Capitolinus [a]), Vulcatius [b]), Dio [c]).

Vxor *Faustina*, de qua, et susceptis ex ea liberis agetur in hujus numis.

Hac mortua concubinam sibi adscivit, ne tot liberis novercam induceret [d]).

* * *

A. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXXIIII. *Caput laureatum in AE. I., etiam radiatum in AE II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AR et AE. II.*

* * *

Vt lit. B.

TR. P. XXXIIII. IMP. X. COS. III. P. P. *typis variis.* AR. AE. II.

DIVVS AVRELIVS.

De ejus post obitum cultu haec Capitolinus: *parum sane fuit, quod illi honores divinos omnis aetas, omnis sexus, omnis conditio, ac dignitas dedit, nisi quod etiam sacrilegus judicatus est, qui ejus imaginem in domo sua non habuit --- Denique hodieque in multis domibus M. Antonini statuae consistunt inter deos penates, nec defuerunt homines, qui somniis eum multa praedixisse futura, et vera concinuerunt. Vnde etiam templum ei constitutum, dati sacerdotes Antoniniani, et sodales, et flamines, et omnia, quae de sacratis decrevit antiquitas.*

DIVVS. M. ANTONINVS. PIVS. *Caput nudum.*

CONSECRATIO. *Aquila vario situ, etiam imperatorem sublime efferens. — Rogus — Imperator in quadrigis elephantorum.* In omni metallo, et forma.

PII nomen, quod vivo Aurelio in moneta datum non est, etsi per adoptionem jus in illud habuit, ei in omnibus, ac copiosis consecrationis numis a Commodo signatis delatum est.

* * *

DIVO. MAR. ANTONINO. *Caput radiatum.*

AVG. PARENTI. SVO. *Eques manu elata.* AE. II. (Panel Catal. le Bret. Theupoli, Pellerin Mel. I. p. 213.)

---

a) in Aurelio, et Vero. b) in Avidio Cassio. c) L. LXXI. d) Capitolin.

Omissum in hoc numo S. C., tum vel sola imago aperte loquuntur, numum hunc extra urbem fuisse signatum, et quidem in colonia quapiam, quae, ut olim Gades Agrippam, Aurelium nostrum *parentem* agnoverit.

* * *

DIVO. MARCO. *Caput radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila stans.* In aliis: *Ara luculenta.* AR. (Mus. Caes.)

DIVO. MARCO. ANTONINO. *Caput radiatum.*
CONSECRATIO. *Aquila expansis alis.* AR. (Baldinus Tom. II. p. 374.)

Vtrosque hos numos vilis argenti multo fuisse serius signatos, docebimus olim in diatriba de numis consecrationum.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum.

Numorum in his signatorum ingens est copia, qui, si quid memoria dignum offerunt, in sua singuli patria descripti sunt. Aliorum sedes natalis incerta, ut aeneorum I. et II. formae, qui hinc *Caput Antonini Pii*, illinc *Aurelii Caesaris* exhibent, suntque obvii. Alii aenei I. formae, in quorum aversa plerumque est *Caput Ammonis* scripto juxta ΔΗΜΑΡΧ. ЄΞΟΥϹ. addito vario trib. potestatis numero, incertae item sunt patriae. Verum ista non magnopere moramur.

Solertius examen merentur numi argentei drachmae pondere inscripti Graece ΥΠЄΡ. ΝΙΚΗϹ. ΡΩΜΑΙΩΝ, aut similiter, quorum patriam alii hactenus se ignorare professi sunt, aut falsam, ut videtur, adfinxere. Eorum antica offert vel caput M. Aurelii, vel Faustinae junioris, vel L. Veri, vel Lucillae. Eos omnes collegi, et explicavi in numis Mesopotamiae urbis incertae Vol. III. pag. 520, nam hujus eos esse regionis opus, vix reor posse dubitari.

Coloniarum numi perfrequentes.

Alexandrini item copiosi, at parciores *Antiocheni*, ut diximus in moneta Antiochiae Syriae.

NOMINA ac TITVLI.

Ante adoptionem, ac primum nato indita fuere nomina *Annii Veri* a nomine avi, ut ait Capitolinus, quanquam hoc etiam teste idem quoque nomen fuit patri [a]). *M. Annium Verum* ante adoptionem etiam nominat Dio [b]). Dictum praeterea *Catilium Severum* a proavo materno adserit Capitolinus, et in nomine Catilii conspirat quoque Dio [c]). Post patris excessum dictus ab Hadriano fuit *Verissimus* teste Capitolino binis locis, et Lampridio [d]), de quo nomine mox.

Post adoptionem omnia ejus nomina fuere: *M. Aelius Aurelius Verus*, etiam *Verissimus*, *Caesar*. Praenomen *Marci*, et nomen *Veri* sibi pridem indita retinuit, *Aelii* et *Aurelii* ab Antonino patre adoptivo hausit. Omnia haec nomina collegit marmor paullo ante Antonini mortem positum, et inscriptum: M. AELIO. AVRELIO. VERO. CAESARE. III. [e])

a) in Aurel. c. 1. b) L. LXIX. § 21. c) l. c. d) in Diadumen. e) Grut. p. 300. 1.

et aliud insigne marmor in Dalmatia repertum, et vulgatum a Muratorio a). *Aelius* etiam dicitur in constitutione, quae est in Codice b). Numi commatis Romani aliud nomen praeter *Aurelii* addito *Caesaris* non offerunt. In numis Graecis liberalius: M. ΑΥΡΗΛΙΟC. ΒΗΡΟC. (vel ΟΥΗΡΟC.) ΚΑΙCΑΡ. vel tantum ΑΥΡΗΛΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. vel tantum ΟΥΗΡΟC. ΚΑΙCΑΡ. Sed sunt, qui numos posteriore hoc modo inscriptos Annio Vero M. Aurelii filio tribuant, jure, nec ne, infra in hoc disputabitur. In numo, quem Pellerinius vulgavit c), cujusque deinde similem edidit Sestinus ex museo Ainslieano, et esse coloniae Parianae adfirmavit d), legitur: VERVS. ET. FAVSTINA. AV.

Verissimus. Hoc nomen Aurelio ab Hadriano datum ex Capitolino diximus, occasionem praebente *Veri* nomine, quo praeditus jam fuit; cumque jam puer candorem summum, animumque apertum praeferret, factum, ut indoli tam praeclarae *Verissimi* nomen aptius convenire visum esset. Explicatius haec Xiphilinus ex Dione loquens de Hadriano, cui Aurelius noster adhuc puer in paucis carus fuit e): ὀτι φυσιν ψυχης ἐῤῥωμενεστατην ἠδη ὑπεφαινεν, ἀφ' ἐκαι ΟΥΗΡΙΣΣΙΜΟΝ ἀυτον, προς την τε Ρωμαϊκε ῥηματος ἐννοιαν κομψευομενος ἀπεκαλει, *quia jam tum solidam animi indolem prae se tulit, quo factum, ut eum VERISSIMVM, ad vocabuli Latini sensum facete adludens, nominaret.* Eodem illum nomine compellat S. Iustinus Martyr synchronus f): Ουηρισσιμῳ ὑιῳ φιλοσοφῳ, *Verissimo filio philosopho*, nempe Antonini Pii filio. Et vero inditum hoc nomen egregie ex numo Tyranorum Sarmatiae comprobatur, in quo juxta Aurelii caput legitur ΒΗΡΙCCΙΜΟC. ΚΑΙCΑΡ. g). Vide de hoc nomine plura apud Spanhemium h), tum et infra in Annio Vero filio.

Aurelius *Augustus* varia in suis, et conlegae nominibus immutavit, sese *Antoninum*, et conlegam *Verum* appellando. Ita diserte Capitolinus perhibens ea, quae mox post Pii mortem accidere i): *Antonini mox ipse nomen recepit, et quasi pater L. Commodi esset, et Verum eum appellavit, addito Antonini nomine.* In eandem sententiam alibi k): *dato imperio - - - Verum vocari praecepit suum in eum transferens nomen, cum antea Commodus vocaretur.* Cum Capitolino conspirat Galenus l): τον μεν ἐμπροσθεν ὀνομαζομενον Λεκιον κοινωνον ἐποιησατο καλεσας Βηρον, ἑαυτον δε μετωνομασεν Αντωνινον, *eum, qui antea Lucius vocabatur, conlegam sibi adscivit nomine Veri, se ipsum mutato nomine vocavit Antoninum*, idque iisdem paene verbis repetit alibi m). Haec utriusque testimonia insigniter confirmantur tam numis commatis Romani, quam marmoribus, in quibus Aurelio Caesari nunquam nomen *Antonini*, Augusto nunquam amplius *Veri* adjicitur. Ex quo confit, falli illos, qui susceptum ab Aurelio statim post adoptionem nomen *Antonini* docuerunt, inter quos nomi-

a) Pag. 239. 4. b) L. III. tit. 31. § 1. c) Suppl. II. p. 52. d) Lettere pag. 97. e) L. LXIX. §. 21. f) Apolog. I. init. g) Vaill. Num. Graec. p. 58. h) Caess. Iuliani Preuves pag. 42. i) in Aurelio. k) in Vero. l) περι των ἰδιων βιβλιων. m) προς τες περι τυπε γραψ.

nasse satis sit Iacobum Biaeum [a]), Pellerinium [b]), auctorem musei Theupoli [c]). Novi equidem, a Vaillantio, et ipso Pellerinio, aliisque proponi numos tam coloniarum, quam urbium Graecarum liberarum, in quibus Aurelio adhuc Caesari *Antonini* appellatio additur, sed forte ex his minus caute excepta est epigraphe, aut forte horum nonnulli Caracallae sunt, aut revera peccatum a rudibus monetariis, qui ex vetere more recepta omnia ab Aurelio adoptantis fuisse nomina sibi persuaserint. Scriptores nonnulli Aurelio jam Augusto vetus adhuc Veri nomen tribuunt. Sic apud Photium legas [d]): ἐπι M. Αντωνινȣ Βηρȣ βασιλεως Ρωμαιων, et apud Theophilum Antiochenum [e]) Αυρηλιȣ Ουηρȣ.

Pater Patriae.

Capitolinus haec de Aurelio: *PATRIS PATRIAE autem nomen delatum fratre absente in ejusdem praesentiam distulit.* Et infra: *posteaquam autem a Syria victor frater rediit, PATRIS PATRIAE nomen ambobus decretum est.* Horum testimoniorum fide Tillemontius hunc titulum ab utroque Augusto anno V. C. 919 susceptum adfirmare non dubitavit. Aliud a Tillemontii doctrina magnopere diversum docent numi. Secundum hos Aurelius hunc titulum adoptavit nonnisi ineunte anno V. C. 930, aut ad summum exeunte 929. Atque horum ego praeconio standum omnino adfirmo. Cur enim, si id nomen revera anno V. C. 919 adscivit, ipsis XI. annis ejus mentione in moneta abstinuit, cum tamen constet, Augustos, ex quo illud suscepere, eo constanter in numis fuisse gloriatos? Deinde si cui luberet obgerere, monetarios non omnes titulos etiam decretos numis inscripsisse, quaero, cur iidem monetarii, qui antea inserere id nomen monetae constanter neglexere, illud inde ab anno V. C. 930 usque ad Aurelii excessum nunquam amplius inserere neglexerint, aut saltem per vices jam inseruerint, jam non, perinde atque illis cum titulo pontificis maximi constitutum fuit? Cur denique, si, ut jactatur, Verus quoque patris patriae nomen suscepit, nunquam illud in toto ejus numorum longo agmine legitur? Ergo testibus numis certum est, hunc titulum a L. Vero nunquam, ab Aurelio nonnisi eo, quo dixi, tempore receptum. Non favet huic sententiae Capitolinus, at neque officit, si modo rite ejus verba aestimentur. Quod primum ait, Aurelium delatum sibi hoc nomen in fratris praesentiam distulisse, aliud non docet, nisi istud sibi tum, cum titulus deferebatur, constitutum fuisse, subinde praesente fratre mutasse sententiam. Deinde ait solum, fratre reverso id nomen ambobus fuisse *decretum*, non vero etiam ab ambobus susceptum. Quam explicandi rationem si quis honesti effugii causa a me adinventam velit existimare, recolat, quaeso, quae variis per praesens opus locis de titulis imperatorum decretis quidem, at multo serius admissis, aut saltem in monumenta publica inferri coeptis disputavi,

a) ad num. aur. Arschot. Tab. 29. n. 1. b) Lettres p. 26. c) in M. Aurelii num. Alexandr. d) Cod. XIV. e) ad Autolyc. L. III.

et speciatim de OPTIMI cognomine in Trajanum collato, et de Hadriani titulo patris patriae.

At litem mihi a marmoribus intentari video, in quibus et L. Verus *patris patriae* elogio decoratur, atque ipse Aurelius multo maturius anno V. C. 930 a me definito. Verum qui causam suam marmoribus agere instituunt, patienter ferant, si et eorum causam marmoribus involvam. Nam si per testimonium Capitolini, ut fertur, Aurelius nonnisi post fratris reditum, atque adeo V. C. 919, et in suo tribunatu XX. se patrem patriae dixit, qua ratione is in lapide Muratorii jam in tribunatu XVI. hoc potest titulo gloriari [a])? aut etiam frater Verus in marmoribus annorum 915. 916 [b])? Accedit, in plerisque marmoribus ad Aurelium pertinentibus, et ante annum V. C. 930 positis, abesse revera, ut oportuit, patris patriae elogium, ut adeo, si qua sunt, quae adversus traditam regulam peccant, culpa omnis sit aut penes eos, qui minus adcurate epigramma exscripsere, aut penes quadratarios, qui titulum hunc, quem primum anno V. C. 914, deinde iterato 919 decretum noverant, etiam ab utroque Augusto susceptum crediderint, cujus generis lapsus in monumentis praecipue iis, quae in provinciis concepta sunt, pridem cogniti.

Ajebam supra, ab Aurelio hunc titulum adoptatum adhuc exeunte anno V. C. 929. Hoc ut conjicerem, impulit numus argenteus, qui sanus, ac integer exstat in museum Caesareum recens inlatus.

M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum.*

DE. GERM. TR. P. XXX. IMP. VIII. COS. III. P. P. *Tropaeum.* AR.

Aurelius in nullo numo, quos hactenus viderim, dicitur pater patriae ante trib. potestatem XXXI. Quare tempus, quo hoc elogium adscivit, pendet a tempore, quo tribunatus numerum iterare est solitus. Cum Aurelius in mea sententia, quam olim copiose comprobabo, tribunatum XXXI. iniverit Kalendis Ian. V. C. 930, necesse est, numum hunc fuisse signatum exeunte anno praecedente 929, quod non improbabile; nam exstant etiam similes numi Commodi Caesaris, qui certe sunt hujus anni; nam si essent anni sequentis 930, non in iis omissus esset titulus COS., quo is illo anno insignitus fuit. Causa feriundae hujus monetae fuit triumphus de Germanis actus die XXIII. Dec. V. C. 929, ut ad hunc annum, et proxime sequentem de numis hujus argumenti disserentes animadvertimus. Et sane verisimile est, inter triumphi ejus applausum patris patriae nomen rursum decretum a senatu, ac demum a reluctante diu Aurelio adscitum.

Obvii sunt numi argentei inscripti in aversa solo COS. III. P. P. variis typis. Hos olim in Catalogo musei Caesarei, quoniam praeter consulatum III. nullum alium characterem chronologicum praeferunt, inserui numis anni V. C. 914. P. X. 161, quo re ipsa consul III. processit Aurelius, temere nimirum secutus oraculum Occonis, scopulum inde ab ortu suo eruditis fatalem. At vero po-

a) Pag. 188. 6. b) Gruter pag. 258. 2. et 1082. 7. bis.

steaquam eos secundis curis atque attentius inspexeram, facile vidi, lineamenta oris aperte in senium vergere, multum abludentia ab iis, quibus labente hoc consulatu Aurelius in moneta proponitur. Quare hi quoque numi ad id tempus pertinent, quo patris patriae titulo demum coepit gloriari, atque verisimiliter, ut ex lineamentis, quae numi offerunt, conjicio, ad annum V. C. 932, aut praecedentem.

ARMENIACVS PARTHICVS MAX. MEDICVS.

De tribus his collatis honorum titulis definite Capitolinus [a]): *Gestae sunt res in Armenia prospere per Statium Priscum Artaxatis captis, delatumque ARMENIACVM nomen utrique principum, quod Marcus per verecundiam primo recusavit, postea tamen recepit.* Plenius idem in Vero [b]): *Parthicum bellum Statius Priscus, et Avidius Cassius, et Martius Verus per quadriennium confecerunt, ita ut Babylonem, et Mediam pervenirent, et Armeniam vindicarent, partumque est ipsi nomen ARMENIACI, PARTHICI, MEDICI, quod etiam Marco Romae agenti delatum est.* Omnes hi tituli comprobantur quoque numis, et quidem hoc ordine:

ARMENIACVS. Hunc titulum suscepit primum in tribunatu XVIII., qui coepit in mea sententia Kalendis Ian. V. C. 917. P. X. 164. At aliquanto maturius eo uti coepit Verus, nimirum in tribunatu III., qui coepit Kalendis Ian. 916. P. X. 163, et verisimile est, exeunte hoc anno utrique a senatu fuisse decretum, et continuo Veri numis insertum, Aurelio primum hunc honorem velut sibi indebitum recusante, at postea acceptante, quod et testari Capitolinum vidimus. Biennio post in societatem adscitus est titulus *Parthici Maximi*, de quo agetur continuo.

PARTHICVS MAXIMVS. Comparet primum in Aurelii tribunatu XX., sed jam adulto; nam multo plures sunt hujus tribunatus numi, qui hoc titulo abstinent. Coepit haec XX. potestas Kalendis Ian. V. C. 919. P. X. 166. Sed hunc quoque titulum L. Verum priorem occupasse, numi persuadent; jam enim legitur in ejus tribunatu V., qui exivit cum anno Iuliano V. C. 918. P. X. 165. Confirmat id quoque Capitolinus, qui narrat [c]), Verum nomina, quae sibi delata fuerant, cum fratre communicasse die triumphi, quem pariter celebrarunt. Haec nomina fuerunt *Parthici*, et *Medici*, (nam *Armeniaci* uterque jam pridem usus est). Actus est hic triumphus anno V. C. 919, quo anno revera Aurelius, neque antea PARTH. MAX. appellari incipit. At vero L. Verum jam anno V. C. 918. dictum fuisse Parthicum Max., in ejus numis probabitur. Hoc *Parthici Max.* titulo conjuncto cum altero *Armeniaci* usus est Aurelius, quoad frater vixit, qui mortuus est in ejus tribunatu XXIII., nam numi Aurelii hoc labente signati partim hos titulos addunt, partim omittunt, cum quo egregie item conspirat historia; nam refert Capitolinus [d]), Aurelium fratri mortuo titulum *Parthici* velut proprium permisisse, se autem *Germanicum* appellasse. Sed

---

a) in Aurelio. b) Cap. 7. c) in Vero. d) in Aurelio c. 12.

istud alterum factum serius, ut videbimus.

MEDICVS. Decretum Aurelio, et Vero hunc titulum, ejusque causam, paullo supra vidimus. Exstat inscriptus in numo singulari, quem supra ad annum V. C. 919 objeci, jungiturque cum titulis *Armeniaci*, et *Parthici Maximi*. Marmora hujus tituli frequentius meminere. In numo insigni Alexandrino L. Veri cum L. Є., quem edidit cl. Zoega, mulier stans clypeum tenet, cui inscriptum: ΑΡμενιακος ΠΑρθικος ΜΗδικος. Galerium quoque Maximinum vocatum *Armeniacum Max. Medicum Max.* testatur Eusebius [a]).

GERMANICVS.

Aurelius abjectis per Veri mortem nominibus *Armeniaci* et *Parthici Maximi*, hisque, ut diximus, fratri soli reservatis, quod factum labente anno V. C. 922, aliquamdiu omni nomine honorifico in moneta abstinuit propriis suis contentus. Postea temporis per claras de Germanis victorias, de quibus actum in annalibus, GERMANICI sibi cognomen emeruit. Collati hujus tituli meminere Capitolinus [b]), et Dio [c]). Hunc numi, neglecto Mediobarbi praeconio, ostentare incipiunt in Aurelii tribunatu XXVI., qui coepit sub initium anni V. C. 925, sic tamen, ut more veterum titulorum non in antica numorum, sed parte aversa legatur hac lege: GERMANICO. AVG. IMP. VI. COS. III., quod observatur etiam in numis anni sequentis 926, atque id nomen GERM. nonnisi in tribunatu XXIX., seu labente anno V. C. 928 in anticam est trajectum, eadem plane ratione, qua in Trajano vidimus decretum huic nomen OPTIMI multo ante occupasse tantum partem aversam, quam in anticam reciperetur. Haec numi, nam marmor nullum hactenus reperi, quod solum *Germanici* nomen offerret. In causa est, quod ea, quae supersunt, serius sunt posita adscito jam Sarmatici titulo, de quo continuo. Etiam Commodo eodem anno V. C. 925, et quidem die XV. Octobris impertitum *Germanici* titulum infra ex Lampridio docebimus, sed quem et hic nonnisi anno V. C. 928 patris exemplo in numorum anticam recepit. Advertesis praeclaram numorum cum historicis concordiam.

SARMATICVS.

Sarmatarum nomine intelliguntur populi trans Danubium, qua Pannoniam superiorem separat, late in septemtriones positi, quibuscum acris Aurelio, ac plurium annorum dimicatio fuit. Eorum meminit quoque Pausanias, cum refert, ab Aurelio bello domitos τουστε Γερμανους μαχιμοτατους και πλειστους των ἐν Ευρωπῃ Βαρβαρων και ἐθνος το ΣΑΥΡΟΜΑΤΩΝ, *Germanos bellicosissimos, et barbarorum plurimos, qui per Europam sunt, et gentem SARMATARVM* [d]). Ex his saepe numero victis bellicum quoque decus Aurelio accessit, datumque *Sarmatici* nomen ei, filioque Commodo testibus

a) Hist. eccl. L. VIII. c. 18. b) in Aurelio c. 12. c) L. LXXI. § 3. d) Arcad. L. VIII c. 43.

numis copiosis, ac marmoribus. Factum istud non multo post, quam *Germanici* nomen in partem anticam recepit. Certe in eadem trib. potestate XXIX. legitur: M. ANTONINVS. AVG. GERM. et: M. ANTONINVS. AVG. GERM. SARM. Coepit haec anno V. C. 928., P. X. 175. Vsus est his titulis per sequens adhuc biennium, deinceps his, omnibusque aliis usque ad excessum in moneta abstinuit. Legitur quidem adhuc in numo aureo musei Caesarei cum tribunatu XXXIII., qui currebat cum anno V. C. 932. Verum etsi is vetustus omnino videatur, cum tamen differat fabrica, et probitate auri, videtur ex adulteratoris veteris officina prodivisse compositis male binis matricibus, atque universim non esse is, qui reliquis agnitae sanitatis reclamantibus resistere unus possit.

PIVS.

In hoc nomen Aurelio per adoptionem Antonini Pii jus quidem fuit, nunquam tamen illud in ejus vivi monumentis legitur, at in ejus consecrati numis occurrit constanter, ut vidimus, forte quoniam jam antea uxorem quoque mortuam PIAM appellari voluit, ut infra in numis Divae Faustinae docebimus. Etiam Severus se vocat DIVI. M. PII. *Filium.* Vide hujus numos ad annum V. C. 948. Parum igitur prospere adseruit Pagius [a]): M. Aurelium passim Pium fuisse nuncupatum, atque istud multis viris eruditissimis non fuisse observatum. Vnicum mihi usque modo exemplum occurrit ex marmore Africano [b]): PRO. SALVTE. IMP. M. ANTONINI. AVG. PII. LIBERORVMQVE. EIVS. Hic M. Antoninus alius esse non potest ab Aurelio nostro; nam qui eadem nomina tulerunt, Caracalla et Elagabalus, liberis caruere. Fuere nomina quaedam honorifica, quae apud Romanos nonnisi post excessum tribui sunt solita, aut, ut planius loquar, fuere decreta. Drusus senior post mortem *Germanicus* dici coepit. Caracallam soli consecrationis numi *Magnum* appellant, vivum nunquam.

IMPERATOR.

Capti hujus ex victoriis tituli sequens lex e monumentis, ac numis praecipue, statuitur.

IMP. II. Legitur istud primum in ejus tribunatu XVII., qui currebat cum anno V. C. 916, et accessit hic honos per subactam a L. Vero Armeniam. Meminit hujus tituli Capitolinus quoque, scilicet L. Verum bello cum Parthis per legatos gesto dictum fuisse imperatorem [c]).

IMP. III. Aurelius in numis tribunatus XIX., qui currit cum anno V. C. 918, dicitur IMP. II. et III. Ergo fluente hoc anno iteravit hunc honorem. Causa iterum petenda ex lauris Parthicis.

IMP. IV. Parte priore trib. potestatis XX., quae fuit anni V. C. 919, dictus est adhuc IMP. III., at deinceps, cum primum titulos *Parthici Maximi*, et *Me-*

a) Crit. Baron. ad ann. Chr. 162. § 3. b) Mus. Veron. p. 458. 7. c) in Aurel. c. 8.

dici adscivit, dici se etiam una *imperatorem IV.* passus est, nimirum bello Parthico tanta Romani nominis gloria feliciter confecto.

IMP. V. Hunc titulum peperit tribunatus XXII. anni V. C. 921, nam in ejus parte priore dicitur adhuc IMP. IIII. Hoc sibi decus in bello adversum Germanos quaesivit.

IMP. VI. Verisimiliter captus hic titulus in tribunatu XXIV., seu V. C 923 ex victoria Marcomanica. Certe in numis anni sequentis jam occurrit.

IMP. VII. Coepit in tribunatu XXVIII. seu anno V. C. 927, nam ejus parte priore dicitur IMP. VI., mox IMP. VII. Numerus ipse, et causa tituli insigniter probatur ex Dione, ut ad hunc annum animadverti.

IMP. VIII. Parte priore tribunatus XXIX., seu V. C. 928 Aurelius se dixit IMP. VII., subinde in eodem, cum primum *Sarmàtici* nomen suscepit, aut certe paullo post, *imperatorem VIII.* se dixit. Ajebam, paullo post. Nam in denario musei Caesarei, inscripto SECVRITAS. PVBLICA, videtur IMP. VII. adhuc conjungi cum titulo SARM. Numi istud invicte demonstrant. Quare fallitur Tillemontius, qui in numis hujus tribunatus legendum semper IMP. VII., at nunquam VIII. suspicatur [a]). Ad hanc ejus tituli iterationem VIII. pertinet insigne epigramma a Grutero publici juris factum [b]):

M. AVR. ANTONINO. AVG. GERM. SARM. PONT.. MAX.
TRIB. POT. XX. (lege XXX.) IMP. VIII. COS. III. P. P. QVOD.
OMNES. OMNIVM. ANTE. SE. MAXIMOR. IMPP.
GLORIAS. SVPERGRESSVS. BELICOSISS. GENTIB.
DELETIS. ATQVE. SVBACTIS. S. P. Q. R.

IMP. IX. Hic honos Aurelio certe obtigit in tribunatu XXXI., seu anno V. C. 930, quoniam ejus parte priore se adhuc in numis dixit IMP. VIII., postea IX. Perperam, et contra numorum certam fidem Tillemontius iteratum hunc honorem in annum sequentem, P. X. 178 differt. Ampliati ejus tituli causa in incerto est.

IMP. X. In tribunatu XXXIII., qui respondet anno V. C. 932, legitur IMP. IX. et X., et accessit haec laurus ex bello Sarmatico tum renovato. Conspirat in numero denario Dio quoque [c]).

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei . . . . C.

---

a) in Aurel. nota 17. et 20. b) Pag. 260. 4. c) L. LXXI. § 33.

Numos Aurelii aureos primum abundare, eorum deinde numerum sensim minui, et extremis ejus annis fere deficere experimur. Vide, quae de hac peristasi observabimus in numis Faustinae junioris, et sub finem numorum Commodi.

Argentei	C.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
Commatis peregrini:	
Argentei urbium Graecarum	RR.
Aenei variae formae	C.
Coloniarum	C.
Alexandrini	C.

FAVSTINA IVNIOR.

Annia Faustina nata patre Antonino Pio Aug., matre Galeria Faustina Aug. anno incerto. Volente Hadriano destinata fuit L. Vero, sed eam Antoninus post Hadriani mortem propter Veri aetatem immaturam M. Aurelio uxorem dedit perfecto aliquot inde annis matrimonio. Augustae titulo fuisse decoratam, et quidem marito adhuc Caesare, infra ex numis comprobabimus. Maritum in Syriam consectata in itinere apud Halale vicum Tauro adsitum morbo exstincta est V. C. 928. Femina fuit, si qua unquam, ultimae infamiae, ac libidinis, indigna patre, et marito, quos omnis aetas ipsam Virtutem dixit. Vsam promiscue gladiatoribus, nautis, et si qui sunt his viliores, historia prodit, et fuit ea aetate rumor constans, ipsum Commodum ex gladiatore conceptum. Credebatur etiam L. Vero causa mortis subitae exstitisse, et particeps quoque consiliorum Avidii Cassii adversus maritum conspirantis. Vulgata haec uxoris dedecora tam parum movere maritum, ut etiam iis, qui auctores fuere, ut saltem repudiaret, si occidere eam nollet, responderet: *si uxorem dimittimus, reddamus et dotem*, imperium scilicet. Ferri quodammodo poterat ea indulgentia utcunque atrox et inconsulta, nisi eam mortuam flevisset etiam, et omni infamia contaminatam concilio deorum intulisset, ut paullo post videbimus. Vide Capitolinum, Dionem, Victorem.

Liberi ex M. Aurelio.

Praeter *Vibiam Aureliam Sabinam*, et *Fadillam*, quas memorant marmora Gruteri [a]) et Muratorii [b]), item *Domitiam Faustinam*, aliosque ignoti nominis, quos ex auctoribus veteribus congessere Tillemontius [c]), et Pagius [d]), memorandi sunt:

Lucilla, nupta L. Vero, de qua infra in numis propriis.

---

a) Pag. 252. 8. b) Pag. 242. 3. et 590. 4. c) in Aurelio pag. m. 694. d) Crit. Baron. ad ann. Chr. 180.

Commodus, et *Antoninus* gemelli, ille futurus Augustus, hic post quadriennium exstinctus.

Annius Verus. Vide ejus numos.

Filias tres adhuc caeso Commodo fuisse superstites, tradit Lampridius a), et generatim dixit Herodianus, Marco plures filias natas fuisse b).

Numi:

A. FAVSTINA. AVGVSTA. *in omni metallo, et forma.*
B. FAVSTINA. AVG. PII. AVG. FIL. *ut supra.*
C. FAVSTINA. AVG. ANTONINI. AVG. PII. FIL. *ut supra.*
D. FAVSTINAE. AVG. PII. AVG. FIL. *ut supra.*
E. FAVSTINA. AVG. PII. AVG. FILIA. *in AE. I., sed fabricae rudioris, quam pro ea aetate, ut adeo legem praescribere non possit.* (Mus. Caes.)
F. FAVSTINA. AVGVSTA. AVG. PII. F. *in AV et AR.*

* * *

Vt lit. D.

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XII. *Caput laureatum.* AE. II. (Baldini ad Vaill. Num. praest. T. I. p. 76.)

Ex hoc numo probatur, Faustinam Augustae titulum marito adhuc Caesare iam tulisse, quamquam ejus facti testimonium antiquius offerat insigne marmor Gruterianum c): FAVSTINAE. AVG. IMP. CAES. T. AELI. HADRIANI. ANTONINI. AVG. PII. P. P. TR. POT. X. IMP. COS. IIII. FILIAE. M. AVRELI. CAESARIS. VXORI. Idem docet numus Graecus urbis incertae, in cujus una superficie: ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *Caput Faustinae junioris,* in altera: ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Caput Aurelii nudum.* (Mus. reg. Christinae tab. LX.) Adde similem alium Neapolis Samariae. Cum igitur Faustina jam in Antonini tribunatu X. dicatur Augusta, qui fluxit cum anno V. C. 900, quo ipso anno Aurelius trib. potestatem adeptus est, verisimile est, uno tempore Aurelio decretam fuisse hanc potestatem, et Faustinae titulum Augustae.

* * *

Epigraphe varia.

CONCORDIA. *Columba.* AV. (Mus. Caes.) In aliis: *Mulier stans d. pallium adducit, s. cornucopiae.* AV. AR. AE. I. In aliis: *Mulier sedens d. florem.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Novus Concordiae typus *columba*, sed vere captus ex indole ejus alitis, hujusque imagine jam olim a Venusino vate petita, cum ita de se, et Fusco Aristio scribit d):

Fraternis animis, quidquid negat alter, et alter,
Annuimus pariter, vetuli, notique columbi.

Concordiae Faustinam inter, et maritum, sed quae in ea morum discrepan-

---

a) in Commodo. b) L. I. c. 2. c) Pag. 260. 6. d) Epist. L. I. 10. 4.

tia hujus unice philosophiae, et nativae indulgentiae debebatur, non uno loco meminere historici veteres.

* * *

Vt lit. A.

FECVND. AVGVSTAE. *Mulier stans utraque manu singulos infantes gestat, alio hinc, alio illinc adstante.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Fecunditatem suam Faustina prolium numero abunde probavit, utinam et perinde fidem in maritum. Ambitur in hoc numo liberis quatuor, at in numis inscriptis TEMPOR. FELIC. sex praesto sunt, aucto nimirum eorum numero. Et fuisse senario plures, colligitur ex iis, quae supra in ejus vita memoravi. In numis IVNONI. LVCINAE. infantes tres vagiunt. Fecunditatem nunc primum in numis jactari videmus, etsi similem in Faustina seniore produxerit Mediobarbus, an genuinum, ignoro. Ei templum statuit Nero, nata sibi filia ex Poppaea [a]). Numen istud saepe deinceps in numis Augustarum celebrari, mirum non est, at exstare etiam in moneta Gallieni, insolens plane est.

* * *

Vt lit. A.

FORTVNAE. MVLIEBRI. *Mulier sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AV. (Vaill.) AR. (Mus. Caes.)

Refert Valerius Maximus [b]): *FORTVNAE MVLIEBRIS simulacrum, quod est via Latina ad IV. milliarium, eo tempore cum aede sua consecratum, quo Coriolanum ab excidio urbis maternae preces repulerunt.* Ejus meminere etiam Livius [c]), Plutarchus [d]), aliique, quos laudant, commentatores D. Augustini de Civit. Dei [e]). At quam inique haec dea cum Faustina jungatur, docet Festus [f]): *item via Latina ad milliarium IV. Fortunae muliebris, nefas est attingi, nisi ab ea, quae semel nupsit.* Cultam quoque Romae *Fortunam virilem*, et quidem inde a Servio Tullio, docebunt Dionysius Halic. [g]), et Ovidius [h]), atque hanc a feminis prae Muliebri fuisse observatam, ob causam, quam eodem loco adducit Ovidius.

* * *

Vt lit. A.

LAETITIA. *Mulier stans d. coronam, s. scipionem.* AR. (Mus. Caes.)

Alium Laetitiae typum vidimus in moneta Antonini ad annum V. C. 902. Qui numo praesente proponitur, deinceps plerumque sibi Laetitia proprium facit. Corona certissimum laetitiae signum seu publicae, seu privatae. Ea enim aspirante tota saepe civitas coronata incessit. Nulla sine coronis grata convivia, comissationes, vina. Vetustissimus hic mos, et jam ex sacris literis cognitus, hortante in his homine molli, et voluptatibus penitus immerso [i]): *Venite ergo, et fruamur bonis, quae sunt - - coronemus nos rosis - - ubique relinquamus signa laetitiae.* Recentiora coronarum in laetitiis exempla collegit Oiselius [k]). Typi si qui alii Laetitiam comitantur, plerumque facilem habent explicatum.

---

a) Tacit. XV. 23. b) L. I. c. VIII. § 4. c) L. II. c. 40. d) de Fort. Rom. T. II. p. 318. e) L. IV. c. 19. f) in Pudicitiae signum. g) L. IV. h) Fast. L. IV. 145. i) Sapientia c. 2. v. 6. k) Thes. sel. num. pag. 336.

* * *

Vt lit. C.

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXX. *Caput M. Aurelii nudum.* AE. max. mod.

Sic numus hic exhibetur inter numos max. mod. regis Gall. tab. XI. n. 1, sed qui in binis offendit, primum quod juxta Aurelii nomina omittuntur tituli GERM. SARM., quibus in tribunatu XXX. constanter est usus, deinde quod Faustinam adhuc vivam proponat, quae jam anno praecedente diem obiit. Quare aut demendum aliquid ex tribunatus numero, et legendum forte TR. P. XXIX, aut numus spuriis accensendus.

* * *

Vt lit. A.

MATRI. CASTRORVM. S. C. *Mulier stans d. pateram, s. acerram ad aram sacrificat, juxta tria signa militaria.* AE. I. (Mus. Caes.)

Prima Faustina hoc titulo usa est. Eum illi honorem delatum fuisse, diserte tradit Dio [a]), nimirum relata prodigiosa illa de Quadis victoria, de qua ad annum V. C. 927 egi, Aurelium dictum fuisse imperatorem VII. et Faustinam *matrem castrorum* (μητερα των στρατοπεδων). Nomen istud confirmat Capitolinus quoque; nam eam, inquit [b]), *secum in aestivis habuerat, ut MATREM CASTRORVM appellaret.* Eodem serius nomine gloriata quoque est Iulia Domna Severi, et posthac plures aliae in numis Alexandrinis, quos vide.

* * *

Antica varia.

PVDICITIA. *typis variis in omni metallo, et forma.*

An Faustinae pudicitia in his numis jactatur per suetam adulationem? an eo more, quo principibus proponimus, ut esse velint, quod esse deberent? Etiam Hadriani pudicitiam crepant numi, nullo pacto istud laudis promeriti.

* * *

Vt lit. A.

SAECVLI. FELICIT. *Duo puelli in lectisternio, imminentibus capiti astris.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Sunt hi *Commodus*, et *Antoninus* Dioscurorum cultu propositi, quos uno partu Faustina edidit, et de quibus agetur in vita Commodi. *Saeculo* propterea aliquid *felicitatis* partum, sequens aevum non probavit.

Vt lit. C.

S. C. *Templum Vestae, intus idolum, prae foribus hinc virgines tres, illinc totidem aliae ad aram luculentam sacra faciunt, adstante praeterea parva figura femella.* AE. max. mod.

Vulgavit numum hunc ex museo Farnesiano Pedrusius, cujus ego judicio laetus lubens non acquiesco. Eum reticent catalogi alii illustriores a viris insignis meriti vulgati. At novi etiam, numum tam inscriptione, quam typo simillimum exstare inter eos, quos impostor Patavinus fabricatus est, et quos aeri incisos dedit Molinetus [c]), quae sane causa numorum similium fidem suspectam facit. Augetur suspicio, quod eorum exstat numerus incredibilis. In uno museo Caesareo reperi exemplaria fere XX., quorum complura sunt operis admirabilis, inter quae eminet unum ex duobus metallis, quorum interius insuper utrinque tenuissima lamella aurea tegitur.

---

a) L. LXXI. § 10. b) in Aurel. c. 26. c) Cabin. de Genev. Médailles Padouanes n. XXX.

sic tamen, ut faciem Faustinae, et in aversa tectum templi et aram vestiat lamella argentea arte tam mirabili, ut nihil perfectius in hoc genere videri possit. Fuit olim in museo Collegii acad. S. I., et inde in gazam Caesaream translatum. Ceterum nolim adserere, non exstare Faustinae numum genuinum cum hoc typo, nam habemus similem dempto S. C. et adstante parva figura, in numis coaevis Lucillae maximae item formae, quos dabimus loco suo. Monere tamen tirones hoc loco volui, ut propter causas memoratas in adprobandis iis cautionem adhibeant.

* * *

Vt lit. B.

S. P. Q. R. *Carpentum a duabus mulis tractum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Involasse Faustinam in carpenti honorem exemplo Messalinae, et Agrippinae uxorum Claudii, ex hoc numo discimus.

* * *

Vt lit. A.

VENERI. VICTRICI. S. C. *Venus seminuda stans adstanti Marti adblanditur.* AE. II. *Idem typus, sed sine epigraphe.* AE. max. mod. (Mus. Farnes. et Caesar.)

Furtivus Martis, Venerisque amor, quem Ovidius *toto notissimam fabulam coelo* appellat [a]), saepe in veterum artefactis, et multa cum varietate occurrit. Eodem modo, ut in numo praesente, proponitur saepe in signis marmoreis, et annulis. Fuere, qui his exhiberi turpem Faustinae cum gladiatore consuetudinem censerent, inducti credo, quod hunc ipsum typum in hujus Augustae moneta viderent. Non lubet ineptam hanc, et jam nunc nemini creditam opinionem refellere.

DIVA FAVSTINA.

Auctore Dione [b]) Faustinae mortem vehementer luxit Aurelius. Apertius, quae ad consecrationem pertinent, Capitolinus [c]): *petiit a senatu, ut honores Faustinae, aedemque decerneret, laudata eadem, cum tamen impudicitiae fama graviter laborasset, quae Antoninus vel nescivit, vel dissimulavit. Novas puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuae. Divam etiam Faustinam a senatu appellatam gratulatus est. --- Fecit et coloniam vicum, in quo obiit Faustina* (Faustinopolis nonnullis creditur, quam produnt itineraria dictum vulgo Antonini, Hierosolymitanum, et Hierocles, et Tyanis Cappadociae admovent.) *et aedem illi exstruxit, sed haec postea aedes Heliogabalo dedicata est.* De hac aede vide plura in Caracalla Spartiani sub finem. Alios honores recitat Dio [d]), nempe decretas a senatu statuas argenteas in templo Veneris et Romae, aram, ad quam virgines omnes, quae nuberent in urbe, una cum sponsis sacrificarent etc. Adde, quod ex ejus numorum copia facile probatur, percussam per reliquos etiam Aurelii annos divae Faustinae nomine monetam. Tam immoderati honores in mulierem immerentem congesti facile poterant dicaci Sileno movere et stomachum, et risum [e]). Elegantem ima-

a) Metam. IV. 189. b) L. LXXI. § 30. c) in Aurel. c. 26. d) l. c. §. 31.
e) Iulian. in Caess.

ginem Faustinae consecratae, et a Victoria sursum elatae ex marmore exceptam proponit Bellorius, et ex eo Montfauconius [a]).

A. DIVA. FAVSTINA. PIA. *Caput cultu solito, aut velatum, in AR. AE. I. II.*
B. DIVA. AVG. FAVSTINA. *Caput velatum, in AR.*
C. DIVAE. FAVSTIN. AVG. MATR. CASTROR. *Caput velatum, in AR. AE. I.*
D. DIVAE. FAVSTINAE. PIAE. *Caput velatum, in AR. AE. I.*

* * *

Vt lit. A.

AETERNITAS. *variis typis, ut: Faustina sedens in carpento duōrum elephantorum, d. hastam. — Eadem sedens vario cultu etc.* AR. AE. I.

* * *

Vt lit. A.

AETERNITAS. S. C. *Faustina sedens d. sceptrum inter duas mulieres gradientes, et velum per caput sinuantes.* AE. I. (Mus. Caes.)

Occurrit, exhiberi in hac aversa simulacrum Faustinae senatu jubente positum, et virgines sponsas ad eam accedentes, ut juxta illud ex praescripto senatus sacrificarent, ut paullo supra ex Dione docui.

* * *

Antica incerta.

AETERNITAS. AVGVSTA. *Faustina velata Dianae ritu cervo insidet, s. taedam.* AE. max. mod. (Reg. Gall.)

* * *

Antica varia.

CONSECRATIO. *Typis admodum variis, rogi, arae, pavonis, lectisternii Iunonis, Faustinae ab aquila sursum elatae, lunae inter septem planetas.* AR. AE. I.

* * *

Vt lit. D.

MATRI. CASTRORVM. *Mulier sedens d. phoenicem s. hastam, juxta duo, in aliis tria signa militaria defixa.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

De titulo *Matris Castrorum* actum in numis Faustinae vivae.

* * *

Vt lit. A.

SIDERIBVS. RECEPTA. *Mulier stans adstituta capiti luna utraque manu facem gestat.* In aliis: *Faustina velum per caput sinuans in citis equorum bigis.* AE. I. (Mus. Caes.)

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum.

Magnum numorum in his signatorum est agmen. In horum non paucis varie inscribitur; nam saepe praeponitur ANNIA, quod nomen in Romanis nunquam additur. Nonnunquam tantum scribitur; ΦΑΥCΤΙΝΑ. ΝΕΑ., ut in numis Aezanis, et Temni. (Pellerin. Mel. II.) Dicitur adeo *nova*, seu *junior*, ut discerneretur a matre cognomine. Signati haud dubie sunt hi numi, antequam *Augustae* titulo fuisset ornata. In aliis ΦΑΥCΤΕΙΝΑ. ΝΕΑ. CΕΒΑCΤΗ., ut in numo Pergami,

a) Supplem. T. V. tab. 60.

(Vaill.) Philippopolis Thraciae, (Mus. Caes.) et Anchiali Thraciae. (Neumann Num. pop. p. 118.) In binis integerrimis, et elegantibus, quos olim vulgavi, (Num. vet. p. 183.) et signatis Nicaeae Bithyniae: AN. NЄA. ФAΥCΤЄINA. CЄB. Priores duas voces non esse connectendas, sic ut legendum sit ANNЄA, et hoc per monetarii lapsum pro ANNIA, eo evincitur, quod unum N ab altero justo intervallo separatur, neque ullo pacto verisimile, monetarios in binis numis diversi typi eodem modo bis peccasse, nimirum relinquendo inter AN et NЄA majus intervallum, quam reliqua inscriptionis lex postulabat, deinde scribendo NЄA. pro NIA. Vocabulum NЄA necessario postponendum non est, nam et in numis Zenodori legimus NE*ος* KAI*σαρ* ut taceam numos inscriptos: NEOI. ΘEOI. NEA. HPA. NEOI. HΛIOI. Eadem in numo Byzantii apud Pellerinium (Mel. II.) et in Alexandrinis passim dicitur: CЄB. ЄΥCЄB. ΘΥΓ. vel ΘΥΓA., nempe ut in Romanis: AVG. PII. FIL. Magistratus munere fungitur in numis Byzantii: ЄΠI. ΘЄAC. ФAΥCTINHC. Vide numos hujus urbis.

De argenteis III. formae inscriptis: ΥΠЄP. NIKHC. PΩMAIΩN, vide, quae diximus ad numos incertae urbis Mesopotamiae Vol. III. p. 520, qua in regione eos fuisse cusos verisimile existimo.

Coloniarum numi perrari. Vnicum reperit Vaillantius, pauci a posteris additi.

Alexandrini satis frequentes.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei . . . . C.

Observo, non mihi hactenus occurrisse numum Faustinae consecratae, qui aureus esset, de quo vide, quae monebimus sub finem numorum Commodi de hujus numis aureis, etjam monuimus supra in M. Aurelio, quo loco de pretio numorum aureorum hujus Augusti egimus. (Pag. 76.)

Argentei . . . . C.
Aenei max. formae . . . . RRR.
Aenei I. et II. formae . . . . C.
Aenei III. formae . . . . O.

Commatis peregrini:

Argentei . . . . RRR.
Reliqua vide paullo supra.

ANNIVS VERVS.

Annius Verus natus patre M. Aurelio Aug. et Faustina Aug. anno V. C. 916 biennio post Commodum, et Antoninum geminos in lucem editos, qui annus ex

tempore mortis conficitur. Petente L. Vero ex Oriente reduce, ut filii Marci *Caesares* dicerentur [a]), ad id fastigium evectus est cum fratre Commodo die XII. Octobris V. C. 919 [b]). At non diu tantae fortunae superfuit. Etenim V. C. 923 eo ipso tempore, quo profectionem in Marcomanos pater parabat, exsecto sub aure tubere Praeneste septennis est mortuus. Decrevit moestus pater statuas mortuo, et imaginem auream Circensibus ferendam, et ut saliari carmini nomen ejus insereretur [c]).

Hunc Annium Verum Lampridius vocat *Severum* [d]). Sed Casaubonus pro *Severum* legendum censet *Sex. Verum.*

Numi:

Commatis Romani.

ANNIVS. VERVS. CAES. ANTONINI. AVG. FIL. *Caput Annii Veri nudum.*

COMMODVS. CAES. ANTONINI. AVG. FIL. *Caput Commodi nudum.* AE. fere I.

Numi praeco est Vaillantius, et jam ante hunc Petrus Bellorius, qui similem ex museo cardinalis Maximi Romae vulgavit addita dissertatione. Idem etiam, sed maximi moduli, exstat in museo Caesareo ex Romano Carthusianorum thesauro in illud illatus, at mihi magnopere suspectus, quod pace virorum illustrium, qui eum calculo suo probum adseruere, dixero. Ajunt et similes in medio aere existere [e]).

* * *

VERVS. CAESAR. COMMODVS. CAESAR. *Vtriusque caput nudum se respiciens.*

TEMPORVM. FELICITAS. *Quatuor puelli anni tempora designantes.* AE. max. mod. (Vaill. Mus. Florent. tab. XXVI. Mus. Theup.)

Elegans hic typus nunc primum in moneta comparet, quem in numis suis resuscitabunt Commodus, Caracalla, Diocletianus, aliique. Exhibet is quatuor Horas, seu totidem vices, quae annuo intervallo sibi succedunt, ver, aestatem, autumnum, hyemem. Singulae sua jactant munera, quae ipsae educant; reliquis nudis una hyems pannis involvitur adversus suam ipsius inclementiam quaerens praesidium, velut in turri octogona Andronici, quae est Athenis, fingitur Boreas pallium vultui obducens. Has ipsas intelligit Q. Calaber, cum narrat, Iunoni adsidere quatuor famulas:

Τας ποτ' ἀρ' Ηελιῳ Χαροπη δμηθεισα Σεληνη
Γεινατ' ἀν' ἐρανον ἐυρυν ἀτειρεας, ὐδεν ὁμοιας
Αλληλαις, μορφη δε διεκριθεν ἀλλη ἐπ' ἀλλης.
Ηδ' ἑτερη χειμωνι και ἀιγοκέρηι μεμηλε.

Quas quondam Soli formosa subacta Luna
Peperit per coelum latum infatigabiles, nulla in re similes
Sibi mutuo: forma vero distinguitur alia ab alia,
Altera hyemi, et capricorno curae est.

a) Capitolin. in Aurel. cap. 12. b) Lamprid. in Commod. cap. 1. et cap. 11. c) Capitolin. cap. 21. d) in Commodo cap. 1. e) Beauvais hist. des Emp. T. I. p. 245.

Inter hunc, et sequentem versum certa est lacuna, quae, quod ad alias Horas pertinet, absorpsit. Easdem tanquam Çereris comites inducit Callimachus de hac frugum dea sic canens [a]):

ὡς ἁμιν μεγαλα θεος ευρυανασσα
Λευκον ἐαρ, λευκον δε θερος, και χειμα φεροισα
Ηξει, και φθινοπωρον, ἐτος δ' εις ἀλλο φυλαξει.

Sic nobis magna dea late imperans
Candidum ver, candidam aestatem, et hyemem ferens
Veniet, et autumnum, et ejus proventum in alium annum servabit.

Eleganter Graeci quatuor has anni vices, si laetae fuere, uno vocabulo ἐυετηριας expressere, et felicitatis publicae esse symbolum voluerunt. Quapropter et dixit Libanius, felicitatem agri Antiochensis depraedicans [b]): ὑπερ δε τοιαυτης της ἡμετερας γης ἁι Ωραι χορευουσιν ἐμμελως, *in tali hoc nostro solo anni tempestates venustas ducunt choreas.*

* * *

Commatis peregrini.

Numi Annii Veri etiam hujus classis perrari. Vnum urbis incertae edidit Vaillantius: (Numi Graec. p. 62.)

M. AΥΡΗΛΙΟΥ. ANTΩΝЄΙΝΟΥ. ΥΙΟΙ. *Capita adversa Commodi, et Annii fratrum.*

AΥ. KAIC. AΥΡΗΛ. ANTΩΝЄΙΝΟC. *Caput Aurelii nudum.* AE. II.

Vtriusque etiam caput sistitur in numis inscriptis KABIPΩN. CΥΡΙΩΝ., in quorum altera parte sunt capita M. Aurelii, et L. Veri laureata barbata, quos olim produximus in moneta Tripolis Phoenices. Sed adverte etiam ad ea, quae de his numis mox observabimus.

* * *

Habuit tamen Annius Verus suos patronos, quorum benevolentia opes suas monetarias auxisse creditus est. Lubet eas hic describere additis observationibus, quibus Caesarum hujus aevi numi non parum, ut spero, juvabuntur.

OΥΗΡΟC. KAICAP. *Caput nudum barbatulum.*
AMACTPIANΩN. *Tripus cum serpente.* AE. fere II. (Froelich Appendic. II.)

BHPOC. *Caput juvenile nudum.*
IONΩN. *Caput muliebre.* AE. (Haym. T. II. pag. 288.) sed corrigenda prava aversae inscriptio in POΔIΩN, ut docet similis editus in museo Christinae tab. LIX. n. 16.

Froelichius in numum ex propositis primum commentatus probare contendit, *Verum Caesarem* in eo memoratum esse non posse aut L. Aelium ab Hadriano adoptatum, aut L. Verum Augustum, aut M. Aurelium, qui omnes quodam tempore *Veri* nomen tulere. Tribuendum ergo quarto hujus nominis, nempe Annio Vero, in quo sumus, adserit. Quod ad priores duos attinet, facile omnes cum viro erudito consentient. At non aeque patienter feremus, M. Aurelium quoque ab jure, quod sibi in praesentem numum est, excludi. Froelichii argumentum est, M. Aurelium, cum simul Caesar declaratus, et in Aureliam, Antoninorum familiam adsumptus est,

a) in Cerer. v. 122. b) in Antiochico.

M. Aelium Aurelium Verum fuisse dictum, et *nunquam ex eo tempore sine* Aurelii *nomine in numis comparere.* Postremae huic parti distinctione opus est. Certum sane, Aurelium semper dici, et hoc nomen nunquam abesse in numis commatis Romani, at num etiam in numis commatis peregrini? Satis constat, urbes Graecas citra leges Romae monetarias aut addidisse nomina, aut ex pluribus, quae libuit, selegisse. Paullo supra vidimus, Faustinam juniorem in moneta Graeca dici *Anniam*, quod nomen moneta urbis nunquam recepit; eam quoque dici NEAN, *juniorem*, etiam istud nullo exemplo. Sic et a Graecis Crispina dicitur BPOTTIA, et Salonina XPTCOΓONH, tacentibus haec nomina Romanis. Praenomen *Marci* in numis Aurelii adhuc Caesaris officinae Romanae legere non est, istud tamen non raro reperitur in numis exteris. Contra in numis Romanis, e. c. Trajani, et Antonini Pii nunquam occurrit scriptum tantum: TRAIANVS. CAESAR, vel: IMP. ANTONINVS, tamen in pluribus Graecis legitur tantum: TPAIANOC. KAICAP, et ATτοκϱατωϱ ANTΩNINOC. Ergo ex pluribus nominibus, quae singuli propria habuere, inscripsere numis, quae scribere placuit, atque ut in aliis M. Aurelii adhuc Caesaris numis scripsere plenius: M. ATPHΛIOC. OTHPOC. KAICAP., ita in aliis parcius: ATPHΛIOC. OTHPOC. KAICAP, aut tantum: ATPHΛIOC. KAICAP, quae omnia habes apud Pellerinium a) atque adeo in aliis quoque tantum OTHPOC. KAICAP., ut in praesente Amastrianorum numo. Atque hoc loco satis mirari non possum, a Froelichio caput istud, quod in numo luculenta per genas, et mentum barbula vestitur, ab ipso etiam, ut ex iconismo apparet, agnita, Annio Vero tribui, qui mortuus est, cum annum nonnisi septimum vitae ageret. Verum ex alio numo sententia Froelichii plane evertitur, quem hic ex Pellerinio sisto b).

OTHPOC. KAICAP. *Caput juvenile nudum.*

CTPI. KABIPΩ. *Caput laureatum Antonini Pii, et Faustinae junioris.* AE. II.

Si Froelichium audimus, hic numus M. Aurelii esse nequit, quoniam abest nomem *Aurelii*. At multo minus L. Aelii esse potest, qui Antonino adhuc privato, cujus tamen caput altera numi pars exhibet, mortuus est, aut L. Veri, qui vivo Antonino neque *Veri*, neque *Caesaris* nomen adhuc habuit, aut Annii Veri, qui vivo Antonino ne natus quidem fuit. Ergo is numus aut nullius, aut unius M. Aurelii erit, probaturque vel uno hoc numo, quod probare hactenus institueram, *Aurelii* nomen non semper hujus numis fuisse adjectum. At enim alium numum dare lubet, quem ad idem comprobandum advoco:

OTHPOC. KAICAP. *Caput juvenile nudum.*

CTPI. KABIPΩN. *Duo capita juvenilia se respicientia.* AR. II. (Haym. T. II. p. 289. Pellerin. Mel I. p. 79.)

Notandum, caput anticae in ectypo Haymiano secundum mentum luculentam barbulam offerre: quo cavetur, ne puello Annio Vero tribui numus possit.

---

a) Mel. II. p. 86. 87. b) Mel. I. p. 77.

Iure Pellerinius Haymium castigat, quod is numum hunc L. Vero largitus est; hic, antequam a M. Aurelio in collegium imperii vocaretur, *Caesaris*, et *Veri* nomina non habuit, et tum simul Caesar, simul Augustus, simul Verus dictus est, ut ad ejus numos advertemus. Ergo secundum prius dicta hujus item anticae caput est M. Aurelii. At quorum sint bina aversae capita, minus expedita ratio. Commodi, et Annii Veri esse non possunt, ut Pellerinius ex intellecto male Haymio opinari videtur; nam hi necdum nati fuere Aurelio adhuc Caesare. Si sinisterius caput est muliebre, quod discrimen in id genus numis saepe est dubium, haud dubie erit Lucillae Aurelii filiae, et oppositum caput Cejonii Commodi, qui subinde L. Verus dictus est, et cum hac Lucilla matrimonio junctus.

Aliter sentiendum de numo, quem his verbis proponit auctor musei Theupoli, (pag. 913.)

> ΟΥΗΡΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Caput Annii Veri nudum.*

ϹΤΡΙΩΝ. ΚΑΒΙΡ. *Capita adversa M. Aurelii, et L. Veri laureata*, AE. III.

Istud praeconium si verum, caput anticae alterius esse nequit, quam hujus nostri Annii Veri, cum M. Aurelius jam aversam invaserit. Alioqui per hanc disputationem non istud egi, ut evincerem, Annio Vero non posse convenire epigraphen ΟΥΗΡΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ, sed tantum, ea etiam usum Aurelium Caesarem, quod negavit vir praestantissimus Froelichius.

Ex his, quae modo disputavi, sequentes regulae suapte profluunt. Numi inscripti

M. ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΒΗΡΟϹ. (vel ΟΥΗΡΟϹ.) ΚΑΙϹΑΡ. sunt tantum M. Aurelii, ut patet.

ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΟΥΗΡΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. Aurelii tantum adhuc Caesaris, tum his nominibus usi. Non prorsus negaverim, posse quoque competere L. Vero Aug., cum Graeci non raro ϹΕΒΑϹΤΟΥ titulum suppresserint, at tum facile indicium ex vultu; si juvenilior, et modestius barbatus, erit Aurelii, si promissiorem barbam appendit, L. Veri.

ΑΥΡ. ΒΗΡΟϹ. vel: ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΟΥΗΡΟϹ. Aurelii tantum, forte etiam L. Veri Aug. secundum indicium in praecedente regula allatum. Auctor musei Theupoli eos nimium confidenter L. Vero Aug. muneratur [a]).

ΟΥΗΡΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. Sin vultus adultior, ac praecipue si barbulam promittit, haud dubie est M. Aurelii Caesaris; sin admodum juvenilis, non diffitebitur Annium Verum. Aliae peristases, quales supra indicavi, plerumque facile criterium suppeditabunt. Perperam Haymius numum sic inscriptum largitur L. Vero [b]), et nimium frequenter hunc errorem errat auctor Musei Theupoli. Observo tamen, suppresso praenomine Λ, sive *Lucii*, et titulo ϹΕΒΑϹΤΟΥ posse etiam numos sic inscriptos competere Vero Aug., sed rarus erit is casus, ac tum illi patrocinabuntur lineamenta, barba promissior, laurea.

ΒΗΡΟϹ. Caput juvenile nudum, in numo, quem supra ex Haymio secundo loco descripsi. Editor eum Annio Vero

a) Pag. 915 et 918. b) Tom. II. p. 289.

tribuendum censet. Non repugno pertinacius. Valentiora quidem sunt lineamenta, quam pro aetate puelli septennis; sed saepe veteres in puerorum Caesarum imaginibus aetatem anticipaverunt. In simili numo musei Christinae, quem eodem loco adduxi, vultus magis ad infantem accedit. Pro Annio facit etiam solum vocabulum BHPOC, nam fuit, ut vidimus, tempus, quo *Caesar* nondum fuit.

OΥHPOC. ANTΩNINOC, in numo Amastriae musei Theupoli p. 913, qui si recte est descriptus, esse poterit L. Veri Aug., quem uno eodemque tempore Antonini nomen gessisse, auctores nonnulli testantur. Hunc numum revocabo infra in Vero, quo loco litem de variis hujus Augusti nominibus disceptabo.

BHPICCIMOC. KAICAP. Numum sic inscriptum Tyranorum Sarmatiae supra pag. 69. post Vaillantium M. Aurelio Caesari tribuimus. Si fides Herodiano a), Βηρισσιμος vocatus etiam fuit Annius Verus. Sin istud, neque huic sua in hunc numum jura deerunt. Iudicium ex vultu pendebit, an is saltem barbatulus, an plane imberbis, ac forma puerili.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei, et argentei	O.
Aenei max. mod., si modo genuini	RRRR.
Aenei I. et II. formae	RRR.

Commatis peregrini Graecarum urbium.

Aenei II. formae	RRR.

Aenei III. formae, citatur unicus a cl. Beauvais.
Alexandrini, et coloniarum nondum comperti.

L. AVRELIVS VERVS.

L. Cejonius Commodus natus est Romae patre Aelio Caesare adhuc privato, matre, ut in hoc diximus, incerti nominis, anno V. C. 883. P. X. 130., ut ex tempore adoptionis eruitur, quo septimum jam annum egressum tradit Capitolinus b). Dies illi natalis XV. Decembris, quo natus est Nero, ut refert idem c), et in quo die conspirat etiam Kalendarium Lambecii. Patre ab Hadriano V. C. 888. adoptato in familiam Aeliam translatus est, dictusque *L. Cejonius Aelius Aurelius Commodus*, et illo V. C. 891 Kalendis Ianuariis mortuo in Hadriani familia remansit d). Hoc pacto Hadriani per adoptionem nepos, cum is paullo post Aelii mortem Antoninum sibi adoptasset, ob patris meritum

a) L. I. c. 2. b) in Vero c. 2. c) Ibidem cap. 1. d) Capitol. in Vero c. 2.

eodem tempore Antonino una cum M. Aurelio adoptandus traditus est a). Factum istud V. C. 891 die XXV. Februarii. Haec et M. Aurelii, et L. Veri per Antoninum facta adoptio etsi pluribus locis a Spartiano b) et Capitolino c) adseratur, iidem tamen parum sibi constantes alibi adoptatum ab Antonino Aurelium, ab hoc Verum aperte pronunciant, sic ut Verus Aurelii per adoptionem filius esset habendus, non frater d), et tamen per ipsam orationem dictorum immemores fratres eos constanter appellant. Enimvero communem ambos per adoptionem habuisse patrem Antoninum, et hac lege fuisse fratres, praeter ea argumenta, quibus ad tollendum hunc dissensum utitur Tillemontius, manifesto probatur ex marmore coaevo, quod edidit Gruterus e): IMP. CAES. DIVI. ANTONINI. F. DIVI. LVDII. (legendum L. VERI.) PARTH. MAXIMI. FRATRI. etc. Frater etiam appellatur Verus in marmore Muratorii f). In insigni alio marmore Gruteriano g) Verus, perinde ac in aliis Aurelius, dicitur *D. Ant. Pii filius, D. Hadriani nepos etc.* S. Iustinus Martyr coaevus Vero hos titulos largitur: Λȣκιῳ φιλοσοφῳ Καισαρος φυσει υἱῳ, και Ευσεβȣς εἰσποιητῳ, *Lucio Philosopho Caesaris* (L. Aelii) *natura filio*, *et Pii* (Antonini) *adoptivo* h). Si adoptivus Antonini Pii, ergo hujus filius, et adeo Aurelii frater. Denique jurisconsulti veteres aliquoties edicta *divorum fratrum* memorant, velut Vlpianus, (Digg. L. XXVI. tit. 2. l. 19. §. 1.) quo nomine certum est ab iis respici M. Aurelium, et L. Verum.

Translatus ergo in familiam Antonini toto tempore, quo hic imperium tenuit, in privati modum vixit, nullo *Caesaris* aut titulo, aut honore propter aperta vitae immoderatae indicia, tantum quod *Augusti filius* vocabatur i). V. C. 906 quaesturam obivit, et mox anno sequente 907 consulatum k). Interjectis annis VII. ipso anno Varroniano 914, quo diem obivit Antoninus, cum fratre Aurelio processit consul II. confirmante istud marmore Gruteriano l), quod quoniam Veri titulos ac nomina postremo tempore ejus vitae privatae continet, hic appono:

M. AELIO. AVRELIO. VERO. CAESARE. III. COS.
L. AELIO. AVRELIO. COMMODO. II.
P. R. C. ANN. DCCCCXIII. nempe a Parilibus anni superioris.

V. C. 914. P. X. 161.
CAESAR. AVGVSTVS. TR. P.
COS. II.

Kalendis Ianuariis adhuc privatus consul iterum procedit collega fratre consule III. Mortuo circiter diem VII. Martii Antonino Pio, fratris beneficio conlega imperii adsciscitur, collatis uno tempore *Caesaris*, et *Augusti* titulis, tum trib. potestate, et proconsulatu, item

a) Spartian. in Aelio c. 7. b) in Aelio c. 2. c) in Antonino c. 4. d) Spartian. in Aelio c. 5. Capitolin. in Aurel. c. 5. et in Vero c. 2. e) Pag. 29. 13. f) Pag. 1121. 7. g) Pag. 258. 2. h) Apolog. I. initio. i) Capitolin. in Vero c. 3. k) Ibid. l. c. l) Pag. 300. 1.

nomine *Veri*, quo Aurelius antea usus, in eum translato, cum *Commodus* prius vocaretur [a]).

Vt marmor Gruteri paullo ante memoratum Aurelium adhuc Caesarem, et Verum privatum anni hujus principio sistit, ita eximium aliud ineunte hoc saeculo apud Puteolos repertum utrumque jam Augustum, et novis utriusque nominibus jam inde a die XXIII. Martii, atque adeo mox ab adito imperio exhibet, reliquis omissis sic habet [b]):

IMP. CESARE. (sic) M. AVRELIO. ANTONINO. AVG. III. COS.
ET. IMP. CESARE. (sic) L. AVRELIO. VERO. AVG. II.

Numi:

Praecipiendum ad Veri numos, horum typos ab iis, quos in moneta Aurelii vidimus, parum differre exceptis paucis uni Vero propriis, nam ut honores, ita et factorum gloriam communem esse voluerunt. Quare ne antiqua otiose repetam, plerumque numorum explicationem ex fratris moneta ejusdem anni petendam monebo.

A. IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. I. etiam radiatum, in AE. II.*

B. IMP. L. AVREL. VERVS. AVG. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. et AR.*

* * *

Vt. lit. A.

COS. II. *typis variis.* AR.

Numi reliqui: CONCORDIAE. AVGVSTOR. vel: LIB. AVGVSTOR. vel: PROV. DEOR. addito fere constanter: TR. P. COS. II. in Aurelio explicati reperiuntur.

V. C. 915. P. X. 162.
TR. P. II. COS. II.

Hoc anno ad bellum Parthicum exit Verus. (Vide annales Aurelii.)

A. IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. *Caput nudum, in AV. AR. AE. I. etiam radiatum, in AE. II.*

B. IMP. L. VERVS. AVG. *Caput nudum, in AR.* (Mus. Caes.)

C. L. AVREL. VERVS. AVG. *Caput nudum, in Quin. aureo.* (Mus. Caes.)

D. IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. AVG. TR. P. II. COS. II. *Caput nudum in AE. max. mod.* (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. C.

TR. POT. II. COS. II. *Mulier stans d. globum, s. cornucopiae.* Quin. AV. (Mus. Caes.)

Reliqui: CONCORDIAE. AVGVSTOR. vel: PROV. DEOR. addito semper TR. P. II. COS. II., ut in numis Aurelii.

---

a) Capitolin. in Aurel. c. 7. et in Vero c. 4.

b) Vignoli de Columna Anton. p. 52.

V. C. 916. P. X. 163.
TR. P. III. COS. II. IMP. II.
Incipit ARMENIACVS.

Ex vindicata per duces Armenia sibi, fratrique *imperatoris* titulum parit, ut et *Armeniaci*, sed quem Aurelius aliquanto serius admittit.

A. IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. AVG. TR. P. III. COS. II. *Caput laureatum, in AE. m. m.* (Mus. Caes.)

B. IMP. CAES. L. AVREL. VERVS. AVG. *Caput laureatum, vel nudum, in AE. I. etiam radiatum, in AE. II.*

C. IMP. L. VERVS. AVG. *Caput nudum, in AR.*

D. IMP. CAES. L. VERVS. AVG. *Caput nudum, in AV.*

E. L. VERVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput nudum, in AR.*

* * *

Vt lit. B.

PROFECTIO. AVG. TR. P. III. COS. II. S. C. *Imperator eques d. hastam. In aliis praeterea praecedit figura militaris, tribus sequentibus.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Hac in his numis prodita profectione aut intelligitur ea, quam is in Syriam Parthosque ex urbe instituit, aut cum ipse ex Antiochia, qua in urbe substitit, adversum hostem movit. Nam etsi ipse magis voluptatibus, quam hostibus retia intendit, totumque bellum per legatos confecit, tamen toto quadriennio, quod bello huic impensum fuit, bis ad Euphratem impulsu comitum suorum profectus est, ut refert Capitolinus [a]).

* * *

Vt lit. E.

ARMEN. TR. P. III. IMP. II. COS. II. *Armenia humi sedens inter arma patria d. caput fulcit, s. navis prorae imposita.* AR. (Mus. Caes.)

Alius, sed sine ARMEN. AR. (Mus. Caes.)

Ex his numis, qui Verum jam in tribunatu III. *Armeniacum* produnt, docemur, Verum hunc titulum aliquanto maturius fratre adoptasse; nam hic primum *Armeniacus* legitur in numis tribunatus XVIII., qui respondet tribunatui Veri quarto. Etiam hic Armeniae humi sedentis typus frequens est in Aurelii moneta, sed et hic primum in eodem tribunatu XVIII. Vide etiam Aurelium sub titulo *Armeniaci.* Navis indicare videtur navalem aliquam victoriam de Armeniis in Euphrate partam. Hi numi, quod norim, unici sunt, qui cum tribunatu III. conjungant titulum IMP. II.

Reliqui numi: FELIC. AVG. vel FORT. RED. vel SALVTI. AVGVSTOR. addito semper TR. P. III. COS. II. et cum typis propriis.

V. C. 917. P. X. 164.
TR. P. IV. COS. II. ARM. IMP. II.

Ephesum proficiscitur, ut Lucillam Aurelii filiam, et destinatam sibi uxorem exciperet. Bellum Parthicum continuatur.

a) in Vero c. 7.

* *

A. L. VERVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput laureatum, vel nudum, in AV. AR. AE. II.*

B. L. AVREL. VERVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput laureatum, vel nudum, in AR. AE. I. radiatum, in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

ARMEN. TR. P. IIII. IMP. II. COS. II. *Typus, ut in simili anni praecedentis.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

REX. ARMEN. DAT. TR. P. IIII. IMP. II. COS. II. *Imperator in suggestu sedens adstantibus duabus figuris diadema adstanti infra regi circumdat.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

Eadem epigraphe, at in aliis plenius: REX. ARMENIIS. DATVS. IMP. II. TR. P. IIII. COS. II. S. C. *Idem typus, sed adstantibus in suggestu tribus figuris.* AE. I. (Mus. Caes.) AE. II. (Vaill.)

Regis hujus a Vero Armeniis secundum hos numos impositi nomen, et genus reticet biographus Capitolinus, dicere contentus, Verum *bello confecto regna regibus dedisse* a). Opportune hujus silentium compensat Photius, qui, cum Iamblichi ἐρωτικα recenset, haec eum de se narrantem commemorat b), floruisse se temporibus Soaemi τȣ Αχαιμενιδȣ τȣ Αρσακιδȣ, qui rex fuit a patribus regibus oriundus, atque idem senator Romanus, et consul, ac postea magnae Armeniae rex, factumque istud, quo tempore imperavit Antoninus, qui Verum imperatorem eundemque fratrem suum, generumque misit, ut Vologaeso Partho bellum inferret. Huc pertinet, quod refert Suidas c), et exstat in Dione Reimari d), a Martio Vero, qui pro Vero Aug. bellum in Armenia gessit, missum Thucydidem, qui Soaemum in Armeniam reduceret. Quo docemur, eum jam prius imperasse Armeniae, sed inde pulsum a Parthis, nunc a Vero restitutum. Hem! quam tenues rivulos, eosque fere lutulentos jubemur consectari, cum tam illustris imperii historiam scribere aggredimur. Hic aversae typus in Aurelii numis nondum est repertus.

* * *

Vt lit. A. et B.

TR. P. IIII. IMP. II. COS. II. *variis typis in omni metallo et forma.* Hos inter illustrior: *Hercules stans d. oleae ramum, s. clavam, et exuvias leonis.* AV. (Mus. Caes.)

Alius similis, sed addito praeterea: HERC. PAC. AV. (Vaill.)

Herculem paciferum monetae inserendum curavit Verus, tanquam auctorem restituendae propediem victis hostibus pacis.

Reliqui hujus anni numi argumenta obvia continent.

V. C. 918. P. X. 165.

TR. P. V. COS. II. ARM. IMP. II.

Profligato undique Parthorum bello Verus cum Aurelio *imperator III.* dicitur, ipse *Parthici Maximi* titulum jam

a) in Vero cap. 7. b) Cod. 94. in fine. c) sub. Μαρτιος Βηρος. d) Tom. II. pag. 1021.

hoc anno adoptat, quo tantisper abstinet Aurelius.

A. L. AVREL. VERVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput laureatum, in AE. I. etiam laureatum vel nudum, in AE. II.*

B. L. VERVS. AVG. ARMENIACVS. *Caput laureatum, vel nudum in AV. AR. AE. I. etiam radiatum, in AE. II.*

Vt. lit. A. vel B.

TR. P. V. IMP. II. COS. II. *typis variis victorias Parthicas crepantibus in omni metallo et forma.*

* * *

Vt lit. A.

LIBERAL. AVG. TR. P. V. IMP. II. COS. II. S. C. *Liberalitas stans.* AE. II.

Numi sic inscripti sunt obvii, at rarior ille, si modo rite excepta est epigraphe, quem inter aeneos II. formae describit Vaillantius: LIB. AVG. II. TR. POT. V. IMP. II. COS. II., ut revera congiarium hujus anni numero alterum fuit.

Eodem anno:

PARTH. MAX. IMP. III.

L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum.*

TR. P. V. IMP. III. COS. II. *typis variis prostratae Parthiae testibus in AV. AR. AE. I.*

V. C. 919. P. X. 166.

TR. P. VI. COS. II. DES. III. ARM. PARTH. MAX. IMP. III. IV.

A bello Parthico redux una cum fratre de Parthis triumphum agit, ac tum delatos sibi antea *Parthici Maximi*, et *Medici* titulos cum Aurelio communicat.

A. L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. I., etiam radiatum in AE. II.*

B. L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. MEDIC. *Caput laureatum, in singulari Aeneo I. formae.*

* * *

Vt lit. A.

LIB. AVG. III. TR. P. VI. COS. II. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Ad hunc annum habentur Aurelii numi AE. I., sed inscripti: CONG. AVG. III., sed utrique numi congiarium III. ab utroque imperatore uno eodemque tempore praestitum enunciant. Iidem collati comprobant, L. Verum aliquanto citius prae Aurelio *Parthici Maximi* titulum adoptasse, ut infra ad hunc titulum disseremus.

* * *

Vt lit. A.

TR. P. VI. IMP. III. COS. II. *typis variis.* AV. AR. AE. I. II.

Eodem anno:

MEDICVS IMP. IV.

Vt lit. B.

TR. POT. VI. IMP. IIII. COS. II S. C. *Vterque imperator lauri ramum praetendens in curru triumphali.* AE. I. (Belley ex Mus. Pellerin. B. L. T. XXV. hist. p. 82.)

Numum similem, solis Aurelii nominibus, ac titulis diversum vidimus in moneta Aurelii, quo loco et de horum numorum raritate, ac pretio egimus,

quod praecipue ex MEDICi titulo, quem pars adversa exhibet, colligitur. Reliquam numi hujus explicationem ex eodem loco pete.

Vt lit. A.

TR. P. VI. IMP. IIII. COS. II. *typis variis tropaea Parthica praedicantibus in omni metallo, et forma.*

V. C. 920. P. X. 167.

TR. P. VII. COS. III. ARM. PARTH. MAX. IMP. IV.

Exspirat in numis MEDICVS.

Fratrem ad bellum Marcomanicum comitatur. Vide ad hunc annum annales Aurelii.

* * *

L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum.*

CONG. AVG. IIII TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III. *Liberalitas stans.* AV. (Mus. Caes.)

Idem numero congiarium exstat etiam in numis Aurelii, sed quod sciam, aeneis tantum, at alio typo.

* * *

Eadem adversa.

TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III. *typis variis in omni metallo, et forma.*

Eadem epigraphe. Protome Veri laureata obverso tergo, cum aegide in pectore.

TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III *Vterque imperator. in quadrigis triumphalibus, praecedunt milites, juxta gestatur tropaeum.* AE. max. mod. (Mus. M. Ducis.)

Typus loquitur triumphum anni praecedentis.

V. C. 921. P. X. 168.

TR. P. VIII. COS. III. ARM. PARTH. MAX. IMP. IV. V.

Anni hujus ab utroque imperatore res gestas ex M. Aurelio pete.

L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum.*

TR. POT. VIII. IMP. IIII. *in aliis* IMP. V. COS. III. *typis variis, in omni metallo, et forma.*

Eadem adversa.

Eadem epigraphe addito ARMENIA. *Verus eques Armenum projectum hasta confodit.* AE. max. mod. (Mus. Albani).

Eadem adversa.

TR. P. VIII. IMP. IIII. COS. III. *Vterque imperator in quadrigis triumphalibus stante juxta puello, praecedunt milites, juxta ferculum cum tropaeo, et captivis.* AE. max. mod. (Mus. de Camps.)

Revocat hic numus memoriam triumphi Parthici, quem ambo imperatores ante biennium egere, admissis etiam in currum M. Aurelii liberis utriusque sexus, ut testatur Capitolinus [a]). Atqui vetus fuit mos, et stantis adhuc reipublicae, triumphantis liberos eodem curru vehi. Narrat Zonaras ex Dione [b]), *moris esse, ut qui triumphans in urbem introibat, liberos ac cognatos utriusque sexus, siquidem praetextati adhuc essent, in equis jugalibus funalibusve imponeret. Quod si plures essent, equis singularibus vecti currum prosequantur.* Appianus, cum illata causa triumphi, quem senior Africanus egit, Romanorum triumphos

a) in Aurel. c. 12. b) Annal. Tom. II.

describit, haec generatim [a]) : ἐπιβαινȢσι δ' ἀυτῷ ἐπι το ἀρμα παιδες τε και παρθενοι, και ἐπι των παρηορων ἑκατερωθεν ἠιθεοι συγγενεις. *Vehuntur eodem curru filii filiaeque, et funalibus equis utrinque gestantur adolescentes consanguinei.* Hunc morem innuit quoque Cicero [b]) : *An, cum sedere in equis triumphantium praetextati potissimum filii soleant etc.* Suetonius de Tiberio [c]) : *Dehinc pubescens Actiaco triumpho currum Augusti comitatus est sinisteriore funali equo, cum Marcellus Octaviae filius dexteriore veheretur.* Domitianum patris fratrisque triumphum Iudaicum albo conspicuum equo fuisse comitatum, diximus in hujus numis ad annum V. C. 824. Quam bellum est, quae docuit antiquitas, publicis quoque monumentis videre confirmata.

V. C. 922. P. X. 169.
TR. P. IX. COS. III. ARM. PARTH. MAX. IMP. V.

Hoc anno, ac media quidem hyeme auctore Galeno Verus eadem lectica cum fratre portatus, et apoplexia correptus apud Altinum Venetorum moritur imperii anno IX. aetatis XXXIX. vel XL. Dubia de ejus vera aetate expensa vide apud Tillemontium in nota XII. in Aurelium. Mortuum verisimiliter medio Ianuario hujus anni, non Decembri, quod plerisque visum, probabo in doctrina de trib. potestate Veri.

Si Capitolinum audimus, neque inter bonos, neque malos principes ponitur, quem constat non inhorruisse vitiis, nec abundasse virtutibus [d]), quin et amasse in eo Antoninum simplicitatem ingenii, et puritatem refert [e]). At parum hic, ut alias crebro, secum ipso concordat hic biographus, cum ejus licentiam vitae per adulteria, aleae, et comissationum intemperantiam, protractas in popinis noctes, provocatos ad rixas infimae sordis homines persequitur, sic ut eo ipso teste vitiorum Caji, Neronis, ac Vitellii aemulus exstiterit. Atque haec ne gravius, et in reip. perniciem erumperent, sola est fratris auctoritate retentus. Ad bellum Parthicum ab Aurelio missus rei gerendae cura legatis permissa ipse uni voluptati vacavit acta Laodiceae hyeme, apud Daphnen aestate, reliqua parte Antiochiae, rediitque in urbem multo per Syriae delicias corruptior. Invitus ad bellum Marcomanicum cum fratre profectus, et brevi urbanam licentiam respectans reditum impetravit quidem, at per iter inopinato, ut diximus, malo oppressus interiit. Corpus exanimum in Hadriani sepulcro patris naturalis L. Aelii cineribus fuit sociatum. Haec ex Capitolino.

Vxor *Lucilla*, de qua infra.

Numi:

L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. TR. P. VIIII. *Caput laureatum.*

COS. III. *Roma galeata thoraci insidens lauri ramum porrigit Vero galeato, et paludato adstanti, ipsa retro a Victoria coronatur.* AE. max. mod. (Mus. M. Ducis.)

---

a) de rebus Punic. c. 66. b) pro Muraena c. 5. c) in Tib. cap. 6. d) in Vero c. 1. e) Ibid. c. 3.

L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Caput laureatum.*
TR. P. VIIII. IMP. V. COS. III. *variis typis in omni metallo, et forma.*

Divus Verus.

Mortuum a fratre appellatum *divum*, sacrisque plurimis honoratum, dedicato ei flamine, et Antoninianis sodalibus, et omnibus honoribus, qui divis habentur, tradit Capitolinus [a]). Consecrationem numi quoque comprobant.

DIVVS. VERVS. *Caput nudum.*
CONSECRATIO. *Aquila, rogus, vel ipse sedens in quadrigis elephantorum.* AR. AE. I.

Eadem adversa.
M. AVREL. ANTONINVS. TR. P. XXIII. *Caput Aurelii laureatum.* AE. I. (Vaill.)

Indubitatum, seu Vaillantii, seu typothetae vitio scriptum TR. P. XXII. pro XXIII., nam satis constat, Verum per totum priorem Aurelii tribunatum adhuc vixisse. Sane et cum TR. P. XXIII. hic numus proponitur a Norisio [b]).

Numi commatis peregrini.

De drachmis inscriptis: ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ egimus in numis Mesopotamiae urbis incertae.

Numi hujus classis alii nihil prorsus offerunt, cui philologiae causa immoremur.

NOMINA VERI.

Ei nato fuisse nomina *L. Cejonii Commodi*, subinde patre ab Hadriano adoptato *L. Cejonii Aelii Commodi*, principio diximus. Adoptatus ab Antonino nihil videtur in appellationibus mutasse, nam *Aurelii* nomen sibi a patre domesticum fuit, neque necessario per adoptionem in eum ab Antonino derivatum, velut in Marcum fratrem.

Mortuo Antonino Pio M. Aurelium in L. Verum praeter Augusti honorem etiam *Veri* nomen, quod sibi antea proprium fuit, transtulisse, supra in Aurelii nominibus affatim docuimus. An etiam *Antonini* nomen, disputari potest. Adfirmat istud Capitolinus: *Verum*, ait [c]), *eum appellavit* Aurelius, *addito ANTONINI nomine.* Rursum in Vero [d]): *L. Cejonius Aelius Commodus Verus ANTONINVS, qui ex Hadriani voluntate Aelius appellatus est, ex Antonini conjunctione Verus, et ANTONINVS.* Consona refert Lampridius [e]): *Verus autem Commodi nomen habuit, quo abolito ANTONINI non praenomen, sed nomen accepit. Commodum autem Marcus ANTONINVM appellavit.* Deinde Spartianus, qui refert [f]), a Severo nomen hoc filio datum, quoniam *jam per quatuor principes cucurrisset.* Antoninos hactenus dictos Pium, Marcum, Commodum constat: nisi Verum addamus, quartum non habebimus. Diserte vero etiam a Capitolino inter octo Antoninos numeratur alibi [g]). Addi potest ex Capitolino [h]), Aurelium mortuo Vero *Antoninianos sodales*, nimirum ex ejus nomine ut videtur, dedicasse. Conspirantibus his auctoribus non ausim horum testimoniorum veritatem in dubium vocare, etsi mirum videatur, coaevum

---

a) in Aurel. c. 15 b) Epoch. Syromac. diss. IV. p. 304. c) in Aurel. c. 7. d) Cap. 1. e) in Diadumen. c. 6. f) in Geta c. 2. g) in Macrino c. 3. h) in Aurelio c. 15.

Galenum, quem supra in M. Aurelii nominibus laudavi, nequaquam Vero Antonini nomen tribuere, quo loco de permutatis ab utroque appellationibus agit. Ad haec, si revera honorificum istud Antonini nomen sibi delatum fuit, cur illud Vero in nullo aut numo, aut marmore, non raro omnes ejus titulos liberaliter jactante, sociatur? dempto forte Amastriae Paphlagoniae numo, in quo is, si modo satis fidendum auctori musei Theupoli [a]), cujus non raro oracula fallunt, dicitur OΥΗΡΟϹ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. Addi posset numus maximae formae apud Buonarrotium [b]) inscriptus: AΥ. ΟΥΗΡΟϹ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. Verum non satis liquet, sitne caput M. Aurelii, an L. Veri. Cum igitur monumenta publica, saltem certa, hoc nomen reticeant, verisimile potius, illud Vero nunquam certa quapiam lege fuisse delatum, etsi per Antonini adoptionem jus illi in hoc fuit, et si illud forte in quopiam monumento in provinciis statuto conjunctum legatur, id ea ratione factum videri possit, qua Aurelius quoque adhuc Caesar in nonnullis numis, sed commatis peregrini, *Antoninus* dicitur, sed nulla publica auctoritate, ut supra in titulis M. Aurelii indicavi. Capitolinus, et Lampridius, qui datum illi hoc nomen confidenter adserunt, forte istud ex aliorum sententia scripserint; nam horum posterior memorat quoque [c]), *unde etiam quidam et Severum, et Pertinacem, et Iulianum Antoninorum praenominibus honorandos putant.* Verum hos nullum adhuc cognitum monumentum Antoninos pronunciat. Ejus etiam Elagabalum in Antoninorum calculo rationem non habuisse, in hujus moneta sub nomine *Antonini* videbimus.

Pontifex.

Pontificatus in Verum collati etsi non meminerint scriptores, dubitari tamen nullo pacto potest, ejus generis unum vel plures illi post adoptionem fuisse decretos. Et vero Gruterus lapidem vulgavit, in quo aliis ejus encomiis additur titulus PONTIFIC. [d]). Numi hunc honorem perpetuo reticent. At enim istud mirum, L. Verum in binis Gruteri marmoribus dici *pontificem maximum* [e]), cum constet tamen, si quando duo Augusti imperium una tenuerunt, horum tantum unum, atque hunc seniorem pontificatus maximi munere functum, dum Balbinus et Pupienus morem veterem infregere. Quare marmorum horum epigrammata aut male sunt descripta, aut in provinciis a rudibus ingeniis dictata, in qua sententia comperio quoque fuisse Bimardum, qui intrusum hunc Veri pontificatum maximum copiose et erudite impugnat [f]).

Pater patriae.

In numis M. Aurelii ad eundem hunc titulum probavi, Aurelium anno demum V. C. 930, ad summum exeunte anno 929 patris patriae nomen adoptasse. Quare toto illo tempore, quo L. Verum conlegam habuit, illo caruit, caruit-

---

a) pag. 913. b) Osserv. istor. p. 86. c) in Diadum. c. 6. d) Pag. 253. 2.
e) Pag. 257. 11. et 258. 3. f) B. L. T. XII. Mem. p. 408.

que adeo multo magis conlega Verus, quod et egregie comprobant ejus numi, quorum nullus unquam, si modo certae sit fidei, hunc titulum ostentat. Quid sentiendum sit de marmoribus, quorum non pauca L. Verum patrem patriae creaverunt, in Aurelio eodem loco dictum.

Armeniacus, Parthicus max., Medicus.

Horum titulorum genesin jam exposui in Aurelio sub iisdem vocabulis, qui nempe eos per fratrem Verum partos suscepit etiam, sed priores duos nonnihil serius, ut jam tum innui.

Armeniacus. Hoc nomen captum a Vero in tribunatu III., et aliquanto maturius, quam illud admisit frater, jam in Aurelio stabilivimus. Fluxit hic Veri tribunatus cum anno 917.

Parthicus max. Istud quoque a Vero fuisse anticipatum, abunde in Aurelio probavi. Illud vero sibi adlegit in tribunatu V., qui cucurrit cum anno V. C. 918. Fuisse autem Verum in capiendo hoc titulo priorem, praeter ea, quae in Aurelio dixi, confirmatur numis binis, quorum alter Aurelii est, alter Veri. Aurelii numus in aversa inscriptum offert: CONG. AVG. III. TR. POT. XX. IMP. III. COS. III., et numus Veri: LIB. AVG. III. TR. P. VI. COS. II. Per numerum tribunatuum utriusque numus signatus est V. C. 919, et per numerum congiarii, nempe III., uterque eodem tempore, sed numus Aurelii titulo *Parthici maximi* adhuc abstinet, quem tamen jam exhibet numus Veri, quin jam exhibuit in tribunatu V.

Medicus. De nomine hoc, in unico tantum L. Veri numo obvio, sed frequentiore in marmoribus, vide, quae ad illud idem in Aurelio observavi.

Imperator.

Quoad vixit, imperator V. est adclamatus, et semper una cum fratre Aurelio, semper propter easdem causas, quas jam memoratas in Aurelio nunc repetere supervacaneum.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei, et argentei	C.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
Commatis peregrini:	
Argentei urbium Graecarum	RR.
Aenei variae formae	C.
Aenei coloniarum	C.
Alexandrini	C.

LVCILLA.

Nata est Annia Lucilla, ut eam vocat numus Byzantiorum a), anno V. C. 900, aut paullo ante, si modo eadem est, de qua, sed dissimulato nomine, loquitur Capitolinus b), nimirum Aurelium suscepta filia fuisse tribunicia potestate donatum, quae coepit anno V. C. 900. Desponsata a parentibus M. Aurelio, et Faustina juniore L. Vero, et ad eum V. C. 917. ad sponsum missa, quo tempore is bello Parthico distinebatur, patre eam Brundusium usque deducente, et Vero ad eam excipiendam ex Syria Ephesum properante. Mortuo V. C. 922 marito, cui eam propinasse venenum ferebat rumor c), a patre denupta est Claudio Pompejano patria Antiocheno, qui equestris tantum ordinis, at meritis et probitate in paucis conspicuus fuit d). Patrem ad sopiendas seditionis Cassianae reliquias in Syriam comitata Alexandriae tantisper restitit e). Post patris Aurelii excessum perrexit frater Commodus, eam omnibus Augustae honoribus observare; sed cum majores haberi hujus uxori Crispinae, quam sibi doleret, insidias fratri comparat, quibus detectis primum Capreas ejecta, paullo post morte adficitur circa annum V. C. 936. At maritus procul ab aula ruri plerumque adfixus vitata insidiarum suspicione ad usque Severi imperium duravit. Vide Xiphilinum, Herodianum, Capitolinum.

At M. Aurelius in opere, quod *εἰς ἑαυτον* scripsit, et quo loco de elatis ad funus personis illustribus disserit f), haec addit: *Λȣκιλλα Ουηρον. ἐιτα Λȣκιλλα.* Eruditi neglecta ab auctore verba sic supplent: *Λȣκιλλα Ουηρον ἐξηνεγκε, ἐιτα Λȣκιλλα ἐξηνεχϑη*, *Lucilla Verum extulit, deinde et Lucilla elata est.* Gatakerus in subjecta huic loco nota nomine Lucillae hanc ipsam nostram Aurelii filiam, L. Veri Aug. uxorem intelligendam adserit. Istud si verum, quoniam patri sic de filia scribenti prae omnibus amplissima fides est habenda, falsa utique erunt, quae posteriores historici de Lucilla a fratre Commodo caesa memoriae prodiderunt. Quod cum nullo modo probabile sit, alius hoc loco Verus, alia Lucilla sine dubio est capienda. In initiis M. Aurelii narravimus, patrem illi fuisse Annium *Verum*, matrem Domitiam Calvillam, cui et *Lucillae* nomen fuit. Hos ergo dubium non est Marco in hac de communi hominum fato admonitione fuisse intellectos. Quod si quis malit Lucillam nostram intelligi, necesse erit in altero hoc orationis membro: *ἐιτα Λȣκιλλα*, subaudiri: *ἐξενεχϑησεται*, *deinde et Lucilla efferetur*, quod sane oraculum vatem fallere non potuit.

Liberi. Habuisse eam liberos ex Vero quoque, etsi istud aperte non prodant scriptores, conjicitur ex ejus numis inscriptis: FECVNDITAS, quos vide, tum ex iis, quae continuo disseram.

Filia incerti nominis, nupta Claudio

a) Mus. Christinae tab. LXI. b) in Aurelio. c) Capitolin. in Vero c. 10. d) Capitolin. in Aurel. c. 20. e) Capitolin. in Aurel. c. 26. f) L. VIII. §. 25.

Pompejano ejusdem cum matris altero marito nominis, sed qui convictus insidiarum, quas Commodo struxit, caesus est una cum Lucilla, quae scelus suasit V. C. 936 [a]). Eam haud dubie Lucilla ex L. Vero conceperit. Nam si pater statuatur maritus alter Pompejanus, quoniam huic Lucilla ante annum V. C. 923, qui fuit Veri postremus, nubere non potuit, etiam dicta filia nasci non potuit ante annum 924. At constat ex Xiphilino [b]), eam circa annum V. C. 936, quo matrem caesam fuisse diximus, nuptam jam fuisse alteri Pompejano, nondum ergo satis idonea matrimonio aetate, nisi L. Veri fuisse filiam statuamus.

Pompejanus, Lucillae filius ex marito altero Pompejano. Eum Caracalla et consulem bis fecerat, et omnibus bellis praeposuerat, quae gravissima tunc fuerunt. A latronibus interemptus proditur [c]).

Numi:

A. LVCILLA. AVGVSTA. *in numis omnis metalli, et formae.*

B. LVCILLAE. AVG. ANTONINI. AVG. F. *in numis omnis metalli, et formae.*

C. LVCILLAE. AVG. M. ANTONINI. AVG. F. *in AE. I.* (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. A.

FECVNDITAS. *Mulier sedens in consortio unius, aut duorum, aut trium infantum.* AV. AR. AE. I. II.

Ex hac horum numorum aversa probare conatus est Mediobarbus [d]), numos cum epigraphe LVCILLA. AVGVSTA. alteri Lucillae, quam quae L. Veri fuit, esse tribuendos, nimirum quae, ut ipse existimat, fecunda nunquam exstitit. Fecundam eam fuisse, et haud dubie etiam ex Vero, paullo supra ostendi, et quid vetat, ejus etiam ex Pompejano fecunditatem in moneta laudari, cum eam etsi privato nuptam perinde ut antea omnibus Augustae honoribus observatam sciamus? Ad eosdem Lucillae partus referendi sunt numi inscripti IVNONI. LVCINAE, in quibus typum facit eadem dea sedens, et manu infantem fasciis involutum tenens. Nihil ergo obstat, quo minus numos omnes Lucillae nomine inscriptos huic Veri Lucillae tribuamus, et longe valere jubeamus veterum antiquariorum inde ab auctore Occone sententiam, qui eorum aliquos uxori L. Aelii Caesaris sunt admensi, cui tamen fuisse Lucillae nomen, nulla auctoritate constat, ut jam ad numos Aelii Caesaris monui.

* * *

Vt lit. A. vel B.

IVNONI. LVCINAE. *Dea velata stans d. extenta florem, s: infantem fasciis involutum.* In aliis: *Mulier sedens d. florem, s. infantem similem.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Offerunt hi numi deam partus praesidem, Graecis *Ilithyiam*, Romanis *Iu-*

---

a) Xiphilinus. b) ex Dion. L LXXII. § 4. c) Spartian. in Carac. d) Pag. 189.

nonem Lucinam. Dionysius Halic. a) *εις μεν τον της Ειλειθυιας θησαυρον, ήν Ρωμαιοι καλȣσιν Ηραν Φωσφορον, in Ilithyiae thesaurum, quam Romani vocant Iunonem Lucinam.* Apud Terentium Glycerium partui vicina his deam verbis invocat b):

Iuno Lucina fer opem, serva me, obsecro.

Ex re igitur s. infantem tenet, et dum d. florem ostentat, quoniam hic spei est symbolum, bene sperare de infantis salute et incrementis jubet, aut potius suum ipsa attributum ostentat ab Ovidio manifeste indicatum c):

Ferte deae flores, gaudet florentibus herbis
Haec dea, de tenero cingite flore caput.
Dicite: tu lucem nobis, Lucina, dedisti,
Dicite: tu voto parturientis ades.

Explicationem magis eruditam obtulit insignis Ennius Vicecomes d), dum typum hunc verbis Ovidii illustrat, narrantis e), Iunonem indignatam, quod Iovi Minerva sine matre nata esset, anquisivisse modum, quo sine viro mater ipsa fieret. Cupienti Chloridem porrexisse florem, cujus illa solo contactu gravida Martem peperit. Equidem libenter ingeniosae huic sententiae subscriberem, nisi inscriptio IVNONI. LVCINAE imperaret, hoc typo intelligendam esse Iunonem illam, quae parientibus opem fert, nullo adeo ad dictum de Marte mythum respectu. Atqui videmus etiam, Iunonem hanc Lucinam frequenter in Augustarum numis occurrere, non alia sane de causa, quam quod sibi olim in puerperiis opem tulit, eamque in futuris quoque sibi propitiam esse cupivere. Idem typus est etiam in numis Mamaeae et Saloninae.

* * *

Vt lit. B.

Sine epigraphe. Figura muliebris manum lauro arbori admovet, altera aquam ex mari excipit in vas puerulum nudum ablutura, puer alius ex ara pronus cadit, tres adsunt genii alati, unus arae imminet, alter suggestui, et tertius in nemore muris concluso ex arbore frondes decerpens. AE. max. mod. (Mus. de Camps.)

His verbis numum hunc describit Baldinus in nova sua Vaillantii editione f). Ipse Vaillantius in suis ad Campsianum hunc numum commentariis typo infantum lustrationem exhiberi putat, multaque admiscet, quae haud dubie monetario nunquam in mentem venerint. Ejusdem numi meminit etiam cl. Fea in Winckelmanno suo g), ex cujus mente stans illa mulier dextera arborem quatit, ex qua Cupido velut pomum ex arbore vi impulsa pronus decidit, additque, simile argumentum exstare in pictura quapiam vetere. Mirari subit, malle Cupidinem arbore excussum caput illidere solo, quam volatu evadere periculum. Non negaverim, hunc sese typum sive per leporem, sive partium compositionem commendare, verum ido-

a) L. IV. p. 220. b) in Andria Act. III. sc. 1. c) Fast. III. 253. d) Mus. Pio. Clem. Tom. I. p. 5. e) Fast. V. 229 seq. f) Tom. III. p. 145. g) Tom. II. pag. 58.

neam hactenus ejus explicationem jam esse peractam, plane dubito.

* * *

Vt lit. B.

Sine epigraphe. Templum Vestae, intus idolum, prae foribus hinc virgines tres, illinc totidem aliae ad aram luculentam sacra faciunt. AE. max. mod.

Similem aversam dedimus in numis Faustinae junioris, sed quorum auctoritatem esse valde suspectam, diximus etiam. Praesentis numi fidem vindicat patronus omni exceptione major Vaillantius, qui eum vidit ipse, et adprobavit a). Alter similis laudatur in Catalogo musei Theupoli pag. 785. Virginum Vestalium sacrificium, haud dubie factum pro salute domus Augustae, hoc typo exhiberi, causae omnes persuadent, ac primum quidem forma rotunda templi, qua illud fuisse docet Ovidius b):

Par facies templi; nullus procurrit in illo
Angulus; a pluvio vindicat imbre tholus.

Paullo infra illud *curvum tholum* vocat c). Ejus imaginem templi jam vidimus in denariis Cassii Longini. Conspirat etiam numerus virginum sacrificantium sex; nam cum antea quatuor essent, duas alias addidisse Tarquinium Priscum, docet Dionysius Halic. d). Idolum, quod intra templum conspicitur, cujus sit numinis, non facile edixerim. Erravit sine dubio Vaillantius, qui in Campsiani hujus numi explicatione esse statuam Vestae adseruit, invito sane Ovidio e):

Esse diu stultus Vestae simulacra putavi,
Mox didici curvo nulla subesse tholo.

Et mox:

Effigiem nullam Vesta, nec ignis habent.

Malim Palladium hoc signo intelligi, quod in Vestae templo fuisse adservatum, copiosa docent veterum testimonia. Narrat Val. Maximus f), Metellum ardente Vestae templo raptum inter ipsos ignes Palladium incolume servasse. Adde Lucanum g), Herodianum h), et Livium, qui ait i): *Quid de aeternis Vestae ignibus signoque, quod imperii pignus custodia ejus templi tenetur, loquar?*

Reliqui Lucillae numi typos fere continent ex Augustarum moneta abunde cognitos, nulla nova ad philologiae incrementum accessione. Quare dissimulare eorum mentionem bona antiquariorum venia licebit.

Numi commatis peregrini.

Insignes drachmas cum capite Lucillae, et inscriptas: ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗΣ. ΡΩΜΑΙΩΝ produxi inter numos Mesopotamiae incertae urbis Vol. III. p. 520.

Parum frequentes sunt numi urbium liberarum, at perrari numi coloniarum.

Numi Byzantii, in quo uno Lucillae nomen *Anniae* tribuitur, jam supra memini.

---

a) Mus. de Camps. p. 41. b) Fast. VI. 281. c) v. 296. d) Ant. Rom. L. III. p. 199. e) Fast. VI. 295. f) L. I. c. 4. §. 4. g) IX. 993. h) in Elagab. i) L. V. c. 52.

Commatis Romani:	
Aurei et Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
Commatis peregrini:	
Numi drachmae pondere	RRR.
Aenei urbium liberarum	R.
Coloniarum	RRR.
Alexandrini	RR.

COMMODVS.

Natus Lanuvii parentibus M. Aurelio Aug., et Faustina juniore Aug. anno V. C. 914, quo ipso anno pater consul III. fuit, et mortuo Antonino Pio imperium adivit, pridie Kal. Sept., qui et Caligulae natalis fuit, matre eodem partu alterum filium enixa, cui nomen *Antonini*, et ab eventu *Gemini* inditum fuit, sed qui quadrimus diem obiit [a]). Tamen natum fuisse Commodum non ex Aurelio, sed gladiatore, verisimile visum Capitolino [b]). Quidquid erit, suum Aurelius semper agnovit dilexitque, et gestatum ulnis saepe proposuit militibus, ac cum suis praeceptis eximie imbuit, tum viris a morum literarumque fama conspicuis, verum innutili, ut patuit, opera educandum tradidit. *Caesar* una cum fratre Annio Vero dictus est die XII. Octobris V. C. 919 petente L. Vero, quo tempore uterque Augustus de Parthis triumphavit [c]).

Antequam Commodi numos describo, non inutile pro horum explicatu videatur, praefigere ordinem chronologicum, quo is dignitates per intervalla suscepit, donec *Augusti* titulo ornaretur.

A. Appellatus CAESAR. die XII. Octobris V. C. 919, P. X. 166, ut continuo dictum.

B. Dictus GERMANICVS. *idib. Herculeis Maximo et Orphito cos.*, id est: XV. Octobris V. C. 925. P. X. 172 [d]).

C. *Adsumptus in omnia collegia sacerdotalia sacerdos* XIII. Kalendas Invictas Pisone et Iuliano cos., id est: die XX. Ianuarii V. C. 928. P. X. 175 [e]).

D. *Profectus in Germaniam XIV. Kal. Aelias iisdem cos.*, id est: XIX. Maji V. C. 928. P. X. 175 [f]).

E. Indutus est toga virili nonis

a) Lamprid. in Commodo. b) in Aurel. c. 19. c) Lamprid. in Commodo c. 11. Capitolin. in Aurel. c. 12. d) Lamprid. c. 11. e) Lamprid. c. 1. et 12. f) Lamprid. c. 12.

Iul., quo tempore Avidius Cassius descivit [a]), id est: VII. Iulii V. C. 928. P. X. 175., et quidem a patre ex urbe ad limitem arcessitus [b]). Dicitur tum et PRINCEPS. IVVENTVTIS [c]), et ante tempus consul designatur [d]).

F. *Cum patre IMPERATOR appellatus V. Kal. Exsuperatorias Pollione iterum et Apro cos.* [e]) vel, ut Lampridius, qui haec refert, altius dixit [f]): *cum patre IMPERATOR est appellatus V. Kal. Decembr. die, Pollione et Apro cos.*, id est: XXV. Novembris V. C. 929. P. X. 176.

G. Triumphavit cum patre de Germanis ac Sarmatis ex S. C. [g]) et quidem *X. Kal. Amazonias iisdem consulibus* [h]), id est: XXIII. Decemb. V. C. 929. P. X. 176. De his Capitolinus, sed sine ordine: *Marcus in filium Commodum cito nomen Caesaris, et mox sacerdotium, statimque nomen imperatoris, ac triumphi participationem, et consulatum contulit.*

H. Aurelius post triumphum Commodum in trib. potestatem jungit, et congiarium populo dat [i]).

V. C. 925. P. X. 172.
COMMODVS CAESAR.

COMMODVS. CAES. GERM. ANTONINI. AVG. GERM. FIL.
Caput nudum.

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXVI. *Caput M. Aurelii laureatum.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

In hunc annum incidit patris trib. potestas XXVI. De inserto *Germanici* nomine vide, quae ad annum proximum monebimus.

V. C. 928. P. X. 175.
COMMODVS CAESAR.

Sacerdos in omnia collegia cooptatur. Vide lit. C.

COMMODVS. CAES. AVG. FIL.
Caput nudum.

S. C. *Culter, caput bovis detracta pelle, apex, capeduncula.* AE. II. (Mus. Caes.)

Aversae typum pertinere ad sacerdotium, quod, ut observavi in M. Aurelio ad annum V. C. 893, Caesaribus decretum semper fuit, nunc recens Commodo delatum, perspicuum est.

Eodem anno.
CAESAR. GERM.

Diximus paullo supra, (ad lit. B.) Commodo *Germanici* titulum jam fuisse decretum anno V. C. 925, quo nimirum et patri Aurelio, sed cum neque Aurelius illum ante annum praesentem in numorum anticam receperit, ut in ejus moneta ad hunc annum vidimus, sequitur, neque filium eo maturius usum. Non obstat, Commodum in numo ad annum V. C. 925 laudato dici *Germanicum* in parte antica; nam is forte propter hanc ipsam ἀνομαλιαν videri potest suspectus, aut permutata matrix, de quo arbitrentur αὐτοπται.

a) Lamprid. c. 2. b) Capitolin. in Aurel. c. 22. c) Lamprid. c. 2. d) Capitolin. in Aurel. c. 22. e) Lamprid. c. 12. f) Cap. 2. g) Lamprid c. 2. h) in Aurelio c. 12. i) Capitolin. in Aurel. c. 27.

COMMODVS. CAES. AVG. FIL. GERM. *Caput nudum.*
M. ANTONINVS. AVG. GERM. TR. P. XXIX. *Caput M. Aurelii laureatum.* AR. (Mus. Caes.)

Aurelii trib. potestas XXIX. in annum praecedentem incidit.

* * *

Eadem adversa.

LIBERALITAS. AVG. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

L. AVREL. COMMODVS. CAES. AVG. FIL. GERM. *Caput nudum.*

LIBERALITAS. AVG. *Caesar sedens in suggestu stante retro alia figura, adstat Liberalitas, figura per gradus adscendente.* AV. (Mus. Princ. de Waldeck.) *Addito* S. C. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Teste Lampridio [a]) Commodus *adhuc in praetexta puerili congiarium dedit, atque ipse in basilica Trajani praesedit.* Praesentes ergo numi circa hoc tempus certo sunt signati; non prius, nam, ut vidimus, nonnisi hoc anno in ejus numis *Germanici* titulus saltem ex lege ordinaria scribi coepit; non posterius, nam paullo post posita praetexta virilem togam induit, ac tum quoque porrectum fuisse congiarium, docet Capitolinus [b]): *Filio Commodo accersito ad limitem togam virilem dedit; quare congiarium populo divisit.* In Aurelii numis hujus anni revera binae liberalitates VI. et VII. memorantur, quo numorum testimonio duplex haec forte in Commodi gratiam erogata liberalitas intelligitur, et utriusque historici oraculum rite firmatur; cumque alia aliam intra modicum tempus consequeretur, factum fuerit, ut, quae re ipsa fuit duplex, deinceps pro simplice haberetur, quod verisimile fit ex numis Aurelii anno V. C. 930 signatis, qui rursum *Liberalitatem Aug. VII.* praedicant, neglecta nimirum septima anni praesentis, sed quae eadem fuisse cum sexta visa fuerit.

Eodem anno:

CAESAR. PRINC. IVV. COS. DES. GERM. SARM.

Aurelius Commodum ex urbe ad limitem evocat, eique togam virilem dat nonis Iul. *Principem juventutis* dicit, et ante tempus *consulem* designat. Vide haec omnia supra sub lit. E. Cum patre in Orientem ad componendas tumultus Cassiani reliquias proficiscitur [c]). *Sarmatici* quoque titulus, quem hoc etiam anno adscivit pater, cum filio communicatur.

A. COMMODO. CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. *Caput nudum, in AR. et AE. II.*

B. L. AVREL. COMMODO. CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. *Caput nudum, in AR. et AE. I. II.*

* * *

Vt lit. A.

EQVESTER. ORDO. PRINCIPI. IVVENT. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Refert Lampridius [d]): *Commodum cooptatum inter tres solos principes juven-*

a) in Comm. c. 2. b) in Aurelio c. 22. c) Lamprid. in Comm. c. 2. d) in Comm. c. 2.

tutis, cum togam sumpsit, etsi verba: *tres solos* in mendo haud dubie cubent, quod pridem observarunt Casaubonus, et Salmasius. Eandem aversae epigraphen jam vidimus in numis Neronis Caesaris. Qua ratione equester ordo cum principe juventutis connectatur, disce ex iis, quae in volumine VIII. de titulo *Principis juventutis* disseremus.

* * *

Vt lit. A.

PIETAS. AVG. *Instrumenta pontificalia.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Pertinet aversa ad sacerdotium Commodi, de quo actum supra.

* * *

Numi reliqui: HILARITAS, vel: IOVI. CONSERVATORI, vel: PRINC. IVVENT. vel SPES. PVBLICA. cum suis typis.

Citati in hoc paragrapho numi etiam sequentem annum patiuntur.

V. C. 929. P. X. 176.

CAESAR. PRINC. IVV. COS. DES. GERM. SARM.

Anno inclinante ex Oriente Romam redux cum patre IMPERATOR appellatur die XXVII. Novembris. Cum eodem de Germanis, et Sarmatis triumphat die XXIII. Decembris, et paullo post tribunicia potestate donatur. (Vide supra lit. F. G. H.) Quid de titulo *imperatoris* hic indicato, et initio trib. potestatis sit sentiendum, infra in his titulis disputabitur.

* * *

COMMODO. CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. *Caput nudum.*

DE. GERM. *Congeries armorum Germanicorum.* AV. AR. (Vaill.)

COMMODVS. CAES. AVG. F. *Caput nudum.*

DE. GERMANIS. *Tropaeum cum adsidentibus duobus captivis.* AV. (Vaill. AE. II. Mus. Caes.)

Numus testis triumphi anno hoc exeunte de Germanis acti. Similes etiam cum capite patris Aurelii eodem hoc anno prodivere.

Reliquos hujus anni numos pete ex anno praecedente.

V. C. 930. P. X. 177.

CAES. PRINC. IVV. COS. GERM. SARM.

Kalendis Ianuariis consul procedit.

COMMODO. CAES. AVG. FIL. GERM. SARM. COS. *Caput nudum.*

FELICITATI. CAES. S. C. *Navis cum remigantibus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vide numum explicatum in numo Aurelii synchrono FELICITATI. AVG.

* * *

Eadem adversa.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. S. C. *Duae dexterae junctae signum militare prorae navis infixum tenent.* AE. II. (Mus. Caes.)

* * *

Incipit in numis hujus anni

IMP. CAES. TR. P. COS. GERM. SARM.

Circa hoc tempus Crispinam uxorem ducit.

De tribunicia Commodi potestate, quae tam spectato principio, quam ite-

ratione merum est aenigma, vide, quae olim in tractatu de tribunicia potestate copiose disputabimus. Illud explicandi cum hactenus ratio, quae satisfaceret, reperta non sit, missis interea controversiis ea tantum proponemus, quae numi enunciant, cumque hi singulis annis singulas tantum trib. potestates dempto praesente, et postremo Commodi memorent, titulis annalium nonnisi simplicem, et quae tantum in singulorum annorum numis legitur, trib. potestatem praefigam. De nomine *imperatoris* tanquam praenomine hoc anno adhiberi coepto vide infra ad hunc titulum.

IMP. CAES. L. AVREL. COMMODVS. GERM. SARM. *Caput laureatum.*

TR. POT. COS. *Vterque imperator in quadrigis triumphalibus, praecedit miles cum vexillo, superne volitans Victoria cum tropaeo.* AE. max. mod. (Mus. Pisani, M. Ducis, Buonarroti Osser. istor.)

Indicatur triumphus ab utroque imperatore anno praecedente de Germanis actus.

* * *

Eadem adversa.

TR. POT. COS. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Demptis his numis non mihi cognitus alter (Mediobarbum et catalogorum incerta indicia praetereo), qui cum consulatu simplice simplicem quoque trib. potestatem conjungat.

* * *

Eadem adversa.

CRISPINA. AVG. *Caput Crispinae.* AV. (Mus. olim de France.)

Eodem anno:

IMP. CAES. TR. P. II. COS. GERM. SARM.

IMP. CAES. AVREL. COMMODVS. GERM. SARM. *Caput laureatum.*

TR. P. II. COS. S. C. *Commodus in lentis quadrigis d. sceptrum cum aquila.* AE. I. (Mus. Caes. et reg. Christinae.)

Typus hic indicat Commodi processum consularem anni praesentis.

* * *

Eadem adversa.

DE. GERM. *in aliis:* DE. SARM. TR. P. II. COS. S. C. *Tropaeum adsidentibus duobus captivis.* AE. I. (Mus. Caes.)

Iidem typi sunt in coaevis Aurelii numis.

* * *

Eadem adversa.

LIBERALITAS. AVG. TR. P. II. COS. S. C. *Vterque imperator in suggestu sedens adstante Liberalitate, et alia figura, tertia per gradus adscendente.* AE. I. (Mus. Caes.)

In numo Aurelii synchrono praedicatur eadem liberalitas, sed numero VII. Occasionem praebiti hujus congiarii facile colligo ex Capitolino narrante [a]), ab Aurelio congiarium populo datum, quo tempore Commodum cum Crispina copulavit, quod factum hoc fuisse anno, et circa istud tempus, proximi numi docebunt.

Exstant etiam numi argentei cum eadem antica, et inscripti: TR. POT. II. COS. et typis obviis.

---

a) in Aurel. c. 27.

Eodem anno:
AVG. TR. P. II. COS. P. P. GERM. SARM.

Aurelius Commodum AVGVSTVM, quin et PATREM PATRIAE appellat, et *imperatoris* ex victoriis titulum cum eo communicat. Omnia ex numis.

IMP L. AVREL. COMMODVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum.*

DE. GERM. *vel:* DE. GERMANIS. *in aliis:* DE. SARM. TR. P. II. COS. P. P. S. C. *Congeries armorum, vel: tropaeum duobus captivis adsidentibus.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

TR. P. II. COS. P. P. *Mulier stans d. pateram, s. vexillum.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

IMP. COMMODVS. AVG. GERM. SARM. CRISPINA. AVG. *Capita duo se respicientia, Commodi laureatum, et Crispinae.*

VOTA. PVBLICA. *Commodus togatus, et laureatus stans dexteram jungit cum adstante Crispina, adsistente in utriusque medio Concordia.* AE. max. mod. (Mus. reg. Gall. tab. XVI., de Camps.)

Eloquitur numus vota publice concepta, cum Commodus, et Crispina matrimonii nexu jungerentur, quod factum circa istud tempus.

Eodem anno:
Incipit IMP. II.

L. AVREL. COMMODVS. AVG. GERM. SARM. *Caput laureatum.*

IVNONI. SISPITAE. TR. P. II. IMP. II. COS. P. P. *Iuno Sispita gradiens, pro pedibus serpens.* AR. AE I. (Mus. Caes.)

Celebris hac aetate Lanuvinae deae cultus, quam monetario jam honore adfecit Antoninus Pius, ut dictum in hoc ad annum V. C. 893, et nunc Commodus, nimirum quoniam uterque in municipio Lanuvio, ejus deae domicilio, natus est.

* * *

Eadem adversa.

TR. II. IMP. II. COS. P. P. S. C. *variis typis.* AE. I. II.

V. C. 931. P. X. 178.
TR. P. III. COS. DES. II. P. P. GERM. SARM. IMP. II.

Die V. Augusti ad bellum Germanicum cum patre proficiscitur. (Lamprid. in Comm. c. 12.)

L. AVREL. COMMODVS. AVG. GERM. SARM. TR. P. III. *Caput laureatum.*

VOTA. PVBLICA. IMP. II. COS. P. P. *Sacrificium perelegans plurium figurarum, pone templum.* AE. max. mod. (Mus. M. Ducis.)

Perperam in numo simili musei de Camps Vaillantius pro TR. P. III. legit BRIT., quod repugnat historiae.

* * *

Fere exspirat GERM. SARM.

A. L. COMMODVS. AVG. *Caput laureatum, in AR.*

B. L. AVREL. COMMODVS. AVG. *Caput laureatum, in AR. AE. II.*

C. L. AVREL. COMMODVS. AVG. TR. P. III. *Caput laureatum in*

AE. I., *etiam radiatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A. vel B.

COS. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

Hi numi certe anno praesenti sunt tribuendi; nam anno priore usus adhuc est titulis *Germanici*, et *Sarmatici*, et sequente jam fuit COS. II.

* * *

Vt lit. B.

TR. P. III. IMP. II. COS. P. P. *typis variis.* AR. AE. II.

Vt lit. C.

VOTA. PVBLICA. IMP. II. COS. P. P. S. C. *Imperator velatus stans d. pateram, s. sceptrum ad tripodem sacrificat victimario juxta taurum feriente.* AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 932. P. X. 179.

TR. P. IV. COS. II. P. P. IMP. II.

Bello Germanico cum patre interest. Vide annales M. Aurelii.

A. L. AVREL. COMMODVS. AVG. TR. P. IIII. *Caput laureatum*, *in AE. I.*, *radiatum in AE. II.*

B. L. AVREL. COMMODVS. AVG. *Caput laureatum*, *in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. A.

IMP. II. COS. II. P. P. S. C. *typis variis*, vel: VOTA. PVBLICA. IMP. II. COS. II. P. P. etc. typis aversae jam notis.

Eodem anno:

IMP. III.

Ex victoria de Germanis *imperatoris* titulum cum patre multiplicat. Vide annales M. Aurelii.

L. AVREL. COMMODVS. AVG. GERM. SARM. TR. P. IIII. *Caput laureatum.*

IMP. III. COS. II. P. P. *Victoria in quadrigis.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Intermissi *Germanici Sarmatici* tituli in hoc numo revocantur, forte postremum.

* * *

Vt lit. A.

IMP. III. COS. II. P. P. S. C. *typis variis.* AE. I. II.

Vt lit. B.

TR. P. IIII. IMP. III. COS. II. P. P. typis *Victoriae*, *Salutis*, *Fortunae* etc. AR.

V. C. 933. P. X. 180.

TR. P. V. COS. II. DES. III. P. M. IMP. III.

L. Fulvio Bruttio Praesente II. Sex. Quintilio Condiano cos.

Mortuo die XVII. Martii patre imperium solus tenet. Relicto, non finito bello, et pace cum barbaris transacta, et suscepto hac, ut videtur, de causa *imperatoris IV.* titulo revertitur, et triumphat.

* * *

A. L. AVREL. COMMODVS. AVG. TR. P. V. *Caput laureatum in AE. I.*, *etiam radiatum in AE. II.*

B. L. AVREL. COMMODVS. AVG. *Caput laureatum*, *in AV. AR. AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

IOVI. VICTORI. vel: VIRTVS. AVG. etc. addito semper: IMP. III. COS. II. P. P. S. C. in AE. I. II.

Vt lit. B.

TR. P. V. IMP. III. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. II.

Eodem anno:
IMP. IV.

Vt lit. A.

ADVENTVS. AVG. IMP. IIII. COS. II. P. P. S. C. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AE. I. (Mus. Caes.)

Romam hoc anno reversum Commodum, hoc numo plene comprobatur. Fuisse autem jam in urbe die XXII. Octobris, certum est ex Lampridio, qui narrat [a]): Commodum *datum in perpetuum ab exercitu et senatu in domo Palatina Commodiana conservandum XI. Kal. Romanas Praesente iterum cos.*, qui dies est XXII. Octobris anni praesentis. Similes numos etiam aureos, et argenteos dicit Vaillántius, sed inscriptos tantum: ADVENTVS. AVG., nulla utrinque seu trib. potestatis, seu consulatus facta mentione [b]). Praeter numum hunc est in museo Caesareo alter aeneus I. formae cum eodem tribunatu V., et inscriptus in aversa: FORT. RED., qui adeo ad idem argumentum pertinet.

* * *

Vt lit. B.

TR. P. V. IMP. IIII. COS. II. P. P. *variis typis.* AR.

* * *

Paullo post abolitis L. AVRELII nominibus paterna M. ANTONINI adscivit. Vide infra in his nominibus. Sunt ergo deinceps numi inscripti:

M. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum.*

LIB. AVG. TR. P. V. IMP. IIII. COS. II. P. P. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

LIBERALITAS. AVG. TR. P. V. IMP. IIII. COS. II. P. P. S. C. *Imperator sedens in suggestu adstante Liberalitate etc.* AE. I. (Mus. Caes.)

Exhibent hi numi congiarium populo ob imperii auspicia repraesentatum. Fuisse Commodum liberalem, et saepe populo congiarium drachmarum CXL. viritim dedisse, refert Dio insanorum ejus factorum testis ipse [c]). At nimium videtur ejus efferre prodigalitatem Lampridius, cum congiarium eum dedisse populo, singulis denarios DCCXXV. narrat [d]), nisi forte per incuriam scripsit *denarios* pro verisimiliore *sestertios*, etsi idem testetur alibi [e]), *helluatum* illum *viribus Romani imperii.*

* * *

Eadem adversa.

TR. P. V. IMP. IIII. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. I.

V. C. 934. P. X. 181.

TR. P. VI. COS. III. P. P. IMP. IV.
Commodo Aug. III. L. Antistio Burro cos.

Nihil ad hunc annum memorabile proditum.

A. M. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

---

a) in Comm. c. 12. b) Num. praest T. II. p. 182. c) L. LXXII. § 16. d) in Comm. c. 16. e) in Comm. c. 3.

R. M. ANTONINVS. COMMODVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

LIB. AVG. IIII. TR. P. VI. IMP. IIII. COS. III. P. P. *Liberalitas stans.* AR. In aliis: *Imperator sedens in suggestu etc.* AE. I. (Mus. Caes.)

Iam etiam Commodi congiaria digeri per numeros incipiunt, et re ipsa congiarium anni praesentis quartum numero est post primum anni V. C. 928, alterum anni 930, tertium anni 933, de quibus actum suis locis. Causa hujus liberalitatis latet, etsi parabiles sunt prodigo tituli, quibus sua pessumdet.

* * *

Vt lit. B.

TR. P. VI. IMP. IIII. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. AE. II.

Vt lit. A.

VOTA. DECENN. SVSC. TR. P. VI. IMP. IIII. COS. III. P. P. S. C. *Imperator velatus stans d. pateram super tripode sacrificat.* AE. II. (Mus. Caes.)

Renovantur in hoc numo vota, quae Commodus initio imperii suscepit. Eorum iterum ad annum V. C. 937. fieri mentionem, infra videbimus. De varia hac votorum lege multa disseremus in tractatu singulari.

V. C. 935. P. X. 182.

TR. P. VII. COS. III. DES. IV. P. P. IMP. IV. V.

C. Petronio Mamertino, Corn. Rufo cos.

Imperator V. Commodus parte anni posteriore acclamatur testibus numis, qua ex victoria, incompertum; nam bella plura per legatos gesta memorant historici neglecta temporis notione.

A. M. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in omni metallo et forma, in AE. II. etiam radiatum.*

B. M. ANTONINVS. COMMODVS. AVG. ut in prioribus.

* * *

Vt lit. B.

LIB. AVG. V. TR. P. VII. IMP. IIII. COS. III. P. P. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.) *In alio quatuor figurae.* AV. (Vaill.)

Vt lit. A.

TR. P. VII. IMP. IIII. (*in serius signatis* IMP. V.) COS. III. P. P. *typis variis, et obviis.* AR. AE. I. II.

V. C. 936. P. X. 183.

TR. P. VIII. COS. IIII. P. P. IMP. V. VI.

Commodo Aug. IV. C. Aufidio Victorino II. cos.

Imperator VI. hoc labente anno dicitur Commodus, ex qua victoria, incertum. Britannicam putat Tillemontius. Gravem conspirationem evadit Commodus, cujus auctor fuit Lucilla soror, sed quae morte prava consilia luit. (Vide supra in Lucilla.)

A. M. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in numis omnis metalli, et formae.*

B. M. AVREL. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum, in AE. max. mod.*

Vt lit. A.

TR. P. VIII. IMP. V. (*in serius signatis:* IMP. VI.) COS. IIII. P. P. *typis variis.* AR. AE. I. II.

Vt lit. B.

TR. P. VIII. IMP. V. COS. IIII. P. P. *Imperator eques leonem hasta ferit.* AE. max. mod. (Mus. Caes. et M. Ducis.)

Vt lit. A.

MVNIFICENTIA. AVG. TR. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. *Elephas loricatus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Aversa numi II. studia, et notas Commodi artes graphice exhibet perhibente Herodiano, eum sagittandi arte ipsos Parthos superasse, et centum leones uno die sagittis interfecisse. Sed de his imperatoris meritis alias. Numus postremus ludos ab eo editos indicat. De elephante loricato, et inscriptione MVNIFICENTIA ad ludorum solennia pertinente vide, quae diximus in Antonino Pio ad annum V. C. 902.

Incipit PIVS.

Nimirum ut narrat Lampridius [a]): *inter haec Commodus senatu semet ridente, cum adulterum matris consulem designasset, appellatus est PIVS.*

A. M. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput cultu solito in omni metallo.*

B. M. COMMODVS. ANTON. AVG. PIVS. *Caput laureatum, in AR.*

C. M. AVREL. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput laureatum, in AE. max. mod.* (Reg. Gall.)

Vt lit. A.

ANNO. AVG. *vel:* PROV. AVG. *vel:* SALVS. AVG. *addito semper* TR. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. S. C. *cum typis propriis.* AE. I.

Vt lit. A. vel B.

TR. P. VIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. *typis perquam variis*, in omni metallo, et forma.

Vt lit. C.

I. O. M. *Caput Iovis hedera, et corymbis coronatum.* AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Insolens in Iove capitis cultus, quod Bacchi Indici haberi posset, nisi vetaret epigraphe I*ovis* O*ptimi* M*aximi.*

V. C. 937. P. X. 184.
TR. P. IX. COS. IV. P. P. PIVS. IMP. VI.
Incipit PONT. MAX.
L. Eggio Marullo, Cn. Papirio Aeliano cos.

Bellum hac tempestate grave cum Britannis murum transgressis, gestum duce Vlpio Marcello viro artis militaris, atque disciplinae scientissimo [b]). Ex ejus victoriis Commodo primum titulus *imperatoris VII.*, mox *Britannici* paritur.

A. M. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput cultu solito, in numis omnis metalli, et formae.*

B. M. COMMODVS. ANTON. AVG. PIVS. *ut in prioribus.*

C. M. AVREL. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Caput laureatum in AE. max. mod.*

---

a) Cap. 8. b) Dio. L. LXXII. §. 8.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. VIIII. IMP. VI. COS. IIII. P. P. *typis variis*, *et obviis.* AR. AE. I. II.

Potior pars numorum hujus anni sic inscribitur, multum tamen variantibus, etsi cogniti argumenti, typis. Reliqui numi: ANN. AVG. vel: VOTA. PVBLICA. etc. sed memorandus adhuc sequens:

Vt lit. C.

TEMPORVM. FELICITAS. - - - COS. IIII. P. P. *Mulier sedens dextera porrecta spicas*, *ante illam quatuor puelli nudi fructus ex arbore decerpunt*, *et in adstitutum vas immittunt.* AE. max. mod. (Mus. Com. de Vitzai.)

Extritis reliquis temporis notis numus hic certae suae sedi hactenus inseri nequit. Exstat numus similis inter numos maximae formae regis Galliarum, sed in quo notae omnes chronologicae desunt aetatis haud dubie injuria. Typus suapte perelegans. Quatuor puelli, tanquam quatuor ὧραι, totidem anni tempora demonstrant, ut patet ex numo similiter inscripto, quem dabimus ad annum V. C. 944.

Eodem anno: IMP. VII.

Vt lit. A. Caput radiatum.

P. M. TR. P. VIIII. IMP. VII. COS. IIII. P. P. S. C. *Roma sedens.* AE. II. In aliis: *Genius nudus stans sacrificat.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. A.

VOTA. SVSCEP. DECENN. P. M. TR. P. VIIII. IMP. VII. COS. IIII. P. P. S. C. *Imperator velatus stans ad tripodem sacrificat.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

VOTA. SVSC. DEC. - - - - *reliqua*, *ut in praecedente.* AR. (Mus. Caes.)

En tibi rursum, ac iterum proxime vota decennalia suscepta, quorum fieri mentionem jam ad annum V. C. 934. vidimus. De his amplius disseremus in tractatu de numis votorum.

Eodem anno:
Incipit BRIT.

A. M. COMM. ANTON. AVG. PIVS. BRIT. *Caput laureatum*, *in AR.*

B. COMM. ANT. AVG. P. BRIT. *Caput laureatum*, *in AR.*

C. M. COMMODVS. ANTON. AVG. PIVS. BRIT. *Caput laureatum in AE. I. radiatum in AE. II.*

D. M. COMMODVS. ANTONINVS. AVG. PIVS. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod.*

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. VIIII. IMP. VII. COS. IIII. P. P. *variis typis.* AR.

Vt lit. C.

VOTA. SVSCEP. DECEN. *etc. ut in paragrapho proxime superiore.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

VOTA. PVBLICA. *Imperator ante templum sacrificat adstantibus multis figuris.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

V. C 938. P. X. 185.

TR. P. X. COS. IV. DES. V. P. M. P. P. PIVS. BRIT. IMP. VII.

Materno, *Bradua cos.*

Milites Perennem praefectum praeto-

rio ad mortem postulant. Horum minis territus Commodus eum militum furori permittit, a quibus cum tota familia perimitur a). Eo caeso FELIX appellatur b). Tillemontium, qui caedem Perennis in annum sequentem differt, infra sub titulo *Felix* refutatum vide.

A. COMM. ANT. AVG. P. BRIT. *Caput laureatum in AV. AR.*
B. M. COMMODVS. ANTON. AVG. PIVS. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*
C. M. COMM. ANTON. AVG. PIVS. BRIT. *Caput laureatum in AE. II.*
D. M. COMMODVS. AVG. PIVS. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod.* (Vaill.)

* * *

Vt lit. D.

BRITANNIA. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII. P. P. *Mulier insidens rupibus d. aquilam legionariam, s. innixa clypeo, cui inscriptum* S. P. Q. R., *hastam tenet.* AE. max. mod. (Vaill. Mus. M. Ducis.)

Similem typum stitimus etiam in moneta Antonini ad annum V. C. 893. Ejus in moneta Commodi occasionem praebuit bellum in hac insula hoc ipso tempore gestum, ex quo *Britannici* sibi nomen imperator emeruit.

* * *

Vt lit. B.

ITALIA. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII. P. P. S. C. *Mulier globo insidens d. cornucopiae, s. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII. P. P. *variis typis.* AV. AR. AE. II.

* * *

Vt lit. B.

P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII. P. P. *Iuppiter seminudus stans d. circulum, ex quo tres (in aliis quatuor, in aliis quinque) virgines prodeunt, s. scipionem, ex adverso stat puellus s. elata ramum, aut florem, aut cornucopiae ostentans.* AE. max. mod. (Vaill. in num. max. mod. Mus. reg. Christinae, et Caesareo, M. Ducis, Albani.)

Incerta esset hujus typi explicatio, nisi juvaretur noto Hadriani numo, in cujus aversa: SAEC. AVR. *Vir seminudus stans d. circulum contingit, quo totus ambitur.* Ergo et typo numi praesentis, qui idem est, nisi quod sigillis est locupletior, *Saeculum aureum* intelligitur, quale, si Commodo ipsi fides, hoc imperante vere exstitit. Nam is teste Lampridio c) *SAECVLVM AVREVM, COMMODIANVM nomine assimilans vilitatem proposuit, ex qua majorem penuriam fecit.* Magis illustre testimonium Dionis perhibentis d), decrevisse Commodum, *ut id aevum, quo principatum teneret, nominaretur SAECVLVM AVREVM, idque in omnibus literis scriberetur*, etsi ejusdem Dionis judicio,

---

a) Dio, Lamprid. Herodian. b) Lamprid. c. 8. c) Cap. 14. d) L. LXXII. §. 15.

quod alibi aperit [a]), saeculum ab nobili hoc metallo appellatum imperante quidem patre Aurelio fluxit, sub filio Commodo ad ferrum, et rubiginem infeliciter redactum. Hujus ergo numi typum concepit adulatio, quae eadem parturivit aliam huic adfinem, et parasiticam epigraphen in numis Nicaeensium, Cianorum, et Caesarensium Cappadociae: ΚΟΜΟΔΟΥ. ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC. Ο. ΚΟCΜΟC. ΕΥΤΥΧΕΙ: *Commodo imperante orbis felix est.* Confer etiam numum Alexandri Severi in ejus numis vagis propositum, et inscriptum: TEMPORVM. FELICITAS.

* * *

Vt lit. C.

PRIMI. DECENN. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII. P. P. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

VOTA. SVSCEP. DECEN. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII. P. P. S. C. *Imperator velatus ad tripodem sacrificat.* AE. I. (Mus. Caes.)

De decennalibus his votis agetur in peculiari dissertatione.

* * *

Vt lit. B.

VICT. BRIT. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII. P. P. S. C. *Victoria armis insidens d. palmam, s. clypeum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eodem anno: FELIX.

A. M. COMM. ANT. FEL. AVG. P. BRIT. *Caput laureatum in AR.*

B. M. COMM. ANT. AVG. P. BRIT. FEL. *Caput laureatum in AR.*

C. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR.*

* * *

Vt lit. C.

SAEC. FEL. P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII. P. P. *Victoria s. pede galeae insistens clypeo super palmae trunco posito inscribit* VO*ta* DE*cennalia.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

Reliqui: CONC. MIL. vel: FEL. AVG. etc. addito semper: P. M. TR. P. X. IMP. VII. COS. IIII. P. P.

V. C. 939. P. X. 186.

TR. P. XI. COS. V. P. M. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VII. VIII.

Commodo Aug. V. Glabrione II. cos.

Imperator VIII. anno hoc labente acclamatur, incertum, ex qua victoria.

A. M. COMMODVS. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. In horum nonnullis infra caput leguntur literae* P. D., *quas explicabo infra in numo:* P. D. S. P. Q. R.

B. M. COMM. ANT. FEL. AVG. P. BRIT. *Caput laureatum in AR.*

C. M. COMMODVS. ANT. FELIX. AVG. P. BRIT. *Caput laureatum in AE. I. In nonnullis infra caput legitur* P. D.

D. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AV. et AR.*

---

a) L. LXXI. §. 36.

E. M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum*, *vel radiatum in AE. II.*

F. M. COMMODVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod.* (Mus. Medic.)

G. M. COMM. ANT. AVG. P. BRIT. FEL. *vel*: P. FEL. BRIT. *Caput laureatum in Quinariis.* (Mus. Caes.)

* * *

Antica incerta.

FORTVNAE. DVCI. C. V. P. P. *Imperator ad aram sacrificans adstante Fortuna.* AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Fortunam ducem jam vidimus in moneta patris ad annum V. C. 929.

Vt lit. D. vel A.

FORTVNAE. MANENTI. COS. V. P. P. *Mulier sedens d. equum capistro retinet, s. cornucopiae.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Fortunam *Manentis* cognomine cultam sibi Commodi numi nos edocent, etsi copiosa alia a Romanorum superstitione indita memorent scriptores. Horatio laudatur *Fortuna manens*, sc. *mobili* opposita [a]). At vero cur Fortuna in hoc numo equum retineat, ratio videtur obscura, forte quoniam Fortuna, quae *Manens* in hoc numo appellatur, eadem fuerit cum Fortuna *Equestri*, cui Fulvius Flaccus, posteaquam ope equitatus Celtiberos profligavit, aedem vovit [b]), et cujus templum stetisse apud Antium refert Tacitus [c]). Observandum, typum fere similem esse in numis Antiochiae ad Hippum Decapoleos, sed in his mulier cum cornucopiae est Fortuna urbis, et equus adlusio ad montem, cui urbs insedit, et cui nomen Ιππος, *equus*, fuit.

Vt lit. A.

IOVI. EXSVPER. P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. V. P. P. S. C. *Iuppiter sedens d. ramum*, *s. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Truncam vocem EXSVPER. explendam EXSVPER*antissimo*, docet insigne marmor, quod edidit Sponius [d]), in quo legitur: I. O. M. SVMMO. EXSVPERANTISSIMO. Ampliora de hoc Iove praedicat marmor Vindobonense jam publici juris factum a Scipione Maffeio [e]):

---- SVMMO
-- SVPERANTISSIMO
DIVINARVM. HV
MANARVMQVE
RERVM. RECTORI
FATORVMQVE. AR
BITRO --

Callimacho hic Iuppiter dicitur Κρονιδης πανυπερτατος [f]). Ipse Commodus *Exsuperatorii*, ὑπεραιροντος, sibi titulum addidit, tanquam qui mortales omnes omnibus in rebus superaret, ut explicat Dio [g]). Quin et mensem hoc nomine adfecit, ut narrabimus infra. EXVPERATOR. OMNIVM. GENTIVM dicitur etiam in numis Constantinus M.

---

a) L. III. ode 29. b) Livius L. XL. 40. c) Annal. III. 71. d) Miscell. p. 71, 72. e) Mus. Veron. p. 248. f) Hymn. in Iov. v. 91. g) L. LXXII. § 15.

* * *

Antica varia.

LIB. vel: LIBERAL. AVG. VI. P. M. TR. P. XI. IMP. VII. COS. V. P. P. *Liberalitas stans*, *vel: Imperator sedens in suggestu etc.* AR. AE. I. II.

* * *

Vt lit. A.

NOBILITAS. AVG. P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. V. P. P. S. C. *Mulier stans d. hastam*, *s. icunculam*, *quae d. pateram*, *s. hastam tenet.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Nobilitatem in hoc numo suam jactat Commodus. Et vero teste Herodiano [a]) carus principio Romanis fuit, quod tres successive imperatores contingeret, et patricio genere ortus esset (εὐπατρίδης) *nam paternum ei genus a primoribus senatorii ordinis fuit*, *mater autem Faustina*, *Augusta ipsa*, *Antonini Pii filia*, *Hadriani etiam per matrem neptis*, *genus suum ad ipsum Trajanum proavum referebat.* Quare in marmore quoque apud Gruterum [b]) reliquis ejus titulis in fine additur: *Nobilissimo principi.* Aversam similem videbimus quoque in numis anni sequentis.

Edidit Oyselius numum cum eadem epigraphe, sed typo Anubidis stantis, d. sistrum, s. hastam tenentis [c]). Singularis hujus numi non meminit Vaillantius, et deest in museo Caesareo, atque ii, qui ejus meminere, Mediobarbum puto, et Gessnerum, alium ab Oyselio testem proferre in medium non potuere. Ego, qui Oyseliana omnia spectata numorum fide semper sum aspernatus, ejus numi mentionem non facerem, nisi viderem, Zoegam ex hoc Anubidis typo urgere, adfectasse Commodum ab Aegyptiis diis genus, et *nobilitatem* adeo suam repetere [d]). Vtrum vir praeclarus in museis Romanis numum Oyseliano similem, cumque vere antiquum viderit, ignoro.

* * *

Vt lit. D. vel E.

OPTIME. MAXIME. C. V. P. P. *Iuppiter stans d. fulmen*, *s. hastam*, *in nonnullis pro pedibus aquila.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Memoranda epigraphes insolentia acclamationis ritu conceptae. Existimat Spanhemius [e]), Commodum in hoc numo Iovis ritu proponi, et ad eum pertinere quoque nomina *Optimi Maximi.* Sed non satis ad id rationis apparet. Vtrumque quidem Commodo tribuitur in marmore Muratorii [f]), sed ante hunc quoque pluribus Augustis aliis, quos ex lapidibus recenset Marinius [g]).

* * *

Vt lit. E.

P. D. S. P. Q. R. LAETITIAE. C. V. *intra lauream*, *extra quam* S. C. AE. II. (Mus. Caes.)

M. COMMODVS. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum*, *infra quod* P. D.

S. P. Q. R. LAETITIAE. C. V. *intra lauream*, *extra quam* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Numus ex propositis prior editus jam exstat a Mediobarbo, Patino, et in museo Theupoli, at omnium horum fal-

a) in Commodo. b) Pag. 262. 4. c) Tab. LXXI. n. 7. d) Num. Aegypt. p. 259.
e) Tom. II. p. 501. f) Pag. 340. g) Fratr. Arv. p. 559.

lit. lectio, cum primas in aversa epigraphes literas esse P. P. edicerent, atque iis adeo *Patrem Patriae* censerent indicari. Quo tempore catalogum musei Caesarei conscripseram, in numo simili, quem tum reperi, facile quidem adverti, alterum elementum esse certum D, verum eo imprudens peccavi, quod primam literam esse D putarem in numo eo loco aliquantum vitiato, sic ut pro credito aliis P. P. legendum D. D. censerem. Serius alter magis sanus museo accessit, qui, ut supra descripseram, literas indubitatas P. D. stitit, ex cujus adeo praecepto et veteranus illorum, meusque novicius error feliciter corrigendus. Haud multo post is, quem altero hic loco recensui, in thesaurum Caesareum pervenit, cujus aversa priori ad omnem apicem est simillima, nisi quod in hac literae P. D. omissae sunt. At cum ejus numi partem quoque anticam attentius perlustrarem, vidi, in hanc easdem fuisse literas trajectas, et justo intervallo ab reliqua inscriptione utrinque avulsas solitariam infra ipsius Commodi caput stationem obtinere. Ea res propter insolentiam mira sane visa, nam literae solitariae in parte antica monetae Caesareae prioribus tribus saeculis locum vix habent, instigavit, ut omnes Commodi numos secundis curis in examen vocarem. Ex quo inquirendi studio eum cepi fructum, ut praeter eum, quem mox citavi, tres alios reperirem iisdem literis eodem infra caput loco onustos, omnes I. formae, atque omnes anni praesentis, quorum unus inscriptus: FID. EXERC. alter; IOVI. EXSVPER. tertius: NOBILITAS. AVG. Addidit quartum Baldinus ad Vaillantium: PROVID. AVG. At nunc harum literarum significatio expedienda, quod quidem Buonarrotus aliud agendo tentavit potius, quam peregit. (Osserv. istor. pag. 394.)

Certum est, eas ad ipsam partis aversae inscriptionem non pertinere necessario, cum in aliis illas abesse videamus. Certum etiam, quoniam solitariae in aliis positae sunt, eas per se, nullo cum reliqua epigraphe nexu, sensum facere. Ad eum eliciendum advoco numum anno proxime superiore descriptum, in cujus aversa legitur: PRIMI. DECENN. P. M. TR. P. etc. atque haec quoque epigraphe intra lauream est exarata nullo alio typo, ut in numis praesentibus. Sunt ergo literae P. D. plenioris hujus epigrammatis ἀρχαισσαι, et revocant memoriam votorum *Primorum Decennalium*, quae hoc anno fuisse soluta continuo dicemus. Litatum ea occasione a Romanis *Laetitiae*, nimirum obsequii genere per metum expresso, praesentes numi eloquuntur.

* * *

Vt lit. D. et A.

PIETATI. SENATVS. C. V. P. P. *Imperator togatus stans s. volumen cum adstante senatore togato s. hastam tenente dexteram jungit.* AR. AE. I.

Vide, quae huc pertinentia ad numum anni sequentis inscriptum: PATER. SENATVS. dicentur.

* * *

Vt lit. A.

PROVID. AVG. P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Navis expansis velis.* AE. I. (Vaill.)

Ad classem Africanam convehendo frumento destinatam referendus hic numus, de qua agetur ad annum V. C. 944. Discimus adeo, eam a Commodo jam hoc anno fuisse constitutam.

* * *

Vt lit. D.

VOTA. SOL. DEC. P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Imperator velatus stans d. pateram ad aram sacrificat.* AR. (Mus. Caes.)

Quae vota decennalia in numis anni prioris *suscepta* dicuntur, haec numi anni praesentis, et proxime sequentis *soluta* faciunt. Numus est insignis, et forte aliis museis ignotus.

V. C. 940. P. X. 187.

TR. P. XII. COS. V. P. M. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VIII.

Crispino, Aeliano cos.

Incertum, quae res gestae ad annum praesentem sint referendae.

A. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AV. et AR.*
B. M. COMMODVS. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*
C. M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput radiatum in AE. II.*
D. M. COMMODVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod.*

* * *

Vt lit. A. et B.

AVCT. PIET. *vel in* AE. I. AVCTOR. PIETAT. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Mulier stans ante aram d. pateram, s. acerram* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Titulum *auctoris pietatis* promeritus videri poterat, dum peculiarem curam sacris impendit. At istud quoque, ut alia omnia, insanientis more, et majestate imperii indigno. Nam in sacris Isiacis et caput rasit, et Anubin portavit, et in ea gestatione capita Isiacorum ore simulacri graviter adflixit [a]). Habitu etiam victimarii victimas ipse immolavit [b]). Quid quod et *deum* sese, et *Herculem* appellando novam populo exercendae pietatis materiem praebuit, de quo plura ad annum V. C. 945. Aeneas Ovidio dicitur *pietatis idoneus auctor*, vulgato scilicet suo in deos patremque adfectu, eoque idonee comprobato [c]), unde discrimen inter veterem illum, et nostrum hunc pietatis auctorem cape.

* * *

Vt lit. A.

NOBILIT. AVG. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Mulier stans d. hastam, s. icunculam, quae d. pateram, s. hastam tenet.* AV. insignis elegantiae. AR. AE. II. omnes in Mus. Caes.

Vide, quae ad numum similem anni praecedentis animadverti.

* * *

Vt lit. A. et B.

PATER. SENAT. vel SENATVS. P. M. etc. *Imperator togatus stans d. ramum, s. hastam.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Quam infenso in senatum animo fue-

a) Lamprid. cap. 9. b) Ibid. cap, 5. c) Fast. II. 543.

rit Commodus, praecipue post detectam Lucillae sororis adversum se conjurationem, quamque ille in illustrem hunc ordinem caesis ejus viris praestantissimis toto deinceps imperii tempore saevierit, abunde narrant Lampridius, aliique. Quare si senatus in numo anni praecedentis *Pium* se in imperatorem, eumque in numis praesentibus *Patrem Senatus* dixit, atque alias se ipsum *Commodianum* appellavit [a]), metu id potius extortum fuit, nimirum ut fictae pietatis specie velut objecta offa infame monstrum placaret. Nam quis fuerit patrum verus de eo sensus, post ejus violentam mortem palam factum, ut docebimus infra. Fuit tamen tempus, quo senatum nominibus suis, nempe *Commodiani Felicis*, appellavit, ut refert Dio [b]). Ceterum *Patris Senatus* nomen nequaquam imperii Commodiani inventum est putandum. Nam Claudii jam aevo tentavit irrepere narrante Tacito [c]): *Ob ea Vipsanius consul retulit*, Patrem Senatus *appellandum esse Claudium*, *quippe promiscuum patris patriae cognomentum; nova in rempublicam merita non usitatis vocabulis honoranda.* Sed addit etiam historicus, nomen istud a principe recusatum. Serius Balbinus quoque, et Pupienus dicti fuere Patres Senatus.

* * *

Vt lit. A. et D.

P.M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Ianus geminus stans in templo distylo, d. hastam.* AV. AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

Eadem epigraphe. Caput Iani geminum. AE. max. mod. (Mus. Medic.)

Omnes hi Iani gemini numi propter elegantiam, et raritatem commendandi; etsi eorum cusorum causa lateat. Videtur hic Iani cultus in Commodo partem *Pietatis* constituisse, cujus eum *Auctorem* dictum continuo vidimus. Quanto is fuerit in Ianum adfectu, patebit ex numo ejusdem musei Medicei, quem mox infra describam, in cujus antica ipsum Commodi caput geminum in Iani morem novo stuporis exemplo proponitur.

* * *

Vt lit. D.

PROVID. AVG. P. M. *etc. Navis turgente velo.* AE. max. mod. (Mus. Medic.)

Similem numum jam recitavi anno praecedente.

* * *

Vt lit. D. Caput laureatum, vel: Caput Commodi geminum laureatum in morem Iani.

TELLVS. STABIL. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. *Mulier humi sedens d. globum praegrandem stellatum contingit, super quo quatuor virgines ramos gestantes incedunt, s. cornucopiae et simul corbi innixa, retro arbor.* AE. max. mod. (Mus. Medic. tab. 43. et 44., de Camps.)

Numos cum simili inscriptione, et typo vidimus in moneta Hadriani, cui ex vero tributa laus *telluris stabilitae*, at Commodo per solum assentandi studium, ut patet. De Commodi capite in Iani morem efficto mox egimus.

* * *

Vt lit. A.

VOTA. SOL. DEC. P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Imperator*

---

a) Lamprid. cap. 8. b) L. LXXII. §. 15. c) Ann. XI. 25.

velatus ad tripodem sacra faciens. AR. (Mus. Caes.)

En repetitam ad fastidium cramben votorum decennalium, de quibus distinctius agemus peculiari dissertatione.

V. C. 941. P. X. 188.

TR. P. XIII. COS. V. P. M. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VIII.

C. Allio Fusciano II., Duillio Silano II. cos.

Profectionem in Africam praetendens magnam pecuniae vim eo nomine exigit. Vota propterea pro eo concipiuntur Nonis Aprilibus. Verum retentus a senatu et populo suo, pecuniam in convivia et aleam convertit [a]).

A. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. M. COMMODVS. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

Vt lit. A. vel B.

P. M. TR. P. XIII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *variis typis.* AR. AE. I.

Hoc modo fere omnis anni hujus moneta inscribitur. Typi nihil non jam cognitum spectandum praebent.

V. C. 942. P. X. 189.

TR. P. XIV. COS. V. DES. VI. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VIII.

Iunio Silano, Q. Servilio Silano cos.

Ad hunc annum refert Tillemontius Cleandrum praefectum praetorio furori populi a Commodo permissum, et cum familia caesum, de quo copiose Dio, Herodianus, Lampridius.

A. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR.*

B. M. COMMODVS. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

C. M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A. vel B.

IOVI. IVVEN. *sed in* AE. I. IOVI. IVVENI. P. M. TR. P. XIIII. COS. V. P. P. *Iuppiter barbatus stans d. fulmen, s. hastam, pro pedibus aquila.* AR. AE. I. etiam max. mod. (Mus. Caes.)

Iovem in vario aetatis statu finxit mythologia vetus, vagientem et in corona Corybantum exhibent numi Graeci non pauci, insidentem caprae specie nudi puelli numi Antonini Pii, et addito insuper IOVI. CRESCENTI numi Gallieni, ejusque familiae, provectiorem aetate, sed puerum tamen, finxit Iuvenalis [b]):

Multa pudicitiae veteris vestigia forsan,
Aut aliqua exstiterant, et sub Iove, sed Iove nondum
Barbato.

Denique numi praesentes *Iovem juvenem*, eumque jam barba verendum sistunt. Fueritne Iuppiter alicubi *Iuvenis* nomine appellatus, et observatus, ignoro, et

a) Lamprid. cap. 9 et 12. b) Sat. VI. v. 14.

forte soli sunt Commodi numi, qui eum sic appellant dempto numo Domitiani, sed cujus, quoniam obiter tantum a Mediobarbo citatur, (ad annum V. C. 837.) nulla habenda ratio. Videtur ergo hic *Iovis Iuvenis* cultus et coepisse cum Commodo, et cum eo exspirasse, aut verius Commodus ipse per suetam adulationem nomine hoc et typo intelligitur, nimirum quod instar *Iovis* summam haberet potestatem, *juvenis* autem jure adhuc diceretur hac aetate, atque hoc anno, quo XXVIII. aetatis annum agebat.

* * *

Numi reliqui: MAR. PAC. in AR. vel: MART. PACAT. in AE. I. — MIN. VICT. in AR. vel: MINERV. VICT. in AE. I. et II. — FORT. FEL. in AR. vel: FORT. FELI. in AE I. — SEC. ORB. in AR: vel: SECVRIT. ORB. in AE. I. addito semper in his omnibus: P. M. TR. P. XIIII. COS. V. P. P.

Eodem anno: COS. DES. VI.

M. COMMOD. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AE. I.*
M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AR.*
M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput radiatum in AE. II.*

Numi inscripti: COS. DES. VI. sunt frequentes, sed spectatis typis iidem sunt cum his, quos modo descripsi, addito semper: P. M. TR. P. XIIII. IMP. VIII. COS. V. DES. VI. omisso P. P. quoniam hic titulus in eorum antica memoratur.

V. C. 943. P. X. 190.
TR. P. XV. COS. VI. P. M. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VIII.

Commodo Aug VI., M. Petronio Septimiano cos.

Romam de se *Coloniam Commodianam* additis *Luciae Antoninianae* praenominibus et sacras inter cerimonias appellare instituit. Vide numos sequentes.

A. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AR.*
B. M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AE. II.*
C. M. COMMOD. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AE. I.*
D. M. COMMODVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod.*
E. IMP. COMMODVS. AVG. PIVS. FELIX. *Caput laureatum in AE. max. mod.* (Mus. Caes. Albani.)

Postremus hic epigraphes modus cum propter praefixum IMP., cum tamen in parte aversa Commodus dicatur IMP. VIII., tum propter omissum BRIT. tam mihi videbatur insolens, et anno praesenti adversari, ut propterea numum

insignem maximae formae musei Caesarei, quem infra dabo, in catalogo a me vulgato fraudis suspicione onerarem. At postquam altero examine eum esse bonum atque innocentem comperi, et subinde viderem, alium inscriptum PIO. IMP. etc. quem mox producam, cum iisdem notis chronologicis, et eadem capitis epigraphe exstare in museo Pisano, absolvendus utique numus, at simul novum habemus exemplum veteris moris per Commodi imperium plane confusi.

* * *

Vt lit. A. et B.

APOL. MONET. *sed in aeneis:* APOL. MONETAE. P. M. TR. P. XV. COS. VI. *Apollo nudus stans d. capiti admota, s. columnae innixus.* AR. AE. II.

Iunonem *Monetam* cum ex numis gentis Carisiae, tum veterum testimoniis, atque etiam ejus appellationis causam tenemus, non item *Apollinis Monetae*, quo nomine Apollinem soli, quod sciam Commodi numi, ex causa mihi incomperta discriminant. Sed neque lubet vela conjecturis pandere; nam vidimus hucusque nomina diis tributa, quae unius Commodi cerebrum generavit, noto nimirum ejus ingenio, qui, ut ait Lampridius [a]), in sacris ex libidine potius, quam religione addidit. Eundem Apollinem Monetam anni quoque sequentis numi in aere I. formae sistunt.

* * *

Vt lit. C. et. B.

COL. L. AN. COM. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. *Commodus velatus bobus junctis aratrum ducit.* AE. I. II. (Mus Caes.)

Numi hujus aversam jam rite explicuere Patinus, aliique. Narrat Lampridius [b]), eo dementiae provectum Commodum ut urbem Romam *Coloniam Commodianam* vocari voluerit, qui furor dicitur ei inter delinimenta Marciae suae injectus. Addit, quo tempore ad senatum retulit de Commodiana facienda Roma, non solum senatum istud libenter accepisse, sed etiam se ipsum *Commodianum* vocavisse. En stuporem etiam senatus consulto munitum, quod testantur quoque numi praesentes senatus jussu signati. Quam istud pertinaciter concupiverit, amplius declarat Dio [c]). Nam jussum, ait, fuisse populum, Romam ipsam *Commodianam*, et exercitus *Commodianos* appellare --- tum Romam a se *Aeternam*, *Felicem*, *Coloniam* orbis terrarum dictam; voluisse enim omnino, urbem suam esse coloniam videri. At enim parum aberat, quin nova haec colonia ab eo ipso everteretur, qui eam deduxit. Nam incendisset urbem, ait alio loco Lampridius [d]), utpote coloniam suam, nisi prohibitus a Laeto fuisset.

Typus, nempe sacerdos velatus junctis bobus arans, egregie scriptorum testimonia roborat; nam is obvius est in numis urbium, quae Coloniae deductae sunt. Atque ad vesanum istud Commodi institutum pertinet, quod perhibet idem Dio [e]), *ei statuam auream mille librarum cum tauro et vacca fuisse positam*, nimirum velut coloniae conditori. Vide, quae de sacro hoc coloniae dedu-

a) in Commod. cap. 16. b) in Commod. cap. 8. c) L. LXXII. § 15. d) in Commodo cap. 15. e) l. c.

cendae ritu plura docuimus Vol. IV. pag. 489. Praeclare cum hoc typo consentit epigraphe, quae insuper vocabulum COLoniae adstituit.

Tota epigraphe sic absque dubio est explenda: COL*onia* L*ucia* AN*toniniana* COM*modiana*, quomodo et Diospolis Samaritidos, et Eleutheropolis Iudaeae sese in numis dixere *Lucias Septimias Severianas*. Tamen istud mirum, inditum fuisse urbi *Luciae* praenomen, quo tempore Commodus ipse Marci praenomine constanter est usus, nisi forte jam nunc vetus, ac pridem abolitum *Lucii* praenomen denuo respexit, quod revera proximo biennio receptum videbimus. Ad hoc argumentum etiam pertinent numi inscripti: HERC. ROM. COND., quos ad annum V. C. 945. intuebimur.

* * *

Vt lit. D.

COS. VI. *Imperator paludatus stans d. parazonium, s. hastam, juxta procumbens mulier capite elephanti proboscide ornato d. leonem contingit, s. spicas tenet, retro Victoria statuens tropaeum.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Similem aversam video etiam in numo Antonini Pii musei Pisani, ex quo videtur Commodus typum mutuatus. Diximus in numo Antonini, hac imagine indicari victos ab eo Mauros, sed et idem praestitum a Commodo refert Lampridius. Hoc vero mulieris sedentis typo notari Africam, certum est ex numo Severi anni V. C. 947, in quo simili figurae adscriptum legitur: AFRICA.

* * *

Vt lit. A.

COS. VI. P. P. *Vir nudus quadrigas agens super nubes figura facem praeferente; ad oram numi superiorem portio zodiaci, infra mulier seminuda decumbens, s. cornucopiae* AE. max. mod. (Mus. Caes. et regis Galliar.)

Vt dubium non est, virum in quadrigis esse Solem, et mulierem humi prostratam Tellurem a Sole seu fotam, seu illuminatam, ita adsequi non valeo, quid themate isto adumbrare voluerint monetarii. In numo maximae formae musei Medicei similis est typus, sed in antica est caput Antonini, et similis occurrit in numo Nicaeensium cum capite M. Aurelii [a]), et in gemma musei Florentini [b]).

* * *

Vt lit. A.

FIDEI. COH. P. M. TR. P. XV. COS. VI. *Mulier stans d. spicas, s. vexillum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

FIDEI. COHORTIVM. AVG. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Numi alterius inscriptionem nondum in moneta vetere conspicere licuit. Eum haud ita pridem museo Caesareo acquisivi.

* * *

Vt lit. C.

LIBERAL. AVG. VII. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. *Liberalitas stans*, vel: *Imperator in suggestu more solito.* AE. I. (Mus. Caes.)

---

a) Num. max. mod. reg. Gall. b) Tom. II. tab. 87.

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VII. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Com. Vitzai.)

* * *

Vt lit. E.

PIO. IMP. OMNIA. FELICIA. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. P. P. *Neptunus seminudus stans s. pede prorae navis imposito, d. hastam, s. delphinum; adstat imperator togatus velatus d. pateram ad aram sacrificans.* AE. max. mod. (Mus. Albani, Maffei Antiq. Gall. p. 121. Mus. Florent. tab. CXI.)

Singularis est formula partis aversae, quam crederem pertinere ad vota XX. hoc anno obita, nisi turbaret Neptunus adstans. Forte igitur hic typus maritimum aliquod iter respicit, quale saepius a Commodo seu veris, seu fictis causis intentum tradit Lampridius.

* * *

Vt lit. E.

P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. P. P. *Imperator in lentis quadrigis s. scipionem cum aquila coronatur a Victoria retro stante.* AE. m. m. (Mus. Caes.)

Praeclarus hic numus Commodi processum consularem Kal. Ian. anni praesentis offert. Similem aversae typum habet numus cum duplice metallo in museo Pisano.

* * *

Vt lit. A.

VOTIS. XX. COS. VI. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

VOT. XX. P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes.)

De his votis vide alibi singulari dissertatione.

V. C. 944. P. X. 191.

TR. P. XVI. COS. VI. DES. VII. P. M. P. P. PIVS. FEL. BRIT. IMP. VIII.

Cassio Aproniano, Bradua cos.

Hoc, aut sequente anno magnificum templum Pacis horribili incendio conflagrat, cujus peristases fuse describit Herodianus,

A. M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. M. COMMOD. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AE. I.*

C. M. COMM. ANT. P. FELIX. AVG. BRIT. P. P. *Caput laureatum in AE. II.*

D. M. COMMODVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. max. mod.*

* * *

Vt lit. A. B. C.

APOL. PAL. P. M. TR. P. XVI. COS. VI. *Apollo stolatus stans d. plectrum, s. lyram super columella.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

APOL. PALATINO. P. M. TR. P. XVI. IMP. VIII. COS. VI. P. P. *Apollo stolatus stans d. plectrum, s. una cum adstante Victoria lyram tenet.* AE. max. mod. (Mus. de Camps.)

Templum Apollini in Palatio jam aedificavit Octavianus teste Suetonio [a]),

a) in Aug. c. 29.

et quidem secundum Dionem anno V. C. 718 [a]), idque de se ipse testatur in marmore Ancyrano [b]): TEMPLVMQVE. APOLLINIS. IN. PALATIO - - - FECI. Palatini hujus Apollinis subinde honores crevere victo ad Actium, et juxta Apollinis Actii templum Antonio. Nasone quoque tanti gratiam beneficii ejus dei praesentiae acceptam ferente [c]):

Visite laurigero sacrata Palatia Phoebo.
Ille Paraetonias mersit in alta rates.

Dixit *Paraetonias* pro Aegyptias, a Paraetonio Marmaricae oppido, quae regio Aegypto addita Cleopatrae paruit. Atque haec causa est, cur eodem cultu, nimirum indutus stola, compareat Apollo Palatinus, quo Actius in copiosis numis Augusti, quorum memini in hujus moneta ad annum V. C. 733, et gentis Antistiae, quae denarios dedit inscriptos: APOLLINI. ACTIO. In marmore Muratorii proditur SACERDOS. DIANAE. VICTR. ET. APOLLINIS. PALAT*ini* [d]). Zosimus quoque meminit aedis Palatinae Apollinis [e]), eamque imperante Iuliano apostata incendio haustam periclitantibus ipsis carminibus Cumanis perhibet Ammianus Marcellinus [f]).

* * *

Antica varia.

HERC. COMM. vel: COMMODIANO. P. M. TR. P. XVI. COS. VI. *Hercules seminudus stans ante aram d. pateram, s. cornucopiae, juxta arbor, ex qua leonis exuviae pendent.* AV. (Vaill.) AE. max. mod. (Mus. Albani.) AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eo denique insaniae delapsus est Commodus, ut non modo deum sese profiteretur publice, quae quidem dementia nonnullos etiam superiorum Augustorum occupavit, sed abjecta etiam laurea, sueto hactenus imperatorum gestamine, caput suum dei cultu ornatum in moneta publica proponendum curaret. Fuit istud hactenus vanitati Graecae permissum, quae reges suos variis diis adsimilavit, atque etiam Augustos, cujus luculenta exempla in numis Neronis commatis peregrini vidimus; verum ab turpi hac adulatione immunis in hunc diem fuit moneta Romanorum, atque etsi hujus partes aversae nonnunquam imperatorem dei habitu vestiant, istud tamen factum reverentius, et nonnullo adhuc pudore; nam appellatione dei constanter abstinuit epigraphe, nihilque in cultu capitis immutatum, quod majestatem imperii dedeceret. Haec demum claustra perfregit Commodi impudentia, atque inde ab hoc anno usque ad vitae exitum numorum ejus et epigraphe, et typi praesentem deum loquuntur, nimirum quemadmodum et omnia illa, quae turpiter, quae impure, quae crudeliter, quae gladiatorie, quae lenonice fecerat, actis urbis incidi jussit, ut ait Lampridius [g]). Cum adrogare sibi posset, quae vellet, Hercules esse maluit, quoniam per belluarum caedem hujus sese virtutem proxime aequasse credi voluit. Hunc olim hominis, at modo

a) L. XLIX. §. 15. b) Tab. IV. v. 1. c) Art. amat. L. III. v. 389. d) Pag. 1119. 1.
e) L. II. sub. init. f) L. XXII. g) Cap. 15.

dei stuporem non modo longum numorum, sed veterum etiam testimoniorum agmen comprobat, quorum illustriora hic conferta proponere ob oculos juvat; ad quae in consequentium numorum explicatione provocabo.

Herculem Romanum, quo nomine cusi numi ad annum sequentem occurrent, primum dictum fuisse propterea, quod feras Lanuvii in amphitheatro occidisset, refert Lampridius a), et Dio b). Si veteribus fides, eo sane nomine, si corporis vires spectes, indignus non videbatur, nam et elephantum conto transfixit, et uno die centum ursos jaculis confecit, fessusque uno haustu poculum a puella propinatum absolvit, ne potu quidem, et muliercularum amoribus Herculem inficiatus. Perhibentur haec, quo minus dubitari possit, a Dione autopta c), tum Lampridio d). Centum ab eo leones uno die occisos narrant Herodianus e), et Ammianus f). Propter haec cum alter Alcides haberetur, et ipse dici vellet, continuo properatus statuarum populus, quae Commodum ejus dei habitu proponerent, et mox illi, ut praesenti deo, immolatum g). Ipse vero adeo sibi verus est Hercules visus, ut, cum prodiret, leonis exuvias, et clavam ante se gestari praeciperet h). Vt vero et Herculem perdomitis monstris, quae fabulosa vulgo credita sunt, imitaretur, homines vivos pannis et linteis insutos in gigantum modum formavit, et jaculis confecit i). Et cum rumor increbresceret, statuisse imperatorem sagittis nonnullos conficere, velut Hercules quondam Stymphalidas, factum, ut plerique ne introire quidem in amphitheatrum auderent k). Et facta haec in oculis populi, patribus per metum acclamantibus: *primus es*, *felicissimus es*, *vincis*, *vinces*, *unus ab omni memoria*, *Amazonie*, *vincis*. Ad tantum infamiae prolapsus Marci filius, eo redactus gravissimus patrum consessus. Quod poterat, satyris eam turpitudinem ultum ivit populus. En hujus generis diasyrticon non illepidum ex Lampridio l):

Commodus Herculeum nomen habere cupit,
Antoninorum non putat esse bonum.
Expers humani juris et imperii,
Sperans quin etiam clarius esse deum,
Quam si sit princeps nominis egregii,
Non erit iste deus, nec tamen ullus homo.

Fuit tamen repertus, qui hunc ejus stuporem nonnihil mitigaret. *Quid igitur mirum*, inquit Athenaeus m), *si Commodus imperator apud nos in curru appositam habuit clavam Herculeam substrata ipsi leonis pelle, et Herculem vocari se voluit, cum Alexander Aristotelis praeceptis imbutus se ipsum illis diis adsimilaverit, atque adeo etiam Dianae.*

* * *

Vt lit. D.

VOTIS. FELICIBVS. *Quinque naves etc.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Vide de numis similibus paullo infra.

---

a) Cap. 8. b) L. LXXII. §. 15. c) L. c. §. 18. 19. d) Cap. 12. 13. e) in Commodo. f) L. XXXI. c. 10. g) Lamprid. cap. 9. Dio l. c. §. 15. h) Dio l. c. §. 17. Herodian. L. I. c. 14. i) Lamprid. cap. 9. Dio l. c. §. 20. k) Dio l. c. l) in Diadum. m) L. XII. p. 537.

Eodem anno:
Redit praenomen Lucii, exspirat BRIT.

Ex numis, quos modo recensebo, ii, qui mentione consulatus abstinent, etiam anno sequente feriri potuerunt.

A. L. AEL. AVREL. COMM. AVG. P. FEL. *Caput laureatum in AR. AE. I. II.*
B. L. AELIVS. AVRELIVS. COMMODVS. AVG. PIVS. FELIX. *in AE. max. mod.*
C. IMP. COMMODVS. AVG. PIVS. FELIX. *Caput laureatum in AE. max. mod.* (Haym. Pisani.)

* * *

Vt lit. A.
I. O. M. SPONSOR. SEC. AVG. *Iuppiter stans s. hastam, d. contingit imperatorem adstantem togatum d. globum, s. sceptrum tenentem.* AR. In aeneis I. formae praeterea additur: COS. VI. P. P. S. C. *et Iuppiter s. fulmen tenet.* (Mus. Caes.)

Vt lit. A.
IOVI. DEFENS. SALVTIS. AVG. *Iuppiter stans inter septem sive triones, sive planetas d. fulmen intentat, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.
MATRI. DEVM. CONSERV. AVG. COS. VI. P. P. S. C. *Cybele leone vecta d. tympanum, s. hastam.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eidem tamen huic deo et Herculi opus fuisse *Iove Sponsore securitatis*, et *defensore salutis*, et *Matre deum conservatrice*, praesentes numi profitentur. Existimat Lilius Gyraldus [a]), Δια Πιστιον memoratum Dionysio Halicarnassensi [b]), cujus aedes in colle Martiali stetit, fuisse Iovem *fidei sponsorem*, et forte eum ipsum, quem Romani *Deum Fidium* dixere. Epigraphe non multum absimilis habetur in numo Postumi: I. O. M. SPONSORI. SAECVLI. AVG., unde conjici posset, etiam in praesente numo *το* SEC. notare SEC*ulum*, non SEC*uritatem*, nisi inde ab Augusto constaret, in numis semper SAECVLVM scribi, non SECVLVM. Ceterum male munere suo functus est Iuppiter, quando pridie Kalend. Ian. anni sequentis nefarie vadimonium deseruit. At matrem deum jure conservatricem agnovit. Nam aliquot ante annis, quo die consueti ludi Megalesia in ejus honorem acti sunt, Maternus quispiam latronum dux Caesari per ludorum licentiam insidias comparavit. Prodito per socios consilio, et auctore meritis suppliciis adfecto ipse, ac populus omnis deae, velut quae principem praesente periculo eripuisset, soteria peregit [c]). De Serapide quoque conservatore mox infra.

* * *

Vt lit. A.
MAGNIFICENTIAE. AVG. COS. VI. P. P. *intra coronam.* AE. II.

Deest hic numus in Mediobarbo, exstat apud Vaillantium, sed ubi, fors typothetae errore, legitur COS. III. Vnicum istud est *Magnificentiae* numis inscriptae exemplum, quam epigraphen in homine vanissimo quaevis causa quomodocunque inepta dictare potuit.

* * *

Vt lit. B. Capita duo jugata, Com-

a) Synt. p. 86. b) L. IX. p. 617. c) Herodian. L. I. c. 10.

modi radiatum, *alterum muliebre*, *cujus pectori adfixa pelta.*

PIETAS. AVG. P. M. TR. P. - - - *Mulier sedens d. adstanti infanti quid porrigit.* AE. max. mod. (Reg. Gall.)

Numismata maximi moduli hujus, et sequentis anni non raro caput Commodi cum muliebri jugatum offerunt. Istud galeatum plerumque est, creditumque antiquariis, illo effigiari Marciam concubinam, quam perdite deperibat, praecipue in Amazonis habitu, quo eam fingi plerumque voluit [a]), et quam tanto quidem opere hoc cultu dilexit, ut primum anni mensem ab ea *Amazonium appellaret* [b]), Amazoniae imagine literas obsignaret [c]), ipse Amazonio habitu in arenam descenderet, Amazonii sibi nomen inderet ipse [d]), illudque, etsi aliis titulis interdum abstineret, omitteret nunquam [e]). Esse caput istud galeatum Commodianae hujus Marciae, quod visum eruditis, verisimile satis, etsi aliarum explicationum esset patiens; tamen in praesente numo certam exhiberi Amazonem, arguit pelta ejus adfixa pectori, quam fuisse proprium Amazonum clypeum constat. Capita utriusque jugata praeter ea, quae praesens numus sistit, videre adhuc est in numis maximi moduli regis Galliarum tab. XIII., in Buonarrotii Observat. hist. pag. 117., in Vaillantii Numis praest. T. III. edit. Rom. p. 146, in Museo Florent. tab. XLVII., in Museo Albani tab. XXXVIII.

* * *

Vt lit. A.

PROVIDENTIAE. AVG. *Mulier elephanti exuviis tecta stans. pro cujus pedibus leo, s. sistrum ostentat; huic adversus Hercules nudus pede prorae navis imposito, s. clavam super navi tenet, uterque dexteram una cum spica conjungit.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Haec *Providentia Aug.* ex eruditorum sententia classem Africanam notat advehendo frumento destinatam, de qua mox infra. Elephanti exuviae, sistrum, leo attributa sunt propria Aegypto, et Africae propriae, quae fuere urbis horrea. Ipse vero Commodus, ut erat testibus anni sequentis numis *Hercules Romae conditor*, in hoc numo fingitur Herculis cultu missis ad petendam annonam navibus, quarum unam pede calcat, novae coloniae suae providens. Huc pertinent ea, quae olim causa largitionum frumentariarum, quas imperatores saepe varias in urbes contulere, ad numum Tarsensem inscriptum CЄITOC, et alium Laodiceae Syriae latius disputavi [f]).

* * *

Vt lit. A.

SERAPIDI. CONSERV. AVG. *Serapis stans d. extenta*, *s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Fuisse Commodum superstitioni Aegyptiorum obnixe addictum, testem habemus Lampridium, qui coluisse eum sacra Isidis, et rasisse caput, et gestasse Anubin refert. Ergo in partem honoris venit et Serapis inter principes in Aegypto deos cultus, et hic quoque *conservatoris Augusti* nomen promeritus.

---

a) Lamprid. cap. 11. b) Dio L. LXXII. §. 15. c) Capitolin. in Albino. d) Lamprid. l. c. e) Dio l. c. f) Doctr. Vol. III. p. 73. et 321.

* * *

Vt lit. B. Capita jugata Commodi laureatum, et muliebre galeatum.

TEMPORVM. FELICITAS. *Quatuor puelli suis signis quatuor anni aetates indicantes.* AE. max. mod. (Reg. Gall. et Mus. Pisani.) AE. I. (Mus. Christinae.)

Haec aversa propter argumenti ingenium, et elegantiam memorabilis, explicata supra in numis fratris Annii Veri.

* * *

Vt lit. C.

VOTIS. FELICIBVS. *Quinque naves velis remisque actae; juxta super rupe pharus, adstant figurae duae seminudae in mare prospectantes, infra quas taurus ex rupe praeceps actus.* AE. max. mod. (Haym. T. II. p. 297. Mus. Pisani, Mus. Medici.)

Aversae typum egregie explicat Haymius, nimirum eo exhiberi classem Africanam, de qua sic Lampridius [a]: *Classem Africanam instituit, quae subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent.* Adstant in litore sacerdotes bini, qui velificantem classem *votis felicibus* prosequuntur, neque iis incruentis; etenim caesa jam victima taurus humi adjacet grata maris deo hostia teste quoque Marone [b]:

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.

Taurum quoque mari immolavit Cleomenes Spartae rex [c], et communem fuisse Neptuni victimam, dixit Plutarchus [d].

Atque hunc ritum praeclare ad numi hujus imaginem describit Valerius Flaccus [e]:

Tum laeti statuunt aras; tibi, rector aquarum,
Summus honor, tibi caeruleis in litore vittis
Et Zephyris Glaucoque bovem, Thetidique juvencam
Dejicit Ancaeus.

Sed et vetus hic apud Romanos ritus testante Cotta apud Ciceronem [f]: *Nostri quidem duces mare ingredientes immolare hostiam fluctibus consueverunt.* Et quidem auctore Virgilio [g]:

Nigram hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Neque tamen solis victimis commoti maris furias placavit antiquitas. In antiquissimo marmore Scipionis Barbati legitur [h]:

DEDET. TEMPESTATEBVS. AIDE. MERETO.

Et Ovidius [i]:

Te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur,
Cum paene est Corsis obruta classis aquis.

Hanc classem saltem jam anno V. C. 940 fuisse constitutam, diximus ad ejus anni numum inscriptum: PROVID. AVG.

---

a) Cap. 17. b) Aen. III. 119. c) Herodot. L. VI. c. 76 d) πως ἀν τις ἀισθοιτο etc. e) Argon. L. I. v. 188. f) de natura deor. L. III. c. 20. g) Aen. III. 120. h) Piranesi Monum. degli Scip. p. 15. i) Fast. VI. 193.

V. C. 945. P. X. 192.
TR. P. XVII. COS. VII. P. M. P. P.
PIVS. FEL. IMP. VIII.
Commodo Aug. VII. P. Helvio Pertinace
II. cos.

Commodus pridie Kalendas Ian. nocte concubia vi illata exstinguitur anno aetatis XXXI. mense IV.

Fuit per crudelitatem, et morum infamiam pessimis principibus adnumerandus, qui non exiguo numero rem Romanam tenuere, et per artes gladiatorias, in quibus excelluerat, dignus rumore in vulgus sparso, non a Marco illum, sed gladiatore per adulterium Faustinae fuisse conceptum a). In ejus enarrandis sceleribus et stupore ingenii, quo nihil non attentavit, nihil non sibi permissum arbitrabatur, nolo esse prolixior, quod eorum potiorem partem in ipsorum numorum explicatione jam commemoravi. Quod tamen eo imperante integra stetit respublica, ipsis provincialibus Mauris, Dacis, Pannoniis, Britannis, Germanis ejus imperium recusantibus, istud praestantium ducum Pertinacis, Severi, Pescennii Nigri, Albini virtuti, et fidei debebatur. Ipse interea in ignavo Romae otio consedit, nisi quod arma ibi non in animalia modo, fera perinde ac mansueta, sed homines etiam, modo divites essent, aut sibi suspecti, convertit, indicto etiam mensibus bello, quibus pro vetere, et recepta hactenus appellatione secundum Dionis coaevi, et Romae praesentis testimonium haec indidit nomina: *Amazonius*, *Invictus*, *Felix*, *Pius*, *Lucius*, *Aelius*, *Aurelius*, *Commodus*, *Augustus*, *Herculeus*, *Romanus*, *Exuperatorius*. Atque infame istud monstrum, aliquoties insidiis frustra petitum, denique conspiratione Marciae amicae, et Amazoniae suae periit, quae cum in puelli Commodo perchari manu adverteret tabellam, quam is illi dormienti, ut cum illa luderet, subtraxit, atque in ea se quoque ad caedem designatam legeret, eodem adhuc vespere, qui fuit anni hujus postremus, primum venenum Commodo obtulit, cumque is illud rejectare inciperet, ejus fauces per arcessitum gladiatorem elidi jussit. Igitur Commodus, qui Domitiani moribus vixit, similem etiam exitum reperit, utriusque insidiis suo ipsorum capiti fatalibus a puello nil tale cogitante proditis b). Ejus audita nece corpus ut unco traheretur, et in Tiberim abjiceretur, una voce postulavit senatus, populusque, atque est opérae pretium legere apud Lampridium patrum adclamationes, quibus funesti hominis memoriam exsecrabantur, et cum vivum non haberent, mortuum ad poenam deposcebant. At Pertinax jam tum dictus imperator eum sepeliri primum, deinde in Hadriani monumentum inferri jussit. De ejus consecratione agetur infra. Ejus vitam scripsere Lampridius, Dio, Herodianus, praeter aliorum compendia.

Vxor *Crispina*, de qua infra.

* * *

A. L. AEL. AVREL. COMM. AVG. P. FEL. *Caput vario cultu in omni metallo et forma.*

B. L. AELIVS. AVRELIVS. COM-

a) Capitol. in Aurel. c. 19. b) Dio L. LXXII. §. 15.

MODVS. AVG. PIVS. FELIX. *Caput vario cultu, in AE. max. mod.*

* * *

Vt lit. A. Caput leonis exuviis tectum.

HERC. ROM. COND. COS. VII. P. P. *Hercules s. clavam bobus junctis aratrum ducit.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. Caput simili cultu.

HERC. ROM. CONDITORI. P. M. TR. P. XVII. COS. VII. P. P. *Idem typus.* AE. max. mod. (Reg. Gall., Pisani, de Camps.)

Aversae explicatio petenda ex numo COL. L. AN. etc. anni V. C. 943.

* * *

Vt lit. A.

HERCVLI. ROMANO. AVG. *Hercules stans s. clavam, d. adstitutum tropaeum contingit.* AR. AE. I. II. In aliis: *Arcus et pharetra.* AR. AE. I. vel:

HERCVL. ROMAN. AVGV. *Clava intra lauream.* AR. AE. I. II.

Explicationem pete ex eodem fonte, tum ex iis, quae anno superiore ad numum HERC. COMMODIANO disserui. Vrbis pravum exemplum imitata Graecia eum quoque in numis suis appellat ΡΩΜΑΙΩΝ. ΗΡΑΚΛΗC, ut in numis Cyzici [a]), aliarumque, tum et Alexandrinis.

* * *

Vt lit. A. Caput laureatum.

LIB. AVG. VIII. P. M TR. P. XVII. COS. VII. P. P. *Liberalitas stans.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. Caput laureatum.

P. M. TR. P. XVII. IMP. VIII. COS. VII. P. P. *Typis variis in omni metallo et forma.*

Est haec solita anni hujus moneta, et in hujus area praeter aliorum annorum morem plerumque visitur astrum.

* * *

Vt lit. A. Caput laureatum.

Eadem epigraphe. Sarapis stans, et juxta Isis cum sistro, et Commodus togatus, quem Victoria retro stans coronat, ad aram stantes jungunt dexteras. AE I. II. (Mus. Caes.)

Confirmant hi numi pertinacem Commodi in superstitionem Aegyptiam adfectum, ac praecipue in sacra Sarapidis et Isidis, de quo egi ad numum SERAPIDI etc. anni V. C. 944.

Eodem anno:

TR. P. XVIII. manentibus reliquis.

Vt lit. B. Caput leonis pelle coopertum.

HERCVLI. ROMANO. AVG. P. M. TR. P. XVIII. COS. VII. P. P. *Hercules Farnesius.* AE. max. mod. (Reg. Gall. Vaill.) In alio: *Hercules nudus, et aversus stans s. clavam, juxta leo.* AE. max. mod. (de Camps.) In alio: *Hercules nudus stans d. clavam, s. leonem pede prehensum.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Eadem adversa.

HERC. ROM. CONDITORI. P. M. TR. P. XVIII. COS. VII. *Hercules arans.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Alius similis addito in aversa. P. P. S. C. AE. I. (Mus. Christinae Tab. XXIII. 2. Catalogue d' Ennery,

a) Pellerin. Mel. II.

pag. 474.) *Eadem aversae epigraphe exstat in* AV. AR. AE. apud Mediobarbum.

* * *

Antica incerta.

PIETAS. AVG. P. M. TR. P. XVIII. COS. VII. P. P. *Mulier sedens adstante puello.* AE. max. mod. (Vaill.)

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XVIII. IMP. VIII. COS VII. P. P. *Mulier sedens dexteram versus adstantem puellum extendit, s. hastam, in area astrum.* AR.

Est sanus, ac integer in museo Caesareo. Similis a Gessnero citatur ex museo Pfau Tab. 121. 10.

Antica incerta.

P. M. TR. P. XVIII. COS. VII. P. P. *Imperator velatus ad aram sacrificat adstante Hercule.* AE. max. mod. (Baldini ad Vaill. T. III. p. 154.)

Typi ex prioribus jam cogniti. Omnes autem hos numos cum trib. potestate XVIII., quotquot reperire potui, studiosius descripsi propter ea, quae olim in tractatu de hac potestate copiosius sum disputaturus.

Numus vagus.

COMMODVS. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum.*

MAVRETANIA. S. C. *Vir pileatus d. capistro equum retinet, s. baculum.* AE. I. (Vaill. num. praest. T. I. p. 95. in iconismo. Mus. Christinae tab. 21.)

Numum cum eadem aversa jam vidimus in moneta Hadriani. Typus hic ad Commodum quoque pertinet, quo imperante Mauri rebelles ad obsequium sunt revocati [a]).

Divus Commodus.

Hanc tamen belluam vitiis omnibus coopertam Severus postea in deorum numerum retulit, Flamine addito, quem ipse vivus sibi paraverat Herculeano Commodiano. Lampridius, qui istud refert [b]), id factum putat odio senatus, et consentit Spartianus, qui narrat [c]), Severum, cum vindictam de senatu sumere vellet, Commodum inter divos referendum censuisse, primumque inter milites victo Albino *divum Commodum* pronunciasse, idque ad senatum scripsisse addita oratione victoriae. Alia ejus consecrati causa esse potuit, quoniam is Marci filius, et Commodi frater haberi in vulgus voluit. Quare cum consecravit fratrem, istud fecisse per pietatem est visus, et facilius, quod voluit videri, persuasit populo, quem, quo velis, per religionis superstitionem ducas. Observandum tamen, non compertum hactenus Commodi consecrati numum imperante Severo signatum. Quos habemus, ex eorum sunt genere, qui serius in memoriam consecratorum Augustorum signati sunt. Eccos:

DIVO. COMMODO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila, vel: Ara ignita.* AR. (Mus. Caes.)

Haec Commodi consecratio probatur etiam marmoribus Gruteri, quorum unum ait: DIVO. COMMODO. FRATRI. IMP. CAES. L. SEPTIMI. SE-

---

a) Lamprid. cap. 13. b) in Comm. c. 17. c) in Severo cap. 11.

VERI. PII. PERTINACIS. AVG. [a]) aliaque similis argumenti [b]). Item in Constitutionibus Alexandri: *Divi Marcus*, *et Commodus* [c]). Tamen hanc hominis impuri consecrationem a multis fuisse improbatam, aut certe neglectam, ex ipsis veterum monumentis perspicimus. In Kalendario Dionysii Philocali, in quo omnes divorum Augustorum natales celebrantur, Commodi memoria reticetur. Omittitur etiam in indice vetere Caesarum consecratorum, quem a Peirescio repertum post Aegidium Bucherium adcuratius edidit cl. Marinius [d]), his adeo auctoribus magis incorruptum suum judicium, quam senatus auctoritatem secutis, quod eo etiam confirmatur magis, quod iidem infaustam quoque Ti. Claudii, et Caracallae consecrationem reticuere.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum.

Harum numi copiosi. Incertae patriae videri possint numi aenei IV. formae, in quorum una facie est caput, et epigraphe Commodi, in altera: ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ, et typus: *Caput muliebre velatum turritum.* De his jam aliqua praecepi in numis commatis peregrini M. Aurelii, cum de numis argenteis similiter inscriptis agerem. Verisimilem eorum patriam esse Carrhas Mesopotamiae, alibi dixi [e]).

In numo Tarsensi max. mod. Commodus non lauream, sed diadema praefert. (Mus. Albani tab. 44.)

* * *

Coloniarum.

Harum quoque moneta abundat.

Antiocheni.

Sub Commodo rarissimi, ut dictum in ejus urbis moneta.

Alexandrini.

Magno hi sunt numero. Annos imperii M. Aurelii sub filio fuisse continuatos, diximus in his Vol. IV. pag. 77.

De raritate numorum aureorum Commodi.

Cum aliorum imperatorum numi aurei justo numero supersint, mirum profecto, raros adeo esse Commodi in hoc metallo numos, ut facilius centum alterius Augusti, quam unum hujus reperias, cum tamen metallum istud hoc imperante magis abundare debuerat, qui tempus, quo summae rei praefuit, *saeculum aureum* vocari praecepit, ut ad annum V. C. 938 docuimus. Erunt, qui ejus causam in exportatum majore copia aurum volent referre, quo desidiae ipse amans pacem a barbaris redimeret, quod ab eo factitatum auctor est Herodianus. Constat etiam, hoc imperante aurum, quod multo utilius maleo destinandum fuerat, multo quam antea frequentius in luxus inepti alimenta fuisse derivatum. Argumento esto statua aurea librarum mille cum tauro, et vacca, quam Commodo fuisse positam, refert Dio, qui cuncta haec stuporis argumenta coram ipse vidit [f]). An cum in ejus defuncti memoriam ira implacabili saeviret senatus, censente inter alios Cingio

a) Pag. 261. 5. b) Pag. 187. 3. et. 191. 5. c) Cod. L. IV. tit. 57. bis. d) Frat. arv. p. 387. e) Vol. IV. p. 508. f) L. LXXII. §. 15.

Severo, *ejus abolendas statuas, quae undique sunt, nomenque ex omnibus privatis, publicisque monumentis eradendum* a), saevitum est etiam in monetam ejus auream, perinde ac olim senatus conflari aeneos Caligulae numos jussit b), atque omnem fratris Getae monetam Caracalla? Non parum haec, quae memoravi, valere ad praesentem causam possent, sed tamen ejus in auro inopiae ratio altius petenda. Etenim video, monetam auream, quae primis imperantis Aurelii annis obvia est, per annos sequentes ita sensim deficere, ut aureum ejus numum vix reperire sit postremis annis, quibus imperium tenuit. Quid quod uxoris Faustinae consecratae numum, etsi id genus in argento et aere obvium est, ne unum quidem aureum in opulentissimis, et optimae notae catalogis, et ne quidem in uberrimo Mediobarbo reperire licet, tametsi consecratae matris Faustinae senioris aurei abundent. Aurelius uxori suae fere quinquennio superstes fuit. Si ergo tum adhuc ex lege ordinaria signati fuissent aurei, an credibile, negatum fuisse aurum uxori, in quam mortuam honores alios omnes, quos maximos animo potuit concipere, congessit? Ergo quoniam causae pensitati barbaris auri, seu luxus, seu odii senatus, quae in Commodo valere possent, Aurelio applicari nequeunt, aliae certe utrique communes forent advocandae, sed quibus rimandis abstineo, quoniam, quidquid attulero, intra conjecturas semper stabit. Ceterum quantumvis rari sunt, ut dixi, Commodi in auro numi, sic ut illustriora etiam musea, cum eorum senarium jactare possunt, satis videri nobilitata queant, tamen solum regis Galliarum thesaurum recondere octo et triginta variis typis, et duos praeterea maximi moduli, testatur cl. Beauvais c). Vnum hujus moduli vulgavit etiam Vaillantius.

Nomina ac tituli.

Quae Commodus nomina ac titulos per intervalla collegerit, ab ipso nos Commodo edoceri patiamur. Nam refert Dio epigraphen literarum, quas extremo vitae tempore ad senatum dedit his titulis turgentem d):

Imperator Caesar Lucius Aelius Aurelius Commodus, Augustus Pius Felix Sarmaticus, Germanicus Maximus, Britannicus, Pacator orbis terrarum, Invictus, Hercules Romanus, Pontifex maximus, tribuniciae potestatis XVIII. Imperator VIII. Consul VII. Pater patriae, consulibus, praetoribus, tribunis plebis, senatuique Commodiano Felici salutem.

In singulos titulos nonnihil advertamus:

IMPERATOR. De hoc duplicis sensus titulo infra.

LVCIVS, alias et MARCVS. Notanda hoc loco inconstantia, qua Commodus *Lucii*, vel *Marci Aelii Aurelii Antonini* nominibus est usus, dum ea pro lubidine jam adoptavit, jam respuit. Ea lex secundum numos haec fuit concordibus etiam marmoribus, in qua statuenda olim parum veraces fuere Norisius e),

---

a) Lamprid. c. 20. b) Dio L. LX. §. 22. c) Hist. abreg. T. I. p. 259. d) L. LXXII. §. 15. e) in Epist. cons.

et Buonarrotus [a]), quos jam refutavit Bimardus [b]).

Principio usum nominibus *L. Aurelii Commodi*, primi ejus numi docent. In his, saltem mihi cognitis, *Aelii* nomen non additur, sed eo etiam tum jam fuisse praeditum, docet ejus aetatis marmor Gruterianum, in quo legitur [c]): L. AELIO. AVRELIO. AVG. F. COMMODO. COS. Retinuit haec nomina etiam Augustus, et leguntur adhuc in numis anni V. C. 933. Sed hoc labente repudiavit praenomen *Lucii*, retento etiam nonnisi raro in numis Aurelii nomine, hisque paterna nomina *M. Antonini* suffecit, et perrexit his uti anno adhuc V. C. 944. Labente hoc tempore homo varius recepit vetera nomina *L. Aelii Aurelii* omisso etiam *Antonini*, iisque usque ad exitum vitae est usus egregie cum numis conspirante titulo literarum, quem proxime ex Dione citavi. Ejus variationis causa fuerit eadem, quae tot aliorum Commodi stolide factorum.

LVCIVS. A quo praenomen hoc traxerit, non meminere veteres. Paternum certe non fuit. Videtur illi a patre inditum in fratris adoptivi L. Veri gratiam, a quo verisimile est et *Commodi* nomen, ab Aurelia gente cetera alienum, fuisse petitum. Constat, Aurelium anno V. C. 914, quo fratrem imperii conlegam adscivit, huic pro vetere L. Commodi nomine indidisse nomen L. Veri. Placuerit igitur ademptum L. Commodi nomen resuscitare, illud in filium aliquot post menses natum transferendo. Exhibet Muratorius marmor, quod utrumque praenomen conjungit, scripto: L. AEL. AVR. M. COMMODO. [d]) sed de ejus fide dubitat ipse editor, et subdubitat quoque Marinius [e]). Vide de hoc argumento nonnulla alia in numis Getae, cujus quoque praenomina variarunt.

AELIVS. Hoc illi nomen inde ab Hadriano per repetitae adoptionis legem accessit.

PIVS. De causa collati hujus elogii egi ad annum V. C. 936, quo illud primum in numis legitur. Pium jam anno 934 fuisse dictum, statuit Mediobarbus. Non impugno maturius istud exordium; nam poterat vidisse numos ignotos mihi. At cur idem, qui ejus tituli natales ad annum V. C. 934 figit, jam ad annos hunc praecedentes Commodi numismata citat PII nomen praeferentia? Statutum a me exordium comprobant numi Alexandrini, in quibus titulus ЄΥСЄΒΗС non legitur ante annum ΚΔ, qui coepit in Thot V. C. 936.

FELIX. Narrat Lampridius [f]), datum hunc titulum Commodo, posteaquam Perennis, qui inhiasse imperio credebatur, cum familia est exstinctus. Hoc Lampridii testimonium mendacii arguit Tillemontius, quoniam Commodus jam in numis anni V. C. 934 *Felix* dicitur, Perennis autem saltem quinquennio serius caesus sit [g]). At quibus in numis? Mediobarbi, quos ipse testes advocat. Verum magnopere a Mediobarbo diversum docent numi non ignave, sed maturo, ut oportuit, examine descripti, atque hi Commodum nonnisi labente anno V. C 938. *Felicem* denique salutant. Stet

---

a) Osservaz. p. 103. b) in Epist. ad Maffei. ap. Murat. Tom. I. pag. 122. c) Pag. 261. 7. d) Pag. 242. 5. e) Frat. arv. p. 355. f) Cap. 8. g) in Commodo p. m. 767.

igitur integra hoc loco Lampridii auctoritas. Quoniam ergo Commodus *Felix* dici incipit in trib. potestate X., et consulatu IV., quae sunt notae anni V. C. 938, datumque hunc titulum adserit Lampridius occasione Perennis caesi, palam est, hunc saltem fluente hoc anno violenta morte fuisse exstinctum, quoniam Commodus in numis hujus anni *Felix* jam audit. Quare rursum fallitur Tillemontius, qui tristem Perennis casum in annum sequentem 939 differt. Pagius dictum esse *Felicem* ipso imperii post patris mortem suscepti initio ex numis adserit [a]), sed et hic ex numis, quos vulgavit Mediobarbus.

GERMANICVS. Hic honos Commodo ex elogiis bellicis omnium maturrime delatus, et quidem cum Caesar adhuc esset, et ex meritis patris, ut vidimus ad annum V. C. 928. Huic secundum inscriptionem literarum, quam ex Dione supra dedimus, additur MAXIMVS, et conspirant in hoc epitheto copiosa marmora, at in numis illud nunquam comparet.

SARMATICVS. Germanici titulum paullo post secutus, ut probavimus ad annum V. C. 928. Vterque fere inscribi numis desiit anno V. C. 931, at marmoribus inhaesit constanter.

BRITANNICVS. Teste Lampridio [b]) appellatus est *Britannicus ab adulatoribus, cum Britanni etiam imperatorem contra eum eligere voluerint.* Quae fuerit ejus conferendi causa, dixi ad annum V. C. 937, in cujus numis certae fidei is primum, quod mihi constet, observatur. Comparet is adhuc in numis anni V. C. 944, sed hoc labente una cum nominibus *Marci* et *Antonini* ex moneta extorris est factus ferentibus tamen eum marmoribus.

INVICTVS, quod sibi nomen per arrogantiam indidit, neque istud invide, nam et Februarium mensem in nominis hujus communionem venire est passus, ut in ejus vita ad annum V. C. 945 diximus. Tamen in numis non legitur.

HERCVLES ROMANVS. Abunde de hoc titulo egi ad annos V. C. 944. 945.

PATER. PATRIAE. Commodum ad annum V. C. 930 simul Augustum vidimus, simul *Patrem Patriae*, et quidem imberbem, annum nempe aetatis XVII. agentem, sempiterno patris Aurelii opprobrio, qui titulum, quem sibi nonnisi extremis imperii sui annis applicuit, cum filio puero, dulce hoc elogium per cognitam jam tum animi ferociam minime promerito communicavit.

AMAZONII et EXSVPERATORIS eum quoque habuisse nomina, refert Dio [c]), scilicet illud petitum ab Amazone Marcia, hoc, quod omnes homines longe superaret, additque, iis adeo delectatum Commodum, ut, etsi alia alias seponeret, his nunquam abstineret. Testatur Lampridius [d]), eadem ipsa quoque legi in inscriptione colossi, quem ablato capite Solis (non, ut ait, Neronis) sibi adcommodavit, verum aliter haec nomina enunciat, illud vocans *effeminatum*, nempe ab Amazone, hoc *gladiatorium*, quia superare alios omnes gladiatorum est.

OLYMPIVS dicitur in binis numis

a) Crit. Baron. ad ann. Chr. 187. b) Cap. 8. c) L. LXXII. §. 15. d) Cap. 17.

Ephesi apud Harduinum, ut olim Hadrianus.

Tribunicia potestas.

Diximus ad annum V. C. 930, Commodum tribuniciam potestatem eo ipso anno suscepisse, at tam perversam ejus iteratae esse rationem, ut hactenus modus repertus non sit, quo illa in ordinem redigeretur. At nos eam difficultatem ex proposito expendemus in singulari de hac tractatu.

Pontifex maximus.

Dixi ad annum V. C. 937, hoc demum anno in moneta Commodi pontificatus maximi fieri mentionem. Video tamen, eum jam dici pontificem max. in marmore fratrum arvalium, quod est in Marinianis tabula XXXII., consulibus Commodo IV. et C. Aufidio Victorino II., qui annum praecedentem 936 signabant. At observo etiam, in eodem marmore bis Commodi titulos enarrari, et priore quidem loco sine addito P. M. titulo, qui tamen altero loco additur. Ex quo conjicio, labente hoc anno V. C. 936 hunc Commodo honorem accessisse sequente deinde anno monetae illatum, nisi forte arguere quis velit, quadratarium exigui temporis prolepsin sibi permisisse.

Imperator.

Imperator praenomen.

Secundum duplex Lampridii testimonium, quod in Prolegomenis ad numos Commodi laudavi, Commodus cum patre dictus est imperator die XXVII. Novembris V. C. 929. Tillemontius haec Lampridii verba capit de titulo imperatoris ex victoriis [a]). Verum si istud, certe Aurelius pater inde ab hoc die in numis diceretur IMP. IX., cum tamen is in numis anni sequentis jam inclinantis adhuc vetus suum IMP. VIII. retineat. Qua de causa, et cum praeterea copiosos habeamus anni V. C. 930 numos, in quibus Commodus utitur praenomine *imperatoris* et laurea in capite absque tamen adhuc Augusti titulo, certum videtur, a Lampridio intelligi, Commodum tum patri in imperio fuisse sociatum, et jam imperatorem dici coepisse dilato adhuc aliquamdiu Augusti vocabulo. Cum numis conspirant marmora sincera. Sic in eo, quod ab Oderico, viro eruditissimo, accepit Donatus [b]), et est anni V. C. 930, legitur: IMP. CAES. L. AVRELIO. COMMODO. COS. suppresso adhuc Augusti titulo. Eadem ratione Antoninus Pius in primis suis numis praefixit titulum IMP., etsi Augustus nondum esset. Quod Commodus in primis suis anni 930 numis illo abstinuit, ejus verisimilis causa erit, quod hic quidem honos ei dicto die anni praecedentis fuerit decretus, at aliquanto serius per publicas caerimonias stabilitus, et in usum receptus, cujus exempla jam alias plura vidimus. Certe iidem Commodi numi principio anni 930 signati tribuniciam quoque potestatem reticent, quo tamen tempore ea illum decoratum

a) in Aurel. nota XX. b) ad Thes. Murat. p. 171.

jam fuisse constat. Ceterum observo, tamdiu Commodum imperatoris titulum instar praenominis adhibuisse, dum imperator ex victoriis diceretur, quod fere observavit etiam pater Marcus. Deinceps rarissime hunc honorem praefixit Commodus.

* * *

Imperator ex victoriis.

Cum primum Augusti titulum cum filio communicavit Marcus, eundem etiam laudis bellicae a victoriis relatae participem fecit. Quare eodem tempore, quo Aurelius dictus est IMP. IX., erat Commodus IMP. II., quo tempore ille IMP. X., hic imperator III., ut numi, sed probatae fidei, et non perfunctorie descripti manifeste docent. Tillemontius, quoniam Mediobarbo, ejusque monstris fidem habuit, laqueis se undique implicatum vidit a), quos vitasset, si minus habuisset obsequii. Adde Pagium, qui suo item Mediobarbo nixus omnia corrumpit b). Quibus annis, et quibus ex victoriis iteraverit hunc titulum, in annalibus digestum reperies.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Aurei max. mod.	RRRR.

De numis Commodi aureis vide separatum articulum supra pag. 133.

Argentei	C.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Argentei urbium Graecarum	RR.
Aenei varii moduli	C.
Coloniarum	C.
Alexandrini	C.

CRISPINA.

Brutia Crispina Brutii Praesentis filia agente M. Aurelio matrimonio cum Commodo juncta est celebratis nuptiis exemplo privatorum, et dato ejus causa populo congiario c). Factum istud anno V. C. 930, docent numi Commodi, et Dio d). Deprehensam in adulterio Commodus primum palatio exturbat, deinde

a) in Aurelio nota XX. b) Crit. Baron. ad ann. Chr. 175 et alibi passim. c) Capitolin. in M. Aurel. c. 28. d) L. LXXI. c. 33.

Capreas relegat [a]), ac denique interficit eodem fere tempore, quo Lucillam, nimirum circa annum V. C. 936, ut colligitur ex Dione [b]). Fuisse matrimonium fecundum, certa monumenta non comprobant; nam dubitare liceat de numi fide, quem in Commodo ad annum V. C. 934, et inscriptum: LIBERI. AVG. recitat Mediobarbus.

* * *

A. CRISPINA. AVGVSTA. *vel* AVG. *in omni metallo et forma.*

B. CRISPINA. AVG. IMP. COMMODI. AVG. *in AE. max. mod. et AE. I.* (Mus. Farnes. et Mus. Caes.)

C. CRISPINA. AVG. COMMODI. AVG. *in AE. I.* (Vaillant.)

* * *

Vt lit. A.

DIS. GENITALIBVS. *Ara ignita.* AR. (Mus. Caes.)

Genitalis, aut in neutro *Genitale* est, quod generandi facultatem habet, aut communicat. Hanc igitur aram Crispina *Dis Genitalibus* dedicavit, quos praeesse generationi, et juvare fecunditatem existimabat, qui utrum supplicem exaudiverint non constat. Deos genitales memorat etiam Ausonius [c]):

Iuppiter interea cum dis genitalibus una
Concilium cogit superum de rebus Achivis.

et θεων γενεθλιων obiter meminit Libanius [d]). Plutarcho memoratur deus γενεθλιος, *genitalis*, qui parentum imprecationem persequitur [e]). Idem alibi θεȣς γενεθλιȣς conjungit cum θεοις πατρῳοις [f]), quos ad annum V. C. 957 offerunt numi Caracallae et Getae. Melissarium apud Aristaenetum, cum liberis daret operam, προσηυχετο πασι τοις γενεθλιοις θεοις, *rogavit omnes genitales deos* [g]).

* * *

CRISPINA. AVG. IMP. COMMODVS. AVG. GERM. SARM. *Vtriusque caput.*

VOTA. PVBLICA. etc.

De hoc numo maximae formae, aliisque, in quibus Crispina cum Commodo sociatur, actum in numis Commodi ad annum V. C. 930.

* * *

Reliqui Crispinae numi nihil offerunt ex Augustarum numis non abunde cognitum, ut *Cererem*, *Concordiam*, *Dianam Luciferam*, *Iunonem Lucinam*, *Venerem*, *etc.*

Numi commatis peregrini.

Crispinae numi *urbium liberarum* Graecarum, tum *coloniarum* justo numero habentur. Ejus nomen *Brutia* tractum a patre Brutio, quod numi Latini reticuere, prodiderunt non pauci Graeci inscripti: BPOTTIA, vel BPOTTTIA. KPICΠINA, quorum plures edidit Haymius [h]).

---

a) Lamprid. c. 5. Dio L. LXXII. §. 4. b) l. c. c) in Periocha IV. Iliad. d) Tom. I. declamat. XLI. p. 879. e) in ἐρωτικῳ pag. 766. f) περι δεισιδαιμ. g) L. I. epist. 19. h) Tom. II. p. 304.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	RRR.
Argentei	C.
Argentei max. formae	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
Commatis peregrini:	
Vrbium Graecarum, et coloniarum	R.
Alexandrini	RRR.

P. HELVIVS PERTINAX.

Ei patria Liguria, natale solum auctore Capitolino villa Martis in Apennino, auctore Dione Alba Pompeia [a]). Pater Helvius Successus tenuis fortunae ac libertinus lignariam in Liguria negotiationem exercuit, atque eidem et filium applicuit [b]). Hoc patre, et in fortuna tam tenui natus est anno V. C. 879 Kal. Augusti [c]). Cur *Pertinax* dictus fuerit, causas quidem adferunt Capitolinus [d]), et Victor [e]), sed quas inter nugas reposueris. Relicta cum illiberali opificio patria literarum studiis primum vacavit, mox militiae nomen dedit, atque re in Parthia, Britannia, Norico bene gesta a Marco adlectus inter senatores, deinde praetura, denique consulatu donatus est [f]), de cujus tempore, quoniam suffectus is fuit, eumque absens gessit [g]), non constat liquido. Recta sub Commodo Britannia, ac subinde Africa, ab hoc Romam evocatus, et praefectus urbi constitutus est [h]), atque etsi muneri suo sancte integreque praeesset, probatus tamen pessimo imperatori fuit, a quo conlega in postremo suo consulatu VII., atque una postremo vitae anno V. C. 945 est adscitus ipse consul II. [i]). Hoc pridie Kal. Ian. sub noctem caeso cum conjurati Laetus praefectus praetorio, et Electus cubicularius hominem gravem ac sobrium circumspicerent, quem summae rei admoverent, eadem adhuc nocte Pertinacem praefectum urbis, eorum, quae accidere, inscium (nam falso conscium fuisse caedis suspicatur Capitolinus [k]), et palam adserit Iulianus [l]), adeunt, diuque reluctantem, atque aegre demum persuasum primum in castra, deinde in senatum deducunt, a quo propter Commodi odium, et meritorum causa Augustus inter faustas, et sinceras adcla-

---

a) L. LXXIII. §. 3. b) Capitolin. c. 1 et 3. c) Ibid. c. 15. Kalendar. Vindob. d) in Pertin. sub. init. e) in Epitome. f) Capitolin. c. 2. g) ibid. c. 3. h) Capitolin. c. 4. i) V. Fastos, et Gruterum pag. LVI. 4. k) Cap 4. l) in Caesarib.

mationes salutatur. Mox rei gerendae intentus veterem coepit revocare disciplinam, corrigere mores urbis, ejicere delatores, aerario exhausto consulere, atque ipse primus esse frugalitatis auctor, et exemplum. At vero hoc ipsum erat, quod praetorianos, quos intemperantiae Commodianae desiderium tenuit, offendit, quorum pars repente facto agmine in palatium irruit, principemque nil tale opinantem vulneribus ad mortem conficit V. Kalend. April. V. C. 946. At populus patresque caesum tantae virtutis virum, eique tempori necessarium indignissime tulit, patuitque hic adfectus paullo post, cum referendum in deorum numerum censuere, ac serius, cum Severus ejus virtutum recordatione *Pertinacem* se dici passus est, habitis publice ejus memoriae honoribus. Vide Dionem, Herodianum, Capitolinum.

Vxor *Titiana*, de qua, et liberis infra.

V. C. 946. P. X. 193.

CAES. AVG. TR. P. COS. II. P. M.

Q. Sosio Falcone, C. Iul. Erucio Claro cos.

A. IMP. CAES. P. HELV. PERTIN. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. in AE. II. etiam radiatum.*

B. IMP. CAES. P. HELV. PERTINAX. AVG. *Caput laureatum in AE. max. mod. et AE. I. II.*

* * *

Vt lit. A. vel B.

DIS. CVSTODIBVS. *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.) AE. I. (Vaill.)

Fortunae simulacrum aversa sistit, atque ut variae a Romanis Fortunae, variisque eae appellationibus cultae sunt, quas fuse persequitur Plutarchus [a]), ita hae omnes nomine *dearum custodum* in hoc numo intelliguntur, quarum se praesidio Pertinax in aditu imperii commendat.

* * *

Antica incerta.

DIS. GENITORIBVS. *Cybele turrita et velata d. pateram super aram extendit, s. templum tenet, pro pedibus puellus manibus elatis, et insistens globo.* AE. I. (Baldini apud Vaill. Tom. II.)

Iam et *diis genitoribus* se commendat Pertinax, ex quibus unicam hic Cybelen, eamque vetustissimam, *Matremque deum* vulgo appellatam proponit. Adstans puellus ex eorum haud dubie numero erit, quorum illa genitrix dici promeruit.

* * *

Vt lit. A.

IANO. CONSERVAT. *Ianus bifrons stans d. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Ianum modo Pertinax *conservatorem* suum appellat, poteratque ab hoc non inficiandus videri, quoniam eo ipso tempore, quo annum Ianus aperit, imperium auspicatus est, quae etiam haud dubia lecti hujus typi causa videtur.

* * *

Vt lit. B.

LIB. AVG. TR. P. COS. II. S. C. *Imperator sedens in suggestu congiarium dividit.* AE. I. (Vaill. Mus. Christinae.)

---

a) de Fort. Rom.

Vt lit. A.

LIBERAL. AVG. TR. P. COS. II. S. C. *Liberalitas stans.* AE. II. (Mus. Christinae.)

Donativa, et congiaria, quae Commodus promiserat, solvisse Pertinacem, refert Capitolinus [a]), at magis infra definite, congiarium dedisse populo denarios centenos, praetorianis promisisse duodena millia numum, sed dedisse sena [b]).

* * *

Vt lit. A.

LIBERATIS. CIVIBVS. *Mulier stans d. tesseram, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Inscriptio nova, sed sensus pronus, civibus abolita Commodi tyrannide libertati suae restitutis. At difficilius est, epigraphen cum typo, qui vulgo liberalitatis est, componere. Videtur hac aversa indicari tantum Pertinacis liberalitas, de qua in numo praecedente, sed quae tanto gratior populo exstitit, quoniam non amplius pressis tyrannide, sed *liberatis* denique *civibus* cessit.

* * *

Vt lit. A.

MENTI. LAVDANDAE. *Mulier stans d. coronam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

En singularem thesauri Caesarei numum, atque diu aliis museis ignotum, altero nuper exemplari ex museo d'Ennery producto. Mentem Romae habuisse templum, votum dedicatumque Hannibale Romanos urgente, refert Livius [c]), ejusque meminere etiam Plutarchus, sed dedicati ab Aemilio Scauro, qui belli Cimbrici tempore vixit [d]) tum et Cicero [e]), S. Augustinus [f]). Vota ei quotannis publice facta tradit Ovidius [g]), et quidem in Capitolio VI. idus Iun. conspirantibus Kalendariis Venusino, et Maffeiorum. *Laudandae* elogium Menti additum in nullo monumento vetere reperias, quanquam dijudices facile sensum a Pertinace intellectum, qui cum omnia ad rationis leges exigeret, ostendit hoc suo instituto, diversum se a Commodo sentire, cujus omnis vita perpetuum fuit *amentiae* argumentum, et quo imperante Menti revera evenisse visum, quod de ficto Cupidinis triumpho canit Ovidius [h]):

Mens bona ducetur manibus post terga retortis,
Et pudor, et castris quidquid Amoris obest.

Cui adde illud Propertii [i]):

Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.

Recte, Properti! siquidem verum est, quod pluribus locis adfirmat Cicero philosophus, esse mentem principem animae partem, nihilque mente divinius praestabiliusque homini sive naturam, sive quem deum dedisse. Laudandae epitheton Cereri dedit Tibullus [k]):

Non ego tentavi nulli temeranda virorum
Audax laudandae sacra docere deae.

a) Cap. 7. b) Cap. 15. c) L. XXII. 10. 11. et XXIII. 31. d) de Fort. Rom. p. m. 318. e) de Nat. deor. L. II. 23. et L. III. 36. f) de Civ. dei L. IV. c. 21. g) Fast. Lib. VI. 241. h) Amor. L. I. eleg. II. v. 31. i) L. III. eleg. 24. v. 19. k) L. III. eleg. V. v. 7.

* * *

Vt lit. A. et B.

OPI. DIVIN. TR. P. COS. II. *Mulier sedens d. spicas.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vidimus in Antonino ad annum V. C. 893 numum, in quo epigraphe: OPI. AVG., et typus: *Mulier sedens d. hastam s. capiti admota.* Opis sensus duplex. Potest primum intelligi *Ops* nota Saturni conjux, cujus Romae fuisse templum in regione VIII. testatur Victor: *Aedis Opis et Saturni in vico Iugario*, cujus saepe meminit Cicero quoque, cum direptum ab Antonio ex ea aede septies millies IIS. conqueritur, quod ibi a Iul. Caesare in usus cogitati belli Parthici sepositum fuit [a]). Ejus meminit quoque marmor Gruteri [b]): LOCVS. ADSIGNATVS. AEDI. OPIS. ET. SATVRNI. Potest deinde Opis nomine intelligi omnium rerum copia, quae beatam, securam, et commodam vitam efficit, qua certe non fruitur, qui *inops* est. Atque in hoc quoque sensu Opem Romae habuisse templum testatur Cicero [c]), ejusque ipsius videtur fuisse ara, quam in regione item VIII. positam sic describit Victor: *Opis et Cereris cum signo Vortumni*, quoniam copulatur cum Cerere, cujus proventus veras hominis opes constituunt. Quanquam, si Macrobium audimus [d]), Ops in posteriore sensu accepta nonnisi prioris est effectus; nam ait: *Saturnum et Opem tam frugum, quam fructuum repertores esse creditos, --- et terram dictam Opem, cujus ope humanae vitae alimenta quaeruntur, vel ab opere, per quod fructus frugesque nascuntur.* Alibi Ops Macrobio *Consivia* dicitur, nempe a *conserendo* [e]). Plauto *Ops opulenta* Iovis mater est [f]). His jam observatis facile explicantur typi in numis tam Antonini, quam Pertinacis inscriptis OPI. In prioribus mulier sedens manum capiti applicat, nota Securitatis imagine, quam opes pariunt; in alteris mulier spicas tenet, nimirum *Opis* proventus vere *divinos*, quorum peculiarem curam habuisse Pertinacem, continuo videre licebit. Cum hoc numo apte jungimus inscriptionem, quam vulgavit Gruterus [g]):

OPI. DIVINAE. ET. FORTVNAE
PRIMIGENIAE. SACR.
IMP. CAESAR. HELVII
PERTINACIS. AVGVSTI.
V. D. D.

Addenda et altera ex Kalendario marmoreo Amiternino, in quo sic legitur ad IV. idus Aug. FERIAE QVOD EO DIE ARAE CERERI MATRI ET OPI AVGVSTAE EX VOTO SVSCEPTO CONSTITVTAE SVNT CRETICO ET LONG. COS. quae est nota anni V. C. 760. Atque ad eundem diem Kalendarium Capranicorum: FERIAE ARAE OPIS ET CERERIS IN VICO IVGARIO CONSTITVTAE. SVNT.

* * *

Vt lit. A.

PON. M. TR. P. COS. II. S. C. *Mulier sedens d. spicas.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

a) Ad Attic. L. XIV. ep. 14. L. XVI. ep. 14. et in Philippicis passim. b) Pag. XXVI. 3. c) de Nat. deor. L. II. 23. d) Saturn. L. I. c. 10. e) Ibidem L. III. c. 9. f) Cistell. Act. II. sc. I. v. 39. g) Pag. XXVI. 4.

PROVID. DEOR. COS. II. *Mulier stans dexteram versus globum radiatum in aere pendulum porrigit.* AV. AR. (Mus. Caes.) AE. I. (Reginae. Suec.)

Vt lit. A.

PROVIDENTIAE. DEORVM. COS. II. *Mulier stans utramque manum versus globum in aere pendulum, sed non radiatum, porrigit.* AE. II. (Mus. Caes.)

Providentiae frequens jam inde ab Augusto in moneta mentio. Typi primum fuere ara, fulmen, aquila. Serius globus ad eam designandam plerumque adhibitus, qui orbis terrarum, aut etiam mundi totius imago est. Plinius [a]): *Formam ejus* (mundi) *in speciem orbis absoluti globatam esse, nomen in primis et consensus in eo mortalium orbem appellantium, sed et argumenta rerum docent*, et Ovidius [b]): *Terra pilae similis.* Hic adeo globus orbem terrarum principibus deorum providentia permissum indicat, atque hunc illi hac significatione saepe manu gestant, imposita saepe Victoriola, et temporibus Christianis cruce, et ne is simplex globus intelligeretur, nonnunquam zonis ambitur, quae zonis coelestibus respondent, ut in denariis Mussidii Longi. Hunc globum genius muliebris aut humi positum radio, vel bacillo designat, qui typus est obvius, aut, quod fere in Pertinacis numis tantum observatur, desuper immissum porrectis manibus videtur acceptare, et saepe quidem radiis ornatum, ut coeleste munus intelligeretur.

* * *

Antica incerta.

SAECVLO. FRVGIFERO. *Caduceus inter spicas.* AR. (Vaill.)

Annonae consultissime providisse Pertinacem, testatur Capitolinus [c]), et rei frumentariae causa profectum ad mare, refert Dio [d]).

Vt lit. A. et B.

VOT. DECENN. TR. P. COS. II. *Imperator velatus stans d. pateram super tripode sacra facit.* AV. AR. AE. I. (Vaill. Mus. Caes. Theup.)

Intelliguntur vota ineunte decennio ad ejus felix curriculum suscepta.

Divus Pertinax.

Pertinax a successore Iuliano alium honorem praeter magnificas funeris exequias non est adsecutus. At postquam is quoque a militibus desertus est, per senatum et populum in deos relatus fuit. A Severo Pertinacis filius patris flamen factus est, et Marciani sodales, qui divi M. Aurelii sacra curabant, Helviani sunt dicti. Additi Circenses, et imperii natalis, sed qui a Severo sublati postea sunt, sic tamen, ut manerent genethliaci, sive genitalicii [e]). Caerimonias in his consecrationis solennibus a Severo adhibitas copiose describit Dio autopta [f]).

* * *

DIVVS. PERT. PIVS. PATER.

Caput nudum.

AETERNITAS. *Signum Pertinacis in quadrigis elephantorum.* AE. m. m. (Vaill.)

Epigraphen anticae explicabit Victor [g]). Nimirum, Pertinaci consecrato,

a) H. N. L. II. §. 2. b) Fast. VI. 269. c) Cap. 7. d) L. LXXIII. §. 8. e) Capitol. c. 15. Spartian in Severo c. 7. f) L. LXXIV. §. 4. g) in Epitome.

ait, ad vocis usque defectum adclamatum fuisse: *Pertinace imperante securi viximus, neminem timuimus. PATRI PIO, patri senatus, patri omnium bonorum.* De aversa haec Dio a): *Praecepit Severus, ut statua ejus aurea curru elephantorum veheretur in Circum.*

* * *

Eadem adversa.

CONSECRATIO. *Aquila globo insistens.* AV. (Reg. Gall. teste Beauvais.) AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Alius, sed typo rogi. AV. (Pellerin Suppl. III. p. 119.) AE. I. (Mus. Caes.)

Narrat Pellerinius in epistola ad Khellium data, sese aureum hunc Pertinacis numum ab episcopo Babylonis extorquere non potuisse, nisi numeratis Ludovicis aureis omnino XV.

Eadem adversa.

FIDES. EXERCITVVM. *Duae dexterae junctae, quibus insistit aquila legionaria.* AR. (Gessner ex mus. Pfau.)

Numi commatis peregrini.

Numi *urbium liberarum* rarissimi sunt. Prusae Bithyniae insignem aeneum I. formae ostentat museum Caesareum, aeneum II. formae Tomorum Moesiae edidere Vaillantius, et museum Christinae. Reliqui a variis editi, quia minus integri, incertae sunt patriae. Alius I. formae Aeni Thraciae cusus profertur in Catalogo d'Ennery, sed de cujus fide nonnihil dubito, ut dixi in ejus urbis numis. Ejusdem urbis alium, sed minus certum, quia epigraphen mancam offert, dedit Vaillantius ex museo de Camps.

Coloniae numum a se unquam conspectum negat Vaillantins in suo de coloniis opere.

Alexandrini quoque rarissimi, quos vide apud Vaillantium, et in museo Caesareo.

* * *

Non praetereunda hoc loco gemma operis peregrini, quam vulgavit Belleyus, et praeclare more suo explicavit b). Exhibet illa caput Pertinacis laureatum adscripto ΔIK., et huic adversa duo capita jugata, quorum unum muliebre, scripto juxta TIT., alterum puerile; in horum medio urna ludorum, in qua literae XP., superne KAΠЄTΩΛЄINA, inferne ЄΛOTIA. In hac Pertinax dicitur ΔIK*αιος*, *Iustus*, quod elogium illi publice datum ignoramus. TIT, sunt literae *ἀρχαικσαι* uxoris Titianae, et caput puerile est filii Pertinacis, de quo agetur in matre. Docemur praeterea, in Helvii Pertinacis honorem constituta fuisse certamina *Helvia*. Scalptam gemmam apud Sardes Lydiae, probant literae XP., quibus ludi *Chrysanthina* indicantur in hac urbe celebrari soliti, ut alibi dictum.

Pater patriae.

De hoc nomine Capitolinus c): *Primus omnium ea die, qua Augustus est appellatus, etiam patris patriae nomen recepit.* Cum Pertinax in nullo numo hoc titulo utatur, verisimile est, eum a se-

---

a) L. LXXIV. 4. b) B. L. Tom. XXVI. p. 486. c) Cap. 5.

natu quidem esse decretum, sed a Pertinace bonorum principum exemplo dilatum, neque adeo, quod docet Capitolinus, receptum. Mox in Titiana videbimus, non omnia, quae senatus decrevit, continuo etiam probata fuisse principi. Pater patriae dicitur in marmore Tarraconensi apud Gruterum [a]).

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei	RR.
Aenei max. mod.	RRRR.
Aenei I. formae	RRR.
Aenei II. formae	R.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

De his actum paullo supra.

FLAVIA TITIANA.

Filia Flavii Sulpiciani, quem Pertinax imperio admotus in locum suum praefectum urbi fecerat [b]). Eodem die, quo maritus Augustus dictus est, Augustam eam dixit senatus, sed non admisit decretum Pertinax, quoniam nolebat honorem hunc vilescere delatum feminae palam a libidine notatae [c]). Vixit superstes marito [d]), at qua morte obiverit, incompertum.

Liberi. Ex Pertinace filium habuit, filiamque. Illum patri cognominem cum senatus Caesarem diceret, non modo id non ratum habuit pater, responso, futurum Caesarem, *cum meruerit*, sed neque in palatio educavit, jussitque, ut antea, privati instar ludum literarium obire [e]). Occisum subinde a Caracalla refert Herodianus, et Spartianus, quod eum ob caesum Getam per ludibrium *Geticum Maximum* dixerat [f]).

Numi commatis Romani.

Hujus classis Titianae numi non exstant, cum tamen intra brevius imperium exstent numi Scantillae uxoris Did. Iuliani successoris, quin et horum filiae Clarae Romae percussi. Defectus hujus causam a Pertinace ipso pete, qui, ut

a) pag. CCIX. 1. b) Capitolin. in Pertin. c. 13. Dio L. LXXIII. 7. c) Capitol. l. c. cap. 5. et 13. Dio l. c. Iornandes, Euseb. in Chron. d) Capitolin. l. c. e) Capitolin. in Pertin. c. 6. 13. Dio L. LXXIII. § 7. f) in Caracalla, et Geta.

senatus consulto de conferendo uxori Augustae titulo intercessit, ita neque honores monetarios indulsit.

Numi commatis peregrini.

Ex *urbibus liberis*, si Thessalonicam demas, cujus numum ex museo Pfau citat Gessnerus, una Mytilene Lesbi insulae urbs clara, quod hactenus constet, Titianam numis inseruit. Eccos:

TITIANH. CЄBACTH. *Hujus caput.*

MTTIΛHNAIΩN. *Pertinax eques pacificatoris habitu.* AE. I. (Haym. T. I. p. 264. edit. Vindob. Mus. Caes.)

In his Mytilenes numis, atque etiam, quos mox producam, Alexandrinis mirum videri potest, Titianam dici *Augustam*, cum tamen, ut diximus, huic honori a senatu feminae decreto palam adversatus sit Pertinax. Quare provinciales aut eam Augustam fecere προληπτικως, cum non dubitarent, quae Augusti uxor esset, propediem Augustae honore ornatum iri, aut numos suos signavere mox audito senatusconsulto, et antequam illud a Pertinace irritum constaret. Atque hac, aut simili ratione corrigenda sunt prava provinciarum judicia, cum aliud a moneta Romana, et unanimi historicorum consensu pronunciant, cujus plura per hoc opus exempla vidimus, ut cum v. g. Britannicum Claudii filium, qui Caesaream dignitatem nunquam excessit, in numis suo unarum arbitrio *Augustum* fecere, ut in hujus moneta diximus.

Colonarium numi desiderantur.

Alexandrinos binos edidere Vaillantius, (Num. Graec.) et Morellius, (in Specim.) hos quoque cum titulo CЄBACTH. Alium Mareae Aegypti urbis vulgavit Maffeius, in cujus aversa: MAPEΩTΩN. L. A. *Navis expanso velo* [a]. Sed eum diserte spurium testatur judex gravis Barthelemyus [b].

PRETIVM.

Commatis Romani: . . . . O.
Commatis peregrini Mytilenes, et Alexandrini . . . RRR.

DIDIVS IVLIANVS.

Ei pater Petronius Didius Severus, mater Clara Aemilia fuit, et avus paternus Insuber Mediolanensis [c]. Secundum Dionis computum, quem in aliorum dissidio, quod hac tempestate ipse Romae vixit, sequi malumus, natus est exeunte Ianuario V. C. 886. Rebus gerendis per aetatem admotus Marco

a) Antiq. Gall. p. 118. b) Mem. B. L. Tom. XXVI. 551. c) Spartian.

imperante repressis, qui ad Albim habitabant, Caucis consulatum meruit, subinde Pertinaci in regenda Africa successit a). Romam revocatus praefecturam vigilum egit, quo tempore imperabat Pertinax b). Hoc a praetorianis caeso, cum hi castris suis clausi clara ex moenibus voce venale imperium ei, qui plus promitteret, offerrent, viris, quotquot fuere, clarissimis eam ignominiam aversantibus, instigatus suorum suasu Iulianus adcurrit, et extra vallum liceri non erubescit contra Flavium Sulpicianum Pertinacis socerum, qui intra vallum pretium pro imperio obtulit. Verum cum plus pacisceretur Iulianus, scalis demissis receptus in castra, agnitusque imperator, et praetorianorum stipatus manu in senatum deductus est. At populus non minus caede indigna Pertinacis, quam recente empti imperii turpitudine irritatus apertis primum conviciis novum Augustum, deinde et lapidum jactu coepit impetere, neque temperare sibi, quo minus Pescennium Nigrum Syriae tum impositum rectorem ad imperium deposceret. Qua populi aversione cognita Augustum se quidem proclamari a suis passus est Pescennius, at cum ignavius coeptis insisteret, Severus Pannoniae tum praefectus perspecta suorum voluntate Augusti honores invadit, rebusque omnibus comparatis iter in Italiam impigre ingreditur. Re intellecta Iulianus Severum hostem patriae a senatu judicari jubet, sed minus ad resistendum promptos reperit milites, partim aegros, quod, quam pactus erat in imperii emptione summam persolvere distulit, partim quod insueti otio, ac ignaviae congredi cum duro Severi milite non auderent. Severo interea urbi imminente ad mitiora compulsus consilia impetravit quidem a senatu, ut particeps saltem imperii diceretur, at mox conversis omnium in Severum animis misso a patribus milite ab omnibus desertus in palatio obtruncatur die I. vel. II. Iunii V. C. 946 ex sententia Tillemontii c). Corpus ejus a Severo uxori Scantillae ad sepulturam est redditum, et in proavi monumento via Lavicana conditum. Vixit secundum Dionem annos LX. menses IV. dies totidem, ex quibus imperavit dies LXVI. Fuisse eum juris peritissimum, inter omnes constat. Spartianus parsimoniam, mites mores, aliasque virtutes in eo depraedicat, at Dio ejus vitae testis ipse, tum et Herodianus coopertum vitiis adserunt. Certe quod non erubuit, nullo antehac ejus dedecoris exemplo, emptione publica arripere imperium, tantumque offerre pecuniae, quantum neque praestare per se, neque per exhaustum aerarium potuit, satis per se scelestum, dignumque, quem nactus est, exitu visum est.

Vxor *Manlia Scantilla*, de qua infra.

V. C. 946. P. X. 193.

TR. P. COS. P. M.

A. IMP. CAES M. DID. IVLIAN. AVG. *Caput laureatum in AV. AR., radiatum in AE. II.*

B. IMP. CAES. M. DID. SEVER.

a) Spartian. b) Victor in Caess. c) Tom. III. Part. I. p. 36.

IVLIAN. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

CONCORD. MILIT. *Mulier stans cum binis signis militaribus.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)
P. M. TR. P. COS. *Mulier stans d. gubernaculum*, *s. cornucopiae.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)
RECTOR. ORBIS. *Imperator velatus stans*, *(in aeneis sedens) d. globum.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Hos solos Iuliani probae fidei numos novi. Alium, sed qui media sui parte ad Scantillam pertinet, in hujus moneta recitabo. Ex omni ejus moneta soli numi postremi per inscriptionem RECTOR. ORBIS memorabiles, quae nunc primum occurrit, a paucis subinde revocata. Ipsa per se captu facilis explicatione non eget.

Numi commatis peregrini.

Id genus numi adhuc non observati, nisi quod nuper unus Sestinius eorum tres vulgavit, unum coloniae Apameae Bithyniae [a]), Aphrodisiadis Cariae, et Alexandrinum [b]). Sed horum omnium suspectam fidem puto. Vide, quae dixi in numis Alexandrinis Achillei tyranni [c]).

Nomina, ac tituli.

Severus, Commodus.

Severi nomen suscepit ab avo, et proavo, ut ait Spartianus [d]). Sed cur is, quod prae manibus habet, ex remoto petit, cum eodem teste et pater Severus dictus sit? Addit eodem loco: cum consul designatus *Didium Iulianum imperatorem* in curia proclamaret, suggessisse Iulianum: *adde et Severum*, quod ominis instar habitum fuit. Nomen istud omnibus aeneis I. formae inscriptum legitur.

Commodi nomen Iuliano indidere praetoriani ex affectu in principem sibi moribus simillimum [e]). Ejus mentione abstinent numi a viris circumspectis vulgati. In horum numero si Mediobarbum putabis, Iulianum ex numis quoque Commodum habebis.

Pius.

ЄTCεβης dicitur in numo Alexandrino, quem vulgavit Sestinius, sed de quo vide meum judicium in hac numorum classe. De numo Aphrodisiadis cum eodem titulo paullo supra egimus.

Consul.

Iulianus in numis omnibus probae fidei COS. simpliciter inscribitur; nam Mediobardi numum inscriptum COS. II. negligendum existimo. Tamen ex Spartiani testimoniis, quae in Iuliano, et Severo refert, Iulianus ter, aut saltem bis processit consul. Tillemontius, qui dubium istud, sed incassum expedire conatur, incusare hoc loco ut et alias saepe, scriptorum oscitantiam cogitur, quorum residua opera historiam Augustam componunt [f]).

---

a) Lettere Tom. III. p. 13. b) Lettere Tom. IV. c) Vol. IV. p. 96. d) Cap. 7.
e) Dio L. LXXIII. § 12. Herodian. f) Nota I. ad Severum.

Pater patriae.

Patris patriae quoque nomen recepit, ait definite de Iuliano Spartianus [a]). Sin istud, cur numi hunc titulum constanter negligunt? Iam alias vidimus, Capitolino, Spartiano, Lampridio in tempore capti hujus elogii cum numis non convenire.

PRETIVM.

Numi commatis Romani:	
Aurei	RRR.
Argentei	RR.
Aenei I. et II. formae	R.
Aenei III. formae	O.
Commatis peregrini	O. aut suspecti.

MANLIA SCANTILLA.

Vxorem, et ex hac filiam habuisse Iulianum, Herodianus quoque prodidit, at illi fuisse nomen *Manliae Scantillae*, huic *Didiae Clarae*, uni Spartiano debemus. Vtramque invitam ad palatium transivisse praesagientem nempe imminens exitium, perhibet Spartianus [b]). At Herodianus ab utraque persuasum Iulianum prodit, ut projectum imperium arriperet. Vtraque Augusta fuit appellata auctore Spartiano [c]), et consentiunt ambarum numi. Sepultum ab iis Iulianum, in hujus rebus gestis diximus.

Filia *Didia Clara*, de qua infra.

* * *

MANLIA. SCANTILLA. AVG. *Hujus caput.*

IVNO. REGINA. *Dea velata stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus pavo.* AV. (Vaill.) AR. AE. I. et II. (Vaill. Mus. Caes. Theupoli.)

Aliae aversae in hujus Augustae moneta non reperiuntur dempto numo sequente, sed hybrida.

* * *

Eadem adversa.

P. M. TR. P. COS. S. C. *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AE. I. (Gessner.)

Nemo non videt, in mariti jura temere involasse uxorem Scantillam. At rependit vices maritus parum uxorius, dum sibi, quod conjugis erat, vindicavit. Nam exstat ejus numus, in cujus aversa legitur, IVNO. REGINA, ut testatur cl. Beauvais [d]).

---

a) Cap. 4. b) Cap. 3. c) l. c. d) Hist. abrég. T I. p. 274.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	RRRR.
Argentei	RRR.
Aenei I. formae	RRR.
Aenei II. formae	RRRR.
Aenei III. formae	RR.
Commatis peregrini	O.

DIDIA CLARA.

Didii Iuliani Aug. et Scantillae filia, de qua quidquid memoriae prodidere veteres, supra una cum matre complexus sum. Eam pater denupsit Cornelio Repentino, quem in locum Sulpiciani praefectum urbi fecit a). Caeso patre mox illi Augustae nomen fuit ademptum b).

* * *

DIDIA. CLARA. AVG. *Hujus caput.*

HILAR. TEMPOR. *Mulier stans d. palmae ramum, s. cornucopiae.* AV. (Vaill.) AR. AE. I. (Mus. Caes.) AE. II. (Theupoli.)

Est haec perpetua aversa in numis dempto sequente:

Eadem adversa.

PIETAS. AVG. *Mulier stans ad aram sacrificat.* AR.

Numum Gessnerus citat ex museo Pfau, cujus adeo auctoritas rarissimi hujus cimelii aliis ignoti fidem tueatur.

Numi commatis peregrini:

Vnicum hujus generis descriptum reperi:

ΔΗΔ. ΚΛΑΡΑ. CЄΒ. *Hujus caput.* ΚΟΙΝΟΝ. ΚΥΠΡΙΩΝ. *Templum Veneris Paphiae.* AE. I. (Mus. Christinae.)

Eximie cimelium istud depraedicat Havercampus in adjecto commentario, neque indignum videatur his praeconiis, si modo genuinum. At vero an satis explorata ejus antiquitas? Iam enim primum terret scriptum ΔΗΔ. pro ΔΙΔ. vel ΔЄΙΔ. manifesto adversus orthographiam peccato. Deinde nisi mox audito Iuliani principatu in Cypriorum officina properatus est hic numus, non video, signari illum in ea insula potuisse. Sane paullo post a Iuliano descivit Pescennius vicinae Syriae tum praefectus, atque ab hoc tempore an verisimile dedicatam Clarae a Cypriis monetam Iuliani aemulo prope consistente, et vicinorum adfectus attente explorante?

---

a) Spartian. c. 3. b) Ibidem cap. 8,

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	RRR.
Aenei I. formae	RR.
Aenei II. formae	RRRR.
Aenei II. et III. formae	O.

Commatis peregrini.

Cypriorum, si genuinus, ut dixi	Vnicus.

PESCENNIVS NIGER.

C. Pescennii Nigri gens Aquino oriunda, cujus curatorem avus egit. Ipse parentibus modicis natus, patre Annio Fusco, matre Lampridia [a]). Post varia militiae munia cum laude obita a Commodo declaratus consul [b]) ac denique exercitui Syriaco praepositus est [c]). Caeso a militibus Pertinace, cognitoque, Iulianum, quod per execrabilem emptionem principatum arripuerat, omnibus palam redditum invisum, non dubitavit oblatum sibi a legionibus suis imperium occupare [d]). Et tenuisset illud quiete, si per populum Romanum stetisset, qui Iuliano coram non dubitavit sublato clamore Nigrum sibi principem et Augustum deposcere [e]). Eo populi adfectu segnior otiose ipse desidere Antiochiae, donec caesum Iulianum, Romamque teneri a Severo, atque hunc bellum adversum se parare audivit. Tum vero omnibus ad resistendum praeparatis, Byzantio, aliisque Asiae urbibus, et Tauri angustiis praesidio munitis Aemilianum cum exercitu praemisit, sed hoc ad Cyzicum victo caesoque alteram rursus aleam ad sinum Issicum, quo olim loco Darius cum Alexandro M. conflixit, cum aemulo experiri decrevit, cujus pugnae is fuit exitus, ut edita ingente utrinque caede ipse denique inferior fuga ad Euphratem contenderet, sed retractus a Severianis morte adficeretur. Ejus caput a Severo Byzantium missum, et palo praefixum oppidanis, ut pertinaciam in resistendo ponerent, ostentatum [f]). Atque hunc in modum vitam cum imperio finiit Niger anno V. C. 947. rei militaris peritus egregie, et propter disciplinae artes, qua exercitum retinere in officio novit, ab ipso Severo in pretio habitus [g]), ceterum moribus ferox, et effrenatae ad omne cupiditatum genus libidinis [h]).

Ex uxore plures habuit liberos, quos Severus bellum in patrem parans arcte

---

a) Spartian. b) Spartian. c. 4. Herodian. in Pertinace. c) Ibid. c. 1. d) Spartian. in Pescenn. et Severo. e) Spartian. c. 2. Herodian. in Pertin. f) Dio L. LXXIV. § 7. Herodian. g) Spartian. c. 3. h) Ibid. c. 1.

custodiri Romae jussit, sic tamen, ut illos eo honore, quo suos, haberet. Caeso patre cum matre deportati sunt, mox rebellante Albino interempti omnes una cum matre. Quod fuerit uxori nomen, reticet Spartianus eorum, quae modo narravi, auctor [a]). Fuere, qui ex numis dictam fuisse *Pescenniam Plautianam* adsererent. Nimirum primus Baudelotius numum Graecum vulgavit inscriptum: ΠΕСΚΕΝΝΙΑ. ΠΛΑΤΤΙΑΝΑ. СΕΒΑСΤΗ. [b]). Reliqua, cujus sit typi, quo in museo servetur, dissimulavit. Narrat Baldinus [c]), comparuisse ejus alium, sed Latinum, in cujus una parte: PESCENNIA. PLAVTIANA. AVGVSTA, in alia: CONCORDIA. P. R. sed etiam compertum fuisse, manum modernam literis vitium obtulisse. In eadem deinde sententia fuit etiam cl. Beauvais. In numo aeneo II. formae musei Caesarei, sed hoc evidenter spurio, legitur hinc PESCENNIA. PLAVTIANA. AVGVSTA, illinc CLOD. ALBINVS. CAES. AVG. IMP. S. C. intra coronam. Ex hujus ergo falsarii praecepto haec mulier fuit Albini conjux. Secundum alios Pescenniam Plautillam fuisse uxorem Albini, in hoc vibebimus.

Animadversio ad numos Pescennii Latinos.

Pescennii numi omnes, etiam qui ad modum monetae Romanae facti sunt, commatis certe sunt peregrini, atque haud dubie signati Antiochiae principe ejus tractus urbe, in qua temporarii imperii sedem fixit. Nam quo tempore imperium in Oriente usurpavit, Romam tenuit Did. Iulianus, mox Severus, a quibus, etsi senatum populumque sibi devotos haberet, aut agnitus non est in principatu conlega, aut, quod serius evenit, hostis etiam judicatus. Quae causa est, cur non exstent aenei Pescennii numi ex S. C. signati, et si quos forte nactus fueris, continuo inauditos condemnabis. At quoniam imperatoribus in aurum argentumque jus fuit, et, quacunque in orbis parte imperium arripuere, mox ex utroque metallo in signum suae potestatis monetam signaverunt, cujus luculentum exemplum in Vespasiano vidimus, eodem et Pescennius exemplo numos aureos argenteosque cum sua imagine vulgavit. Aureum hactenus unicum repertum, infra in numo inscripto CONCORDIA prodemus. Reliqui omnes sunt argentei, et cum hi quoque valde rari, ac propterea summo in pretio sint, omnes, quotquot a fidis auctoribus editos reperi, describere, et in unum conferre placuit. Observandum, eos omnes fabricae esse vilioris, inscriptione, ac literis saepe prave distortis, ac luxatis, quo continuo peregrinitatem, et soloecum suum produnt, quod animadvertere operae pretium visum, ne mox propter fabricae deformitatem spurios numo natales immerito objiciamus.

V. C. 946. 947. P. X. 193. 194.

A. IMP. CAES. C. PESC. NIGER.

---

a) in Pescennio, et Severo. b) Vtil. des voy. T. II. p. 357. c) ad Vaill. num. praest. T. III. p. 284.

IVST. AVG. COS. II. *Caput laureatum.*

AETERNITAS. AVG. *Luna inter septem planetas.* AR. (Vaill.)

Antica incerta.

APOLLINI. SANCTO. *Apollo nudus stans d. ramum tenet, et simul columnae innixus.* AR. (Morelli Specim. tab. IX.)

Hic numus patriam Antiochiam aperte profitetur; nam exstant aenei II. formae verisimiliter Iuliani, qui Apostata dicitur, aetate percussi, in quorum una facie legitur: APOLLONI. SANCTO. in altera: GENIO. ANTIOXENI. Nimirum inter praecipua numina Antiochenis Apollo fuit, de quo pluribus in horum moneta egimus.

* * *

Antica incerta.

BONAE. SPEI. *Spes gradiens.* AR. (Vaill.)

Similem edidi in Catalogo musei Caesarei, sed inscriptum: BONA. SPES, at eum hic restituere religioni duco, quoniam iterato in judicium coactus non levia νοθειας indicia praebuit. Ceterum BONA. SPES saepe in numis Severi hoc eodem tempore signatis legitur, ut universim certum est, Severum et Nigrum iisdem persaepe typis in moneta sua usos, neque id fortuito, sed de industria; nam habentur in iis inscriptiones, quas in aliorum imperatorum numis nunquam reperias. Vter alterum aemulatus sit, ac Spem Spei, Eventum Eventui etc. opposuerit, decidere difficile. Cicero *bonam Spem* desperationi omnium rerum opponit a), et fuisse Romae positam aram *Fortunae Bonae Spei*, (Τυχης Ευελπιδος) memorat Plutarchus b). Gruterus vulgavit lapidem dicatum BONAE. SPEI. AVG c). Caput anticae in hoc numo rarissimum vocat Vaillantius, et tamen quod, aut quale sit, quis epigraphes modus, pro instituto suo reticet.

* * *

B, IMP. CAES. C. PESCEN. NIGER. IVST. AVG. *Caput laureatum; in aliis, ut lit. A.*

BONI EVENTVS. *Mulier stans d. pateram cum frugibus, s. spicas.* (Mus. Caes.)

Numi similes sunt etiam in moneta Severi. De Bono Eventu abunde olim egimus in denariis gentis Scriboniae.

* * *

Antica incerta.

CERERI. FRVGIFERAE. *Mulier stans d. spicas, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem aversa est etiam in numis Severi circa idem tempus signatis.

* * *

C. IMP. CAES. PESC. NIGER. IVSTVS. AVG. *Caput laureatum.*

CONCORDIA. P. P. *Mulier stans d. elata, s. duplex cornucopiae.* AV. (Reg. Gall.)

Vnicus hic est numus aureus Pescennii, quem genuinum agnoscit eruditus de Boze, qui eum in museum regis Galliarum intulit, et in pretiosum istud cimelium erudite commentatus est d), quo loco et aureos omnes hactenus cognitos, sed moderni omnes commatis commemorat. In catalogo musei d'Ennery aureus item proditur inscriptus MO-

---

a) in Catilin. II. c. 11. b) de Fort. Rom. p. m. 323. c) Pag. 1075. 1. d) Mem. B. L. Tom. XXIV. p. 105.

NETA. AVG., sed et hic ibidem dubiae fidei ignominia notatur [a]). De literis P. P. juxta positis agetur infra ad titulum *Patris patriae.*

* * *

D. IMP. CAES. C. PESC. NIGER. AVG. *Caput laureatum.*

FELICIT. TEMPOR. *Duplex cornucopiae intermedia spica.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem aversa est etiam in numis Severi hujus anni.

* * *

E. IMP. CAES. PESC. NIGER. IVS. COS. II. *Caput laureatum.*

FELICITAS. TEMPORVM. *Canistrum, ex quo spicae promicant.* AR. (Vaill.)

* * *

F. IMP. CAES. C. PESCEN. NIGER. IVST. AV. *Caput laureatum.*

FORTVNAE. RE. *in aliis:* REDVCI. *Mulier sedens d. ramum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.) In aliis: *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AR. (Patin Num. impp.)

* * *

G. IMP. CAES. C. PESC. NIGER. IVST. AVG. *Caput laureatum. In aliis, ut lit. A.*

INVICTO. IMP. TROPAE. *Tropaeum, ad cujus imum duo clypei, et totidem tela.* AR. (Mus. Caes. Vaill. Liebe Goth. num.)

Morellius in simili legit: TROPAEA [b]). In alio, qui citatur in Catalogo d'Ennery, abest vocabulum TROPAE, nisi forte injuriis temporum aufugit.

Aversae epigraphe usque modo ignota, et tamen in synchronis Severi numis occurrit quoque; ex quo liquido apparet, quod supra adverti, utrumque ut arma armis, sic et numos numis opposuisse. Quae fuerit ea victoria, ob quam Niger statuere *tropaeum* et *invictum* se jactare posse crediderit, ignoramus. Certe magni momenti non fuerit, quippe a scriptoribus nulla ejus facta mentio, atque omnis ea laus ad Severum verius pertinuit.

* * *

Antica incerta.

IOVI. PRAE. ORBIS. *Iuppiter sedens d. fulmen, s. hastam.* AR. (Vaill.)

Nova iterum aversae inscriptio, sed quam Severus quoque monetae suae inseruit. *Iuppiter praeses orbis* veteribus semper creditus, atque nunc etiam utrique aemulo agnitus, cum alter alteri subesse detrectaret.

* * *

Antica incerta.

IVSTITIA. AVGVSTI. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* AR. (Vaill. Pembrock P. III. tab. 25.)

Aversa ex cognomine *Iusti* suapte fluxit, quod Pescennius sibi proprium esse voluit, et quo gloriatus constanter est. Sane justitiam ab eo magni fuisse habitam, testis est Spartianus, qui eum nihil alieni appetiisse, atque ad hos mores etiam militem suum adegisse refert [c]).

* * *

Vt lit. F.

MARTI. AVGVSTO. *Mars gradiens d. hastam, s. tropaeum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

MARTI. INV. . . . *Idem typus.* AR. (Mus. com. a. Vitzai.)

---

a) Pag. 212. b) Specim. tab. IX. c) in Pescen. c. 8.

Antica incerta.

MARTI. VICTORI. *Mars gradiens d. parazonium, s. tropaeum.* AR. (Vaill.)

Similis aversa Severi etiam hujus anni numos invasit.

* * *

Vt lit. C.

MINERVA. VICTRIS. (*sic*) *Dea stans majorem clypeum, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

MINERVAE. VICTRICI. *Dea stans d. Victoriolam, s. hastam cum clypeo.* AR. (Vaill.)

Vt lit. E.

MONETA. AVG. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

PIETATI. AVG. *Mulier stans ad aram sacrificat.* AR. (Vaill.)

Vt lit. A. et F.

ROMAE. AETERNAE. *Roma sedens d. Victoriolam, s. hastam, pro pedibus clypeus.* (Mus. Caes.).

Vt lit. G.

SALVTI. AVG. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Hic typus jungendus fuerat cum inscriptione: MONETA. AVG., sed erravit monetarius, sive per incuriam, sive quod homo Graecus vocabuli Latini SALVTI significationem non cepit.

* * *

Vt lit. G.

SALVTI. AVGVSTI. *Mulier stans serpentem ex patera pascit, pro pedibus ara.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

SPEI. FIRMAE. *Spes gradiens.* AR. (Gessner ex museo Pfau.)

Insolens rursum epigraphe, sed quae, quod sciam, in Severi moneta nondum apparuit.

* * *

Antica incerta.

VICTORIA. *Victoria clypeo ex tropaeo appenso inscribens* AVG. AR. (Vaill.)

Vt lit. F.

VICTORIA. AVG. *in aliis:* VICTORIAE. AVG. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. E.

VICTOR. IVST. AVG. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Duplicem haec inscriptio sensum facit, primum: VICTOR*ia* IVST*i* AVG*usti*, nimirum ex cognomine *Iusti*; nam et habemus numos Severi eodem modo inscriptos: VICTOR. SEVER. AVG. Alterum: VICTOR*ia* IVST*a* AVG., nam et exstant ipsius Severi numi cum eadem epigraphe, in quibus sane legi nequit IVST*i*, cum *Iusti* cognomen Severus professus nunquam sit, sed IVST*a*.

Numi commatis peregrini.

Vt rarissimi sunt numi Pescennii ejus ipsius auctoritate signati, et inscripti Latine, ita numi urbium cum ejus capite hos adhuc pretio superant. Ejus generis confictos turpis lucri causa passim circumferri videas, a quorum fraude ut caveamus, omnes eos, qui hactenus ab antiquariis, quorum aliqua constat auctoritas, editi sunt, hoc loco recensere lubet additis observationibus de eorum sive probitate, sive fallacia.

Qui usque nunc probae fidei comperti sunt, in antica, cum Graeci sunt, inscriptum habent ΔIKAIOC, non IOTCTOC, ac jure istud. Nam eodem exemplo adscititia omnia imperatorum

nomina in numis Graecis Graece reddita reperies. Sic *Optimus* in Αριστος, *Pius* in Ευσεβης, *Felix* in Ευτυχης etc. migraverunt. Plerique Pescennii numi, quorum non paucos in museis, et catalogis videas, inscribuntur ΙΟΥCΤΟC. At notavit etiam jam pridem Vaillantius, eos sese omnes arte factos observasse [a]. In iis, quos mihi ejus generis adhuc videre licuit, hic Vaillantii, in hac causa idonei judicis, canon non fefellit. Nolim tamen plane adfirmare, non posse occurrere genuinos Pescennii numos cum scriptura ΙΟΥCΤΟC, nam et saepe reperitur scriptum ΑΥΓΟΥCΤΟC pro CΕΒΑCΤΟC, quin etiam ad formam Graecam adacta nomina plane Latina ΑCCΑΡΙΟΝ, ΒΩΤΑ, ΜΟΝΗΤΑ, ΑΜΒΡΟCΙΕ ΠΕΤΡΕ etc., eaque in numos recepta. Verum in similibus causis non quaeritur, quid praeter morem fieri potuerit, sed quid revera factum sit. De seriore Vaillantii indulgentia vide, quae mox infra ad numum coloniae Caesareae Samaritidos monebo.

En syllabum numorum Pescennii, primum qui probi, dein qui suspecti saltem, ne temere eruditorum judicia damnare videar, habendi sunt.

Numi genuini :

ΑΥΤΟΚ. ΚΑΙCΑΡ. Γ. ΠΕCΚΕ. ΝΙΓΡΩ. Δ. *Caput laureatum.*

ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΩΝ. *Aquila expansis alis clavae insistens.* AR. max. mod. (Reg. Gall.)

Insignis hic numus repertus Aleppi incidit in manus Wilhelmi Falkner Angli, a quo eum Vaillantius, ut ipse testatur [b], pretio XXX. Ludovicorum aureorum abstulit. Is non modo nihil offert, quod vel viros delicatissimi fastidii posset offendere, sed etiam post clarissimorum virorum judicia, qui cimelium istud approbavere omnes, nullam amplius censuram metuit. In illud praeclare commentatus est cl. de Boze [c], verum in eo a viro erudito dissentio, quod eum Tyri signatum opinatur. Mallem Antiochiae, ut copiose disputavi in moneta hujus urbis cap. II. Solitarium Δ partis anticae Δικαιον, *Iustum*, notat. Alium fere similem editum reperio apud Arigonium in numis editis anno 1759.

* * *

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΠΕCΚ. ΝΙΓΡΟC. ΔΙΚ. *Caput laureatum.*

ΚΑΙCΑΡΕΙΑC. ΓΕΡΜΑΝΙΚΗC. *Aesculapius.* In alio: *Serpens.* AE. III. (Vaill. Num. Graeci.)

Germanicia Caesarea Commagenes urbs. Ei regioni jam ante imperium praefuit Niger. Nam omnis regio ad Euphratem, in qua Commagene sita fuit, ei, quod praefectus Syriae erat, paruit [d]. De suspectis Pescennii hujus urbis numis mox infra.

* * *

IMP. CAES. C. PESC. NIG. IVS. AVG. *Caput laureatum.*

COL. AEL. CAP. COMMOD. *Astarte stans in templo tetrastylo.* AE. II. (Vaill. in nova edit. Coloniar. et in Numis Graec. p. 78.)

Numus est Aeliae Capitolinae, olim

a) Num. Graec. p. 78 b) Num. praest. T. II. p. 207. edit. Rom. c) B. L. Mem. T. XXIV. p. 105. d) Herodian. in Pertin.

Hierusalem. Et vero Palaestinam Pescennio prae Severo favisse, his verbis testatur Spartianus [a]): *Neapolitanis etiam Palaestinensibus jus civitatis tulit, quod pro Nigro diu in armis fuerant*, loquitur autem de Severo. Et idem infra [b]): *Palaestinis poenam remisit, quam ob causam Nigri meruerant.*

Numi suspecti.

ΑΥΤ. ΚΑΙΣ. Κ. ΠΕΣΚΕΝΝΙΟΣ. ΝΙΓΕΡΟΣ. ΣΕΒ. *In alio:* ΝΙΓΕΡΩΣ. *Caput laureatum.*

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. *Ceres stans d. spicas, s. facem, pro pedibus serpens.* AE. max. mod. (Mus. Farnes. T. V. tab. 18. Havercamp ad Orosium p. 501.)

Nisi Pedrusii, et Havercampi auctoritas horum numorum fidem tueretur, operae pretium visum non esset, eorum vel meminisse. Adeo omnia extremam παραχαρακτυ ignorantiam testantur. Σ pro C huic aevo plane adversatur, et scriptum ΝΙΓΕΡΟΣ, aut, quod magis absurdum, ΝΙΓΕΡΩΣ pro ΝΙΓΡΟϹ quis adprobet? Antiochiae Syriae numum suum largitur Pedrusius, verum an haec unquam neocoram se in copiosa sua moneta profitetur? an illa unquam maximi moduli, antequam colonia esset deducta, signavit? an unquam simili aversae typo usa, quae certos suos, ac constantes typos habuit? Haec omnia collecta numos hos, etsi cujuscunque alterius Augusti caput offerrent, suspectos redderent, in Pescennio suspicio tanto validius ingravescit. Praeferrem Antiochiam Cariae, sed neque haec neocoratum numis inscripsit. At enim Farnesiani numi fidem jam abunde elevavit Spanhemius autopta [c]).

* * *

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΠЄϹΚ. ΝΙΓΡΟϹ. ΙΟΥϹΤΟϹ. ϹЄΒ. *Caput laureatum.*

ΚΑΙϹΑΡЄΙΑϹ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΗϹ. *Diana venatrix.* (Patin.) *Aesculapius stans.* (Liebe p. 317.) *In aliis alii typi.*

Ingens est copia spuriorum Pescennii numorum, qui Caesaream Germaniciam patriam ementiuntur. His, ut supra monui, jam nomen ΙΟΥϹΤΟϹ fatale. Vtinam omnes, qui hos numos promulgant, eandem Liebei vel in examinando diligentiam, vel in profitendo candorem adferrent, qui Pescennii numum, quem ipse proposuit, sibi ipsi videri suspectum, adfirmare non dubitavit [d]). Equidem ex tot hujus urbis numis cum capite Pescennii, quotquot viderim, nullum reperi genuinum.

* * *

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΠЄϹΚ. ΝΙΓΡΟϹ. ΙΟΥϹΤΟϹ. *Caput laureatum.*

ΑΔΡΙ. - - - ΚΑΙϹΑΡΑΙΩΝ. ΜΗΤΡΟ. *Mulier capite tutulato sedens d. pateram, juxta quam stat Fortuna. AE. II.* (Patin. Numi impp.)

Alius similis, nisi quod inter utramque figuram scriptum praeterea ΚЄΝΝΑΤΑΝ. AE. max. mod. (Patin Thes. p. 180.)

Quidquid sit de fide horum numorum, quam certe minus firmam vocabulum ΙΟΥϹΤΟϹ facit, istud certum contra Patinum, eos Caesareae Germaniciae esse non posse, quae neque *Hadrianam*

a) in Severo cap. 9. b) Cap. 14. c) Tom. II. p. 242. d) l. c.

sese, neque *metropolin* in numis scripsit. Secundum hoc ipsum exemplar sive probae, sive malignae notae tres habeo compertos numos moderna manu effictos, eosque adeo inter se similes, ut dubium non sit, ab eadem illos omnes matrice fuisse profectos. A Patiniano sola aversae inscriptione, eaque depravata differunt, quae sic habet: ΑΝΔΡΙΝΟΠ. ΚΑΙCΑΡΑΙΩΝ. ΜΗΤΡΟ. Horum unus aeneus exstat in museo Pembrock a), alter in museo ill. com. Vitzai, tertius notus quidem jam est ex praeconio Khellii, qui eum in suo ad Vaillantium Subplemento pag. 104 ex museo de France edidit, at graviter peccavit, cum quod inscriptionem aversae sic refert --- ΑΝΔΡΙΝΩΝ. ΚΑΙCΑΡЄΩΝ. ΜΗΤΡΟ., cum tamen eam sic se habere, ut supra dixi, adfirmare possim, qui numum data opera saepe, ac diu sum contemplatus, tum quod is illum simpliciter argenteum maximae formae vocat, cum tamen sit duplicis metalli, cujus interior orbis ex argento puro est, ambiente hunc circulo aeneo. Qui vel mediocrem rei numismaticae veterum usum habet, videbit facile cum ex luxata epigraphe, tum duplicis metalli lusu, Graecis, quod sciam, ignoto, ut fabricam praeteream a vetere ratione prorsus alienam, numum hunc una cum sociis in spuriorum numero habendum. Ex quo apparet, non semper esse animi arrogantis indicium, cum nonnunquam peritissimorum etiam virorum oraculo diffidimus; nam saepe non quidem scientiam, sed adcurationem, et circumspectionem in iis desideramus. Vocabulum ΚΕΝΝΑΤΑΝ alteri numo additum, et quod legitur in numis sacerdotum Olbae Ciliciae, numum eundem magis adhuc suspectum facit.

* * *

ΑΥΤΟ. ΠЄC. ΝΙΓΡΟC. ΙΟΥCΤΟC. *Caput laureatum.*

CΙΔΩΝΙΩΝ. *Pallas stans d. hastam, s. clypeum.* AE. II.

Cimelium istud Romae anno proxime elapso ex gaza sua vulgavit vir eruditus Iosephus Casalius canonicus Vaticanus. Vt non solicitem vocabulum ΙΟΥCΤΟC, multa sunt alia, quae numum suspectum faciunt. Inde ab Hadriano numus Graecus saltem certae fidei Sidone signatus non exstat. Inde a Caligula in ejus urbis numis non amplius legitur ΣΙΔΩΝΙΩΝ, sed ΣΙΔΩΝΟΣ. Abest annus epochae, quem Sidonii Graecis suis numis fere constanter inscripsere. Ac demum neque typus, hactenus in moneta Sidonia incompertus, numo, de quo agimus, patrocinatur. Atque haec, etsi singula non magnopere adversarentur, tamen simul sumpta magno sunt ad probandum hunc numum impedimento. Forte secus judicarem, si eum ipse vidissem.

* * *

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΠЄCΚ. ΝΙΓΡΟC. ΙΟΥCΤΟC. CЄΒ. *Caput laureatum.*

ЄΠΙ. CΤΡ. ΚΛ. CΤΡΑΤΟΝЄΙΚΟΥ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Amazon stans d. Victoriolam, s. bipennem et peltam, pro pedibus navis.* AE. II.

Numum hunc ex museo Hunteriano vulgavit cl. Pinkertonus, aerique inci-

a) Part. III. tab. 54.

sum exhibuit a). Iterum vox ΙΟΥϹΤΟϹ molesta. Numum esse antiquum non dubito, sed vereor, ne Pescennius in locum Severi per artem recentem successerit. Sane praetorem Cl. Stratonicum offerunt numi Severi et Domnae apud Smyrnam signati, tum et typum Amazonis similem. Vide Vaillantii numos Graecos.

* * *

ΑΥΤ. Κ. Γ. ΠΕϹΚ. ΝΙΓΡΟϹ. ΙΟΥϹ. Ϲ.
COL. P. F. AVG. CAESAR. *Caput Sarapidis.*

Numum aliquando Vaillantius ex gaza Parmensi descripsit, sed quod bilinguis est, suspectum est ratus b). Serius testatus est, eum a peritis genuinum credi c). Tanto ergo proclivius numum hunc in adulterinorum numerum reponemus, cum Vaillantius non suis, sed alienis oculis judicium ferat, et suspectus jam visus fuerit Pedrusio musei Parmensis custodi. Aversam numi partem esse probam, non negavero, sed antica displicet, nam colonia Caesarea Samaritidos, quorsum hic numus pertinet, nunquam inscriptione Graeca, sed Latina semper, multo minus utraque in eodem numo est usa. Quare dubium non est, recentem manum in capite, et literis partis anticae refingendis sese exercuisse.

* * *

Alexandrinos hujus Augusti binos in lucem dedit cl. abbas Sestinius, de quibus quae mea sit sententia, jam alias loco suo indicavi d).

Nomina, ac tituli.

Ad nomina, quae observem, pauca habeo. Cur IVSTI nomine gloriari voluerit, dixi supra ad numum IVSTITIA. AVGVSTI. Pescennium PIVM facit numus Alexandrinus a Sestino editus, sed vel ideo magis suspectus, ut dixi loco mox indicato.

Consul.

In numis Pescennii non paucis notatur consulatus II., sed unius tantum meminerunt historici, quos supra in ejus vita laudavi, alterum dissimulavere. Non repugnat ejus aetatis moribus, Pescennium proximis Kalendis Ianuariis post aditum imperium arrogato sibi jure consulem II. in Oriente processisse, quod a veteribus non est adnotatum.

Pater patriae.

Hunc titulum numus unicus jactat, isque aureus, quem vide supra in CONCORDIA. Amplius mirere, usurpatum a Nigro honorem, qui decerni semper a senatu est solitus, quod tamen ab hoc tentatum propter metum primo Iuliani, deinde Severi, nullo pacto credibile. Vereor, ne haec ipsa peristasis famigerati hujus numi fidem, praecipue quod unicus in auro est, nonnihil minuat.

Tribunicia potestas.

Vsque nunc unicus hic est Augustus,

a) Essay on medals Vol. I. p. 301. b) in Numis coloniar. p. 224. c) Num. praest. T. II. p. 207. edit. Rom. d) Vol. IV. p. 81.

qui hujus potestatis mentione in moneta abstinuit, cujus ego aliam causam non reperio, quam quod ea a senatu solebat conferri, hic vero primum per Iuliani, deinde Severi metum conferre eam non potuit. Post quod exemplum neque Antiocheni ausi sunt ejus numo, quem supra descripsi, inscribere ΔΗΜΑΡΧΙΚΗC. ЄΞΟΤCΙΑC, *tribunicia potestate*, quod tamen inde a Trajano, et deinceps omnibus tetradrachmis inscripsere, suffecta, quod nunquam alias factum, epigraphe: ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘЄѠΝ.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aureus, de quo supra in CONCORDIA . .	Vnicus.
Argentei	RRR.
Aenei cujuscunque formae	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, et coloniarum	RRRR.

CLODIVS ALBINVS.

D. Clodius Septimius Albinus Hadrumetinus ex Africa familia nobili a), quam derivatam ferunt a Postumiis, et Albinis Romanorum b), natusque patre Cejonio Postumo, matre Aurelia Messalina c). A M. Aurelio, cui propter fidem, et laudem bellicam carus fuit, ad dignitates, et consulatum suffectum promotus est d). Commodo usque adeo gratiosus fuit, ut eum datis literis, quas conservavit Capitolinus, ad capiendum Caesaris titulum invitaret, quem tamen is honorem, cum Commodi exitum praevideret animo, caute detrectavit e). Interfecto Pertinace cum Nigrum legiones Syriae, Severum Pannoniae ad imperium contra Iulianum nundinatorem vocarent, Albinus a suis (Britanniae tum praeerat) imperator est agnitus. At Severus bellum in Iulianum, et urbis capiendae consilium animo versans, ne quis sibi ab Albino metus esset, Caesarem eum per literas salutavit, quo benevolentiae testimonio etsi fucato, et per metum extorto ita sibi hominem credulum devinxit, ut hactenus in obsequio et fide adversus Severum persisteret f).

V. C. 946. P. X. 193.
CAESAR. COS. DES. II.

Severus caeso Iuliano et Roma capta

a) Capitolin. c. 1. b) Ibid. c. 4. c) Ibid. d) Ibid. c. 10. e) Ibid. c. 2.
f) Dio L. LXXIII. §. 15.

bellum in Pescennium meditans Albinum, suum jam aperte Caesarem a) per amicitiae speciem omnibus officiis ornat, consulem iterum designat, numos ejus imagine feriri jubet, eidem statuas erigit, quin et imperii successorem destinat b).

* * *

A. D. CLOD. SEPT. ALBIN. CAES. *Caput nudum in AR. AE. I. II.*

B. D. CLODIVS. SEPTIMIVS. ALBINVS. CAES. *Caput nudum, in AE. max. mod.*

C. D. CLODIVS. ALBINVS. CAES. *Caput nudum in AV. et AR.*

D. D. CL. SEPT. ALBIN. CAES. *Caput nudum in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. C.

PROVID. AVG. COS. *Mulier stans d. bacillum, s. hastam, pro pedibus globus.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Numi reliqui: CONCORDIA — FORTVNAE. REDVCI — ROMAE. AETERNAE etc. cum suis typis.

V. C. 947. P. X. 194.
CAESAR. COS. II.

Albinus consul II. procedit conlega Severo Augusto. Severus Pescennium debellat.

Partes anticae ut ad annum praecedentem.

* * *

Vt lit. A.

COS. II. *Aesculapius stans.* AR. AE. I. (Mus. Caes. Vaill.)

Vt lit. A.

SAECVLO. FECVNDO. S. C. AE. I. II. (Vaill.) *In aliis:* SAECVLO. FRVGIFERO. COS. II. *vel:* SAEC. FRVGIF. COS. II. *Vir seminudus capite radiato stans d. caduceum cum spicis, s. tridentem.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eadem aversa est etiam in Severi numis synchronis, quos vide.

Numi reliqui obvii sunt argumenti.

V. C. 948. P. X. 195.
CAESAR. COS. II.

Nihil de Albino ad hunc annum proditur. Severus in Oriente Parthos, Adjabenos, Arabas persequitur.

Ad hunc etiam annum pertinent numi Albini adhuc Caesaris consulatum II. praeferentes.

V. C. 949. 950. P. X. 196. 197.
AVGVSTVS. COS. II.

Pacato Oriente ne Caesaris quidem amplius honores Severus Albino tribuit c). Postea detectis insidiis, quae sibi Severus struxerat, palam desciscit, et Augusti titulum capit. Ex Britannia in Galliam transgressus Lugduni sedem figit. Romae a senatu, etsi clam per Severi odium sibi favente, et militibus hostis judicatur. Primum victor de Severi ducibus, mox apud Tinurtium ingente strage adficitur XI. Kal. Mart. V. C. 950. Ejus seminecis caput Severus a trunco revulsum Romam praemittit, et equum insultans super cadaver impellit d). Ferri

a) Capitolin. in Albino c. 10. b) Herodian. in Severo p. 513. Capitolin. c. 3. 10.
c) Dio L. LXXV. §. 4. d) Herodian. Spartian. in Severo c 11.

poterat jactura viri inter vitia, et virtutes varii, et si a senatu tantum amatus est, quantum nemo principum, ut ait Capitolinus [a]), in causa fuit generis nobilitas, et quod Albinum mitiorem Severo speravit, qui in patres promiscua caede saeviit.

Vxor incerti nominis, ex qua liberos tulit, sed eam cum his Severus post victoriam interfici, et cadavera in Rhodanum abjici jussit [b]). Infantulum *Pescennium Prineum* memorat Capitolinus [c]). Vxorem dictam fuisse *Pescenniam Plautillam* putat Tristanus, sed conjectura tam levi, quam nullius fidei est numus, quem hoc nomine inscriptum protulit. Vxorem Pescennii, nomine adfini *Pescenniam Plautianam*, sed et hanc antiquitati ignotam, in Pescennio vidimus, quem locum cumprimis adi.

Numi:

Animadvertendum, hactenus praeter aureos, et argenteos promiscue aeneos quoque ex S. C. percussos comparuisse; at diximus etiam supra ad annum 946, Severi jussu monetam cum Albini imagine Romae fuisse signatam testante istud definite Herodiano [d]). At posteaquam Augustum se Albinus dixit, isque a Severo hostis judicatus est, jure comma Romanum exspirare coepit. Quare nulli habentur Albini numi ex aere addito S. C., et titulo Augusti, omnesque, qui exstant, argentei sunt, in cujus, ut constat, metalli monetam imperatoribus jus fuit. Ergo hi omnes in Gallia, aut Britannia malleum passi sunt, neque sane per fabricam barbaros natales inficiantur. An hos inter exstent etiam numi aurei, mihi ignotum; nam horum nullum adhuc vidi ipse, aut alicubi memoratum legi.

* * *

A. IMP. CAES. D. CLO. SEP. ALB. AVG. *Caput laureatum in AR.*

B. IMP. CAE. D. CLO. SEP. ALB. AVG. *Caput laureatum in AR.*

C. IMP. D. CLOD. SEPT. ALBIN. AVG. *Caput nudum in AR.*

D. IMP. CAES. D. CL. ALBIN. AVG. *Caput laureatum in AR.*

* * *

Vt lit. B.

CLEMENTIA. AVG. COS. II. *Mulier stans d. pateram, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Opponit Albinus clementiam suam asperitati Severi, qua is in patres sibi suspectos, eosque, qui Nigrum secuti sunt, gravissime animadvertit.

* * *

Vt lit. A.

GEN. LVG. COS. II. *Genius nudus capite turrito stans d. hastam, s. cornucopiae, pro pedibus aquila.* AR. (Mus. Caes.)

Albinum, cum ex Britannia transmisit, consedisse Lugduni, in cujus deinde vicinia victus, interfectusque est, diserte tradit Herodianus [e]). In hac igitur urbe numus praesens, GEN*ium* LVG*duni* exhibens signatus est, qua in urbe plerosque alios Albini jam Augusti

a) in Albino c. 12. b) Spartian. in Sev. c. 11. c) in Albino c. 7. d) in Severo. e) in Severo.

numos fuisse cusos verisimile est. Officina Lugdunensis jam memoratur in numis Antonii IIIviri, multo autem frequentius in numis inferioris aevi. Aquila pedibus adstituta forte indicat, Lugdunum in summa Iovis tutela fuisse, ut revera Albinus primas suas victorias Iovi acceptas tulit teste numo argenteo apud Vaillantium cum epigraphe: IOVI. VICTORI.

Vt lit. D.

MAR. VLT. COS. II. *Mars stans d. hastam, s. galeam.* AR. (Mus. Com. a Vitzai.)

* * *

IMP. CAES. CL. SEPT. ALBIN. AVG. *Caput laureatum.*

S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *intra lauream.* AR. (Vaill. Num. praest. T. II. edit. Rom. p. 208. in iconismo.)

Cum Albinus, ex quo Augusti honorem reluctante Severo arripuit, hostis fuerit judicatus, numus hic in urbe feriri non potuit, neque amplius a senatu, licet illi impense dedito praestari honor, quem numisma profitetur. Ergo si verae illud est fidei, dissimulantibus historicis omnibus manifeste docet, Albinum in Gallia sibi conflasse senatum, a quo *Patris Patriae* appellationem, et servatorum civium decus, lauream nempe abstulerit. Eadem ratione olim et Pompejus M. in Graecia, Scipio in Africa suum habuere senatum, etsi Caesar urbem senatus sedem in sua potestate haberet, idemque serius fecisse Postumum, in hujus moneta videbimus. De numo alio cum simili aversa agetur infra in numis Albini insolentioribus.

Reliqui Albini Augusti numi inscriptiones, et typos obvios continent.

Numus vagus.

Antica incerta.

FORTITVDO. AVG. INVICTA. *Hercules stans tectus leonis exuviis d. clavae innixus, s. poma Hesperidum.* AR. (Vaill.)

Numum hunc describere placuit propter epigraphen insuetam. Eum vagum una Vaillantii incuria constituit, qui anticam describere neglexit, incerto adeo, sitne Albini Caesaris, an Augusti.

Numi Albini insolentiores.

D. CL. SEPT. ALBIN. CAES. *Caput nudum.*

S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes. Mediobarb.)

D. CLOD. SEPT. ALBIN. CAES. *Caput nudum.*

P. M. TR. P. COS. II. *Roma sedens.* AR. (Mus. Farnes.)

D. CLODIVS. ALBINVS. CAES.

P. M. TR. P. II. COS. II. *Figura stans d. ramum, s. hastam cum clypeo.* AR. (Mediobarb.)

Alius similis, sed AE. II. et addito S. C. (Mediobarb.)

Insolentes hos numos dixi, quoniam antica Albinum simpliciter Caesarem profitetur, et aversa non modo titulos Augustis tribui solitos, sed etiam hos ejus generis, quales in numis Albini Augusti, quos supra descripsi, non reperias, ut Patris Patriae, Pontificis Maximi, et tribuniciae potestatis. Cum constet, numos Albini adhuc Caesaris esse signatos Romae, verisimile videri

posset permutatas matrices, et cum capite Albini conjunctas aversas ad Severum pertinentes, verum in omni Severi moneta mihi cognita similes aversae non reperiuntur, mirumque foret, eas in Severi numis deperditas omnes, et conservatas tantum in numis Albini, ad quem eae non pertinent. Quid igitur? an spurios dicere expediet? Is, quem ex museo Caesareo descripsi, fraudis suspicione immunis videtur, atque similem citat etiam Mediobarbus. Vnum addit museum Farnesianum. Res digna, in quam inquirant ii, quibus locupletia musea praesto sunt. Certe qui illos, ut describuntur, explicet, et cum historia conciliet, aut nullus erit, aut magnus Apollo. Nam etsi demus, eos signatos in Gallia, et Albinum in hos titulos propria auctoritate involasse, tamen is, qui se pontificem maximum, et patrem patriae dixit, certe etiam in antica Augustum sese appellasset.

* * *

IMP. CAES. D. CLO. ALBIN. AVG. *Caput laureatum.*

VICT. - - - COS. I. *Victoria armis insidens d. palmae ramum, s. clypeum super genu.* AR. (Mus. Caes.)

Hic numus est integerrimus demptis aliquot literis το VICT. consequentibus. Male cohaeret utraque numi pars. Etenim antica est Augusti, aversa propter consulatum primum Caesaris. Credi posset, binas matrices monetarii incuria male fuisse compositas, verum hanc aversam in nullo Albini adhuc Caesaris numo reperi. Scriptum COS. I. legitur etiam in nonnullis Severi numis.

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum numos Side Pamphyliae, et Smyrnae signatos conservavit Vaillantius, sed cum capite Albini Caesaris, non Augusti; nam cum is primum hunc titulum recepit, ab omnibus provinciis, dempta Britannia, Gallia, et Germania hostis volente aemulo Severo judicatus est.

Coloniarum numi adhuc reperti non sunt, at non propterea, quoniam, ut censet Vaillantius, praesedit iis provinciis, in quibus coloniae numos cudere non erant solitae, nam habemus numos Sides et Smyrnae, etsi Albino nunquam paruere. Signare igitur ejus imagine numos potuerunt licet Severo obnoxiae, non tanquam principi suo, sed tanquam illi, quem fuisse Severi Caesarem diserte ex Herodiano testatur Capitolinus [a]), nimirum qua ratione Aelius fuit Caesar Hadriani, Aurelius Verus Antonini Pii etc., quorum omnium, et nomine quidem Caesaris, habemus numos in coloniis quoque signatos.

Antiocheni, et *Alexandrini* item desiderantur.

Nomina, ac tituli.

Septimius.

Nomen *Septimii* in Albini moneta reliquis additum constanter legitur. Cum nomen istud proprium fuerit Severo, colligit Tillemontius [b]), Albinum a Severo non modo dictum fuisse Caesarem, sed etiam adoptatum. Ingeniose istud.

a) in Albino c. 1. b) in Severo pag 30.

At enim id ipsum nomen legitur adhuc in numis Albini Augusti, neque verisimile, Albinum eo tempore, quo hostem se Severi professus est, usum fuisse nomine, quod per adoptionem accessisset. Certius igitur istud nomen fuerit unius ex majoribus, quod sibi more ejus aetatis adsciverit.

Pontifex maximus, *Pater patriae.*

Quae ad titulos hos pertinent, quos Albino numi aliquot valde dubii tribuunt, vide, quae paullo supra animadvertimus.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	RRR.
Argentei	R.
Aenei I. et II. formae	R.
Aenei III. formae	O.
Aenei max. formae	RRRR.
Commatis peregrini:	
Vrbium liberarum	RRR.
Alexandrini, et Antiocheni	O.
Coloniarum	O.

L. SEPTIMIVS SEVERVS.

Natus in Africa apud Leptin agri Tripolitani patre Geta, matre Fulvia Pia die XI. Aprilis V. C. 899 a). Latinas Graecasque literas puer adsidue coluit, iisque fuit eruditissimus. Romam profectus coepit adire rempublicam, fuitque jam anno aetatis XXXII. praetor designatus magnopere ejus consilia adjuvante Septimio Severo adfine suo bis consulari b). Inter ejus majores haud dubie etiam numerandus Septimius Severus, ad quem Statius elegans carmen scripsit, et quem is ibi ex eadem Lepti oriundum refert c), conspirantibus adeo nominibus, et patria. Praepositus deinde legioni IV. Scythicae circa Massiliam, postea Lugdunensem Galliam magna severitatis et abstinentiae commendatione rexit. Pannonias quoque, et Siciliam proconsule administravit. V. C. 938 consul suffectus fuit inter eos quinque et viginti, quos hoc anno ad consulatum promovit Commodus d). Postea praefectus exercitui Pannonico et Illyrico, caeso Commodo, et Pertinace ad imperium evecto, in hujus fide constans

a) Dio L. LXXVI. §. 17. b) Spartian. c) Silvar. L. IV. carm. V. d) Spartian. c. 4.

perstitit. Hoc interfecto, et Iuliano successore per provincias exoso repugnans a suis imperator acclamatur apud Carnuntum [a]. Instituto igitur celeriter Romam itinere, (nam praevertendum erat Pescennio, quem interea Oriens Augustum dixit) neglectis Iuliani, ac senatus minis, a quibus judicatus hostis est, caesi Pertinacis se ubique vindicem ferens, cum in conspectum urbis venit, adeo praesens patres perterruit, ut mox abdicato Iuliano, et dilapsis per metum praetorianis ad necem adacto Kalendis Iun., aut die proximo V. C. 946 omnes eum in urbe ordines imperatorem agnoscerent. Pagius idus Apriles natalem imperii Severi constituit [b]).

V. C. 946. P. X. 193.
TR. POT. COS. DES. II. IMP. I.
Q. Sosio Falcone, C. Iulio Erucio cos.

Auctores caedis Pertinacis morte multat, accitos ex urbe praetorianos occisi Pertinacis, et venditi Iuliano imperii reos armis spoliat, et in exilium ejicit. Magnifico comitatu, inter faustas acclamationes urbem ingreditur. Clodium Albinum Britanniae Praefectum Caesarem appellat. Provisis rebus omnibus intra trigesimum diem, quam Romam venerat, in Orientem ad persequendum bello Nigrum proficiscitur [c]).

A. IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. radiatum in AE. II.*

B. IMP. CAES. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. I. *Caput laureatum in AE. I.*

C. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. I. *Caput laureatum in AR.*

D. IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. COS. I. *Caput laureatum in AV. et AR.*

Animadvertendum ad numos, qui primis Severi annis flati sunt, complures ex his esse fabricae rudioris, et epigraphen saepe luxatam offerre, sic ut pro PERT. non raro PERCT. PRTE., aut aliter legatur. Quocirca dubitari nequit, eos alicubi extra urbem esse percussos. Ejusdem modi sunt etiam synchroni numi Caracallae, et item Domnae, sed quos constat etiam, primis Severi annis malleo fuisse subjectos, ut dicetur.

* * *

Vt lit. A.

AEQVITAS. II. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes. et com. de Vitzai.)

Singularem hunc numum olim edidi [d]). Offert is Aequitatem perinde, ac liberalitatem per numeros digestam, quod neque Mediobarbo, neque Vaillantio fuit observatum. Verum quis sit duplicatae hujus Aequitatis sensus, non adsequor. Etiam alter cum eadem aversa, sed Domnae, exstat in museo Caesareo, uterque integerrimus, sed fabricae rudioris, qualis dixeram esse numos primis Severi annis signatos.

* * *

Vt lit. A. vel B.

FIDEI. LEG. TR. P. COS. *Mulier stans*

---

a) Spart. c. 5. b) Critic. T. I. p. 184. 189. c) Dio L. LXXIV. §. 1. Herodian. Spartian. d) Sylloge I. p. 103.

d. Victoriolam, *s. vexillum.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Fidem legionum depraedicat his in numis Severus, quae sibi primum adversus Iulianum, deinde Nigrum praesto fuere. Neque hanc generatim memorare satis habuit, sed speciatim ipsa earum nomina numis inscripsit, quas mox infra ordine recensebimus additis sub finem nonnullis observationibus.

* * *

Vt lit. D.

IOVI. PRAE. ORBIS. *Imperator sedens d. Victoriolam*, *s. hastam*, *pro pedibus aquila.* AR. (Mus. Caes.)

Eandem aversae epigraphen vide etiam in Pescennio.

* * *

Vt lit. A.

LEG. I. ADIVT. TR. P. COS. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LEG. I. ITAL. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Catal. d'Ennery.)

Vt lit. A.

LEG. I. MIN. TR. P. COS. *Idem typus.* AV. AR. (Vaill.)

Vt lit. A.

LEG. II. ADIVT. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LEG. III. ITAL. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LEG. IIII. FL. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LEG. V. MAC. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LEG. VII. CL. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LEG. VIII. AVG. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LEG. XI. CL. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LEG. XIII. GEM. TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. et B.

LEG. XIIII. GEM. M. V. TR. P. COS. *Idem typus.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.) In alio: LEG. XIIII. GEMINA. M. V. AR. (Khell. Subplem.)

Vt lit. A.

LEG. XXII. (*addito in aliquibus* PRI.) TR. P. COS. *Idem typus.* AR. (Vaill. Mus. Caes. Catal. d'Ennery.)

Vt lit. A.

LEG. XXX. VLP. V. *Idem typus.* AR. (Vaill.)

Legiones multo frequentius in marmoribus, quam numis solent memorari, atque cum eas, quas laudati numi produnt, tum reliquas omnes additis cognominibus ordine digestas reperies in indice locuplete Gruteri pag. XXIX. seq. Eas etiam descripsit Dio, prout se aetate sua habuere, adjectis appellationum causis, et stationibus, quas tum tenuere a). Verisimile est, numis eas a Severo fuisse insertas, ut hoc observantiae argumento tanto sibi firmius earum fidem obstringeret, quam difficili illo tempore,

a) L. LV. §. 23.

quo in Pescennium aemulum arma movit, necessariam cumprimis habuit. Videmus ex hoc catalogo legiones eas, quae ipsi adhaesere, et quas in bellum eduxit, earum vero appellationes, quae truncatae in his numis exhibentur, sic explendae: ADIVT*rix*, MIN*ervia*, FL*avia*, MAC*edonica*, CL*audia*, GEM*ina* M*artia* V*ictrix*, PRI*migenia*, VLP*ia* V*ictrix*. Sed omnes hos numos revocabo in tractatu singulari de numis legionum, quem dabo in VIII. volumine hujus operis.

* * *

Vt lit. A.

LIBERAL. AVG. COS. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

LIBERAL. AVG. TR. P. COS. S. C. *Liberalitas stans.* AE. I. In alio: *Imperator in suggestu distribuens congiarium.* AE. I. (Mus. Caes.)

De Severi liberalitate, cum imperium adivit, loquens Spartianus narrat, eum quingena sestertia, quod nemo unquam principum, dedisse militibus, qui eum in Pannonia Augustum dixere [a]), congiarium vero distribuisse populo, antequam in Pescennium exiret, tradit Herodianus, quod idem in his numis, qui sunt hujus anni, notatur.

* * *

Vt lit. A.

NOBIL. AVG. TR. P. COS. *Mulier stans d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

In rarissimo hoc numo nobilitatem generis, quam nullam habuit, jactat, quod connecte cum iis, quae infra ad annum V. C. 948 de ficta ejus adoptione dicentur.

Vt lit. B.

SAECVLO. FRVGIFERO. TR. P. COS. *Vir capite radiato seminudus stans d. caduceum cum spicis, s. tridentem.* AR. (Mus. Caes.) *addito* S. C. AE. I. (Liebe Goth. num. p. 285.)

Eandem aversam Severus etiam Albino Caesari suo indulsit. Enimvero rei frumentariae tantum providit, quantum nemo adhuc imperatorum. Cum primum Romam venit, in Africam legiones misit, ne per Libyam et Aegyptum Niger Africam occuparet, et Romanos annonae penuria urgeret [b]). Eamque is curam per reliquos annos omnes sic intendit, ut moriens septem annorum canonem relinqueret, ita ut quotidiana LXXV. millia modiorum expendi possent, olei vero tantum, ut per quinquennium non solum urbis usibus, sed et totius Italiae sufficeret [c]). Typus hujus numi est compositus; nam radii indicant solem, cujus beneficio maturescunt fruges, caduceus et spicae Mercurium commeatuum praesidem, tridens Neptunum, per cujus undas traducebatur classis frumentaria.

* * *

Vt lit. A.

VICT. AVG. TR. P. COS. *Victoria gradiens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Patet ex his numis, Severum jam hoc anno victoria potitum, an de Pescennio, an alicubi de barbaris per legatos, incertum.

---

a) Cap. 5. b) Spart. c. 3. c) Spart. c. 23.

* * *

Vt lit. D.

VICTOR. SEVER. AVG. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

VICTOR. IVST. AVG. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Vtriusque hujus numi supra in Nigri moneta memini ad numum inscriptum: VICTOR. IVST. AVG., nimirum ut in hujus numis frequenter advertimus, Severus, cum adversus eum bellaret, non minus numos numis, quam arma armis opposuit. Sed horum plerosque in moneta anni sequentis intuebimur.

Reliqui hujus anni numi obvios habent typos.

V. C. 947. P. X. 194.

TR. P. II. COS. II. IMP. I.

Severo Aug. II. D. Clod. Albino Caes. II. cos.

Pescennius hostis judicatur. Byzantii, quod ab hoc stetit, celebrem obsidionem Severus orditur. Aemilianus Pescennii dux ad Cyzicum acri praelio superatur, et occiditur, rursum altero Pescennius ipse prope Nicaeam victus, atque iterum ad sinum Issicum, in fuga capitur. Caesi caput Severus Byzantium mittit oppidanis ostentui futurum a).

A. IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. COS. II. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. B.

FIDEI. LEG. COS. II. *Mulier stans d. Victoriolam, s. vexillum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AR. (Mus. Caes.)

Hic numus, quoniam praeter consulatum II. aliam notam non offert, proximum etiam septennium non abnuit. Epigraphe aversae quam verax in Trajano, a quo ea capta est, tam in Severo mendax, cujus atroces ac crudeles mores saltem primis imperii annis cogniti.

* * *

Vt lit. A.

BONA. SPES. — BONAE. SPEI.
BONI. EVENTVS.
CERERI. FRVG.
FELICIT. TEMPOR.
FORTVN. REDVC.
INVICTO. IMP. TROPAE.
IOVI. PRAE. ORBIS.
MART. VICTOR.
MINER. VICT. vel: MINER. VICTOR. id est: *Minervae Victoriae*, quae Graecis dicta est, Αθηνη Νικη, de qua egimus in moneta Athenarum.
MONET. AVG.
PIETAT. AVG.
VICTOR. AVG.

Typi in omnibus his iidem, qui in numis Pescennii similiter inscriptis. Sunt omnes AR.

Horum numorum explicationem vide in moneta Pescennii, quo loco de hac utriusque imperatoris numorum concor-

a) Dio, Herodian. Spartian. in Pesc. et Sever.

dia, quae sane non casui, sed consilio tribuenda, pluribus egi.

Eodem anno:
TR. P. II. COS. II. IMP. II.
Incipit P. P.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. II. *Caput laureatum.*
DIS. AVSPICIB. TR. P. II. COS. II. P. P. S. C. *Hercules nudus stans d. clavam, s. exuvias leonis, ex adverso Bacchus d. cantharum, s. thyrsum, pro pedibus tigris.* AE. II. (Mus. Caes.) *Idem argumentum in numis annorum sequentium.* AE. I. II. item max. mod. (Museum Albani.)

Frequens aversa in numis anni hujus, et deinceps. Eximie hi comprobant, quod narrat Dio a), Severum Baccho et Herculi templum maximum exaedificasse, ac docent praeterea, hos ab illo deos auspices fuisse appellatos. Iidem in numis Caracallae vocantur DI. PATRII., quos vide in hujus moneta ad annum V. C. 957.

* * *

Eadem adversa.
P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Eodem anno:
TR. P. II. COS. II. IMP. III.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. III. *Caput laureatum.*
AFRICA. S. C. *Mulier elephanti exuviis tecta spicas in tunica praefert, pro pedibus leo.* AE. I. (Mus. Caes.)

Rationem typi suppeditabit Spartianus, cum refert b), Severum, cum primum Romam venit, milites in Africam misisse, ne, si forte eam Niger invaderet, Romae annona deficeret. Africam etiam, patriam nempe suam, multis eum ornasse beneficiis, dubium non est. De Carthagine certe constat, ut infra in numis V. C. 956 docebimus. Quapropter nequaquam mirum, eum ab Afris dei instar cultum fuisse, ut narrat Spartianus c).

* * *

Eadem adversa.
LIBERO. PATRI. *Bacchus nudus stans d. cantharum, s. hastam, pro pedibus pantheriscus.* AR. (Mus. Caes.)

De Severi in Bacchum adfectu paullo supra egi ad numum DIS. AVSPICIB.

* * *

Eadem adversa.
P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *Vir seminudus stans d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.
VICT. AVG. TR. P. II. COS. II. P. P. *Victoria gradiens.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Eodem anno:
TR. P. II. COS. II. IMP. IV.

A. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. IIII. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*
B. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PER-

a) L. LXXVI. §. 16. b) Cap. 8. c) Cap. 13.

TINAX. AVG. IMP. IIII. in *AE. max. mod.*

* * *

Vt lit. A.

APOLLINI. AVGVSTO. *Apollo stolatus stans d. pateram, s. lyram.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Eandem aversam jam vidimus in numis Antonini.

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 948. P. X. 195.

TR. P. III. COS. II. P. M. P. P. IMP. IV.

Scapula Tertullo, Tineio Clemente cos.

Osrhoeni et Adjabeni imperata facere detrectant. Quare Severus transmisso Euphrate Mesopotamiam invadit [a]). Praeter Adjabenos Arabas quoque Mesopotamiae armis impetit, et Parthos (verba sunt Spartiani) in ditionem redigit. Re bene gesta a senatu *Arabicus*, *Adjabenicus*, *Parthicus* dicitur [b]).

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. IIII. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *Typis variis in omni metallo, et forma.*

Eodem anno:

TR. P. III. COS. II. IMP. V.

et dicitur Parthicus, Arabicus, Adjabenicus.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. V. *Caput laureatum.*

ARAB. ADIAB. COS. II. P. P. *Victoria gradiens d. lauream, s. tropaeum.* In aliis: *Duo captivi sedentes.* In aliis: *Tropaeum.* AR. (Mus. Caes.)

En titulos *Arabici* et *Adjabenici*, quos Severo delatos fuisse diximus, nunc etiam numis illatos. Tamen quod norim, in numis tantum praesentis tribunatus III. leguntur, sed illos marmora diutius, ac frequentius crepant, et in marmore Muratorii jam junguntur cum IMP. IIII [c]). De his adhuc gentibus Spartianus [d]): *Arabas in deditionem accepit, Adjabenos in tributarios coegit.*

* * *

Eadem adversa.

PART. ARAB. PART. ADIAB. COS. II. P. P. *Duo captivi sedentes, in aliis insuper tropaeum.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eodem tempore accessisse quoque *Parthici* cognomentum, laudati supra auctores docuere. Verum istud singulare, quod titulus hic his in numis, ut et in epigrammate arcus Severi [e]) repetatur, et seorsim tam ad Arabas, quam Adjabenos adjiciatur, cujus causam non reperit Tillemontius [f]). Verisimile est, hoc tempore bellum apertum Parthis cum Severo non fuisse, eos tamen copias auxiliares tam Arabibus, quam Adjabenis misisse, atque una cum his variis praeliis victos. Sane constat, tum adhuc Severum a solicitandis gravius Parthis abstinuisse, ne se longiori bello implicaret, qui haud dubie jam tum evertendi Albini consilia volvit. Et vero recusasse eum *Parthicum* nomen sibi oblatum, ne Parthos lacesseret, diserte

a) Dio L. LXXV. §. 1. 2. b) Spartian. Herodian. Victor Schotti. c) Pag 243. 1.
d) Cap. 18. e) Grut. 265. 1. f) in Sever. p. 60.

adserit Spartianus [a]), quod tamen aliquot abhinc annis, sed ex altero bello, aperte adoptavit.

* * *

Eadem adversa.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

* * *

IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. COS. II. *Caput laureatum.*

TR. P. III. IMP. V. COS. ΓI. (sic) *Barbarus captivus humi sedens inter arma patria.* In aliis: *Tropaeum.* AR. (Mus. Caes.)

Numi praesentes mirae sunt indolis. Vtrinque inscribitur sonsulatus, et quidem in antica, ut ordo postulat, COS. II., at in aversa COS. ΓI, quod quid sit, divinare nequeo. Error monetariorum nequaquam suspicandus, nam plura eorum exemplaria, et cum diversis typis exstant in museo Caesareo, ipsa vero fabrica non inelegans, ne quis ab rudi extra urbem artifice scalptos arbitretur. Non indignum istud aenigma, quod expedire ingenium felicius conetur.

Eodem anno:

TR. P. III. COS. II. IMP. VI. VII.

L. SEP. SEV. PERT. AVG. IMP. VI. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VII. *Caput laureatum.*

ARAB. ADIABENIC. *In aliis:* ARAB. ADIAB. COS. II. P. P. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Vidimus similes numos mox supra, sed cum diverso imperatoris numero.

* * *

Eadem adversa.

DIVI. M. PII. F. P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. S. C. *Imperator paludatus stans d. Victoriolam, s. hastam coronatur a figura galeata paludata s. clavam tenente. In aliis alii typi.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

En praeposteram adoptionem, cujus omnes scriptores fere veteres meminere, numis quoque confirmatam. Nam adoptandum se hoc anno M. Aurelio dedit ante quindecim omnino annos e vivis sublato. De hoc Dio coaevus [b]), *maximum autem nobis* (senatoribus) *terrorem incussit, cum Marci se filium, et Commodi fratrem diceret.* Et Spartianus transire ipsum in Marci familiam voluisse adserit [c]). Victor Commodum a Severo inter divos relatum, et fratrem appellatum memorat. Hoc igitur ineptae adoptionis jure genus suum inde a Nerva perpetua serie deduxit, quod copiosissima marmora, quae magis sunt prae numis loquacia, testantur, quorum unum exempli causa descripsisse ex Grutero sufficiat [d]):

IMP. CAESAR. DIVI. MARCI. ANTONINI. PII. GERM. SARMATICI. FILIVS. DIVI. COMMODI FRATER. DIVI. ANTONINI. PII. NEPOS. DIVI. HADRIANI. PRONEP. DIVI. TRAIANI. PARTHICI. ABN. DIVI. NERVAE. ADNEP. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. etc.

et continuo sequuntur tituli Caracallae repetita eorundem majorum mentione.

---

a) Cap. 9. b) L. LXXV. §. 7. c) Cap. 10. d) Pag. 150. 5.

Atque istud Severi institutum jam ipsis veteribus, ut oportuit, ridiculum visum, et refert Dio salsissimum Aspacis cujusdam hominis mordacissimi dictum, cujus multa tum salse ac urbane prolata cognita fuere, qui cum Severum Marci familiae adscriptum audiret, sic eum compellavit: *gratulor tibi*, *Caesar*, *quod patrem reperisti*, scilicet tanquam patrem ante non habuisset tam obscuro et occulto genere natus [a]). At enim consilium istud nequaquam in Severo stuporis, aut insaniae argumentum fuit, quae ab illo longe abfuere, sed qua incoctus fuit, calliditatis, et astutiae. Etenim tam illustrem prosapiam ementitus multo se magis gratiosum apud militem, rudemque populum effecit, atque hinc jus sibi natum, quo nomen *Antonini* transferre in filium Bassianum, eumque Antoniniani nominis obtentu, quod tum divinum videbatur, venerabilem omnibus posset constituere. At falsum adstruxit Severus. Esto, at nullum illi nefas, modo proposito serviret. At constabat de fraude, et mendacio. Constitit sane peritis rerum, sed imbellibus, et occupavit superstitio animos militis barbari, et vulgi, quos si tibi devinctos habeas, nobilium, peritorumque fastidia facile contempseris. Similem causam praetexuit Alexander M., cum se Ammonis filium dici voluit. *Vtinam*, ajebat [b]), *Indi quoque deum esse me credant! Fama enim bella constant*, *et saepe etiam*, *quod falso creditum est*, *veri vicem obtinuit*. Eodem is se modo excusat apud Lucianum [c]). Vetustius exemplum appetiti generis nobilioris dedit Nero, qui, cum esset gentis per adoptionem Claudiae, maluit esse surculus gentis Caesareae, de quo olim copiosius agemus Vol. VIII. in Observatis generalibus.

* * *

Eadem adversa.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *variis typis*. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

V. C. 949. P. X. 196.
TR. P. IV. COS. II. P. M. P. P. IMP. VII.
C. Domitio Dextero II. L. Val. Messala Prisco cos.

Byzantium post difficillimam triennii obsidionem ad deditionem cogitur. Severus urbem moenibus ac ornamentis privatam Perinthiis subjicit [d]). Albini vita incassum per insidias attentata Mesopotamiam relinquit aperto aemulum bello aggressurus. Viminacii Bassianum filium *Caesarem* appellat indito *Antonini* nomine. Romae Albinum hostem S. C. judicat, in Galliam denique ad bellum exit [e]).

L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PERTINAX. AVG. IMP. VII. *Caput laureatum.*

DIVI. M. PII. F. P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. *Mars seminudus galeatus stans d. hastam*, *s. clypeum*, *pro pedibus thorax; in aliis alii typi*. AE. max. mod. (Mus. Caes. Reg. Galliar. tab. 18. Vaill. Tom. III. p. 63. Mus. Albani.)

Epigraphen aversae mox explicavimus.

a) L. LXXVI. 9. b) Curt. L. VIII. c. 8. c) Dialog. mort. 14. d) Dio. Herodian. e) Dio, Herodian, Spartian.

* * *

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VII. *Caput laureatum.*
P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eodem anno:
TR. P. IV. COS. II. IMP. VIII.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VIII. *Caput laureatum.*
ADVENTVI. AVG. FELICISSIMO. *Imperator eques dextera elata ducente figura militari, et s. vexillum tenente.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Numi hi non modo comprobant, Severum hoc anno in urbem reversum, sed etiam eo tempore, quo advenit, jam fuisse imperatorem VIII. Et conspirat marmor editum a Marinio autopta, in quo Severus dicitur. TR. POT. IIII. IMP. VIII. COS. II. (Frat. arv. p. 411.)

* * *

Eadem adversa.
PROFECTIO. AVG. *Imperator eques d. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Notatur in perraro hoc numo Severi in Albinum exeuntis profectio.

* * *

Eadem adversa.
P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 950. P. X. 197.
TR. P. V. COS. II. P. M. P. P. IMP. VIII.
App. Claudio Laterano, Rufino cos.

Albinum die XIX. Februarii cruento praelio prope Lugdunum superat. (Vide Albinum.) Ejus caesi caput Romam praemittit, atque ipse mox reversus senatorum multos, quos favisse clam Albino suspicatus est, interficit [a]). Dato populo congiario in Orientem ad bellum Parthicum abit, magis gloriae cupiditate, quam necessitate motum [b]).

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VIII. *Caput laureatum.*
LIBERALITAS. AVG. II. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. COS. II. *Caput laureatum.*
LIBERAL. AVG. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. CAES. L. SEPT. SEV. PERT. AVG. *Caput laureatum.*
LIBERAL. AVG. TR. P. COS. II. S. C. *Imperator sedens in suggestu, adstat Liberalitas, et alia figura, tertia per gradus adscendente.* AE. I. (Mus. Caes.)

Tres hi numi sunt integerrimi omnes. Refert Herodianus, Severum victo Albino reducem mox insigni congiario populum victoriae nomine recreasse. Factum istud aliquantum differt Spartianus, qui congiarium datum refert, quando ad bellum Parthicum egressus est. At tum jam dictus est imperator IX., ut constat ex numis inscriptis: PROFECTIO. AVG., quos continuo dabimus. Numi II. et III. alterius esse liberalitatis videri possint, quam praesentis, primum quia in iis non legitur numerus II. deinde quia in tertio simpliciter dicitur: TR. P., quae nota sic posita, praecipue in numis Severi, in quibus tribunatus numerus vix unquam omittitur,

a) Spartian. c. 13. Herodian. b) Spart. c. 14. 15. Herodian.

tribunatum I. solet indicare. Verum ii ad liberalitatem I. referri non possunt, cum Severus tempore congiarii I. nondum fuerit COS. II. Sed neque ad liberalitatem III. anni V. C. 955, quoniam hujus tempore jam fuit COS. III. Quare etsi numerus trib. potestatis anno praesenti debitus omissus sit, subintelligendus tamen propter allatas causas est, quod lectorem eruditum advertere curate cupio, ne forte praepostere ex hoc numo arguere intendat, Severi tribunatum primum coeptum anno V. C. 946 sese in sequentem etiam annum porrexisse, de quo agetur uberius in tractatu de tribunicia potestate.

Eodem anno:
TR. P. V. COS. II. IMP. IX.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. VIIII. *Caput laureatum.*
MVNIFICENTIA AVG. *Elephas loricatus.* AR. (Mus. Caes.)

Spectacula a Severo edita, antequam ad bellum Parthicum exiret, testem habemus Spartianum [a]). De elephanto loricato vide, quae diximus in Antonino Pio ad annum V. C. 902.

* * *

Eadem adversa.
P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *Sol rejecto pallio, et capite radiato stans d. elata, s. flagellum.* In aliis *alii typi.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Orientis hic typus est magis ex inferioris aevi numis cognitus, ad quem perdomandum nunc se accinxit Severus.

* * *

Eadem adversa.
PROFECTIO. AVG. *Imperator eques d. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Nimirum ad cogitatum bellum Parthicum.

Eodem anno:
TR. P. V. COS. II. IMP. X.

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. X. *Caput laureatum.*
P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

Reliquae aversae: IOVI. CONSERVATORI. vel: LIBERO. PATRI. etc. typis obviis.

V. C. 951. P. X. 198.
TR. P. VI. COS. II. P. M. P. P. IMP. X.
Ti. Saturnino, C. Gallo cos.

Caracalla *Augusti*, Geta *Caesaris* titulis ornantur. (Vide utriusque numos.) Severus Parthorum fines intrat, captisque Seleucia et Babylone Ctesiphontem regum sedem obsidione cingit, captamque militi diripiendam permittit. [b]).

* * *

L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. X. *Caput laureatum.*
P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. *Sol gradiens, ut in numo anni praecedentis.* AR. (Mus. Caes).

Eadem adversa.
ANNONAE. AVGG. vel: FORTVNAE. AVGG. vel.: VICT. AVGG. *typis propriis.*

En utrumque jam Augustum, Severum et Caracallam, conjunctum indicante istud epigraphe AVGG., quae nunc

a) Cap. 14. b) Dio, Spartian.

sic incipit, et deinceps continuatur. At nondum hac aetate scriptum COSS. ad indicandos consules duos. Infra ad annum V. C. 955. habebimus AVGVSTI. COS. sc. Severus et Caracalla. In numo Caracallae ad V. C. 958. IMP. ET. CAESAR. AVG. FILI. COS. Caracalla et Geta. In numis Philipporum aliquoties III. ET. II. COS. At tandem in numo Diocletiani ad V. C. 1040. DIOCLETIANO. III. ET. MAXIMIANO. COSS. Et vero scriptum COSS. pro COS. in marmoribus saltem sinceris ante Treboniani tempora non repererunt eruditi veterum marmorum enarratores [a]).

Eodem anno:
TR. P. VI. COS. II. IMP. XI.

In Arabas Mesopotamiae, quod Nigrum copiis juvere, arma vertit, eorumque urbem Atra oppugnat, sed solvere obsidionem re infecta cogitur. Iterum, sed forte biennio serius, eandem retentat, sed irrito rursum conatu [b]).

* * *

L. SEP. SEVERVS. PER. AVG. P. M. IMP. XI. *Caput laureatum.* PAR. AR. AD. TR. P. VI. COS. II. P. P. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* In aliis: *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Severum jam ex priore bello dictum fuisse AR*abicum*, et AD*jabenicum*, vidimus in numis anni V. C. 948, quin et in numis ejusdem anni dicitur *Parthicus Arabicus*, *Parthicus Adjabenicus*, sed Parthici titulus in his tantum numis legitur, deinceps reticetur, quo confirmari videtur testimonium Spartiani adserentis, Parthicum nomen recusasse Severum, ne Parthos lacesseret, ut dictum ad annum V. C. 948. At nunc remoto omni a Parthis metu, quos vicerat, *Parthici nomen* pridem collatum audacter resuscitat, modeste id primum, solo PAR. numis inscripto, pro quo paullo post *Parthicum Maximum* superbius se appellavit.

V. C. 952. P. X. 199.
TR. P. VII. COS. II. P. M. P. P. IMP. XI.
P. Corn. Anulino II., M. Aufidio Frontone cos.

Spartianus [c]): *Aestate igitur jam exeunte* (anni praecedentis) *Parthiam ingressus Ctesiphontem pulso rege pervenit, et cepit hyemali prope tempore - - et Parthicum nomen meruit.* Haec omnia contigere in Severi tribunatu VI. Et vero in binis marmoribus repertis apud Sidonem, iisque fide dignis dicitur Severus ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. TR. P. VI. IMP. XI. COS. II. [d]). Numi, qui trib. potestatem VI. inscribunt, saltem quos ego norim, hunc adhuc titulum omittunt. Interea plurimi sunt numi, qui omissa tribunatus mentione offerunt IMP. XI. PART. MAX. Cum SEVERVS jam in tribunatu VI. dictus fuerit imperator XI., non repugnat, horum numorum partem hoc labente fuisse signatam, atque adeo

a) Marini Frat. arv. p. 621. b) Dio. c) Cap. 17. d) Muratori pag. 2009. 1. 2.

numi a marmoribus et Spartiano non dissentiunt. Istud certum, Severum in numis omnibus tribunatu VII. notatis dici *Parthicum Maximum.*

* * *

A. L. SEPT. SEV. AVG. IMP. XI. PART. MAX. *Protome laureata cum hasta in AV.* (Seguin p. 149.) *Caput laureatum in AR.*

B. SEVERVS. AVG. PART. MAX. *Caput laureatum, in AV. AR. AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *Mulier capite tutulato stans d. cornucopiae, s. gubernaculum, pro pedibus prora navis.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. B.

PROFECT. AVGG. FEL. *Imperator in equo citato d. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Hac profectione Mediobarbus credidit indicari expeditionem a Severo in Britanniam susceptam, ac propterea numum hunc anno V. C. 961, adfixit, quem et ipse olim secutus sum. Verum cum titulum PART. MAX. tantum hoc et sequente anno in numorum antica memorari videam, praestabit, denarium hunc praesenti anno illigare, et intelligere profectionem Severi e Syria in Parthiae fines susceptam.

* * *

Vt lit. A.

VICT. PARTHICAE. *Victoria gradiens d. lauream, s. tropaeum, humi captivus sedens.* AR. (Mus. Caes.)

Numi reliqui: FVNDATOR. PACIS. — IOVI. CONSERVATORI, vel: PROPVGNATORI. — RESTITVTOR. VRBIS, aliisque inscriptionibus admodum variis, et obviis. At horum magna pars anno etiam sequenti debetur.

V. C. 953. P. X. 200.

TR. P. VIII. COS. II. P. M. P. P. PART. MAX. IMP. XI.

Ti. Claudio Severo, C. Aufidio Victorino cos.

Rebus adhuc Orientis occupatur Severus.

* * *

L. SEPT. SEV. AVG. IMP. XI. PART. MAX. *Caput laureatum.*

P. MAX. TR. P. VIII. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

SEVERVS. AVG. PART. MAX. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. VIII. COS. II. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 954. P. X. 201.

TR. P. IX. COS. II. DES. III. P. M. P. P. PART. MAX. IMP. XI.

L. Annio Fabiano, M. Nonio Muciano cos.

Adhuc in Syria agit Severus, et Caracallae togam virilem dat. (Vide Caracallam.)

A. L. SEV. SEPT. AVG. IMP. XI. PART. MAX. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

B. SEVERVS. AVG. PART. MAX. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

C. SEVERVS. AVG. PART. MAX. P. M. TR. P. VIIII. *Caput laureatum, in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. B.

ANTONINVS. AVGVSTVS. *Caput Caracallae laureatum.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. Caput Severi laureatum.

AETERNIT. IMPERI. *Capita adversa laureata Severi et Caracallae.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. Caput Severi laureatum.

AETERNIT. IMPERI. *Capita adversa Caracallae laureatum, Getae nudum.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. Caput Severi laureatum.

FELICITAS. SAECVLI. *Caput Domnae inter capita Caracallae et Getae.* AR. (Mus. Caes.)

FELICITAS. PVBLICA. *Capita Severi, et Domnae se respicientia.*

PERPETVA. CONCORDIA. *Capita Caracallae, et Getae se respicientia, illius laureatum, hujus nudum.* AV. (Vaillant Num praest. p. 213. in icone.)

Illustres sunt hi numi, qui universam familiam tum regnantem ob oculos sistunt. Dubium non videtur, eos hoc anno fuisse signatos; nam eaedem aversae occurrunt etiam in numis, in quorum adversa Severus non amplius *Parthicus Maximus*, sed *Pius* appellatur, quam novitatem hoc anno fuisse inductam mox videbimus. *Aeternitas imperii*, cujus stabiliendae causa teste Suetonio jam a Nerone constituti fuere ludi [a]), filiorum successorum imagine adumbratur.

* * *

Vt lit. C.

COS. II. P. P. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra lauream.* AV. (Vaill.) AR. (Mus. Caes.)

Ex lege votorum decennalium numus hic adfigendus foret tempori, quo Severus jam decimum imperii annum occoepit. At cum is jam in tribunatu IX. abjecerit titulum PART. MAX., qui tamen in numo praesente adhuc legitur, neque in certis anni sequentis numis haec amplius capitis epigraphe, aut IMP. XI. compareat, et constet ex aliorum imperatorum numis, ac recenter quidem Commodi, eos saepe per annos decennium praecedentes inscripsisse numis vota decennalia suscepta, numi aetas differenda non videbatur.

Eodem anno:
Exspirat in numorum antica PART. MAX. incipit PIVS.

SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

AETERNIT. IMPERI. *Capita laureata Severi et Caracallae.* In alio: *Capita Caracallae laureatum, Getae nudum.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

PART. MAX. P. M. TR. P. VIIII. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

P. M. TR. P. VIIII. COS. II. P. P. *Victoria gradiens etc.* AR. (Mus. Caes.)

IMPP. INVICTI. PII. AVGG. *Capita jugata laureata Severi et Caracallae.*

---

a) in Nerone c. 11.

VICTORIA. PARTHICA. MAXIMA. *Victoria gradiens.* AV. (Mus. Caes.)

Numus perelegans, et propter insolentem hactenus anticae epigraphen spectabilis. Signatus est hoc, aut sequente anno; non prius propter mentionem tituli PII, non serius, quia deinceps rerum Parthicarum mentio in numis neglecta est.

V. C. 955. P. X. 202.
TR. P. X. COS. III. P. M. P. P. PIVS.
Severo Aug., M. Aurel. Antonino cos.

Consulatum III. cum Caracalla in Syria init a). Arabiam, Palaestinam, Aegyptum adit, omnibusque ibi perlustratis Romam revertitur, vota decennalia solvit, suscipitque altera, Caracallam cum Plautilla matrimonio jungit b).

Magnopere dissentiunt eruditi, utrum Severus hoc anno, utrum sequente Romam redux ex Oriente advenerit, eaque omnia, quae dixi, peregerit. Vtriusque sententiae patroni numos suppetias vocant inscriptos; ADVENT. AVGG. et VOT. SVSC. DEC., sed incassum; nam trib. potestas X., quam inscriptam hi numi exhibent, secundum eorum ipsorum sententiam parti sequentis anni coincidit, et quod sequitur, tempus certum erui ex illis nequit. Enim vero Xiphilinus ex Dione nuptias Caracallae, et spectacula cum propter decennium principatus, tum propter reditum Augustorum eodem tempore celebrata refert quidem, sed annum reticet c). Tillemontius anno sequente Romam reversum statuit, quoniam hoc adhuc anno in Syria fuit, quod certum est ex inito in hac consulatu, tum quod hoc praeterea anno Arabiam, Palaestinam, Aegyptum, Thebaidem rebus omnibus attente inspectis peragratus est, denique non itinere maritimo, sed terrestri per Cappadociam, Bithyniam, Illyricum Romam redivit, quae quidem omnia plus annuo spatio exigunt d). At vero terrestre illud iter, quod vir eruditus ex dubio Dionis loco, atque altero Herodiani, manifestiore quidem, sed quem minus tuto in omnibus sequare, eruit, nondum satis certum, quin fuisse maritimum potius, luculente evincunt numi Caracallae inscripti: ADVENTVS. AVGG., quos recitabimus in Caracalla ad annum praesentem. Cumque praeterea de incredibili Severi in faciendis itineribus velocitate constet, facile fieri poterat, ut post Kalendas Ian. anni praesentis, quibus consulatum III. in Syria inivit, Palaestinam et Aegyptum inviseret, et exeunte autumno in urbe adesset, atque hoc adhuc anno nuptias filii, aliaque solennia ageret. Paucis ut rem absolvam, cum tribunatus X. Severi, et V. Caracallae, qui his Adventus, Nuptiarum, et Votorum numis inscripti sunt, nequaquam in sequentem se annum porrigant, ut docebimus in tractatu de trib. potestate, certum etiam inde fit, et Severum hoc adhuc anno, et in tribunatu X. ingressum fuisse Romam, et Caracallae nuptias celebrasse.

---

a) Spart. c. 17. in Severo. b) Dio L. LXXVI. 1. c) L. XXVI. 1. d) Nota 24.

* * *

A. SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. AE.*

B. SEVER. P. AVG. P. M. TR. P. X. COS. III. *Caput laureatum in AV. AR.*

C. SEVERVS. PIVS. AVG. P. M. TR. P. X. *Caput laureatum in AR.*

* * *

Vt lit. B.

ADVENT. AVGG. *Severus, Caracalla, Geta in equis, dexteris sursum elatis.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

ADVENT. AVGG. *Severus eques, d. elata, s. hastam, figura militari equum ducente.* AR. (Mus. Caes.)

CONCORDIAE. AETERNAE. *Capita jugata, Severi radiatum, Domnae impositum lunae.*

ANTON. P. AVG. PON. TR. P. V. COS. *Caput Caracallae laureatum.* AV. (Mus. Caes.) In alio: ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput idem.* AR. (Mus. Com. Vitzai.)

Concordiam aeternam, quam eodem hoc tempore causa matrimonii Caracalla, et Plautilla voverunt, Severus et Domna proposita hac capitis inscriptione renovare videntur. Iam vero, ut epigraphe anticae, ita et capitum in ea cultus hactenus inusitatus. Radiatum principis vivi caput jam inde a Nerone obvium, at nunquam adhuc in numis aureis, et argenteis. Neque Augustae caput impositum lunae, quod tritum deinceps in Augustarum est numis, usque modo in numis Romanis conspectum. Et placuit, istud Augustorum par specie Solis et Lunae proponere, quoniam haec astra aeterna credita, et aeternitas ipsis etiam Augustis aut adficta, aut vota. Sic in praeclara inscriptione Gruteri [a]), quae cumprimis haec nostra illustrat, legitur: SOLI. AETERNO. LVNAE. PRO. AETERNITATE. IMPERII. ET. SALVTE. IMP. CA - - SEPTIMII. SEVERI. etc. in alia [b]): LVNAE. AETER. SACR. PRO. SALVTE. IMP. CAES. L. SEPTIMI. SEV. etc. Ex his marmoribus videmus, et Soli Lunaeque tribui aeternitatem, et Augustis voveri. Dubium non est, hanc Romanos imaginem a veteribus Aegyptiis fuisse mutuatos. Teste Horo Apolline conjuncta Solis et Lunae astra in glyphica Aegyptiorum lingua constituerunt elementum, quod *αἰῶνα*, *saeculum*, *aevum*, *aeternitatem* indicat. Argumentum istud illustratur etiam numo Trajani, quem descripsi in ejus numis vagis consulatus V., in cujus aversa: AET. AVG. *Mulier stans d. caput Solis, s. Lunae*, nimirum Trajani aeternitate aeternis Solis et Lunae astris adumbrata. Quare quemadmodum haec sidera sunt aeterna, ita eorum cultu Severo et Domnae commodato utriusque CONCORDIAM AETERNAM futuram auguratur vates monetarius. Hactenus aeternitas in Augustis attributi, aut verius voti modum habuit; at successu temporis verum nomen evasit, eoque Augusti per adulationem compellari consuevere. Ita Symmachus scribens ad Valentinianum juniorem, *multa*, ait, *Victoriae debet AETERNITAS vestra, et adhuc plura debebit.* Et S. Athanasius apud Sozomenum [c]) exprobrat Arii sectatoribus,

a) Pag. 32. 10. b) Pag. 42. 2. c) L. IV. c. 17.

quod hi Constantium appellent imperatorem *aeternum*, (αἰώνιον) filium vero Dei nolint dicere aeternum. Quanquam et Ammianus, gentilis ipse, eundem Constantium ob tributam sibi aeternitatem graviter perstringat [a]).

Ceterum ut typus Augusti ceu Solis, et Augustae ceu Lunae novus est in numis Romanis, sic jam pridem ex numis externis cognitus. Neronem et Octaviam hoc ritu jam sistunt numi coloniae incertae, et Hadrianum cum Sabina insigne tetradrachmum Tarsense, quod descripsi in Sabinae numis commatis peregrini. Aliam nonnunquam hoc typo allegoriam populis fuisse quaesitam, verisimile est. Sic v. c. Aegyptii regi suo Solem adsimilavere, reginae Lunam, nimirum quia haec duo astra prae reliquo eorum vulgo eminere putaverunt [b]). Deinceps hic typus in numis Romanis frequentior; nam primum in postremis Caracallae saepe comparent aut Sol in citatis equorum, aut Luna boum bigis, ut dicetur ad annum V. C. 967. sub numeris 6. 7., deinde in argenteis majoris nonnihil moduli sub Caracalla, Macrino, Elagabalo signatis Augusti caput semper est instar Solis radiatum, et Augustae impositum Lunae, ut praeteream numos inclinantis imperii.

* * *

Vt lit. A.

AVGVSTI. COS. *Vterque imperator consul sedens in suggestu adstante hinc et inde figura.* AE. II. (Mus. Caes.)

Nempe Severus et Caracalla *Augusti consules*, qui hoc anno una processerunt.

Vt lit. B. et C.

FELICITAS. SAECVLI. *Caput Domnae adversum inter capita Caracallae laureatum, Getae nudum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LAETITIA. TEMPORVM. *Navis expanso velo, superne missus Circenses, inferne venatio ferarum.* AR. (Mus. Caes.)

Typus aversae insolens adludit ad id, quod refert Dio [c]), inter alia spectacula, quae Severus ex Oriente redux in famigeratis illis ludis V. C. 955. populo exhibuit, fuisse etiam *receptaculum belluarum in amphitheatro, factum in formam navis, ut CD feras et intra se caperet, et una vice simul emitteret. Navi subito dissoluta exilierunt ursi, leaenae, pantherae, leones etc.* Eadem aversa habetur quoque in moneta Caracallae.

* * *

Vt lit. A.

LIB. AVG. III. P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

De hac liberalitate refert Dio, Severum decennio principatus sui cum universae plebi, tum militibus praetorianis tot aureos, quot annos imperaverat, dedisse, et ea largitione consumptum IIS. bis millies, quantum revera nemo praecedentium imperatorum cunctis simul dedit [d]).

* * *

Vt lit. A.

VOT. SVSC. DEC. P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *Imperator togatus stans ad tripodem sacrificat.* AR. (Liebe Goth. num. 259.)

a) L. XV. sub. init. b) Sext. Empir. adv. astrol. L. V. §. 31. c) L. LXXVI. 1.
d) L. LXXVI. §. 1.

* * *

Vt lit. A.

VOTA. SVSCEPTA. XX. *Idem typus.* AR. AE. (Mus. Caes.)

Exhibent hi numi vota cum suscepta decennalia, tum suscepta vicennalia. Vide tractatum de votis decennalibus. Quam magnifica horum occasione spectacula, et venationes ediderit Severus, legere est apud Dionem [a]).

V. C. 956. P. X. 203.

TR. P. XI. COS. III. P. M. P. P. PIVS.
P. Septimio Geta, L. Fulvio Plautiano II. cos.

Severus Plautianum praefectum praetorio, Plautillae patrem, interfici jubet. De ejus opibus, fastu, potentia vide plura in Plautilla. Factum istud secundum Chronicon Alexandrinum die XXII. Ianuarii anni praesentis; at Tillemontius in eundem diem anni sequentis differt, quoniam ex ejus sententia Severus hoc primum anno vere exeunte ex Oriente Romam advenit [b]).

* * *

SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

INDVLGENTIA. AVGG. IN. CARTH. *Dea d. fulmen, s. hastam leoni currenti insidens, juxta rupes, ex qua aqua promanat.* AR. (Mus. Caes.)

In Caracalla quoque numus obvius. Quae fuerit haec indulgentia Carthagini ab Augustis impensa, a scriptoribus reticetur. Eum generatim in Africam, quod in ea natus erat, fuisse beneficum, supra in numo anni V. C. 947 inscripto: AFRICA, docuimus, et Spartianus ejus in Tripolim patriam benevolentiae testimonia commemorat [c]). Certum ejus in Carthaginem meritum fuit, quod narrat Vlpianus [d]): *In Africa Carthago, Vtica, Leptis magna a divis Severo, et Antonino juris Italici factae sunt.*

Typus aversae haud dubie deam sistit a Didone profuga apud Carthaginem dedicatam, quam Libyes Vraniam, seu Coelestem, Phoenices Astroarchen (nisi forte Astartem) dixere, lunam esse adfirmantes, ut testatur Herodianus [e]). Ejus deae per universam Africam, ac praecipue Carthagine insano adfectu cultae frequens apud veteres mentio, quorum testimonia collegit Vossius [f]). Sed et ejus religio Romam pervasit permissa illi hereditatis adeundae venia, ut diserte Vlpianus [g]): *Deos instituere heredes non possumus praeter Iovem Tarpeium, - - - - et Coelestem Salinensem Carthaginis.* Eandem Coelestem cum Carthagine quoque conjungit illustre marmor vetus, quod est apud nos Vindobonae, vulgatumque a Scipione Maffeio [h]):

CAELESTI. AVGVSTAE
ET. AESCVLAPIO. AV
GVSTO. ET. GENIO
CARTHAGINIS. ET
GENIO. DACIARVM
OLVS. TERENTIVS
PVDENS etc.

a) L. LXXVI. §. 1. b) Nota 25 in Sever. c) Cap. 18. d) Digg. lib. L. tit. XV. de Censib. §. 8. e) in Elagab. f) Theolog. gent. L. II. c. 24. g) de regulis tit. XXIII. qui hered. instit. poss. h) Mus. Veron. p. 239.

OLVS hoc loco praenomen est, scriptum pro AVLVS, cujus exempla alia dedi vol. IV. p. 56.

Cujus naturae fuerit haec dea, quo cultu proposita, optime docebit Apuleius, ipse Afer. *Magna Iovis germana*, inquit a), *et conjuga*, *sive tu Sami*, - - *sive celsae Carthaginis*, *quae te virginem vectura leonis coelo commeantem percolit*, *beatas sedes frequentas.* En tibi hanc Carthaginiensium deam in vectura leonis, atque hoc etiam modo in numo praesente propositam, tum et ab Apuleio pro Iunone habitam, quanquam spectato leonis ministerio aliquid habeat cum Matre deum commune, ut revera S. Augustinus hanc et Coelestem nostram uno eodemque loco conjunxit b): *Coelesti virgini*, *et Berecynthiae matri deorum omnium.* Sed et Tertullianus, cum dixit c): *Ad bestias impellimur? certe*, *quas Libero*, *et Cybele*, *et Coelesti applicatis*, leones intellexit, quos Bacchi et Cybeles jugales novimus. Ad explicandam aquam e rupe promanantem duplicem lubet eruditis proponere conjecturam. Aut enim credi potest, Severum suo sumptu aquam Carthaginem derivasse, et istud aquae impetratae beneficium sic fuisse in numis inscriptione INDVLGENTIA. AVGG. IN. CARTH. celebratum, ut olim Patrenses Achaiae beneficium monetae impetratae praedicabant in numis, scripto: INDVLGENTIAE. AVG. MONETA. IMPETRATA. Aut, quod praestare existimo, haec aquae fluenta ad typum principem deae Coelestis pertinent. Fuit haec, teste iterum Tertulliano d), *pluviarum pollicitatrix*, quas facile indicant aquae ex rupe profluentes, quae coelestibus pluviis nutriuntur, quorsum et pertinet fulmen, quod dea manu jactat, nam eodem et Iuppiter Pluvius armatus comparet in numo Ephesi, quem vide e). Cum ex laudatis Apuleii verbis constet, hanc Coelestem eandem fuisse cum Iunone, et constet praeterea, huic aeris arbitrium fuisse permissum, facile ejus deae cum pluviis nexum intelligimus. Placuit ad explicandum totum hoc argumentum prae testibus aliis arcessere Apuleium, Augustinum, Tertullianum, quod hi tres Afri natione fuere, iisque adeo domestica haec fabula omnium maxime perspecta esse debuit. Eandem hanc Coelestem, sed Lunam creditam, ab Elagabalo fuisse Romam translatam, ibique deo Elagabalo matrimonio junctam, in hujus moneta docebimus.

Numos hos, etsi nullo charactere chronologico insignes, praesenti anno adfixi, quia in numis Caracallae ejusdem argumenti insuper additur trib. potestas, in aliis VI., in aliis VII., quae est hujus temporis.

* * *

Eadem adversa.

IIII. LIBERALITAS. AVGG. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Ex numis anni praecedentis certam tenemus Severi liberalitatem III. At difficilius est figere praesentem IIII. Tamen ex numo Caracallae cum hac eadem aversa non incommode anno praesenti illigatur propter vultus lineamenta,

a) Metamorph. L. VI. b) de Civ. dei L. II. c. 4. c) Apolog. c. 10. d) Apolog. c. 23. e) Vol. II. p. 514.

quae huic anno, non alteri respondent. Causa hujus congiarii ignoratur.

* * *

Eadem adversa.

P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. *Mulier sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AV. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 957. P. X. 204.

TR. P. XII. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

L. Fabio Septimino Cilone II. Flavio Libone cos.

Ludi saeculares hoc anno celebrantur. Vide numos.

* * *

A. SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

COS. III. LVDOS. SAEC. FEC. *Bacchus stans d. cantharum, s. thyrsum, pro pedibus pantheriscus, ex adverso Hercules d. clavam, s. leonis exuvias.* AV. (Vaill.)

B. SEVERVS. PIVS. AVG. P. M. TR. P. XII. *Caput laureatum.*

COS. III. LVD. SAEC. FEC. S. C. *Idem typus.* AE. II. (Mus. Caes.) In aliis: *Imperator togatus stans d. pateram, s. cornucopiae, juxta plures figurae aliae.* AE. II. (Vaill.) In aliis: *Sacrificia cum victimis, tibicinibus, popis, Tiberino humi jacente, ut in numis Domitiani.* AE. II. (Mediobarb.)

Antica incerta.

SAECVLARIA. SACRA. S. C. *Sacrificia, ut in praecedentibus.* AE. I. (Mus. Christinae, Vaill.) AE. II. (Catal. d'Ennery.)

Ludos saeculares a Severo factos, non modo numi praesentes, et Caracallae ejusdem anni, sed etiam Herodianus testatur. *Vidimus*, ait [a]): *eo imperante spectacula omnis generis in omnibus theatris, tum et sacrificia, et pervigilia mysteriorum ritu. Atque hos ludos SAECVLARES* (αἰωνίους) *dixerunt, cum traditum ipsis esset, tribus eos generationibus revolutis peragi solere. Enimvero praecones Romam atque Italiam circuibant invitantes, adessent, spectarent ludos, quos non vidissent adhuc, nec visuri essent.* Annum etiam recte definit Censorinus [b]): *Octavos* ludos saeculares egerunt *imperatores Septimius et M. Aurelius Antoninus Cilone et Libone cos. anno DCCCCLVII.* Actos iisdem consulibus refert etiam Zosimus [c]). De celebratis Romae his ludis jam egimus in numis gentis Sanquiniae, item Augusti ad annum V. C. 737, Domitiani ad V. C. 841, quos nunc Severus post CXLI annorum intervallum iterum faciendos curavit. Laudatis locis horum ludorum ritus, et praesentium etiam numorum explicationem reperies; nam typo fere cum Domitiani numis conspirant, demptis iis, in quibus Hercules et Bacchus comparent, qui, quod Severi *Dii Auspices* fuere, ut vidimus ad annum V. C. 947, velut praesides sacri hujus festi proponuntur.

* * *

Vt lit. B.

ARCVS. AVGG. S. C. *Arcus triumphalis trium portarum statuis superne ornatus.* AE. II. (Mus. Com. Vitzai.)

---

a) in Severo L. III. c. 8. b) de die nat. c. XVII. c) L. II.

Aversa in Severo rarissima. Explicationem pete ex numo simili Caracallae ejusdem anni. Argenteum cum simili typo citat Vaillantius, sed inscripto solo COS. III., addito P. P. apud Mediobarbum.

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGG. V. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Etiam hujus liberalitatis tempus ignoraretur, nisi succurreret similis Caracallae numus, in quo ejus aetas e lineamentis capta, comparatis nimirum aliis certis hujus anni numis, praesentem sibi annum deposcit. Hujus congiarii causam justam dederint celebrati tum ludi saeculares.

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. AE. II.

V. C. 958. P. X. 205.

TR. P. XIII. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

M. Aurel. Antonino Aug. II. P. Sept. Geta Caes. cos.

Res imperii Romae in pace procurat.

SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 959. P. X. 206.

TR. P. XIV. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

Nummio Albino, Fulvio Aemiliano cos.

SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. XIIII. COS. III. P. P. *typis variis.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 960. P. X. 207.

TR. P. XV. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

Apro, Maximo cos.

Bellum cum Britannis hoc anno ingravescit.

A. SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P. *Caput Palladis galeatum.* In alio: *Caput Medusae alatum, et serpentibus horrens.* AV. (Mus. Caes.) In aliis: *alii typi.* AR. AE. II.

Vt lit. A.

PROVIDENTIA. *Caput Medusae simile.* AV. AR. (Seguin p. 148. Vaillant.)

Seguinus et Vaillantius alterius hujus numi testes sensum in eo allegoricum vident, nimirum Minervam esse prudentiae, seu *Providentiae* deam, quae indicatur capite Medusae sibi sacro, nempe quod ipsa insertum aegidi gestavit. Numus praecedens evincit, etiam hoc loco Medusam ad Palladem esse referendam. Fuisse in Insula Delo aedem sacram Providentiae, quam *ναον Προνοιας Αθηνας*, *templum Providentiae Minervae* appellabant, testatur Macrobius a). Ceterum

a) Sat. L. I. c. 17.

impensiorem Severi in Palladem adfectum confirmant ejus numi inscripti: MINERVA. SANCT. Aversa numi alterius exstat etiam in synchrono numo Caracallae a).

* * *

L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PERTINAX. AVG. *Caput laureatum.*

ADVENT. AVG. GALL. PONT. MAX. TR. P. XV. COS. III. *Imperator eques in comitatu militum, conspiciuntur urbis moenia, in imo fluvius decumbens.* AE. max. mod. (Vaill.)

Si probae fidei est hic numus, Severus hoc adhuc anno propter inscriptum tribunatum XV. iter in Britanniam per Galliam ingressus est, quod tamen chronologi in annum sequentem differunt. At vero non pauca sunt in hoc numo molesta. Absunt P. P. et nomen PIVS, quod nunquam hac aetate, et pro hoc legitur PERTINAX, quod nomen pluribus jam annis a moneta exulat. Et an non saltem scribendum fuisset: ADVENT. AVGG., et in typo fingendi duo Augusti equites, cum duos omnino Augustos profectos constet? Sed nolo perurgere dubia de cimelio, quod ipse non vidi, et promulgavit peritissimus Vaillantius, nisi forte judici Gallo vitia numi excusavit mentio Galliae suae.

V. C. 961. P. X. 208.

TR. P. XVI. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

M. Aur. Antonino Aug. III. P. Sept. Geta Caes. II. cos.

In Britanniam cum filiis et uxore proficiscitur.

SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

LIBERALITAS. AVGG. VI. *Severus, Caracalla, Geta sedentes in suggestu adstante Liberalitate, et alia figura, tertia per gradus adscendente.* AV. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

LIBERALITAS. AVG. (sic) VI. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.) AE. II. (Baldinus ad Vaill.)

Congiarium istud fuisse hujus anni, distributumque, antequam imperatores ad bellum Britannicum proficiscerentur, evincam ad similes Caracallae, ac praecipue Getae numos hujus anni, quo loco et causam adferam, cur in unis legatur AVGG., in aliis AVG.

* * *

Eadem adversa.

P. M. TR. P. XVI. COS. III. P. P. *Arcus pontis utrinque turri munitus, et in ponte et in turribus stant excubiae. Infra in aquis navicula expanso velo.* AE. II. (Mus. Caes.)

Hunc numum saepius promulgatum reperio, sed cum varia trib. potestate, jam XII. jam XIII. jam XIV. vitiatis nempe notis. Caesareus, neque hic eo loco satis integer, numerum XVI. offerre videtur. Similem typum jam vidimus in numis Trajani inter numos vagos consulatus V. pag. 427, in quo, ut dixi, alii portum, alii arcum pontis vident. Quare et in definiendo praesentis numi typo variant sententiae. Vide, quae ad laudatum Trajani numum observavi.

a) Beger Thes. Brand. T. II. p. 703.

Exstant plures numi alii cum eadem epigraphe, sed variantibus typis in AV. AR. AE. II.

V. C. 962. P. X. 209.

TR. P. XVII. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

Civica Pompeiano, Lolliano Avito cos.

Alterum filium Getam *Augustum* dicit. Vide hujus numos. Bellum Britannicum.

SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. XVII. COS. III. P. P. *variis et obviis typis.* AV. AR. AE. II.

V. C. 963. P. X. 210.

TR. P. XVIII. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

Man. Acilio Faustino, Triario Rufino cos.

Hoc anno factum initium ducendo celebri illi muro in Britannia, quo barbari a Romanorum finibus arcerentur, existimat Tillemontius. Spartiani de hoc opere testimonium vide mox infra.

A. SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AR. AE. II.*

B. L. SEPT. SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. XVIII. COS. III. P. P. *typis variis fere ad victorias Britannicas adludentibus.* AR. AE. I. II.

Vt lit. B.

VICTORIAE. BRITANNICAE. S. C. *Duae Victoriae clypeum palmae adfigunt, duobus captivis humi sedentibus.* AE. I.

Eodem anno.

Incipit BRIT.

De hoc titulo haec Spartianus a): *Britanniam, quod maximum ejus imperii decus est, muro per transversam insulam ducto, utrinque ad finem Oceani munivit, unde etiam BRITANNICI nomen accepit.* Concinit iisdem paene verbis Victor b).

* * *

A. L. SEPT. SEVERVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

B. SEVERVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR.*

* * *

Vt lit. A.

AEQVITATI. PVBLICAE. S. C. *Tres Monetae stantes cum bilance et cornucopiae, juxta singulas pro pedibus massa metalli.* AE. I.

Hic typus deinceps perfrequens erit praecipue in numis max. formae.

* * *

Vt lit. B.

P. M. TR. P. XVIII. COS. III. P. P. *variis typis.* AR.

V. C. 964. P. X. 211.

TR. P. XIX. COS. III. P. M. P. P. PIVS. BRIT.

Q. Epidio Rufo Lolliano Gentiano, Pomponio Basso cos.

Severus Eboraci in Britannia ex morbo articulari obit die IV. Februarii annos natus LXV c).

---

a) Cap. 18. b) in Caesarib. c) Dio, Spartian.

Vir erat, in quo mediocre nihil, virtutes summae, vitia enormia, atque etiam illae, quoniam modum excessit, vitiis proximae. Vt duriter ipse vixit, patiens laborum, victu modicus, animo adversum omne, quidquid arduum et periculosum, intrepido et constante, ita ad eandem tolerantiam, et observantiam disciplinae militem adsuefecit, sed sic, ut, cum propter ingenitam pertinaciam cedere ipse aut nollet, aut nesciret, saepe nulla de causa magnam exercitus partem aut morbo, aut ferro amitteret, atque idem, qui disciplinae militaris leges ad crudelitatem usque exegit, tamen militem donativis immodicis, atque indulgendo liberius, quae hactenus vetita in castris habebantur, corrumpi pateretur. In bello acer, vehemens, ac praesentis in rebus adversis consilii, plus tamen per duces, quam per se ipsum gessit, quorum virtuti ac fidei victum ternis praeliis Nigrum debuit, ipse in pugna adversus Albinum tantum non victus, ac pro mortuo abjectus, atque ab Atrorum Arabiae obsidione bis repulsus. Bellum gravius nullum necessario suscepit. Civilia suasit ambitio, et ut solus remotis aemulis imperaret. Parthicum cupiditas gloriae, ut testatur Spartianus, Britannicum, quod filios licentiae urbanae impensius deditos, et legiones otio diffluentes ad laborem volebat revocare. Et vero inconsultis his bellorum curis non magnopere imperio consuluit, Parthis, aliisque trans Euphratem gentibus non tam devictis, quam, quod deinceps patuit, magis adversum Romanum nomen irritatis. Neque tam ab armis apertis, quam occultis insidiis metuendus, cum e re visum, dolis, mendaciis, perjuriis perinde est usus. Sane amicitia, quam Albino primum juratam professus est, et promissa liberalia nonnisi simulata fuere, quod hominem valido exercitu instructum metuebat, postea nil tale merentem, insidiis, atque ubi haec male cessere, aperto Marte impetivit. Crudelitate etsi Nerone et Commodo inferior, gravem tamen labem contraxit caesis ordinis senatorii viris gravissimis, quos in Nigri, et Albini partibus vidit, aut esse putavit, aut quos clandestina adversum se agitare consilia suspicatus est. At gravissimum imperio vulnus per filium successorem inflixit, quem non modo propter morum improbitatem, quam reip. magno staturam jam ipse praevidit, tollere nulla invidia e medio poterat, sed etiam quod semel atque iterum insidias in patrem composuisse palam est compertus. Vetus suum extremo etiam vitae tempore retinens, ac cum gravissimos articularis morbi dolores persentisceret, cum seditionem moverent milites, ante tribunal productos duci jussit, severe increpans: *tandem sentitis*, *caput imperare*, *non pedes*. Ejus cineres a filiis Romam delati in M. Antonini sepulcro conditi sunt. Memorabile senatus de eo judicium, aut nasci illum non debuisse, aut non mori, quod postremum optaverat haud dubie, quoniam Severi crudelitas, et ingenium inexorabile cum Caracallae feris moribus comparatum, ut eventus docuit, leve ac ferendum videri potuit. Ejus vitam scripsere Spartianus, Dio, Herodianus praeter biographos minores alios.

Vxor I. *Martia*, eo adhuc privato

mortua, cui postea in imperio statuas collocavit [a]).

Vxor II. *Iulia Domna*, quam adhuc privatus duxit. De ea, ejusque filiis infra.

Numi:

L. SEPT. SEVERVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum.*
P. M. TR. P. XIX. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

VICT. BRIT. P. M. TR. P. XIX. COS. III. P. P. S. C. *Victoria cum tropaeo stans inter duos captivos humi sedentes.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numi vagi.

Antica incerta.

INDVLGENTIA. AVGG. IN. ITALIAM. *Mulier capite turrito insidens globo d. tropaeum, s. cornucopiae.* AR. (Vaill.)

Similem aversam Vaillantius etiam in moneta Caracallae describit.

* * *

Antica incerta.

INVICTA. VIRTVS. *Imperator eques captivum proterens.* AR. (Vaill.)

Novi generis epigraphe, at sensus facilis. Eadem aversa est etiam in numo Caracallae musei Caesarei.

* * *

SEVERVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*
IOVI. VICTORI. *Caput adversum Iovis Ammonis.* AV. (Morelli Spec. tab. VI.)

Iovi Ammoni insignius fuisse deditum Severum, mirum non est, quia numen illud Africanum fuit, Africanus ipse.

Eadem adversa.

MINERVA. SANCT. *Dea stans d. clypeum, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Sancta novum Minervae elogium, sed etiam in numis Getae Caesaris occurrit.

* * *

Eadem adversa.

PACATOR. ORBIS. *Caput Solis radiatum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Ad orbem victo Oriente, cujus symbolum est caput Solis, pacatum adludit numus. *Pacator orbis*, et *Fundator imperii* Severus dicitur etiam in marmore Gruteri [b]).

* * *

Eadem adversa.

RECTOR. ORBIS. *Vir nudus stans d. globum, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Rectorem orbis se in numis professus quoque est Iulianus, sed in his imperator ipse stans proponitur. In praesente videtur exhiberi Sol, nimirum qui, pacato nunc Oriente, velut de orbis fortuna arbitraretur.

Divus Severus.

Inter divos relatum a senatu testatur Spartianus [c]), et Herodianus adhibitas tum caerimonias fuse enarrat [d]). Idem docent numi sequentes:

* * *

DIVO. SEVERO. PIO. *Caput nudum.*
CONSECRATIO. *Aquila.* AV. (Vaill.) AR. (Mus. Caes.) In aliis: *Rogus.* In

a) Spartian. c. 3. b) Pag. 262. 9. c) Cap. 19. d) in Caracalla.

aliis: *Lectisternium*, vel *Sella*, *super qua corona*. AR. (Mus. Caes.)

Priores duo typi ad ipsa consecrationis solennia pertinent, nimirum exstructum rogum, et subinde accensum, et tum emissa superne aquila animae Augustae imagine, de quo ritu vide, quae copiose scripsere Dio [a]), et Herodianus [b]). Etiam honos sellae cum corona in theatris constitui solita inter divinos fuit, de quo egi in numis I. Caesaris. In marmore Ostiensi, quod restituit Marinius [c]), dicitur Herodes FLAMen DIVI. SEVERI.

* * *

DIVO. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. *Caput nudum*.

CONSECRATIO. S. C. *Rogus*. AE. I. (Mus. Caes.)

DIVVS. SEVERVS. PATER. *Caput nudum*.

CONSECRATIO. *Aquila*. AR. (Mus. Caes.)

* * *

DIVO. SEVERO. *Caput radiatum*.

CONSECRATIO. *Aquila*. In aliis: *Ara luculenta*. AR. (Mus. Caes.)

Postremi hi numi cum capite radiato ad sequiorem aetatem pertinent, ad quam, disputabimus in tractatu de numis consecrationis.

Numi commatis peregrini.

De numis *urbium liberarum*, et *coloniarum* nihil distincte memorandum occurrit, nam insignis eorum exstat copia, quin et earum regionum, quarum urbes non facile imperatorum alteri monetam dedicavere, quas inter memorandae cumprimis urbes Peloponnesi, quae copiosos Severi, et ejus familiae nomine numos signavere, ut suo loco observavimus. Contra tanto parcior Aegyptus, cujus paucissimi exstant numi cum capite Severi, Domnae, et filiorum, quin probabilem ejus parsimoniae causam possimus constituere.

NOMINA ac TITVLI.

Pertinax.

Narrat Spartianus [d]), Severum, postquam Pertinacem inter divos retulit, Pertinacem se vocari jussisse. Capitolinus illum amore boni principis a senatu id nomen accepisse testatur [e]), cui et accedit divus Hieronymus [f]). Herodianus illud sibi mox arrepto imperio, et cum adhuc in Illyrico ageret, indidisse adserit [g]), atque infra, professum eum, cum primum Romam venit, in curia, se non Pertinacis modo nomen, sed mentem quoque habiturum [h]). Quibus testimoniis docemur, adoptatum a Severo per adfectum in praeclarum hunc principem, seu verum, seu, quod in omnium eum amore esse intellexit, simulatum. Quare nugatur Victor [i]), qui eum sic dictum sive propter vitae parsimoniam, sive, quod verius ipsi visum, propter crudelitatem censet. Scommata

---

a) L. LXXIV. §. 4. b) in Caracalla sub. init. c) Iscriz. Alban. p. 56. d) in Severo c. 7. e) in Pertin. c. 15. f) in Chronico. g) In Iuliano L. II. c. 10. h) in Severo L. II. c. 14. i) in Caesarib.

ex monumentis publicis semper exulavere, neque hercle ausi essent monetarii ea inferre numis, et Severus jam in numis iis, qui signati fuere, antequam de ejus parsimonia, et acerbitate constaret, Pertinacis nomine gloriatur.

Cognomen istud in omnibus ejus numis inde ab adito principatu legitur usque ad tribunatum VII., seu annum V. C. 952, quo anno a succedente *Parthici Maximi* titulo extrusum est, neque deinceps me in alio numo legere memini, dempto uno maximae formae, quem descripsi ad annum V. C. 960, sed qui ob hanc, tum plures alias causas mihi suspectus habetur. Neque moror eum, quem recitat Harduinus [a]), qui Severum adhuc in tribunatu X., et consulatu III. Pertinacem appellat. Numus fertur argenteus, ac propterea tanto magis suspectus, quia forte subaeratus, quam suspicionem confirmat scriptus in utraque numi parte P. M. titulus. Si Spartianum audias [b]), ipse Severus nomen istud aboleri voluit, *querimonia*, ut ait, *amicorum*. Haec oratio cum suapte nihil habet probabilitatis, constante per omnes ordines in Pertinacem adfectu, tum copiose refutatur a marmoribus veteribus, quorum illa quoque, quae sub ejus excessum posita sunt, *Pertinacem* Severum appellant. Saepe in numis tituli veteres propter contractius spatium a recens natis loco moventur, quae tamen a marmoribus omnia recipiuntur. Sic et *Parthicum Maximum* haud multo serius extrusit PIVS.

Pius.

Hoc titulo Severus in numis suis mihi cognitis nonnisi anno V. C. 954 uti incipit. At marmora eum jam in tribunatu III., seu V. C. 948 *Pium* agnoscunt [c]). Quin et in aversa numorum Caracallae Caesaris, qui omnes ante annum V. C. 951 percussi sunt, jam reperimus scriptum; SEVERI. AVG. PII. FIL. Ergo jam pridem nomen istud sibi proprium fecit. At ex quo illud in monetam suam recepit, usque ad exitum retinuit constanter. Tempus ergo adoptati ejus tituli haud dubie est ejus tribunatus III., nam tribunatus II. marmora omnia eo abstinent [d]), marmora tribunatus III. alia illo carent [e]), alia adserunt, ut dixi. Et vero in eodem tribunatu III. nempe V. C. 948 vidimus, Severum se M. Aurelio adoptandum dedisse, et sese in numis scripsisse DIVI. M. PII. *Filium.* Quare et ipse velut a patre hereditarium hunc sibi titulum adscivit cum filiis quoque communicatum, ut in his dicetur.

Invictus.

Hoc elogio decoratur in aversa numi Getae Caesaris, SEVERI. INVICTI. AVG. PII. FIL., item in numo supra V. C. 954 descripto, in cujus antica ipse et Caracalla dicuntur: IMPP. INVICTI. PII. AVGG. Numis adde complura marmora. Titulum hunc sibi promeruit ex bello Parthico summa virtute gesto. In numis imperatorum inferioris aevi, praecipue Probi, hic titulus obvius.

---

a) Hist. Aug. ad V. C. 56. b) in Severo c. 7. c) Grut. p. 266. 6. Chandler Inscr. ant. p. 17. d) Gruter p. 263. num. 3. 4. 5. 6. e) Ibid. p. 40. 12. Murat. p. 189. 2.

Arabicus, *Adjabenicus*, *Parthicus Max.*, *Britannicus*, *Ponticus.*

Nimirum decora per bellicam virtutem parta. Priorum titulorum originem, et finem jam per ipsos annos exposuimus. Superest titulus *Pontici*, quem numi hactenus cogniti non memorant, at inter alios victarum gentium titulos jactat insigne marmor a Muratorio vulgatum a). Probabile est, captum hoc nomen ex Byzantio ad obsequium reducto, quod Ponto adsitum fuit, et cujus deditio propter obsidionis et difficultatem, et durationem justae victoriae instar fuit, qua audita Severus in Mesopotamia tum absens tantam cepit voluptatem, ut progressus ad milites dixerit: *tandem et Byzantium cepimus* b).

Consul.

Severum ter, neque amplius processisse consulem constat. Ejus magistratus iterati modum jam in annalibus dedimus. Istud hactenus citra exemplum, quod consulatus I., qui alias solo COS. notari solet, scripto COS. I. indicetur, quod quidem imitati sunt etiam monetarii Albini. Eodem modo in Severi numis legimus IMP. I., sed et hoc nullo adhuc exemplo. Etiam in Aemiliani numis praeter morem scribitur TR. P. I.

Imperator.

Continuo diximus, in Severi moneta legi scriptum IMP. I., perinde atque legitur etiam COS. I. Nova isthaec ratio etsi nihil turbat in consulatuum oeconomia, nonnihil tamen in imperatoris titulo molesta est. Nam hactenus cum prima principi victoria parta est, is continuo dictus fuit IMP. II., quoniam *imperator* per ipsum ad imperium aditum jam fuit. Possumus igitur colligere, veterem hunc morem a Severo fuisse infractum.

Ex quibus victoriis imperatorium honorem iteraverit, in annalibus stabilire laboravimus. Ceterum annus V. C. 954 postremus est, cujus numi, quod mihi constet, eum titulum una cum numero addant. Obivit tum tribunatum IX., diciturque imperator XI. Scriptum IMP. XIII. videre sibi visus est Khellius in denario musei S. Floriani Austriae superioris. Verum cl. Neumannus, qui numum iterum inspexit, legendum docet IMP. VIII. Deinceps subsidium ex marmoribus etsi mire dissidentibus. Colligi tamen potest, adhuc in tribunatu XIII, veterem numerum non auxisse c). Tandem in tribunatu XVIII. eum imperatorem XII. salutatum videmus d). Verisimiliter hic honos accessit tum, cum propter victorias Britannicas *Britannici* titulo honoratus fuit. Secundum numos Mediobarbi in tribunatu XV. dicitur IMP. XII., et in tribunatu XVIII. IMP. XIII., sed aliis singularia haec cimelia sunt ignota.

---

a) Pag. 347. 2. et p. 157. 7.

b) Dio L. LXXIV. 14.

c) Gruter p. 265. 5.

d) Gruter p. 265. 5.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	R.
Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Tam urbium liberarum, quam coloniarum obvii, demptis Alexandrinis, ut dictum.

IVLIA DOMNA.

Domo Emesa Syriae [a]). Ejus genus explicatius dabimus infra in Elagabalo. Quod claritati generis defuit, nam fuit ordinis plebeii [b]), supplevit genitura, quae ejus fuit naturae, ut regi aliquando necessario jungenda esset. Quod cum intelligeret Severus adhuc privatus, et peritissimus ipse astrorum, eam sibi regnandi cupidus post uxoris Martiae mortem matrimonio junxit [c]). Quo minus factum istud ultra annum V. C. 928 differatur, vetat manifestum Dionis testimonium, adserentis, Faustinam Marci uxorem utriusque nuptiis apparasse thalamum in templo Veneris, quod juxta palatium est [d]). Nam isthoc anno Faustina in Orientem cum marito profecta per iter mortua est, ut diximus. Etsi libidinis infamia graviter laboravit, et de insidiis etiam in maritum suspecta fuit, apud eum tamen gratiosa ad exitum usque mansit [e]). Propter pravos hos mores cum eam Plautianus praepotens Severi amicus nullo non tempore criminationibus peteret, philosophari et agere cum sophistis coepit [f]). A filio quoque Caracalla mortuo marito in honore habita tantum abfuit tamen, ut unire maternis precibus dissidentes filios Augustos posset, ut videre etiam Getam in sinu suo a fratre interemptum, et semetipsam filii sanguine conspergi cogeretur. Ejus mortem cum acerbius fleret, parum aberat, quin parricidium in ea geminaret [g]). Dissimulavit deinde dolorem, ut benevolum sibi filium redderet, a quo amplos etiam honores, et auctoritatem non vulgarem nacta est, etsi non raro damnata ejus insania honesta, et utilia suaderet [h]). Vulgasse corpus suum filio, ejusque celebrasse nuptias, narrant Spartianus [i]), Eutropius [k]), et Victor [l]), atque eodem pertinet virulentum Alexandrinorum scomma-

---

a) Herodian. in Macrino. b) Dio L. LXXVIII. §. 24. c) Spartian. c. 3. d) L. LXXIV. §. 3. e) Victor in Caesarib. Spartiani. f) Dio L. LXXV. §. 15. g) Spartian. in Carac. c. 3. h) Dio L. LXXVII. §. 18. i) in Caracalla c. 10. k) in Caracalla. l) in Caesarib.

Iocastam per ludibrium Domnam appellantium [a]). Quo tempore Caracalla a Macrino caesus est, Antiochiae substitit, atque tum, quem vivum oderat, coepit lugere e vivis ereptum, quoniam vita privata intolerabilis videbatur, statuitque inedia vitam finire jactis in Macrinum diris omnibus et opprobriis. Mox omisso mortis desiderio coepit resumere animos, cum videret, a novo Augusto benigne se per literas compellatam, nihilque sibi cultus regii ademptum. At cum hic persentisceret, non obscure ab ea imperium affectari, discedere illam Antiochia, quo vellet, jussit. Quare instaurato vitae finiendae proposito negatis corpori alimentis mortem sponte oppetiit. Ejus cadaver translatum Romam primum Caii et Lucii monumento illatum, post a sorore Maesa una cum Getae ossibus in Antonini heroum traductum est. Haec Dio [b]). Haec Maesa a sorore Domna claritudinem nacta Soaemiadis et Mamaeae mater exstitit, quarum illa Elagabalum, haec Alexandrum enixa est, utrumque fato ad imperium destinatum.

Liberi:

I. *Caracalla.* Hujus matrem fuisse Domnam, ex pluribus Dionis et Herodiani coaevorum testimoniis constat. Aequalis item Oppianus sic Caracallam adfatur [c]):

Τον μεγαλη μεγαλῳ φυτησατο Δομνα
Σεβηρῳ,

Quem magna magno peperit Domna
Severo.

ut mittam copiosa marmora, et numos, in quibus ea dicitur MATER. AVGG., ac speciatim marmor Muratorii [d]), Graecum Sponii [e]), et aliud Pocockii [f]). Arcessere haec testimonia tanti non fuerat, nisi Eutropius, Victor [g]), Orosius, ac cumprimis Spartianus non uno loco Martiam Caracallae matrem, Domnam novercam aperte statuerent. Quae fides habenda inferioris aevi scriptoribus, quando vel in ipsis principum parentibus turpiter adeo fallunt? Accedit, Martiam jam saltem anno V. C. 928 in vivis amplius non fuisse, ut paullo supra probavi, et Caracallam nonnisi anno 941 lucem vidisse. Quorsum denique tanta ejus in Domnam studia, si noverca tantum fuisset?

II. *Geta* postea Augustus, de quo infra.

III. Tulit quoque liberos sexus muliebris, quos negligo, quia numis, et claritudine caruere. De his vide Tillemontium [k]).

Numi:

A. IVLIA. AVGVSTA. *in omni metallo et forma.*

B. IVLIA. DOMNA. AVG. *in omni metallo et forma.*

C. IVLIA. PIA. FELIX. AVG. *in omni metallo et forma.*

Qui numi inscribuntur IVLIA. DOMNA. AVG. sunt omnes fabricae hiulcae, sed indubitatum etiam, eos

---

a) Herodian. in Carac. b) L. LXXVIII. §. 23. 24. c) de Venat. L. I. 4. d) Pag. 1088. 2. e) Miscell. p. 329. f) Inscr. ant. P. 63. g) in Caesaribus. h) Nota VI. in Sever.

signatos primis Severi annis, quo tempore omnis hujus gentis moneta squalet. Deinceps abolitum in numis Domnae nomen, ut dicetur infra in *Nominibus*.

Vt copiosi sunt Domnae numi, atque esse debent, nam non modo per totum mariti imperium, sed et filii signati sunt, sic et eximie variae sunt partes aversae, sed quae parum pro varietate sua instruunt, cum earum typi plerumque *Concordiam*, *Fecunditatem*, *Pudicitiam*, tum *Cererem*, *Iunonem*, *Venerem*, *Vestam*, nimirum decantata illa in Augustarum numis, memorent. Quare ex omni apparatu paucos tantum excerpam, qui aliquid ad praesens institutum utile adferunt.

* * *

Vt lit. B.

AEQVITAS. II. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Similem aversam jam descripsimus in numo Severi ad annum V. C. 946, quem vide.

* * *

Vt lit. A.

FECVNDITAS. *Mulier humi sedens s. racemum, et simul canistro innititur, d. globum astriferum contingit, per quem quatuor parvae figurae incedunt.* AV. AR. (Mus. Caes.)

In numis Hadriani, et Commodi ad annum V. C. 940 juxta simillimum typum scriptum legitur: TELLVS. STABIL. Ergo utramque variam epigraphen uni eidemque typo applicando indicatur *tellus* per procuratam matrimoniorum ope mulierum *fecunditatem stabilita*, ut ad laudatum Hadriani numum diximus.

* * *

Vt lit. B.

LIBERAL. AVG. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes. Pellerin Additions p. 3.)

Haec aversa Augustarum numos nondum invasit, quoniam Augustorum erat liberalitates publicas praestare. At enim Domna, quae imperante primum marito, deinde filio plus ausa est, quam feminam deceret, has quoque imperantis partes attentavit, ut praesens numus docet. Verum qua ratione, aut quorsum liberalis fuerit, nosse non datur.

* * *

Vt lit. A.

MATER. AVGG. *Cybele in quadrigis leonum d. ramum.* AV. (Vaill.) AR. (Mus. Caes.)

Non aliud gravius in numis servilis adulationis argumentum. En Domnam omni Cybeles cultu propositam, cumque haec Mater deorum, illa Caracallae, ac Getae fuerit, en hos quoque juvenes Augustos subtili ingenio diis aequiparatos. Signatus est hic numus, ex quo Geta quoque Augusti honores adeptus est.

* * *

Vt lit. C.

MAT. AVGG. MAT. SEN. M. PATR. *Mulier stans, vel sedens d. spicas, s. hastam.* AV. AR. (Vaill. Mus. Caes.)

Vt lit. A.

MATER. (in aliis MATRI.) CASTRORVM. *Mulier velata stans ante aram d. pateram, s. acerram, pro qua in aliis caduceum, ex adverso duo, in aliis tria signa militaria.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Matrem Castrorum jam vidimus Faustinam juniorem, et videbimus adhuc Mamaeam ejus ex sorore neptem. At

Matrem Senatus, et *Matrem patriae* una Domna appellare se in numis est ausa. Enim vero Caracallam matri curam libellorum, et epistolarum, utriusque linguae commisisse, suis ad senatum epistolis, cum se atque exercitum valere scriberet, addidisse semper et matrem, eamque a primariis viris perinde ac se voluisse salutari, refert Dio [a]). Quare mirum non est, eam tanto fastigio adsuetam aegre tulisse ad privatum se statum redigi, et probabiles sunt insidiae, quas eam intentasse Macrino supra ostendimus. Matris Castrorum, et Patriae nomen eam jam tulisse quarto imperantis mariti anno, liquet ex marmore Muratorii [b]). Etiam in numo Paltenorum Syriae dicitur CTPατοπεδȣ MHτηρ, *castrorum mater* [c]).

* * *

Vt lit. C.

S. P. Q. R. IVLIAE. AVGVST. *Carpentum a binis mulis tractum.* AE. max. mod. (Mus. Pisan.) *Fere similis alius, sed* AE. I. (Vaill.)

Carpenti honorem a senatu vivae adhuc Domnae decretum in hac ejus potentia tanto minus mirum, cum et hunc honorem Messalina Claudii, Agrippina altera, et Faustina junior, impotentis omnes animi feminae sibi pridem extorserint, ut in harum numis vidimus.

* * *

Vt lit. B.

VICTOR. IVST. AVG. *Victoria sedens.* AR. (Mus. Caes.)

Aversa in Domna rarissima, et forte unica. Magis obvia in Severo, et Pescennio, etsi in his sit Victoria gradiens, non sedens.

Diva Domna.

Consecratam eam fuisse scriptorum veterum nemo prodidit, at istud docent numi. Factum istud curante Elagabalo, cui per matrem Soaemiadem sanguinis nexus cum Domna fuit, satis ipsa ratio persuadet.

DIVA. IVLIA. AVGVSTA. *Caput velatum.*

CONSECRATIO. S. C. *Domna d. hastam velo per caput sinuato a pavone sursum fertur.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

CONSECRATIO. *Pavo.* AR. (Beger Thes. Brand. T. II. p. 696. Vaill.)

Numi commatis peregrini:

Numi tam *urbium liberarum*, quam *coloniarum* copiosissimi exstant. At rarissimi *Alexandrini*, ut dictum suo loco.

NOMINA ac TITVLI.

Domna.

Nomen istud sitne originis Syrae, an Latinae, et contractum ex *Domina*, a variis disputatum. Posteriori sententiae adhaesit Pellerinius, statuitque, id nomen mulieri per arrogantiam quaesitum, at cum *Domini* appellatio Romanis invisa esset, mitigatam ab ea nominis invidiam scribendo, *Domna* pro *Domina*. Sane nomen *Domna* non esse Syrum, probat numo Cyzicenorum, in quo princeps eorum dea Proserpina dicitur: ΔΟΜΝΑ. ΣΩΤΙΡΑ [d]). Haec viri eximii

a) L. LXXVII. §. 18. b) Pag. 1088. 2. c) Sestini Lettere T. V. p. 65. d) Additions p. 4.

ratio si solida est, necesse erit, neque nomina ΚΑΒΙΡΟϹ, aut ΚΑΜΑΡΕΙΤΗϹ, aliaque plura esse originis peregrinae, quoniam in numis Thessalonicae, et Nysae Cariae leguntur, in quorum numero Cyzicenorum etiam ΔΟΜΝΑ facile putanda, ut jam in horum moneta obiter disserui. Quod si vocabulum *Domna* eandem habuit significationem, quam *Domina*, nescio sane, an per praetensam hanc contractionem satis elevata fuerit verbi invidia. Ceterum parum moror, cui linguae vox *Domna* natales suos debeat. Tamen nomen istud mulieri fuisse patrium, facile ex aliis ejus familiae nominibus colligi potest. Nam ut omnes ex hac feminae *Iuliae* vocabantur, et habuere cognomina Maesae, Soaemiadis, Mamaeae, barbara sine dubio, et nativa, sic et nostrae Severi Iuliae inditum jam olim Domnae nomen ex quacunque lingua, et non ex *Domina* detortum verisimile est. Certe Oppianus in versu, quem supra in Domnae liberis citavi, hanc Severi uxorem simpliciter *Domnam*, velut proprio ejus nomine appellat. Et fuit vetus mos non apud Syros modo, sed ipsos etiam Palmyrenos cum viros, tum feminas, ut patrio suo nomini aliud gentile Romanum praefigerent, de quo lege disputantem Renaudotium [a]). Citare Pellerinius in rem suam poterat marmor repertum in insula Arbe, quod post Passerium edidit Donatus [b]): IVLIAE. DOMINAE. AVGVSTAE., at novimus, quanta sit marmorum municipalium auctoritas. Enim vero Suidas explicans verbum *Δομνος*, nequaquam, ait, esse honoris vocabulum ex Latino translatum, sed esse *ὀνομα κυριον*, *nomen proprium*. Ergo idem de Domna intellige. Vide et Tristanum [c]) et Spanhemium [d]) mecum sentientes. Ceterum cum videam, complures numos, quibus inscriptum Domnae nomen, eosdem habere typos, quos videmus in numis Severi, qui primis ejus imperantis annis prodivere, in illis vero, quos seu propter vocabulum AVGG., seu propter alias causas serius signatos intelligimus, illud constanter abesse, certum videtur, primis Domnae annis deberi numos hoc nomine notatos, deinceps autem illud, forte propter ipsam peregrinitatem fastiditum, et ex moneta abesse jussum. In numo Alexandrino dicitur adhuc Domna labente anno VIII., qui coepit exeunte Augusto V. C. 952, quin et annis XII. XIII.

Pia Felix.

Haec nomina mulieri haud dubie tum dari in numis coepta, quando filius Caracalla iis uti coepit.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei . . . . R.

---

a) Mem. B. L. T. II. p. 528. b) ad Thes. Murat. p. 145. 7. c) T. II. pag. 119. d) T. II. p. 294.

Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.

De numis *commatis peregrini* actum supra.

MARCVS AVRELIVS ANTONINVS vulgo CARACALLA.

Pater ei fuit Severus Augustus, mater Iulia Domna, quam perperam ab aliis ejus novercam statui, dixi supra in liberis Domnae. Natus est Lugduni Galliae, cum eam provinciam pater regeret, V. C. 941 secundum Dionem die IV. Aprilis [a]), secundum Spartianum die VI. Aprilis [b]). Nato inditum nomen *Bassiani*, et quidem ex Victoris sententia [c]) ex avi materni nomine. Ejus pueritiam blandam, ingeniosam, parentibus aeque ac populo jucundam, ac longe alienam ab ea immanitate, quae provectiorem ejus aetatem infecit, multum commendat Spartianus [d]). Primis patris imperantis annis in privato adhuc statu mansit. At cum hic anno V. C. 949 ex Mesopotamia adversus Albinum proficisceretur, ex itinere apud Viminacium *Caesarem* eum creat, et pro Bassiano *M. Aurelium Antoninum* appellat [e]).

V. C. 949. P. X. 196.

CAESAR. PRINCEPS. IVVENTVTIS.

M. AVR. ANTONINVS. CAES. *Caput nudum.*

SECVRITAS. PERPETVA. *Pallas stans d. clypeum, s. hastam.* AR. AE. I. (Mus. Caes).

Eadem adversa.

SPEI. PERPETVAE. *Spes gradiens.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 950. P. X. 197.

CAESAR. PRINCEPS. IVVENTVTIS. Incipit PONTIFEX.

In collegia pontificum hoc anno cooptatur testibus fastis pontificalibus apud Gruterum [f]):

LATERANO. ET. RVFINO. COS.
SVPER. NVMERVM
COOPTATVS. EX. S. C.
M. AVRELIVS. ANTONINVS
CAES. DESTINATVS
P. R. C. A. DCCCCXLVII - -

* * *

A. M. AVR. ANTONINVS. CAES. *Caput nudum in omni metallo, et forma.*

B. M. AVR. ANTON. CAES. PONTIF. *Caput nudum in omni metallo, et forma.*

---

a) L. LXXVIII. §. 6. b) in Carac. c. 6. in Severo c. 10. f) Pag. 300. c) in Epitome. d) Cap. 1. e) Spartian.

* * *

Vt lit. B.

IMPERII. FELICITAS. — MARTI. VLTORI. — PIETAS. — PRINCIPI. IVVENTVTIS. — SECVRITAS. PERPETVA. *Omnes cum suis typis, iisque obviis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. E.

SEVERI. AVG. PII. FIL. *Instrumenta pontificalia.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Omissus pontificis titulus in his numis typo iustrumentorum pontificalium suppletur.

Eodem anno:

DESTINATVS IMPERATOR.

Vt lit. B.

DESTINATO. IMPERAT. *Lituus, apex, tripus, simpulum, retro sceletus capitis bovini.* AR. (Mus. Caes.)

Numum hunc his verbis explicat Spartianus [a]): *Caesarem deinde Bassianum filium suum Antoninum a senatu appellari jussit decretis imperatoriis insignibus.* Factum istud, quando Romam victo Albino redivit, et antequam ad bellum Parthicum exiret, quod est anni praesentis. Copiosa etiam marmora Caracallam *destinatum imperatorem* appellant, quae vide apud Gruterum [b]), et Muratorium [c]). Eodem modo Cenotaphium Pisanum Caium Caesarem Agrippae F. vocat *jam designatum, justissimum, ac simillimum parentis sui virtutibus principem*, nempe Augusti, qui adoptavit, et Titum *imperatorem designatum* in numis dictum vidimus ad annum V. C. 824. Typus aversae ad Caracallae pontificatum refertur, de quo egimus proxime.

* * *

Antica incerta.

LIB. AVG. II. *Typus congiarii.* AV. (Vaill.)

Caracallam vivo patre eosdem liberalitatis numeros monetae suae inscripsisse, copiose in Geta ad annum 964 probabimus. Cum igitur Severi liberalitas II. fuerit anni praesentis, necesse est, numum hunc a Vaillantio tam parce descriptum ad annum hunc pertinere, nisi forte hic numus verius est Elagabali.

V. C. 951. P. X. 198.

AVGVSTVS TR. POT. PONT.

Caracalla Augustus a patre et militibus dicitur, et trib. potestate donatur. De vero utriusque suscepti honoris tempore agam copiose in tractatu de trib. potestate.

* * *

A. ANTONINVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum in AV. AR. radiatum in AE. II.*

B. IMP. CAE. M. AVR. ANT. AVG. P. TR. P. *Caput laureatum in AV. AR.*

C. IMP. CAES. M. AVR. ANT. AVG. P. TR. P. *Caput laureatum in AV. AR.*

D. IMP. CAES. M. AVR. ANTON. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

E. IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. PONT. AVG. *Caput laureatum in AR.*

---

a) in Severo c. 14. b) Pag. 191. 3. — 267. 8. 9 — 300. col. 2. — 1035. 9. c) Pag. 1088. 2.

* * *

Vt lit. A.

BONVS. EVENTVS. *Deus nudus stans ante aram d. pateram, s. spicas.* AR. (Mus. Caes.)

Hanc aversam jam dedimus in moneta patris.

* * *

Vt lit. E.

IMPERII. FELICITAS. *Mulier stans d. caduceum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

IVVENTA. IMPERII. *Caracalla paludatus stans d. Victoriolam s. hastam, pro pedibus captivus.* AR. (Mus. Caes.)

Haec aversa se ipsam explicat. De IVVENTA jam egimus in numis M. Aurelii inscriptis IVVENTAS anni V. C. 893.

* * *

Vt lit. A.

SEVERI. PII. AVG. FIL. *Idem typus.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

* * *

Exstant adhuc plures alii cum aliis aversis, at his obviis, et qui, cum trib. potestatem omittunt, proxime sequentes annos non abnuunt.

V. C. 952. P. X. 199.
TR. P. II. PONT.

Cum patre in Oriente versatur.

A. ANTONINVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum in AR.*

B. IMP. CAE. M. AVR. ANT. AVG. P. TR. P. II. *Caput laureatum, in AR.*

* * *

Vt lit. A.

PONT. TR. P. II. *Securitas sedens.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 953. P. X. 200.
TR. P. III. PONT.
Incipit PART. MAX.

In Oriente cum patre bello Parthico interest.

ANTONINVS. AVGVSTVS.
Caput laureatum.

PONTIF. vel: PONTIFEX. TR. P. III. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

P. MAXIMVS. TR. P. III. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Exstant quoque numi inscripti in aversa: P. MAX. TR. P. IIII. COS., quos indicabimus ad annum V. C. 955. Mira in speciem in Caracalla est epigraphe P. MAX. Exstant numi patris Severi ejusdem hujus anni, in quorum antica is dicitur PART. MAX., in aversa P. MAX., id est: P*ontifex* MAX*imus*. At facile quivis intelligit, literam P. in Caracalla significare non posse P*ontifex*, qui vivo patre pontifex maximus non fuit, ac praeterea in numis aliis omnibus antea, ac post, quin et in eodem hoc tribunatu III. signatis nonnisi PONT. vel PONTIFEX compellatur. Ergo haec ipsa causa persuadet, easdem literas esse P*arthicus* MAX*imus*, praecipue cum eodem tempore Severus quoque hoc ipso titulo usus fuerit, et eundem deinceps quoque in ejusdem Caracallae numis frequenter simus visuri.

V. C. 954. P. X. 201.
TR. P. IV. PONT. COS. DES. PART. MAX.

Cum patre Antiochiam regressus togam virilem accipit, et consul in annum sequentem designatur [a]).

ANTONINVS. AVGVSTVS.
Caput laureatum
AETERNIT. IMPERI. *Capita adversa laureata Severi et Caracallae.* AR. (Mus. Caes.)

Hunc ejusque similes numos, qui Severi familiam offerunt, jam vidimus in moneta Severi ad hunc annum. Quare cum in hac videri possint, hoc loco repetere inutile. Hujus temporis sunt omnes illi, qui Caracallam nondum PIVM dicunt, quem titulum hoc adhuc anno numis intulit, ut mox patebit.

* * *

Eadem adversa.
VIRTVS. AVGG. PONT. TR. P. IIII. S. C. *Imperator paludatus stans d. tropaeum contingit, s. hastam.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eodem anno;
Incipit in antica PIVS.

ANTONINVS. PIVS. AVG.
Caput laureatum.
PART. MAX. PONT. TR. P. IIII. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

Eodem tempore in Severi numis titulus *Parthici Maximi*, qui inde a triennio eorum partem anticam occupavit, in aversam coepit migrare. Caracallae numi eum in antica non ostentant.

* * *

Eadem adversa.
VICT. PART. MAX. *Victoria propere gradiens.* AR. (Mus. Caes.)
Eadem adversa, vel in aliis,
IMPP. INVICTI. PII. AVGG.
Capita jugata laureata Severi, et Caracallae.
VICTORIA. PARTHICA. MAXIMA. *Idem typus.* AV. (Mus. Caes.)

Hi numi testes rei in Parthis bene gestae etiam partem numorum Severi hujus anni constituunt.

V. C. 955. P. X. 202.
TR. P. V. COS. PONT. PIVS.

Consul in Syria conlega patre procedit. Cum patre in Aegyptum proficiscitur, hinc Romam revertitur, et Plautillam ducit. Vide Severum, et numos sequentes.

* * *

A. ANTONINVS. PIVS. AVG.
Caput laureatum.
ADVENT. AVGG. *in aliis:* AVGVSTOR. *Triremis.* AR. (Mus. Caes.)

Insignes sunt hi numi, qui typo triremis docent, Augustos itinere maritimo ex Aegypto in urbem reversos, non terrestri per Cappadociam, Bithyniam, Illyricum, ut visum Tillemontio, ex quo arguit celeberrimus hic vir, Severum, quoniam regiones tantopere dissitas adiverat, hoc anno advenire Romam non potuisse, sed factum istud denique esse anno sequente. (Vide Severum ad annum praesentem.) In numis

a) Spartian. in Severo c. 16.

Severi hujus anni, inscriptis item: ADVENT. AVGG. Severus cum duobus filiis eques proponitur. Nimirum in his notatur ingressus in urbem, in numis Caracallae ipsum iter maritimum. Nemo vero, credo, opinabitur, numis his, de quibus agimus, indicari posse Caracallae cum Geta ex Britannia mortuo patre reditum. Nam praeterquam quod ex Britannia rediri per Oceanum, et mediterraneum mare in urbem non solebat, ipsa etiam puerilis Caracallae facies, quam hi numi sistunt, anno V. C. 964 aperte resistunt, quo is promissa jam barba fuit.

* * *

B. ANTON. P. AVG. PON. TR. P. V. COS. *Caput laureatum.*

ADVENT. AVG. *Severus, Caracalla, Geta in equis citatis d. elata.* AV. (Vidi numum, sed ubi, notare neglexi.)

Vide, quae de hoc numo in Severi annalibus ad hunc annum adverti.

* * *

C. M. ANTONINVS. PIVS. AVG. PON. TR. P. V. *(si modo haec epigraphe rite lecta.) Caput laureatum.*

ANN. AVG. SAECVLI. FELICISSIMI. *Annona stans cum cornucopiae, ad pedes modius cum spicis.* AE. II. (Harduin Opera sel. p. 801.)

Propter insolentem utriusque partis epigraphen recitandus hic numus visus.

* * *

Vt lit. A.

AVGVSTI. COS. *Severus et Caracalla togati sedentes in suggestu, hinc lictor cum virga, illinc figura togata.* AV. (Mus. Caes.) AR. AE. II. (Vaill.)

Conservata in hoc numo memoria utriusque consulis Augusti hujus anni, quod rari hactenus exempli. Similem, sed aeneum, in Severi moneta ad hunc annum vidimus.

* * *

Vt lit. A.

CONCORDIA. FELIX. *Caracalla et Plautilla stantes dexteras jungunt.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

CONCORDIAE. AETERNAE. *Capita jugata Severi radiatum, Domnae impositum lunae.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PLAVTILLAE. AVGVSTAE. *Caput Plautillae.* AV. (Vaill.)

Vt lit. B.

PROPAGO. IMPERI. *Caracalla et Plautilla stantes dexteras jungunt.* AV. (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. A.

VOTA. SVSCEPTA. X. vel: VOT. SVSC. DEC. PON. TR. P. V. COS. *Imperator velatus stans d. pateram ad aram sacrificat.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VOTA. SVSCEPTA. XX. *Severus velatus, et Caracalla paludatus s. hastam stantes ad tripodem sacrificant intermedia figura velata.* In alio: *Caracalla solus super tripode sacrificans, juxta tibicen, popa, victima.* AR. (Mus. Caes.)

De his votis actum in Severo ad eundem annum.

* * *

His jungendi numi sequentes.

ANTONINVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

PART. MAX. PONT. TR. P. IIII. COS. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

P. MAX. TR. P. IIII. COS. *Imperator velatus stans ad aram sacrificat.* AR. (Mus. Caes. Mus. Medic. Liebe p. 262.)

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

PART. MAX. PONT. TR. P. V. *addito, vel sine* COS. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

Priores duo per TR. P. IIII. annum praecedentem, per additum COS. annum praesentem pro mea sententia exigunt, quorum examen in tractatum de trib. potestate differo. De numo altero inscripto P. MAX. vide dicta ad annum V. C. 953.

V. C. 956. P. X. 203.
TR. P. VI. COS. PONT. PIVS.
Desinit PART. MAX.

Acta hujus anni vide in Severo.

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. ANTONINVS. PIVS. AVG. PONT. TR. P. VI. *Caput laureatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A. vel B.

INDVLGENTIA. AVGG. IN. CARTH. *Dea d. fulmen, s. hastam leoni currenti insidens, juxta rupes, ex qua aqua promanat.* AV. AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Hunc numum explicatum vide in Severo ad eundem hunc annum. Exstat etiam in Caracallae trib. potestate VII.

* * *

Vt lit. A.

IIII. LIBERALITAS. AVGG. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Lineamenta oris in hoc numo annum praesentem exigunt, etsi congiarii hujus causa ignoretur.

* * *

Vt lit. A.

PONT. TR. P. VI. COS. *Figura militaris stans d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 957. P. X. 204.
TR. P. VII. COS. DES. II. PONT. PIVS.

Ludi saeculares hoc anno acti. Vide numos Severi.

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. ANTONINVS. PIVS. AVG. PONT. TR. P. VII. *Caput laureatum in AE. I. II.*

* * *

Vt lit. B.

ARCVS. AVGG. S. C. *Arcus triumphalis trium portarum statuis superne ornatus.* AE. II. (Morelli Specim. p. 183. Vaill.)

Egregium istud monumentum eodem cultu, quem nobis hic numus sistit, adhuc Romae ad radices montis Capitolini conspicitur, licet parte sui non exigua defossum terra, et plerisque ornamentis suis aetatis injuria spoliatum. Quae ejus erigendi fuerit causa, quod tempus, docebit titulus ejus fronti inscriptus, quem proponere totum lubet, ut eum ex autographo excepit Barthelemyus [a]).

a) B. L. Tom. XXVIII. p. 599.

IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI AVG. PATRI. PATRIAE PARTHICO. ARABICO. ET. PARTHICO ADIABENICO. PONTIFIC. MAXIMO. TRIBVNIC. POTEST. XI. COS. III. PROCOS. ET. IMP. CAES. M. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO. AVG. PIO FELICI. TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. (P. P. OPTIMIS FORTISSIMISQVE. PRINCIPIBVS.) OB. REMPVBLICAM. RESTITVTAM IMPERIVMQVE. POPVLI. ROMANI. PROPAGATVM. INSIGNIBVS VIRTVTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQVE. S. P. Q. R.

(Verba uncis inclusa operi coaeva non sunt, sed suffecta in locum nominum Getae: ET. P. SEPTIMIO. GETAE. NOBILISSIMO CAESARI., quae post ejus caedem fratris furor ex monumentis publicis eradi jussit.)

Ex illustri hoc epigrammate discimus, arcum hunc anno praecedente fuisse positum.

* * *

Vt lit. A. et B.

COS. LVDOS. SAECVL. FEC. — AV. AE. II. *In aliis:* COS. LVD. SAEC. FEC. S. C. *In aliis:* SAECVLARIA. SACRA. S. C. *Typi, ut in Severo ejusdem argumenti.* AE. I. II. (Mus. Caes. Reginae Christ.)

De his ludis actum in moneta Severi.

* * *

C. ANTON. P. AVG. PON. TR. P. VII. *Caput laureatum.*

DI. PATRII. *Hercules et Bacchus stantes cum suis singuli attributis.* AV. (Morelli Specim. p. 72.)

Ambo dii sic stantes in numis Severi vocantur *Dii Auspices*, (Vide annum V. C. 947.) at in Caracalla et Geta DI. PATRII, quo haud dubie cultum hunc a patre hereditarium profitentur.

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. V. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Lineamenta in hunc annum cadunt, quo arguitur, datum hoc congiarium causa ludorum saecularium, ut dixi ad similem Severi numum hujus anni.

V. C. 958. P. X. 205.

TR. P. VIII. COS. II. PONT. PIVS.

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

COS. II. *Caracalla in lentis quadrigis s. scipionem cum aquila.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Sunt numi similes Getae, sed cum solo COS., nempe hoc anno una processere fratres, Caracalla COS. II., Geta COS. primum.

* * *

Eadem adversa.

IMP. ET. CAESAR. AVG. FILI. COS. *Severus in suggestu sedens inter Caracallam et Getam.* AR. (Mus. olim de France.)

Aversae epigraphe sic legenda: *Imperator* (Antoninus) *et Caesar* (Geta) *Augusti* (Severi) *filii consules*, nimirum qui hoc anno una processere, ut continuo diximus.

V. C. 959. P. X. 206.

TR. P. IX. COS. II. PONT. PIVS.

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

PONTIF. TR. P. VIIII. COS. II. *variis typis.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 960. P. X. 207.

TR. P. X. COS. II. DES. III. PONT. PIVS.

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

PONTIF. TR. P. X. COS. II. *variis typis in omni metallo et forma.*

V. C. 961. P. X. 208.

TR. P. XI. COS. III. PONT. PIVS.

Decennales suos celebrat Caracalla. Ad bellum Britannicum cum patre proficiscitur.

* * *

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. M. AVR. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. II.*

C. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VI. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Facies Caracallae in hoc numo certe est hujus anni, et eandem liberalitatem VI. tam in numis Severi, quam Getae ad eundem hunc annum habemus, nimirum collatam, antequam in Britanniam proficiscerentur. Qua ratione rursum in numo Caracallae anni V. C. 964 notari potuerit, cum in hoc, tum uberius in Geta ad hunc annum exponemus.

* * *

Vt lit. A. vel B.

PONTIF. TR. P. XI. COS. III. *variis typis.* AR. AE. II.

Vt lit. A. vel B.

PROF. AVGG. PONTIF. TR. P. XI. COS. III. *variis profectionis typis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Pertinent hi numi ad iter ab Augustis in Britanniam hoc anno institutum.

* * *

Vt lit. A.

VOTA. SOLVT. DEC. COS. III. *Imperator velatus stans d. pateram, s. parazonium super tripode sacrificat, humi jacet bos victima.* AR. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

VOTA. SOL. DEC PONTIF. TR. P. XI. COS. III. *Imperator velatus sacrificans adsistentibus tibicine, et victimario.* AE. II. (Vaill.)

Argumentum numi planum. Eadem vota memorat etiam numus Severi apud ipsam Berytum Phoeniciae signatus, in cujus aversa: DECENNALES. ANTONINI. COS. III. (Vaill. in Colon.)

V. C. 962. P. X. 209.

TR. P. XII. COS. III. PONT. PIVS.

Bello cum Britannis interest.

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

PONTIF. TR. P. XII. COS. III. *variis typis.*

Eadem adversa.

PROF. AVGG. PONTIF. TR. P. XII. COS. III. S C. *Imperator eques barbarum hasta dejicit.* AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

TRAIECTVS. PONTIF. etc. *Imperator cum copiis ponte navali flumen trajiciens.* AE. I. (Mus. Albani Vol II. tab. 120.)

V. C. 963. P. X. 210.
TR. P. XIII. COS. III. PONT. PIVS.

Continuatur bellum Britannicum.

* * *

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. etiam radiatum in AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

Vt lit. A. vel B.

PONTIF. TR. P. XIII. COS. III. *variis typis.* AR. AE. I. II.

Eodem anno:
Incipit BRIT.

De collato hoc titulo vide Severum ad hunc annum.

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR., etiam radiatum in AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

Vt lit. A.

PONTIF. TR. P. XIII. COS. III. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

INDVLG. FECVNDAE. AR. — PROVIDENTIAE. DEORVM. AR. AE. I. II. — SECVRITATI. PERPETVAE. AE. I. II. — VOTA. PVBLICA. S. C. AE. I. II. etc.

V. C. 964. P. X. 211.
TR. P. XIV. COS. III. PONT. PIVS. BRIT.

Q. Epidio Rufo Lolliano Gentiano, Pomponio Basso cos.

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR. AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

C. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

PONTIF. TR. P. XIIII. COS. III. *variis typis.* AR.

Vt lit. B.

VICT. BRIT. TR. P. XIIII. COS. III. S. C. *Victoria s. pede galeae insistens tropaeum statuit, inde Isis capite tutulato stans, humi captivus sedens.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

VICTORIAE. BRITANNICAE. S. C. *Idem typus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Videtur Caracalla res adversum Britannos prospere gestas Isidi acceptas tulisse. Sane eum huic deae perquam fuisse addictum constat; nam sacra Isidis deportari Romam, et ubique magnifica ei templa fieri jussit [a]).

Eodem anno mortuo patre:
PONT. MAX. P. P.

Die IV. Februarii Severus Eboraci moritur. Solutis patri justis funebribus

a) Spartian. c. 9.

cum Caledoniis pacem concludit. Exercitum tentat, ut omisso Geta se unum imperatorem agnosceret. Id cum incassum caderet, concordiam cum fratre simulat. Cum patris cineribus in urbem revertitur. Saepe per iter fratri insidiari ausus, tamen metu exercitus abstinet.

* * *

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR., etiam radiatum in AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

C. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput radiatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

ADVENTVS. AVGVSTI. *Imperator eques pacificatoris habitu, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Similis aversa est etiam in numo Getae, ergo ad hunc Caracallae adventum numus hic pertinet.

* * *

Vt lit. A. B. C.

FORT. RED. P. M. TR. P. XIIII. COS. III. P. P. *Fortuna stans d. cornucopiae, s. hastam, pro pedibus rota.* AR. In aliis: *Mulier sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae, pro pedibus rota.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VI. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Liberalitatem VI. jam vidimus in numo Caracallae anni V. C. 961, tamen utriusque numi aetas justo intervallo distat. Nam prioris facies perquam juvenilis est, et ex aliorum numorum contentione annum sibi V. C. 961 vindicat; alterius vultus jam barba conspicuus est, et additum BRIT., tum quod hoc primum anno Romam redivit, annum praesentem jure deposcit. Certam tamen numeri non ampliati causam teneo. Quamdiu Severus vixit, Caracalla communem cum patre congiariorum numerum servavit, atque secundum hanc rationem congiarium VI. prioris numi fuit illud, quod distribuit uterque Augustus, cum in Britanniam iter susceptum est, quod revera contigit anno V. C. 961. At mortuo patre Caracalla illorum tantum congiariorum rationem habuit, quibus ipse saltem jam Caesar interfuit; nam liberalitatem I. Severus filio adhuc privato exercuit. Eadem ratione Getam quoque suos liberalitatis numeros digessisse videbimus. Spectata ergo hac lege liberalitas anni praesentis revera Caracallae sexta fuit data ob reditum ex Britannis, qui numerus sequente etiam numo comprobatur.

* * *

Antica incerta.

LIBERALITAS. AVGG. VI. ET. V. *Caracalla et Geta sedentes congiarium regunt.* AV. AR. (Vaill.) AE. I. (Mus. Christinae.)

Haec aversa in Getae quoque numis hujus anni occurrit. Liberalitas VI. ad Caracallam pertinet, ut vidimus ex superiore numo, Liberalitas V. ad Getam, ut patebit ex hujus ad annum praesentem numis. Certum est, congiarium, quod praesentes numi enunciant, esse ejus anni, in quo sumus, datumque causa reditus ex Britannia, et novi principatus. Sequente anno caesus Geta liberalis esse desiit.

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. XIIII. COS. III. P. P. *variis typis in* AV. AR. AE. I.

Vt lit. B.

VICT. BRIT. P. M. TR. P. XIIII. COS. III. P. P. S. C. *Typus, ut supra ad similem epigraphen.* AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 965. P. X. 212.

TR. P. XV. COS. III. DES. IV. P. M. P. P. PIVS. BRIT.

C. Iulio Aspero II. C. Iulio Aspero cos.

Caracalla Getam fratrem in sinu matris interficit. (Vide Getam.) Milites criminis atrocitate commoti primum, mox oblatis ingentibus praemiis placantur, Getamque hostem judicant. Excusato senatui parricidio, tanquam ipse petitus insidiis a fratre fuisset, omnes, quorum notus erat in Getam adfectus, aut de eo leviter suspectos ad viginti millia interficit, quos inter fuere Papinianus praefectus praetorio, et celebris jurisconsultus, aliique viri, ac feminae illustres [a]).

* * *

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AV. AR.*, *etiam radiatum in AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VII. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Liberalitatum ordo, ut praecedentem, et proxime sequentem consideranti patebit, septimam hanc anno praesenti sine dubio adfigit. Erogata certe fuerit ad deliniendum populum, quem iratum sibi ob fratris caedem persensit.

* * *

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. XV. COS. III. P. P. *typis variis in omni metallo et forma.*

V. C. 966. P. X. 213.

TR. P. XVI. COS. IV. P. M. P. P. PIVS. BRIT. IMP. II.

Incipit FELIX, exspirat BRIT. intra hunc annum, succedit GERM.

M. Aurel. Antonino Aug. IV. D. Caelio Balbino II. cos.

In Gallias hoc anno, aut forte exeunte superiore proficiscitur, eaque atrociter vexata in urbem revertitur. *Germanici* nomen adoptat. (Vide plura infra ad hunc titulum.)

Ordo numorum hujus anni nihil titulo BRIT., qui adhuc aliquamdiu retentus fuit, sed hoc labente exspiravit, et titulis GERM. FELIX. IMP. II., qui modo accesserunt, juvatur. Adeo disjecta omnia, et in quibus rationem non reperias. Quare nullo discrimine omnes, quos ex certis notis ad annum praesentem pertinere video, ordine alphabetico partium aversarum collegi.

* * *

A. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I.*

B. ANTONINVS. PIVS. AVG.

a) Dio, Herodian. Spartian. alii.

BRIT. *Caput laureatum in AV. AR. AE. II.*

C. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. P. M. TR. P. XVI. *Caput laureatum in AE. max. mod.* (Mus. Caes.)

D. ANTONINVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

E. M. AVR. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

F. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AV. radiatum in AR. majoris moduli, et nonnullis AE. II.*

G. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

Vt lit. A. B. F.

LIBERALITAS. AVG. VIII. *Liberalitas stans.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Videmus, Caracallam in liberalitatis hujus VIII. numis jam BRIT. jam GERM. inscribi. Eam hoc anno praestitam certum fit cum ex titulo BRIT., qui in numis annorum sequentium non amplius apparet, tum quod liberalitas VIIII. certo est anni proximi. Congiarium istud mox post reditum ex Galliarum manubiis erogaverit.

* * *

Vt lit. C.

IMP. II. COS. IIII. P. P. S. C. *Imperator in lentis quadrigis d. hastam.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. XVI. IMP. II. COS. IIII. P. P. S. C. *Imperator in lentis quadrigis d. ramum, s. scipionem cum aquila coronatur a Victoria retro stante.* AE. max. mod. item I. II. (Mus. Caes.)

Quoniam non constat, bellum a Caracalla hoc anno confectum et triumphatum, confit, typo aversae consularem ejus processum anno praesente actum indicari, numosque hos, aut eorum partem mox initio anni, quo recens fuit gratulatio, signatos. Titulum IMP. II. vivo adhuc patre sibi emeruit, ut dicetur infra ad hunc titulum.

* * *

Vt lit. A. et E.

P. M. TR. P. XVI. IMP. II. COS. IIII. P. P. S. C. *Circus.* AE. I. (Mus. Caes.) Alius max. mod. (Vaill.)

Insanum Circensium studium, quibus inde a puero fuisse deditum narrant scriptores, numi hi testantur. In agitandis sane curribus sese solem imitari ipse professus est teste Dione [a]). Ipse auctor Circi creditur, cujus ingentia rudera adhuc exstant Romae. Vide Bianconium [b]).

Vt lit. A. B. E. F.

P. M. TR. P. XVI. COS. IIII. P. P. *variis typis, in omni metallo et forma.* (Mus. Caes.)

Ab his numis docemur, Caracallam jam hoc anno *Felicis* et *Germanici* titulos collegisse.

* * *

Vt lit. B.

PROFECTIO. AVG. *Imperator paludatus stans vel gradiens d. hastam, pone duo signa militaria, vel alia figura stans, et signum militare tenens.* AR. (Mus. Caes.)

Indicatur Caracallae in Galliam profectio hoc, aut exeunte anno praecedente suscepta.

a) L. LXXVII. §. 10. b) Descriz. dei Circhi p. X. seq.

* * *

Vt lit. F. et G.

VENVS. VICTRIX. *Dea stans d. Victoriolam, in aliis galeam, s. hastam cum clypeo etc.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Rarus typus in Augustorum numis, etsi perfrequens in moneta Augustarum.

* * *

Vt lit. D.

VICTORIA. GERMANICA. *Victoria gradiens cum tropaeo.* AV. (Mus. olim de France.)

V. C. 967. P. X. 214.

TR. P. XVII. COS. IV. P. M. P. P. PIVS. FEL. GERM. IMP. III.

Messalla et Sabino cos.

In Alamannos proficiscitur, eosque ad Moenum fl. superat [a]). In ea expeditione barbaris ipsis habetur deridiculo [b]). Imperator III. dicitur. In Daciam, hinc in Thraciam proficiscitur, et trajecto Hellesponto Nicomediae hibernat [c]).

* * *

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AR. etiam radiatum in AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AE. I.*

C. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. VIII. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.) *Typus congiarii.* AV. (Vaill.)

Vt lit. B.

LIB. AVG. VIII. P. M. TR. P. XVII. IMP. III. COS. IIII. P. P. S. C. *Typus congiarii.* AE. I. (Mus. Caes.)

Cum congiaria vix distribui solita sint, nisi cum principes in urbe adessent, docemur hoc numo, Caracallam saltem partem hujus anni Romae exegisse, quandocunque deinde in Alamannos exivit, cujus facti tempus dubium. Cumque praeterea jam nunc imperatoris III. elogio praeditus fuerit, verisimile est, Caracallam illud sibi non bello Alamannico emeritum, ad quod serius videtur exivisse, sed victoria ubicunque terrarum per legatum parta. Enimvero temporum ratio spectatis singulis ejus aetatis factis misere luxata est.

* * *

Vt lit. A. B. C.

P. M. TR. P. XVII. COS. IIII. P. P. *variis typis, in omni metallo et forma.*

Omnis reliqua Caracallae moneta usque ad ejus excessum, perpaucis demptis numis, quorum aversa aliter inscribitur, hujus rationis est, variante solum trib. potestatis numero. Ad typos quod attinet, aenei hujus anni numi decora plerumque bellica ostentant, ut: *Imperatorem equitem hastam in barbarum torquentem*, vel: *milites ex suggestu adloquentem*, vel: *Victoriam cum tropaeo etc.* quibus utique victoriae Alamannicae hoc anno relatae indicantur. Reliqui typi, praecipue in aureis et argenteis, inde ab anno praecedente usque

a) Victor in Caesarib. b) Dio L. LXXVII. §. 13. c) Dio L. LXXVII. §. 16. Herodian.

ad imperii praesentis exitum fere iidem sunt, et repetuntur perpetuo. Eorum igitur illustriores, qui Caracallae historiam juvant, cogere in hunc locum omnes lubet subjectis animadversionibus, quae ad argumentum idoneae videbuntur.

1. *Apollo seminudus sedens d. ramum, s. lyrae innititur tripodi impositae.* Vel: *Apollo stans d. ramum, s. lyram super basi.*

2. *Aesculapius stans d. baculum cum serpente, pro pedibus globus;* in aliis: *adstat praeterea Telesphorus.*

3. *Serapis stans d. elata, s. hastam.* In aliis: *Ipse sedens dexteram extendit versus animal triceps, s. hastam.*

4. *Hercules stans d. ramum, s. clavam et exuvias leonis.*

5. *Sol capite radiato stans d. elata, s. globum.*

6. *Sol in citis quadrigis d. hastam, s. flagellum.*

7. *Luna sinuato per caput velo in citis boum bigis.*

8. *Leo capite radiato fulmen ore gerens.*

Typi, quos quatuor priores numi exhibent, ad Caracallae curationem, tam animo, quam corpore aegri, omnino referendi. De miserando ejus statu mira praedicat Dio coaevus, etsi alienas, et ridiculas ejus causas statuat a). Posteaquam, ait, terras omnes ac maria miserum in modum vastasset, tandem in amentiam ac furorem prolapsum: atque hunc sibi ab hostium, Alamannorum praecipue, incantationibus per magicas artes immissum. Laborasse eum morbis partim manifestis, partim occultis. At cumprimis mentem solicitatam atrocibus secundum quietem visis, apparentibus saepe patre et fratre, gladiosque manu intentantibus. Malo ut finem quaereret, multorum animas ab inferis evocasse, patris praecipue, ac Commodi, quorum hic tantum interroganti pauca respondit, sed et haec dura, immitia, atque animo parum placita, cum interea pater mutus, atque inter horrificum silentium adstaret, et, quod desideratum nunquam fuit, semper in filii Getae comitatu. Conversum denique ad cultum deorum, multisque precibus, adsiduis pernoctationibus, tum et donariis hostiisque eorum solicitasse opem, quin tamen aliquid sanitati conducens ab iratis diis impetraret. Haec generatim ad hos numos disserenda fuere; ad singulos progrediamur.

1. Apollo, quo cultu in his numis proponitur, visitur etiam in moneta Treboniani addito praeterea: APOLLO. SALVTARIS; nimirum peste ac morbis tum Italiam misere depascentibus, ejus dei, nempe valentis ad morbos tam immittendos, quam propulsandos, auxilium imploratum publice est. Apollinem cognomento *Grannum*, cujus plura marmora produxit Gruterus, a Caracalla in his suis malis interpellatum diserte prodit Dio b).

2. Aesculapius et Telesphorus, cognita iis numina, qui reparandae valetudini curam impendunt. Aesculapii etiam a Caracalla imploratam opem eodem loco Dio memorat. Huc pertinet, quod refert Herodianus, Caracallam, cum ex Thracia in Asiam trajiceret, adisse Pergamum, ut Aesculapii, apud eam

a) L. LXXVII. §. 15. b) l. c.

urbem summa religione culti, curationibus uteretur, atque ut moris erat, somnia ibi captasse [a]). Istud ipsi Pergamenorum numi luculente confirmant, quorum non pauci Caracallam sistunt, hostias ac vota Aesculapio offerentem [b]). Huc adludit insignis numus aureus editus a Vaillantio, in cujus aversa: P. M. TR. P. XVIII. (perperam XIII. in nova editione Rom.) COS. IIII. P. P. *Imperator paludatus sacrum facit ad aram Aesculapii stantis pro foribus templi.*

3. Serapis quoque eadem de causa observatus a Caracalla, ut ibidem testatur laudatus Dio. Et ferebat palam, se ejus consulendi causa iter Alexandrinum suscepisse. Eo cum venisset, copiosas deo victimas immolavit [c]), quin et pugionem, quem in fratris viscera adegit, in ejus ibi templo ausus est consecrare [d]), haud multo post flammis coelestibus per miraculum absumptum, dum reliquum templum maneret incolume [e]). At quod praecipue huc pertinet, Serapin eundem fuisse habitum cum Aesculapio, quod mederetur aegris corporibus, ejusque dei monitu Vespasianum insignia Alexandriae patrasse miracula restituto oculorum, pedumque usu, diserte docet Tacitus [f]). Qua de causa numen istud saepe veterum phylacteriis illatum conspicimus, cujus generis est pseudonumus laudatus a Seguino [g]), in quo hinc *caput Serapidis*, illinc: ΦΥΛΑΞΕ *in area numi.* Nimirum is teste Aristide [h]) *την μεν δη ψυχην σοφια καθαιρων, το δε σωμα υγειαν διδȣς σωζει, et animam, et corpus servat, illam purgando sapientiae praeceptis, hoc sanitatem conferendo.*

4. Herculem Caracalla se jactavit quoque, quoniam apros excepit prompte ac frequenter, et contra leonem stetit [i]). At quoniam in hoc numo ramum lustralem manu tenet velut Apollo in numo I., facile apparet, hunc quoque a Caracalla pro incolumitate sua in consilium vocatum. Et vero perinde ac Apollo nomine *Alexicaci*, seu *malorum depulsoris* a veteribus cultus est, ut docet Lactantius [k]), et marmor apud Muratorium [l]). Quin et aquas calidas e terra scaturientes omnes Herculi sacras voluerunt veteres teste Athenaeo [m]), unde tot balnea Herculana, quo nomine appellatae etiam fuere thermae insignes in Dacia vetere. Etiam Thermae Siciliae, ut ad harum numos advertimus, fontium suorum auctorem Herculem profitentur. Balnea salutifera, quae ab Hercule nomen acceperunt, omnia fuisse calida, habemus ex Aristophane [n]):

Πȣ ψυχρα δητα πωποτ᾽ εἶδες Ηρακλεια λȣτρα;
Vbi aliquando vidisti frigida Herculana balnea?

Vide, quae plura alia de Hercule Αλεξικακω, et Αποτροπαιω advertit Olearius [o]). Herculem salutarem expertus quoque est Alexander Trallianus medicus. Hanc enim ille diaeteticae regulam praescripsit [p]): *Herculem erectum, suffocantem leonem, in lapidem medicum inscul-*

a) in Carac. b) Vaill. num. Graec. c) Herodian. in Carac. d) Dio L. LXXVII. §. 23. e) Dio L. LXXVIII. §. 7. f) Hist. IV. c. 81. et 84. g) Num. sel. p. 2. h) Orat. in Sarap. T. I. p. 52. i) Spart. c. 5. k) Divin. Instit. L. X. l) Pag. LXII. 9. m) L. XII. p. 512. n) in Nubib. v. 1047. o) ad Philostr. p. 340. p) de Medicam. nat. L. X. c. 1.

pito, et inclusum in annulum aureum gestandum dato. Si fides Laurentio Lydo [a]). Romae τη προ τριῶν νοννων Απριλιων Ηρακλης Επινικιος ἐτιματο, δια ὑγειας δοτηρ. *III. non. April. Hercules victor colebatur, quippe salutis dator.*

5. Sol hic stans typus est Orientis a Severo et Caracalla olim domiti, et quorsum iterum anno sequente profectus est.

6. 7. Sol et luna in suis singuli bigis. Vtriusque astri typo indicari *Aeternitatem Augustam*, et supplicatum utrique fuisse pro salute Severi et Caracallae, satis probavi in numo Severi anni V. C. 955, in cujus antica Severus Solis, Domna Lunae forma proponuntur, quam rationem retinuit Caracalla in numis argenteis majoris moduli cum suis, tum matris Domnae, ut pluribus disseram ad calcem numorum Caracallae. Amabat praeterea comparari Soli propter aurigandi peritiam, ut testatur Dio [b]). Luna boum bigis invecta non infrequens est argumentum in anaglyphis veterum, unde et Nonnus [c]):

> Ταυροφυης, κεροεσσα, βοων ἐλατειρα Σεληνη.
>
> *Tauriformis, cornuta, boum agitatrix Luna.*

etsi equis etiam, quin et mulis fuisse vectam doceant monumenta. Vide Museum Pio. Clement. [d]) et Passerium [e]).

8. Leo. Videri posset, indicari hoc typo leonem, quem secum constanter habebat Caracalla, dixitque *acinacem*, et mensae, lectique consortem fecit, ac publice saepe deosculatus est [f]). At cum privatae vitae ludicra leviora visa fuerint, quam ut monetae Romanae typum possent suppeditare, ac praeterea capite sit radiato, et fulmen deferat, verisimilius videtur, argumentum quoddam astrologicum, et a zodiaco petitum subesse, qualia saepe numi veteres offerunt, praecipue cum idem typus etiam in moneta Alexandri Severi, Aureliani, Probi, Diocletiani occurrat, quae insuper ratio vetat, quo minus et is leo hoc typo notari possit, quem in bello Parthico de improviso silvis emergentem pro se pugnasse ipse in epistola scripsit [g]). Non alienum hoc loco animadvertere, leonem capite radiato esse symbolum cohortium praetorianarum in numo Gallieni inscripto COHH. PRAET.

V. C. 968. P. X. 215.
TR. P. XVIII. COS. IV. P. M. P. P.
PIVS. FEL. GERM. IMP. III.
Laeto II. Cereali cos.

Edito Nicomediae die IV. Aprilis natali suo munere gladiatorio Antiochiam abit quaesitis causis bellum Parthis facturus. Quibus metu perterritis, et statim imperata facientibus Alexandriam proficiscitur, magnamque civium stragem edit. Vide numos.

* * *

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AV.*

---

a) Περι Μηνων in Aprili c. 4. b) L. LXXVII. §. 10. c) Dionys. L. XXIII. v. 309.
d) Tom. IV. tab. XVI. e) Lucern. Vol. I. p. 77. f) Dio L. LXXVIII. §. 7.
g) Dio L. LXXVIII. §. 1.

AR. etiam radiatum in AE. II. radiatum item in AR. majoris moduli.

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XVIII. COS. IIII. P. P. *Imperator paludatus adstante milite cum labaro sacrum facit ante aram Aesculapii stantis pro foribus templi, ad cujus latus stat Victoria cum palma.* AV. (Vaill.)

Aversae typus confirmat, quod ad annum priorem ex Herodiano memoravi, Caracallam apud Pergamum in templo Aesculapii sanitatis recuperandae causa et sacra fecisse, et somnia captasse. Factum istud anno praesente per inscriptum tribunatum XVIII. egregie stabilit numus. Ceterum de Aesculapio vide plura ad annum praecedentem.

* * *

Vt lit. B.

P. M. TR. P. XVIII. IMP. III. COS. IV. P. P. S. C. *Imperator paludatus d. pede crocodilum calcat, s. hastam, ad quem accedit Isis d. spicas, s. sistrum tenens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Hic numus testis est Caracallae in Aegyptum profectionis, institutae, ut de miseris Alexandrinis poenam sumeret, qua atrocior repeti non poterat, si propalam obsequium exuissent. Crimini datum, quod, ut fuere prono ad dicacitatem, et jocos amariores ingenio, non ipsi pepercere imperanti, sed cumprimis fraternam caedem insolentius perstrinxere, matrem quoque Iuliam Iocastam appellantes, quod eam filius velut alter Oedipus violasset. Igitur dissimulata ira, cum urbi appropinquaret, primores civitatis, qui venienti obviam processere, comiter primum excepit, mox edicto, ut oppidani omnes intra domos suas se continerent, vias omnes armatis insedit, tantamque in urbe caedem fecit, ut ne ipse quidem interfectorum numerum perscribere ad senatum auderet. Ejus atrocitatis historici omnes meminere, at prolixius, etsi frequenter in diversa abeant, Dio [a]), et Herodianus. Fingitur in hoc numo Isis adventanti imperatori occurrens, et refert Dio [b]), primos Alexandriae advenienti obviam progressos cum arcanis quibusdam sacris. Ad haec sacra Isidis a Caracalla Romam deportata, et ubique ei magnifica templa facta tradit Spartianus [c]). Crocodilus Aegyptum graphice notat.

Iam vero et chronologiam egregie illustrat numus praesens, qui hunc Alexandriae adventum tribunatui XVIII. adfigit, qui ex mea sententia currebat cum anno V. C. 968. P. X. 215. Tillemontius et ipse quoque discessum a Nicomedia, et caedem Alexandrinam intra annuum spatium concludit, sed haec facta contendit anno sequente V. C. 969. Quo istud pacto verisimile sit, propter rerum adhuc deinceps gestarum copiam non reperio. Sane ex ejus ipsius sententia Caracalla post diem IV. Aprilis V. C. 969 discessit Nicomedia, tum peragrata omni Asia intravit Syriam, et aliquamdiu Antiochiae moratus est. Tum bellum in Parthos paravit, quo

a) L. LXXVII. §. 22. b) l. c. c) Cap. 9.

cedentibus his mox sopito Alexandriam profectus est, eamque intravit. Perspicuum est, propter regionum, quae peragrandae fuere, ingentia intervalla, tum belli Parthici molimina, et pactiones Parthorum, quae, ut fit, commeantibus hinc et inde legatis, temporis non parum absumunt, Caracallam adesse Alexandriae, nisi vergente ad finem anno, non potuisse. At Tillemontio auctore hoc adhuc anno suo V. C. 969 Caracalla Antiochiam revertitur, tum legatos ad Artabanum Parthiae regem mittit, qui filiam ejus sibi in matrimonium peterent. Quo conditionem detrectante Parthorum fines ingressus, captis Arbelis, et Media late vastata exercitum Edessam in hiberna reduxit. Atque haec omnia inde a die IV. Aprilis usque ad proximum hibernorum tempus perfecta constituit Tillemontius. An hae tantae res intra has angustias cogi possunt etiam duce ad res agendas attentissimo, nedum Caracalla, qui multum temporis voluptatibus, ac ludicris impendit? At enim coactus erat vir egregius tot ac tantas res exiguo spatio circumscribere, quod laxare caesus sequente anno Caracalla non sivit. Quare cum teste utroque ad annum praesentem citato numo certe constet, hoc labente factum, ut Caracalla et Pergami esset, et Alexandriae, ejus res gestae sic sunt disponendae, ut statuatur, autumno fere exeunte invisisse Alexandriam, et quae deinceps gesta sunt, in annum sequentem facile ad ea suffecturum trajiciantur. Invicte etiam ab utroque numo refellitur sententia eorum, qui statuunt, hoc adhuc tempore ab Augustis trib. potestatem die natali imperii iterari solitam. Figitur hic ab aliis ante Kalendas Apriles V. C. 951, ab aliis statim post Kalendas Iunias ejusdem anni. Ergo anno V. C. 969 P. X. 216 usque ad Aprilem, secundum alios usque ad Iunium currebat tribunatus XVIII. deinceps XIX. Prior de Aprili sententia jam ultro corruit: nam numus eum intrasse Alexandriam testatur in tribunatu XVIII., qui jam exivit, cum adhuc Nicomediae haereret. Si eum iteravit in Iunio, necesse est, inde a die IV. Aprilis usque ad initium Iunii Caracallam a Nicomedia pervasisse omnem Asiam, Syriam, venisse in Aegyptum, nunciatum istud Romam, a monetariis confectas matrices ejus adventum Alexandriae testantes, nimirum antequam exspiraret tribunatus XVIII. et inciperet XIX.

V. C. 969. P. X. 216.
TR. P. XIX. COS. IV. P. M. P. P.
PIVS. GERM. IMP. III.
C. Atio Sabino II. Cornelio Anulino cos.

Caracalla ex Aegypto Antiochiam reversus Artabani Parthorum regis filiam in matrimonium petit. Quo negato Euphratem transgressus Mediam invadit, Arbela capit, caedem ubique et incendia circumfert, post haec Edessam in hiberna redit. Abagarum Osrhoenorum regem fraude in colloquium pertractum in vincula conjicit, ejusque regnum occupat, quod factum forte anno praecedente a).

a) Dio, Herodianus, Spartian.

* * *

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AV. et AR., radiatum in AR. maj. mod. et in pluribus AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AE. I.*

C. M. AVR. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum, vel radiatum in AE. II.*

* * *

De partibus aversis numorum hujus anni actum ad annum V. C. 967, nam argumenta fere eadem continent, nisi quod nunc TR. P. XVIIII. inscribitur.

V. C. 970. P. X. 217.

TR. P. XX. COS. IV. P. M. P. P. PIVS. GERM. IMP. III.

C. Bruttio Praesente, T. Messio Extricato II. cos.

Bellum in Parthos parat, qui magno cum exercitu ad vindicandam anni prioris injuriam aderant. Edessa Carrhas profectus, ut inviseret celebre ejus loci templum Luno sacrum, per iter a Martiale evocato instigante Macrino praefecto praetorio interficitur die VIII. Aprilis anno aetatis XXIX. die IV. secundum Dionem [a]), nam, ut ibidem addit, natus fuit die IV. Aprilis. Spartianus ipsis Megalensibus caesum dixit, et quidem die VI. Aprilis, quem addit fuisse quoque ejus natalem [b]). Coepere Megalenses die IV. Aprilis, et durabant dies IX. At malim hac in causa sequi Dionem.

Cum in pueritia moderatum sese, affabilem, alienum a severitate etiam justa palam ferret, omnibus, qui talem eum novere, mirum visum, tam immanem eum, cum pueritiam egressus est, et abnormem belluam evasisse. Factum istud calliditate ingenii censet Spartianus, aut quod Alexandro M. similis videri voluit, cujus non quidem virtutes, sed vitia non animi minus, quam corporis servilem in modum est imitatus, ut amplius dicetur in ejus consecrati numis. Ferum animum ne patre quidem vivo celare valuit, a cujus reverentia ac metu ut sese liberaret, eum in Britannia seu per insidias, seu seditionem interimere aliquoties tentavit. Et patuit tum, qui omne in patrem obsequium exuit, in fratris caedem fore promptiorem, quem quanta crudelitate, in omnem etiam ejus domum propagata sustulerit, dictum ad annum V. C. 965, et infra in Geta dicetur. Huic si addatur rabies Alexandrina, memorata ad annum V. C. 968, quam levissima causa excitavit, satis perspicimus, nihil fuisse tam sacrum, atque religiosum, quod non ausus esset sanguine polluere, ex quo de reliquis ejus caedibus velut per ludum peractis facile erit judicare. Non sufficiente ejus cupiditati aerario cum propter insanos sumptus in spectacula factos, tum quod militem locupletare necesse fuit, sive ut caesum Getam patienter ferret, sive ut propter insidiarum metum in officio retineret, in omnium impune civium bona involavit, palam increpans, ad se unum orbis divitias

a) L. LXXVIII. c. 6. b) Cap. 6.

pertinere, quas nempe militibus largiretur, ferturque matri donativorum copiam, ac frequentiam culpanti, dicentique: jam brevi nullum pecuniae conficiendae modum reliquum fore, seu justum, seu injustum, respondisse: bono animo es, mater, nam nobis, quamdiu hunc habebimus (ostentabat gladium) pecunia non deerit [a]). Tanta vero foedae perfidiae argumenta orbi universo dedit, ut nemo deinceps etiam dejeranti, ac superum fidem testanti crederet, ac propterea exteris etiam nationibus invisus esset, ac despectus. Caesi cadaver crematum, ossa Romam invecta, et in monumento Antoniniano condita sunt.

Vxor *Plautilla*, de qua infra.

* * *

A. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AV. et AR., radiatum in AR. maj. mod. et nonnullis AE. II.*

B. M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum in AE. I. II.*

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. XX. COS. IIII. P. P. *variis typis, de quibus egi supra ad annum V. C. 967*, in omni metallo ac forma.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. XX. IMP. III. COS. IIII. P. P. S. C. *variis typis.* AE. I. II.

Vt lit. A.

VIC. PART. P. M. TR. P. XX. COS. IIII. P. P. *Imperator paludatus stans d. globum, s. hastam coronatur ab adstante Victoria, pro pedibus captivus sedens.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

Eadem epigraphe. Victoria armis insidens clypeum tenet, cui inscriptum: VOT. XX, juxta tropaeum cum duobus captivis humi sedentibus. AV. AR. (Mus. Caes.)

Caracalla vastata impune Parthia (nam imparatos praeter opinionem invaserat) in Mesopotamiam reversus literas ad senatum dedit, quibus significaverat, subactum a se Orientem. Quare senatus, etsi gnarus mendacii, metu tamen cunctos illi victoriae honores decrevit [b]). Quare et numi praetensae hujus victoriae Parthicae ergo signati.

Alter numus praeterea vota XX. hoc anno soluta prodit.

Numi vagi.

ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

FELICIA. TEMPORA. *Quatuor puelli cum attributis totidem anni vices indicantibus.* AR. (Mus. Caes.)

Similem typum jam indicavimus in numis Annii Veri.

* * *

Eadem adversa.

FELICITAS. SAECVLI. S. C. *Severus, Domna, Caracalla, Geta sedentes in substructione, inferne figura stans, quae dexteram vasi, quod pegmate sustinetur, applicat.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numus totam familiam tum regnantem complectitur, et quidem Domnam etiam imperantibus mixtam, novo arrogantiae testimonio jam ex ejus moneta

---

a) Dio L. LXXVII. §. 10. b) Herodian.

cognitae. Exstat etiam similis Getae signatus intra annos 958. 960, suntque hi numi haud dubie synchroni.

* * *

Antica incerta.

FELICITATEM. ITALICAM. *Mulier stans cum caduceo et cornucopiae.* AR. (Mus. d'Ennery.)

Singularis in hoc numo enunciandi modus in accusandi casu.

* * *

Numi reliqui: PACATOR. ORBIS. — RECTOR. ORBIS. — RESTITVTOR. VRBIS. — SAL. GEN. HVM. — VIRTVS. AVGG. etc. qui plerique jam ex moneta patris Severi cogniti sunt. Ceterum Caracallae numi facile suis tribui annis possunt ope lineamentorum vultus, sic ut his ducibus vix uno alterove anno fallare. Numi Caracallae cum ordine chronologico digesti sunt, aetatis progressum, per singulos annos praeclare demonstrant.

Divus Caracalla.

De Caracalla consecrato haec Dio a): *Senatores omnes et privati, tam mares, quam feminae, vehementissime ipsum oderant, ita ut in eum, velut in hostem infensissimum et dicerent quaevis, et facerent. At vero nulla ex S. C. infamia notatus fuit, quod milites, cum pacem, quam se a Macrino speraverant accepturos, consecuti non essent, iis vero praemiis fraudarentur, quae ab illo acceperant, rursus Antoninum desiderarent, qui, militibus postea id evincentibus, inter deos adeo relatus est, accedente nimirum senatus consulto.* At Spartianus declamantis more b): *Hic tamen omnium durissimus, et ut uno complectamur verbo, parricida et incestus, patris, et matris, et fratris inimicus a Macrino, qui eum occiderat, timore militum, ac maxime praetorianorum inter deos relatus est. Habet templum, habet salios, habet sodales Antoninianos qui Faustinae templum, et divale nomen eripuit. etc.* Vide etiam Capitolinum in Macrino c). Tamen ejus consecrati memoriam saepe deinceps fuisse neglectam, jam dixi in numis divi Commodi.

DIVO. ANTONINO. MAGNO. *Caput nudum.*

CONSECRATIO. S. C. *Rogus.* In aliis: *Aquila.* AR. AE. I. (Mus. Caes. Vaill. Mus. Farnes.)

Nihil in his novi, praeter titulum *Magni.* Ejus adsciti causam suppeditat Victor alter: *Corpore Alexandri Macedonis conspecto MAGNVM atque ALEXANDRVM se jussit appellari, assentantium fallaciis eo perductus, ut truci fronte, et ad laevum humerum conversa cervice, quod in ore Alexandri notaverat, incedens fidem vultus simillimi persuaderet sibi.* Praeter tituli hujus causam alia etiam egregia docet hoc testimonium, nimirum *trucem frontem*, et *ad laevum humerum conversam cervicem*, qui habitus in plerisque ejus signis hodie superstitibus ad amussim observatur. Nempe eum artifices finxerunt talem, qualis videri voluit; nam Iunio cuipiam Paulino dedit IIS. decies, quod dixerat, eum irascenti similem esse, quoniam ad speciem vultus iracundioris se

a) L. LXXVIII. §. 9. b) Cap. 11. c) Cap. 6.

quodammodo componeret [a]). Docet etiam, hunc fuisse habitum statuarum Alexandri, ut revera illae saltem respectu cervicis inflexae consentiunt, quali est eximia ejus protome marmorea in praestantissimo museo M. Ducis. Cum numis, et Victore conspirant etiam marmora, inter quae memorabile, quod vulgavit Fabrettus [b]): MAGNO. IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. AVGVST. etc. In alio apud Muratorium [c]): ACCENS. VEI. (forte VEL.) FLAM. DIVI. MAGN. ANTON., in quo habes et flaminem divi Caracallae. In fragmento Arvalium Romae nuper reperto dicitur Elagabalus DIVI. MAG. ANTONINI. FIL. Denique Paulus I. C. tit. III. de adulterio: *Magnus Antoninus pepercit eis, qui adulteros inconsulto calore ducti interfecerunt.* Quibus adde duas columnas milliarias, in quibus Elagabalus, et Alexander Sev. dicuntur DIVI. ANTONINI. MAG. filii [d]). Haec testimonia si ante oculos habuisset Muratorius, non sane solicitasset in laudato suo marmore vocabulum MAGN., cum pro hoc legendum MARC., et intelligi M. Aurelium Antoninum in subjecta nota profiteretur. Ceterum de insano Caracallae in Alexandrum M. adfectu incredibilia narrat Dio [e]), nimirum complures ei statuas cum in castris, tum urbe collocasse, comparasse phalangem decem et sex millium ex solis Macedonibus conflatum, eum Orientalem Augustum appellasse, et scripsisse aliquando ad senatum, Alexandrum in suum ipsius corpus rursum subintrasse etc. Ad haec testatur Herodianus coaevus [f]), vidisse se imagines nonnullas ridicule depictas, quae uno corpore duas facies praeferrent, Alexandri, et Caracallae. Quo cognito ejus in veterem hunc regem adfectu cudisse Macedonas numos aeneos cum Alexandri imagine, dixi in numis Berrhaeae Macedoniae, quo loco plura huc pertinentia notata reperies.

Numi commatis peregrini.

Hujus generis infinita est copia tam *urbium liberarum*, quam *coloniarum*, de quibus hoc loco aliud distinctius monendum non occurrit.

De numis argenteis majoris moduli commatis Romani.

Nova imperante Caracalla monetae argenteae ratio incipit. Ordinariam pondere et volumine excedit, an et puritate metalli praestet, non satis mihi compertum. Vt in numis ordinariis argenteis caput Augusti perpetuo est laureatum, sic in his constanter radiatum, quin et hoc cultu est caput Diadumeniani, etsi Caesar tantum in iis appelletur. Augustarum caput semper impositum lunae, quod in aliis nunquam, aut nonnisi per casum extraordinarium, prout in numo Severi anni V. C. 955, hac regula in unico, quos viderim, Domnae numo fallente, qui est in museo Caesareo inscriptus: VENERI. GENETRICI. Typos habet eosdem, quos argentei alii. Coeptos signari sub Caracalla,

a) Dio L. LXXVII. §. 11. b) Col. Traj. p. 286. c) Pag. 1067. 4. d) B. L. Hist. T. XXI. p. 70. 7. e) L. LXXVII. §. 7. f) in Carac.

eo certum, quoniam ejus generis in Severi, et quae hoc adhuc imperante repudiata fuit, Plautillae moneta non habentur. Etiam hujusmodi Getae deficiunt. Primi, qui notam chronologicam offerunt, exhibent Caracallae tribuniciam potestatem XVIII., hac priorem gaza Caesarea non habet. Sunt etiam Domnae, nempe per filii imperium signati. Ad quod non advertit Bimardus, qui cusos id genus numos jam sub Severo dixit [a]), deceptus haud dubie, quia hujus commatis numos cum capite Domnae viderat; at in his capienda non est Domna Severi uxor, sed Caracallae mater. Neque per Caracallae mortem modus hic abolitus; nam duravit in imperia Macrini, et Elagabali successorum. Macrini exstant non pauci, rariores Diadumeniani, Elagabali complures; ex ejus aetatis feminis Maesae, et Anniae Faustinae similes ostentat museum Caesareum, et Elagabali quidem postremi sunt cum trib. potestate II. Tamen, quod observandum, non cessavere interea argentei ordinarii, et multo majore quidem copia feriri. Non observantur sub imperio Alexandri, Maximini et priorum Gordianorum, at resumptus mos sub Balbino, et Pupieno, ac praecipue Gordiano III., sub quo frequentissimi sunt novi hujus instituti numi, et duravit illud, dum res monetaria pessum ire coepit. Factum exposui, at novi moris causam me ignorare profiteor.

Nomina Caracallae.

Bassianus. Hoc nomen illi adhuc puero et privato fuit, inditum ex nomine avi materni [b]), duravitque, donec ab intrusa Antonini appellatione extruderetur. Peracta ejus caede per commune omnium odium Bassianus rursum contemptim dici coepit [c]). Verum in monumentis publicis nomen istud seu nativum, seu contumeliosum non legitur.

M. Aurelius Antoninus. Illustre hoc nomen filio pro obscuro Bassiani indidit Severus, cum eum Caesarem apud Viminacium appellavit, ut refert Spartianus [d]), quod factum diximus V. C. 949. Datae ejus appellationis frivolam causam adfert, quod somniaverat pater Antoninum sibi successurum, quam repetit quoque Lampridius [e]). Spartiani verisimilior altera est, quoniam Severus ipse in Marci familiam transire voluit, nimirum ut sibi, atque imposita filio Antonini appellatione plus auctoritatis, atque existimationis publicae accresceret, de quo prolixius egi in Severo V. C. 948 ad numum: DIVI. M. PII. F. Quanta vero fuerit ea aetate superstitio nominis Antoniniani, abunde docet Lampridius [f]).

Severus. Nomen istud, utut a patre hereditarium, neque scriptores, neque numi Latini Caracallae adstruunt. Tamen in numis Graecarum urbium frequenter dicitur CΕΟΥΗΡΟC, ut et in marmoribus Latinis [g]).

Pius. Hoc illi nomen cum patre, et fratre commune. (Vide Severum.) Eo in numis uti coepit anno demum V. C 954. In numo Graeco ΠΕΙΟC [h]).

Felix. Hunc titulum collegit a Com-

a) ad Iobert. T. I. p. 60. b) Victor alter in Carac. c) Dio L. LXXVIII. §. 9. d) in Sev. c. 10. e) in Diadum c. 6. f) l. c. g) Gruter. p. 267. 7. h) Pellerin Mel. II. p. 151.

modo, suo per fictam adoptionem patruo, etsi eo pater nunquam usus est. Illum numi in annum V. C. 966 differunt. At maturant marmora, et quidem jam cum trib. potestate III. in Muratoriano [a]).

Semnos. In numo coloniae Cassandreae Macedoniae apud Wilde [b]): ATT. C. M. ANTΩNINOS. SEMNOS. mixtis barbare vocibus literisque cum Graecis, tum Latinis. Est autem a Graeco Σεμνος, *venerabilis*, quod nomen Gordiano Africano seniori in numis Alexandrinis datur.

Arabicus, *Adjabenicus.* Praedicasse Caracallam hos titulos, nempe per victorias patris, docent Spartianus [c]), et marmora, inter quae Gruterianum [d]). Sed in numis perpetuo negliguntur.

Parthicus Maximus dictus cum patre ex altero in Parthos bello, eoque uti coepit V. C. 953, sed in parte tantum numorum aversa, et post triennium in numis neglectus, ut dictum. Ex bello Parthico, quod ipse sub vitae exitum per se gessit, *Parthicum* appellatum, adfirmat Spartianus [e]). Ejus aevi numi victoriam quidem Parthicam crepant, sed titulum *Parthici* reticent.

Britannicus. Hunc titulum cum patre capessivit V. C. 963, verum triennio post coepit praevalere nomen Germanici, ac mox plene exspiravit.

Germanicus. Comparet primum in numis tribunatu XVI. notatis, qui fluxit cum anno V. C. 966. Ejus capti causam reticuere scriptores. Verisimile est, quoniam hoc anno commoratum eum in Gallia constat, aliquid ipsi rei cum vicinis Germanis fuisse, atque ex levi victoria hunc titulum per vanitatem captum. Teste Spartiano Germanici nomen patre adhuc vivo fuerat consecutus [f]). Verum istud ignorant numi et marmora, et cum non constet, Caracallam seorsim a patre bellum gessisse, aut ullum cepisse ex victoriis titulum, nisi quem pater ipse cepit, et cum eo communicavit, videtur errasse ipse Spartianus, cum pro *Germanicus* scribendum esset *Britannicus.* Ceterum operae pretium non videtur, adsciti hujus nominis causam anxie rimari, si audiamus Spartianum haec de eo memorantem, *cum Germanos subegisset*, *GERMANICVM se appellavit vel joco*, *vel serio*, *ut erat stultus et demens*, *asserens*, *si Lucanos vicisset*, *Lucanicum se appellandum.*

Alemannicus. A victis Alemannis fuisse eum *Alemannicum*, refert Spartianus [g]), sed monumenta publica hactenus cognita hunc titulum non jactant.

Sarmaticus Maximus. Nomen obiter tantum memoratum a Spartiano [h]), a monumentis item extorre. Illud si verum, videtur Sarmatas per legatos vicisse.

Magnus. Vide hujus tituli causam supra in numis consecrationis.

Haec nomina Caracallae aut serio, aut honoris causa imposita memorantur. Fuere autem et alia diasyrtica, quae paucis commemorare juvat.

Caracalla, secundum alios *Caracallus.* De hoc nomine Dio auctor idoneus [i]): *Quoddam singulare genus vestimenti barbarico more incisum, et consutum in lacernae modum invenit, quo et ipse frequentissime utebatur*, *ita ut idcirco CARACAL-*

---

a) Pag. 347. 2. b) Sel. num. tab. XX. c) in Carac. c. 10. d) Pag. 267 7. e) in Carac. c. 6. f) in Carac. c. 6. g) Cap. 10. h) in Geta c. 6. i) L. LXXVIII. §. 3.

LVS diceretur, et milites potissimum induere jussit. Et Spartianus [a]): *Ipse CARACALLI nomen accepit a vestimento, quod populo dederat demisso usque ad talos, quod ante non fuerat, unde hodieque Antoninianae dicuntur Caracallae hujusmodi, in usu maxime Romanae plebis frequentatae.* Teste altero Victore talarem hujus formae vestem e Gallia devexit. Monumenta publica hoc nomine abstinent, uti et

Getici Maximi, et Taranti. Illud reperit Helvius Pertinax Pertinacis Aug. filius. Nam cum Caracalla varios victarum gentium titulos adscriberet, dicitur is joco dixisse: *adde, si placet, etiam GETICVS MAXIMVS*, adludens ad Getae caedem, et victoriam de Gothis, seu Getis, quos, cum in Orientem transiret, tumultuariis praeliis devicerat [b]). Et vero eodem hoc sensu magis ob caesum *germanum* fratrem, quam devictos Germanos *Germanicus* meruit appellari. *Tarantus*, quo nomine saepissime eum afficit Dio, dictus ex nomine cujusdam gladiatoris, et statura pusilli, et forma foedissimi, et una sanguinarii [c]).

Pater patriae.

Numi hujus tituli mentione abstinent quamdiu pater vixit. Hoc mortuo continuo *Patris Patriae*, et *Pontificis Max.* nomina adlegit. Verum sunt marmora, quae ei vivo adhuc patre hunc honorem deferunt, velut epigramma auctoritatis publicae exstans in arcu Severi supra ad annum V. C. 957 descriptum, quo docemur, eum in tribunatu VI., et cum annum aetatis XVI. ageret, hoc jam elogio fuisse ornatum. At neminem turbet hic ejus arcus parachronismus; nam quo loco nunc leguntur literae P. P., olim scriptum erat vocabulum ET, sequentibus Getae fratris titulis, quibus erasis, ut aliquis tamen epigrammati sensus constaret, suffectae sunt literae P. P. nempe titulus Caracallae quidem debitus tum, cum fratrem occidit, at non tum, cum arcus positus fuit.

Imperator.

Mediobarbus Caracallam jam in trib. potestate X. imperatorem II. facit, sed nequaquam istud ex testimonio numorum, quorum is nullum ad hunc annum cum hoc titulo recitat, et videtur hausisse istud ex marmore Gruteri [d]), in quo Caracalla dicitur TR. POT. X. IMP. II. COS. III. DES. Eodem titulo ornatur in tribunatu XIII. apud Gruterum [e]), item in tribunatu XIV., ac tum adhuc est IMP. II. Denique IMP. III. dicitur in trib. potestate XVII. forte ex victoria de Alemannis, neque deinceps amplius, docentibus istud luculente numis, hunc honorem iteravit. Cum numis conspirat illustre marmor arvale apud Marinium [f]).

---

a) in Carac. c. 9. b) Spartian. in Carac. c. 10. et in Geta c. 6. c) Dio L. LXXVIII. §. 9. d) Pag. 150. 5. e) Pag. 265. 3. f) Frat. arv. p. 508.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	R.
Argentei	C.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Argentei urbium liberarum	R.
Aenei urbium, et coloniarum	C.
Alexandrini	RRR.

FVLVIA PLAVTILLA.

Fulvia Plautilla minus suis aut virtutibus, aut vitiis, quam suo patrisque exitio cognita. Erat hic Plautianus praefectus praetorio, natione Afer, in quem tam impenso adfectu ferebatur Severus, ut praeter collatos omnis generis honores immensis etiam opibus hominem obrueret, nihil absque eo ageret, nihil petenti negaret, atque omnem fere potentiam a se in eum unum conferret. Qua ille fortunae magnitudine stolide ferox involare in bona civium, viros illustres, qui propter claritatem obstare sibi videbantur, e medio tollere, incredibili arrogantia sese supra omnes efferre, sic ut non dubitaret, Domnam ipsam, et Caracallam indignis modis tractare. Gloriae fastigium adsecutus videbatur, cum Severus V. C. 955 ejus filiam Plautillam, de qua agimus, Caracallae filio uxorem dedit, quo tempore tantum pater pretiosae supellectilis sponsae filiae erogavit, quantum teste Dione, qui haec omnia coram vidit, reginis quinquaginta satis fuisset [a]). Verum tanta haec felicitas aevum non tulit. Nam comperto Caracallae iniquo adversum se, et filiam animo, quam invitus duxerat, et male sibi ab hoc post Severi obitum metuens perniciosa in utrumque Augustum coepit moliri consilia, si Herodiano credimus, aut in suspicionem a Caracalla est adductus, ut prodit Dio. Vocatus igitur in palatium hoc jubente, neque impediente Severo confossus est V. C. 956. Est apud Gruterum marmor illustre [b]): HERCVLI. INVICTO. ET. DIBVS. OMNIBVS. DEABVSQ. SACRVM. PRO. SALVTEM. IMP. L. SEPT. SEVERI. ET. M. AVRELIO. CAESARI. AVG. NN. ET. (sequuntur erasa tria Plautiani nomina) C. V. PR. PR. Ex quo manifeste colligas, hominem impotentem publico odio perinde flagrasse, atque olim Sejanum, cum post eorum ruinam ne nominibus

a) L. LXXVI. §. 1. b) Pag. 46. 9.

quidem, quae monumenta publica praeferebant, parceretur. Marmora alia, ex quibus erasum Plautiani nomen, collegit cl. Fontaninus in suis Antiquitatibus Hortae, sed in nonnullis eum fefellisse, erudite demonstravit Camillus Silvester in epistola ad Philippum Turrium a). Plautilla deportata in Siciliam, et tantisper liberaliter habita, ut ait Herodianus, at secundum Dionem relegata in Liparam in rerum etiam necessariarum inopia vixit. Caeso Geta eam Caracalla in hac sua calamitate omnia metuentem interfici jussit V. C. 965 b). Feminam fuisse impudentissimam, refert Dio c).

Dionem inde a principio libri LXXVI. Plautiani, et Plautillae historiam complexum si sequare, perexiguum tempus, et forte pauci tantum menses inter Plautillae nuptias, et exilium videntur intercessisse. At longius intervallum videtur deposcere copia numorum Plautillae non modo in urbe, sed majore adhuc numero per remotissimas provincias signatorum. Sane longiorem moram manifeste exigit numus Plautillae apud Gazam Iudaeae signatus cum anno aerae ΔΞC, quem edidere Vaillantius, et Norisius d). Coepit haec anno V. C. 693, ergo numus praesens signatus est ab autumno V. C. 956. Quare cum nuptiae Plautillae actae fuerint V.C. 955, ut in Severo ad hunc annum demonstravimus, sequitur, saltem integri fere anni spatium inter nuptias, et exilium interponendum.

Liberi. Non poterat infaustum hoc matrimonium esse fecundum, cum teste Herodiano Caracalla inde a principio has nuptias aversatus neque communi cum Plautilla toro, neque mensa uteretur. Froelichius cum ex loco Herodiani dubiae lectionis, tum ex inscriptionibus Graecis Ephesi repertis probare adnisus est, natos esse ex hoc matrimonio filium unum Hadrianum, filiasque duas Fadillam, aliamque anonymam e). Verum praeterquam quod debiles omnino eae sunt coniecturae, obstat non modo laudatum Herodiani testimonium, verum etiam tempus ipsum, quod propter consecutum mox dissidium vix uni enitendae proli poterat suffecisse, quod ipsum jam ante me advertit Fabricius ad Dionis L. LXXVI. §. 34. Froelichio sic opinandi causa fuit Politianus, qui locum Herodiani L. III. c. 13. sic vertit: *at Severus ipsam* (Plautillam) *pariter cum filiolo, quem pepererat, relegavit in Siciliam*, cum tamen textus Graecus diserte sic habeat: ὁ δε Σεβηρος ἀυτην τε ἐκεινην και τον ἀδελφον ἀυτης ἐις Σικελιαν ἐπεμψεν, quam lectionem praefert etiam Herodiani insignis codex MS. bibliothecae Caesareae. Pellerinius, qui Froelichii causam rursum tuendam suscepit proposito numo *Hadriani Getae* appellatione inscripto f), de quo agetur infra in nominibus Getae, iisdem facile argumentis, quibus Froelichius, refellitur.

Spartianum, qui aliquoties Elagabalum Caracallae filium dixit g), in hujus vita in judicium vocabo.

a) Raccolta di Calogera Tom. II. p. 65. b) Herodian. Dio L. LXXVI. §. 6. c) l. c. §. 3. d) Epoch. Syromaced. e) IV. Tentam. p. 454. seq. f) Rec. Tom. III. p. XIII. g) in Carac. c. 9. et 11.

A. PLAVTILLA. AVGVSTA. *in AV. AR. AE. I. II.*
B. PLAVTILLAE. AVGVSTAE. *in AV. et AR.*
C. PLAVTILLA. AVG. *in AR.* (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. B.

ANTON. P. AVG. PONT. TR. P. V. COS. *Caput Caracallae laureatum. AR.* (Vaill.)

Nuptiarum tempus ex tribunatu Caracallae V. egregie definit hic numus, de quo vide plura in moneta Caracallae ad annum V. C. 955.

* * *

Vt lit A. et B.

CONCORDIAE. AETERNAE. *vel*: CONCORDIA. FELIX. *Caracalla et Plautilla stantes jungunt dexteras.* AV. AR. (Mus Caes.)

Numos non semper adserere, quod verum est, sed quod concipiunt vota seu sincera, seu ficta, hoc loco affatim docemur. Tam parum concors fuit Caracalla cum uxore, quam cum fratre Geta, et tamen hujus quoque numi *concordiam* crepant.

* * *

Vt lit. A.

PIETAS. AVGG. *Mulier stans d. hastam, s. infantem in sinu gestat.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Hos forte numos, nam alii Plautillae mihi incomperti, ob oculos habuit Pellerinius, cum adseruit: *patere ex numis Plautillae, eam re ipsa plures proles enixam* a), quod mox supra refutavimus. Haec aversa, quae saepe in numis Augustarum inde a Trajano comparet, plerumque indicat harum *pietatem*, qua puellas alimentarias complexae sunt, ut saepe observatum.

* * *

Vt lit. B.

PROPAGO. IMPERI. *Caracalla, et Plautilla stantes jungunt dexteras.* AV. AR. (Vaill. Mus. Caes.)

Nimirum *propago imperii*, quae a Severo per utriusque conjunctionem sperabatur, etsi secus caderet.

Numi commatis peregrini:

Vrbium liberarum numi Graece inscripti permulti editi sunt, quorum plerosque vide penes Vaillantium. Horum ope novimus, quod numi Latini reticent, Plautillae praeterea nomen fuisse *Fulviae*, nam plerumque addunt ΦΟΥΛΒΙΑ, quod nomen haud dubie paternum fuit. Nam hunc dictum *Fulvium Plautianum*, manifeste colligitur ex collatis binis Spartiani locis. Cum enim narrasset in Severo b): *Plautianum ad occupandos Nigri liberos misit*, idem factum in Nigro his verbis refert c): *misit* Severus *Fulvium ad occupandos Nigri filios*, quo *Fulvium Plautianum* aperte tenemus. Accedit, teste Herodiano Plautianum non modo Afrum, et municipem Severi fuisse, sed etiam ex aliquorum sententia ei consanguinitate junctum d). At Severus Fulvium quoque, ac Fulviam in majoribus suis habuit teste Spartiano e). Denique Fulviam gentem invicte comprobat marmor

a) l. c. b) Cap. 6. c) Cap. 5. d) in Carac. e) in Severo sub init.

editum a Fontanino in Antiquit. Hort., et restitutum a Morcello [a]), in quo Plautilla dicitur FVLVIA. PLAVTILLA. AVG. FILIA. L. FVLVII. PLAVTIANI. Eadem nomina praefert vetus tegula apud Marinium [b]), sed in qua praenomen habet Caii: OP. DOL. EX. PR. C. FVLV. PLAVT. PR. PR. C. V. In numo Aegirae Achaiae legitur ΦΟΥΛΒΙΑΝ. CЄΒΑCΤΗΝ. omisso Plautillae nomine [c]). In numo Alindae Cariae apud Haymium Plautilla dicitur NЄA. ΘЄA. ΗΡΑ. Harduinus eam ex numo Gabalae Syriae vocat ΙΟΥCΤΑΝ. ΦΟΥΛΟΥΙΑΝ ΠΛΑΥΤ. Ait, numum esse in museo Mediceo [d]), sed quem non memini ibi a me conspectum.

Coloniarum numi pauci exstant, et horum plerique signati apud Corinthum, quos vide indicatos a Vaillantio, et Pellerinio.

Alexandrini utrum exstent, mihi incompertum.

PRETIVM.

Numi Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei	C.
Argentei max. mod.	O
Aenei I. formae	RRRR.
Aenei II. formae	R.
Aenei III. formae	O.

Numi commatis peregrini. Vide mox dicta.

L. vel P. SEPTIMIVS GETA.

Natus patre Severo adhuc privato, matre Domna apud Mediolanum VI. Kal. Iun. Severo et Vitellio cos., ut visum Spartiano [e]). Tillemontius annum V. C. 942 P. X. 189 eruit, sed difficili et incerto, quod ad annum diemque attinet, criterio [f]). Geta dictus est ex nomine avi paterni, vel patrui [g]). Patrem Severum, postquam remotis aemulis unus imperium obtinuit, in Orientem ad bellum Parthicum consectatus, quo tempore frater Caracalla *Augustus* dictus est, ipse volentibus militibus, et mox patre senatuque adprobante *Caesaris* titulum abstulit V. C. 951 [h]).

a) de Stilo inscript. p. 88. b) Frat. arv. p 620. c) Sestini Lettere T. V. p. XIX. d) Num. illustr. sub *Gabala.* e) in Geta c. 3. f) Nota VI. in Sever. g) Spartian. in Geta c. 2. h) Spartian. in Sev. c. 16. et in Geta c. 5.

V. C. 951 — 957. P. X. 198 — 204.
CAESAR. PONT. PRINC. IVVENT.

Aetate Getae rebus agendis nondum matura nihil per hos annos memoratu dignum occurrit. Numi intra hoc tempus signati communes plerumque cum Severi et Caracallae numis typos habent, cumque de paucissimis certum judicium ferri possit, cui anno ex omni hoc septennio singuli tribui debeant, eos confertos, missis de ordine chronologico conjecturis, commemorare hoc loco lubet. Ceterum ut in Caracalla, sic et in Geta ad explorandam numi verisimilem aetatem non parum conferent lineamenta vultus aetatis progressum indicantia.

* * *

A. L. SEPTIMIVS. GETA. CAES. *Caput nudum in AV. AR. AE. I.*
B. P. SEPTIMIVS. GETA. CAES. *Caput nudum, in AV. AR.*
C. P. SEPT. GETA. CAES. PONT. *Caput nudum, in AV. AR. AE. II.*
D. GETA. CAES. PONTIF. *Caput nudum, in AV. AR.*
E. L. SEPT. GETA. CAES. PONT. *Caput nudum, in AV. AR.*

* * *

Vt lit. C.

AETERNIT. IMPERI. *Capita laureata Severi et Caracallae se respicientia.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

ANTONINVS. AVGVSTVS. *Caput Caracallae laureatum.* In aliis: IVLIA. AVGVSTA. *Caput Domnae.* AV. AR. (Mus. Caes.)

De numis similibus, qui imperantem tum familiam sistunt, actum est in Severo ad annum V. C. 954, quo et praesentes Getae signatos suspicor.

Vt lit. C.

DII. PATRII. *Hercules et Bacchus stantes cum suis singuli attributis.* AE. II. (Beger Thes. Br. T. II. p. 705.)

Similem aversam recitavimus in Caracalla ad annum V. C. 957.

Vt lit. C.

LIBERALITAS. AVGVSTORVM. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Ad communem aliquam liberalitatem domus Caesareae a patre imperatam referendus numus.

Vt lit. B. et C.

NOBILITAS. *Mulier stans d. hastam, s. Victoriolam.* AR. Q. AE. II. (Mus. Caes.)

Nobilitatem etiam Commodus in moneta sua jactavit, ut vidimus ad annum V. C. 939, sed Commodus ex vero, prognatus parentibus Augustis, Severi nobilitas intrusa, ut dictum in hoc ad annum V. C. 948. Vide, quae dicentur infra ad titulum *Caesaris.*

Vt lit. C.

PRINC. IVVENTVTIS. *variis typis.* AR.

Vt lit. B.

SAECVLARIA. SACRA. *Sacrificium.* AE. max. mod. (Mus. Farnes.) AE. II. (Patin numi Impp.)

Numi hi ad annum V. C. 957 pertinent, quo ludi saeculares acti, de quibus vide plura in Severo ad hunc annum.

Vt lit. A.

SEVERI. PII. AVG. FIL. *Instrumenta pontificalia.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Similis aversae inscriptio exstat quoque in numis Caracallae cum Caesaris, tum Augusti. Ad pontificatum Getae ad-

ludit typus, etsi in numo vox PONT. absit.

Vt lit. C.

SEVERI. INVICTI. AVG. PII. FIL. *Protome Getae capite radiato d. sublata.* AV. (Mus. Caes.)

Singularis sane typus. Geta Solis cultu propositus, quod arguit caput radiatum, et dextera elata, quod docentibus numis obviis Soli proprium, aut, quod idem est, Orienti, qui iisdem cum Sole attributis fingitur, quem circum haec tempora Severus devicit, ex quo *Invicti* titulum in hoc numo propositum abstulit. Quae causa fuerit filii hoc Solis habitu proponendi, qui nimirum Severo per arduum hoc in Oriente bellum opem tulerit.

V. C. 958. P. X. 205.
CAESAR. COS. PRINC. IVVENT. PONT.
Exspirat praenomen LVCII retento PVBLII.

Consul conlega fratre consule II. procedit.

Animadvertendum, in numis Getae, postquam consulatum inivit, non semper notari consulatum. Istud certum fit ex oris lineamentis, quae provectiorem aetatem arguunt, quam ut ante annum praesentem feriri potuerint. Quare haec quoque in consilium vocanda.

* * *

A. P. SEPT. GETA. CAES. PONT. *Caput nudum, in AV. AR.*

B. P. SEPTIMIVS. GETA. CAES. *Caput nudum, in AV. AR. AE. II.*

C. GETA. CAES. PONT. COS. *Caput nudum, in AV. AR.*

D. GETA. CAES. PONTIF. COS. *Caput nudum, in AE. II.*

E. GETA. CAES. PONTIFEX. *Caput nudum, in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

CASTOR. *Castor seminudus stans d. equum capistro retinet, s. hastam.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes. Vaill.)

Novus in moneta imperatorum typus Castor, etsi perantiquus in numis consularibus. In praesentibus numis ad *Principem juventutis* adludit, qui velut Castor ludis equestribus praefuit *Troja* dictis, de quibus alibi. Castorem equis delectatum, ut Pollucem pugillatu, jam inde ab Homero notum [a]:

Καστορα θ' ἱπποδαμον, και πυξ ἀγαθον
Πολυδευκεα.

Castoremque equorum domitorem, et
pugilatu valentem Pollucem.

Eadem aversa est in numis Gallieni, et Postumi.

* * *

Vt lit. B.

COS. *Processus Getae consularis.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

FELICITAS. SAECVLI. S. C. *Severus, Domna, Caracalla, et Geta sedentes in suggestu, stante infra alia figura, quae dexteram vasi applicat.* AE. II. (Mus. Caes.)

Numum similem in Caracallae numis vagis citavimus.

Vt lit. B.

---

a) Odyss. Λ. 299.

PRINC. IVVENT. COS. *Caesar eques citato cursu sequentibus binis aliis.* AV. (Mediob.) AE. II. (Mus. Caes.)

In aliquorum sententia hic typus exhibet ludum Troiae, cui Geta ut princeps juventutis praefuerit. Minus tamen istud verisimile videri, dicemus in tractatu de Principe juventutis. Indicat certe qualecunque equestre studium, cui Geta quocunque nomine operam dedit.

V. C. 961. P. X. 208.
CAESAR. COS. II. PRINC. IVV. PONT.

Consul II. fratre conlega consule III. procedit. Cum patre et fratre ad bellum Britannicum exit.

P. SEPTIMIVS. GETA. CAES. *Caput nudum.*
PONTIF. COS. II. *typis variis.* AV. AR. AE. II.

Eadem adversa.
LIBERALITAS. AVG. VI. *Liberalitas stans.* AR (Mus. Caes.)

Lineamenta oris in hoc numo plane conveniunt Getae, qualis fingitur in certis anni hujus, et praecedentis numis. Memorata isthic liberalitas VI. non Getae est, sed Severi; nam infra ad annum 964 liberalitatem Getae nonnisi V. intuebimur, quo loco de praesentis quoque numi liberalitate agemus. Sic et in Caracallae numis ejusdem anni habemus liberalitatem VI., sed quae item patris fuit. Erogata fuit, antequam Severus in Britanniam cum filiis proficisceretur. In numi hujus explicatione Vaillantius, ut saepe alias, graves dedit neglectarum inique partium anticarum poenas, cum adseruit, *sextam illam Getae liberalitatem ultimam esse, quam populo distribuit, cum ille Romam ex Britannia post patris mortem reverteretur.* Pigebat eum ex adversa numi facie advertere, in hac Getam non Augustum, sed Caesarem adhuc appellari, atque adeo congiarium istud multo ante fuisse praebitum.

V. C 962. P. X. 209.
AVGVSTVS. TR. P. COS. II. PONT. PIVS.

A patre Augustus dicitur, et trib. potestatem accipit. (Factum istud anno praesente, adcurate stabiliemus in tractatu de trib. potestate.)

IMP. CAES. P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*
PONTIF. TR. P. COS. II. *typis variis.* AR. AE. II.

V. C. 963. P. X. 210.
TR. P. II. COS. II. PONT. PIVS.

IMP. CAES. P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AR. AE. I., etiam radiatum in AE. II.*
PONTIF. TR. P. II. COS. II. *variis typis.* AR. AE. I. II.

Eodem anno:
Incipit BRIT.

P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum.*
PONTIF. TR. P. II. COS. II. *Mulier stans d. cornucopiae, s. caduceum oblongum.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 964. P. X. 211.
TR. P. III. COS. II. PONT. PIVS. BRIT.

A. P. SEPTIMIVS. GETA. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AE. I, etiam radiatum in AE. II.*

B. P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum in AR.*

* * *

Vt lit. A. et B.

FONTIF. TR. P. III. COS. II. *variis typis*, in AR. AE. II.

Vt lit. B. et A.

FORT. RED. TR. P. III. COS. II. *Mulier sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VICT. BRIT. TR. P. III. COS. II. S. C. *Victoria armis insidens inscribit clypeo.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eodem anno:

Mortuo patre incipit P. P. exspirat PONT.

Mortuo die IV. Februarii apud Eboracum patre, et facta cum barbaris pace cum fratre Romam revertitur. Metus per totum orbem ingens propter utriusque fratris dissensum. Caracalla fratri cum per iter, tum frequenter in urbe insidias struit.

* * *

Vt lit. B.

ADVENTVS. AVGVSTI. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AR. (Mus. Caes.)

Numus Getae in urbem hoc anno adventum testatur.

Vt lit. A.

CONCORDIAE. AVGG. S C. *Caracalla, et Geta paludati stantes cum hastis jungunt dexteras, quorum ille ab Hercule, hic Baccho adstantibus coronatur.* AE. I. (Mus. Caes.)

Praeclare numum explicat Dio a). Cum enim intellectae essent utriusque discordiae nimis fatales imperio futurae, *decretum est a senatu, ut pro concordia utriusque sacrificaretur diis immortalibus, ac praesertim ipsi CONCORDIAE.* Verum jam tum patuit, irrita haec fuisse vota: nam pessimum omen fuere lupi duo sacrificii tempore conscendere Capitolium visi, ut idem continuo refert. Vrbis exemplum imitatae urbes Graecae ludos passim ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ celebravere, ut eorum frequentes numi docent. Hercules, et Bacchus tanquam dii auspices patris Severi, et dii patrii Caracallae et Getae, ut ex eorum moneta docemur, in hoc numo proponuntur, quorum nimirum esset, utriusque concordiam totius orbis votis expetitam peragere.

* * *

Vt lit. B.

FORT. RED. TR. P. III. COS. II. P. P. *Mulier humi sedens d. rotae innixa, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Ad vota pro reditu in vrbem concepta referendus numus.

* * *

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVG. V. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

LIB. AVGG. VI. ET. V. *Duo imperatores sedentes in suggestu, adstat Liberalitas, alia figura per gradus adscendente.* AV. (Vaill.)

Vt lit. A.

---

a) L. LXXVII. §. 1.

LIBERALITAS. AVGG. VI. ET. V. S. C. *Idem typus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Prior ex his numis Getae liberalitatem V. enunciat, sequentes liberalitatem ejus V. cum VI. Caracallae componunt. Mirum sane videatur, memorari hoc anno liberalitatem V. Getae, cum ejus congiarium VI. jam viderimus ad annum V. C. 961. At vero idem fuit Getae in iis numerandis institutum, quod Caracallae a me supra ad ejus numos anni V. C. 964 observatum. Quamdiu Severus vixit, filii non suarum liberalitatum numeros, sed patris, monetae inscripsere. Egregie istud ex numis ipsis conficitur. Etenim in numis Severi ad annum V. C. 961 vidimus numum: LIBERALITAS. AVGG. VI., et in eo propositos Severum, Caracallam, et Getam ad congiarium erogandum adsidentes. Sexta ergo haec liberalitas omnibus tribus communis habita. Deinde vidimus etiam ad eundem annum 961, in omnium horum numis eandem hanc liberalitatem VI. seorsim memorari, certo argumento, ab his quoque numeratas patris liberalitates. Verum patre mortuo filii eas tantum liberalitates sibi proprias fecere, quae collatae fuerunt, ex quo saltem jam Caesares dicti sunt. Cum igitur Severus, cujus congiaria omnia sex numero fuerunt, unum jam distribuerit anno V. C. 946 Caracalla adhuc privato, hoc neglecto necesse est liberalitatem Caracallae anni praesentis esse numero sextam. Cumque pater Severus duo erogaverit Geta adhuc privato, his missis oportet praesens Getae congiarium esse ordine quintum. Dispensatum ergo est, cum uterque Augustus post patris mortem ex Britannia in urbem reverteret, quod invicte docet addita singulis *Britannici* appellatio. Iterum quaeso mirare Vaillantii ἀπροσεξίαν, qui, quo loco in laudatum numum aureum commentatur, sic disserit: *hoc liberalitatis Caracallae et Getae monumentum in hujus numis vivo adhuc patre, antequam ad bellum Britannicum cum ipsis proficisceretur, editum est.* Enimvero in his numis uterque dicitur Britannicus, an vero hoc elogio praediti fuere, antequam ad dictum bellum exirent? At enim partes anticas tam in numis Latinis, quam Graecis nullo loco habuit.

* * *

Vt lit. A. vel B.

TR. P. III. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

V. C. 965. P. X. 212.

TR. P. IV. COS. II. P. P. PIVS. BRIT.

Desperata fratrum concordia, turbisque per imperium ex eorum discidiis indies crescentibus de dividendo imperio consilium ineunt, quod agente matre repudiatur [a]). Tandem Caracalla Getam ad necem diu frustra quaesitum (nam acribus custodiis salutem muniverat), post simulato amore in retia pertractum in sinu matris interficit aetatis anno XXII. mense IX. Ex hoc Dionis testimonio [b]) et quoniam Spartianus eum die XXVII. Maji natum statuit, chronologi ejus mortem exeunti Februario anni praesentis adfigunt, de quo vide plura in tractatu de trib. potestate.

a) Herodian. b) L. LXXVII. §. 2.

Inde a fratribus Thebanis non vidit orbis atrocius, funestiusque fratrum dissidium. Alterutrum fratris gladio peremptum iri pridem fuit praevisum aperto utrinque odio, et manifestis Caracallae insidiis. Tamen malum istud, cum jam averruncari nequiret, Caracallae potius capiti, quam Getae imprecabantur omnes. Illius ferocia, et animus impotens pridem cognitus, at Geta teste Herodiano [a]) probitatis prae se opinionem ferebat, moderatusque erat, et lenis in congressibus, et clarorum virorum societate, et ingenuis exercitationibus apprime delectatus, quanquam Spartianus asperos huic quoque mores, non tamen impios objiciat [b]). Quam in ejus quoque caesi amicos, et omnem aulam saevierit Caracalla, ipso etiam, corruptis ingenti pecunia praetorianis, hoste judicato, in ejus moneta memoratum. Et vero implacabile odium, quod sopiri vulgo per mortem etiam alieni solet, in fratre tamen duravit, sic ut morte multarentur, qui Getae nomen vel scripsissent, vel pronunciassent, adeo ut poetae ipsi noto hoc servulorum nomine deinceps uti non auderent. Succensebat etiam saxis in ejus effigiem scalptis, et monetam ejus imagine signatam conflavit [c]). At inanes fuere hi conatus, nam et copiosi Getae numi in nostram duravere aetatem, et supererant simulacra fratris, quibus conspectis, si Spartiano fides [d]), in lacrimas solvebatur. Non tamen istud poenitentia necis fraternae, sed quod reae conscientiae furiis quateretur, ut dixeram in moneta ad annum V. C. 967. Erasum ejus nomen ex monumentis publicis copiosa testantur marmora, ac praecipue arcus Severi hodieque Romae superstes, ut animadverti in Caracalla ad V. C. 957. Tamen ejus funus curatius, quam pro parricida extulit, conditque in via Appia in sepulcro Severi [e]).

Vxor nulla a veteribus proditur.

Numi:

Hujus anni numos in nullo catalogo reperio, si Mediobarbi indicem demas, atque ex his primus, inscriptus LIBERALITAS. AVG. VI., sine dubio est anni V. C. 961, ut vidimus, et notandum praeterea, a Mediobarbo huic numo anticam, quam libuit, adfingi. Eum enim citat ex Vaillantio, qui describendis partibus anticis fideliter abstinet. Alter cum epigraphe: DIVO. GETAE. PIO. certe confictus est; nam adhuc ejus consecrati numos reperire non licuit. Suspecta item videtur lectio aliorum: PONTIF. TR. P. IIII. COS. II. DES. III. P. P. Nondum observavi numos Getae inde a patris morte percussos cum voce PONTIF., etsi ea obvia sit in numis illo vivente signatis. Videtur Geta, cum usque modo unicus tantum fuerit pontifex maximus, atque haec dignitas ad unum Caracallam, seniorem nempe Augustum, pertinuerit, pontificatum simplicem, qui solus debitus erat, penitus dissimulasse, ne se inferiorem fratre publice profite-

a) in Carac. b) in Geta c. 4. c) Dio L. LXXVII. §. 12. d) in Geta c. 7.
e) Spartian. in Geta c. 7.

retur. Est haec conjectura, ex subito hoc in Getae numis post Severi mortem ejus dignitatis neglectu petita, quam libenter aspernabor, cum primum quis numum aliud docentem obtulerit. Nam ut saepe professus sum, nihil me movet unius Mediobarbi auctoritas, praecipue cum nova, et inaudita adfert. Plus defero numo postremo: TR. P. IIII. COS. II. P. P. S. C. *Elephas*, qui a reliquorum norma non dissentit. Hic numorum trib. potestatis IV. seu defectus, seu penuria tribuenda Caracallae, qui fratris monetam, ut supra ex Dione docuimus, conflari praecepit, vel quod vix delibato tribunatu IV., atque adeo maturius, quam id visum eruditis, interfectus est, de quo nonnulla in tractatu de trib. potestate notabo.

Divus Geta.

De eo consecrato haec Spartianus a): *Nam Bassianus, cum eum occidisset, ac vereretur tyrannicam ex parricidio notam, audiretque, posse mitigari facinus, si divum fratrem appellaret, dixisse fertur:* sit divus, dum non sit vivus. *Denique inter divos retulit.* Sitne huic Spartiani testimonio continuo subscribendum, dubitem. Certe hujus consecrationis neque Dio, neque Herodianus, quamvis coaevi, meminerunt, et mirum sane, qui hostis judicatus publice est, inter divos relatum. Tillemontius ad numos provocat, sed horum vadem Mediobarbum citat, qui tamen unicum tantum id genus citat, idque tam perfunctorie, ut satis appareat, sibi magis simile numisma desideratum, quam conspectum. Accedit, non exstare numum Getae inter eos, qui in memoriam Augustorum consecratorum Gallieni, ut creditur, aetate signati sunt, neque ejus fieri mentionem in catalogo divorum Caesarum, quem vulgavit Bucherius b).

Numi commatis peregrini.

Horum illustris est copia tam in urbibus liberis, quam coloniis signatorum. Aenigma offert is, quem hoc loco describere juvat.

Epigraphe ambigua. Caput Getae nudum.

STA. BOV. *Bos gradiens.* AE. II. (Mus. Caes.)

In numum hunc commentati jam sunt Patinus c), et Harduinus d). Prior apud Stabias Campaniae numum percussum censet. Harduinus, Patini dictata fere recoquit, additque, truncatis his vocabulis notari geminum Campaniae oppidum *Stabias*, et *Bovillas*. Vereor, ut vetus haec sententia hodie satisfaciat. Constans enim nunc opinio est, ex quo summa rei penes imperatores stetit, Italiae, qua patet, urbes a feriunda moneta abstinuisse. Deinde quo pacto Harduinus, Bovillas Campaniae oppidum potest pronunciare, quae in Latio, et proxime Romam stetere? Vberiorem adhuc lucem cimelium istud exspectat, perinde ac numi similis aenigmatis ARNASI sub Treboniano percussi.

---

a) in Geta c. 2. b) Doctr. temp. p. 267. c) Num. Impp. d) Opp. sel. p. 161.

Nomina.

Lucius, *Publius*. Inde a Commodo alterum hoc in Geta exemplum habemus variantium praenominum. Ratio in Geta non satis expedita; nam difficile est, ex numis saltem commatis Romani elicere, sitne eodem tempore promiscue utroque praenomine usus, an repudiato praenomine *Lucii*, quod initio proprium habuit, ad alterum *Publii* transiverit; quod expediri vix poterit, quoniam numi Getae ante ejus consulatum signati notis chronologicis destituuntur. Istud certum, inde ab anno V. C. 958 jam penitus suppressam *Lucii* appellationem. At exstant numi Graeci, qui utrumque praenomen conjungunt. Sic in binis numis integerrimis Neocaesareae Ponti apud Haymium is dicitur: Λ. Π. CΕΠ. ΓΕΤΑC. ΚΑΙC. a). In alio Gythii Laconiae apud Pellerinium: ΛΟΥ. Π. ΓΕΤΑC. b) qua in causa difficile sane est arbitrari. Forte placuit in eum congerere utrumque praenomen, quorum unum Lucii fuit patris Severi, alterum Publii patrui, cujus Geta noster omnia nomina habuit, quem nempe marmor Gortynium appellat: ΠΟΥΒΛΙΟΝ. CΕΠΤΙΜΙΟΝ. ΓΕΤΑΝ. c). Ceterum geminati praenominis in uno eodemque homine exempla plura ex marmoribus contulit diligentissimus Marinius d).

Pius. Quamdiu Caesar erat, hoc nomine abstinuit, mox una cum Augusti nomine suscepit. Fuit sane hoc tempore, atque etiam deinceps nomen istud nonnisi Augustis proprium.

Antoninus. Ab ipsis veteribus dubitatum, utrum Getae Antonini nomen fuerit, ut colligitur ex Spartiano sub initium vitae Getae. Continuo probare copiose instituit, eum quoque dictum Antoninum, quod et diserte profitetur Capitolinus e). Numi hanc appellationem ignorant. Gruterus pag. 157. quatuor ordine marmora profert, quae Getam Antoninum dicunt, sed iis, utut sincera profiteri velimus, nolim omnem habere fidem. Vide etiam, quae in Elagabalo ad nomen Antonini notabo.

Severus. Si fides marmori Hispanico apud Gruterum f), Severi quoque nomen habuit, sed istud alia monumenta dissimulant.

Hadrianus. In numo ab Iliensibus signato, ut auctor est Pellerinius g), juxta Getae caput legitur: Π. CΕΠΤ. ΑΔΡ. ΓΕΤΑC. ΚΑ., quo confit, Getae etiam *Hadriani* nomen fuisse. Suspicatur Pellerinius, numum hunc non ad nostrum Getam, sed alterum aliquem *Hadrianum Getam*, Caracallae ex Plautilla forte filium posse pertinere. Argumenta, quae adfert, valde sunt infirma, et solis Froelichii conjecturis, sed his quoque infirmis, nixa, quas jam supra in liberis Plautillae refutavi. Dubitari ergo nequit, hunc quoque numum esse Getae Severi filii, nomenque illi Hadriani a patre datum, qui se per ri-

a) Tom. II. p. 335. b) Mel. II. p. 160. c) Gruter. p. 1099. 7. d) Frat. arv. p. 254.
e) in Macrino c. 3. f) Pag. 267. 2. g) Rec. III. p. XIII.

dendam adoptionem, de qua egi in Severo ad annum V. C. 948, Hadriani pronepotem dixit.

Iulius. ΙΟΥΛΙΟϹ. ϹΕΠΤΙΜΙΟϹ. ΓΕΤΑϹ dicitur in numo Boeae Laconiae apud Pellerinium [a]). Si non fefellit monetarius scribendo ΙΟΥΛΙΟϹ pro ΠΟΥΒΛΙΟϹ, nomen Iulii traxit a matre Iulia.

Britannicus. Titulus Getae communis cum patre et fratre inde ab anno V. C. 963, ut diximus, et dicetur copiosius in tractatu de trib. potestate.

Caesar.

Ad hanc dignitatem eum evectum diximus anno V. C. 951. Primus omnium, quod sciam, *Nobilissimus Caesar* dicitur in marmore Gruteri [b]), tum et in arcu Severi, cujus epigraphen recitavi in Caracalla ad annum V. C. 957.

De nomine Augusti, et trib. potestate.

De tempore controverso, quo Geta utrumque accepit, vide, quae docebimus in tractatu de trib. potestate.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RR.
Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I.	R.
Aenei II.	C.
Aenei III.	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, et coloniarum	C.
Alexandrini	RRRR.

M. OPELIVS MACRINVS.

Maurus genere e civitate Caesarea parentibus obscuris natus V. C. 917, ut colligitur ex Dione [c]). Intellecta ejus in administrandis bonis fide Romae cognitus, probatusque primum Plautiano, dein Caracallae, ab hoc post obita varia minora munera praefectus praetorio designatus est, quem magistratum in iis certe omnibus, quae ex animi sui sententia fecit, optime et justissime gessit [d]). Caracalla V. C. 970 bello Parthico intento cum certum sibi ab hoc exitium imminere intelligeret, hujus caede suae consulendum saluti ratus, inita cum paucis conspiratione sui securum ope Martialis evocati die VIII. Aprilis interficiendum curat [e]). Caedis suspicionem ut certius declinaret, biduum totum ab invadendo

a) Rec. III. p. 194. b) Pag. 45. 13. c) L. LXXVIII. §. 40. d) Dio L. LXXVIII. §. 11. e) Dio l. c. §. 5.

imperio abstinuit. Illectis interea amicorum opera per spem praemiorum militibus die XI. Aprilis, ipso Severi natali, imperator acclamatur [a]), senatu propter laetitiam ex Caracallae morte perceptam facile cum his consentiente, et omnia principibus decerni solita conferente.

V. C. 970. P. X. 217.
TR. P. COS. P. M. P. P.
C. Bruttio Praesente, T. Messio Extricato II. cos.

Diadumenianum filium Caesarem dicit. Adversus Artabanum Parthum, qui valido cum exercitu Caracallae perfidiam ultum advenerat, bellum movet, vincitur, et redempta ingenti pecunia pace in Syriam revertitur [b]).

* * *

A. IMP. C. M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. radiatum in AR. maj. mod.*

B. IMP. CAES. M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG. *Caput laureatum in AE I. etiam radiatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A. et B.
PONTIF. MAX. TR. P. COS. P. P. *variis typis.* AV. AR. AE. I. II.
Vt lit. B.
PONTIF. MAX. TR. P. P. P. S. C. *variis typis.* AE. I. II.
Vt lit. A. et B.
VOTA. PVBL. P. M. TR. P. *variis typis* in AV. AR. AE. I. II.

V. C. 971. P. X. 218.
TR. P. II. COS. et COS. II. P. M. P. P.
Macrino Aug., Advento II. cos.

Milites indulgentiae, et liberalitati Caracallae adsueti revocatam disciplinam, et parsimoniam aegre ferunt. Quo intellecto Maesa Iuliae Domnae soror tunc Emesae degens suum ex filia Soaemiade nepotem Elagabalum, quem ex furtivo cum Caracalla congressu genitum mentiebatur, militi amplis promissis corrupto ostentat, a quo receptus in vicina castra imperator pro Macrino adclamatur. Ei obviam ab Antiochia progressus Macrinus collatis signis vincitur die VIII. Iunii, mox abjecto cultu Caesareo Chalcedonem usque terrestri itinere pervenit, verum ibi proditus retractusque in Cappadocia occiditur anno aetatis LIV. exacto in imperio anno I. mensibus II. [c]). Ejus et filii Diadumeniani, qui alio loco interfectus est, capita pilo circumlata sunt [d]).

Prodigio simile visum, virum ejus aetatis ac usus, neque rei bellicae ignarum a puero, opem conferentibus duabus mulierculis, ducibus ipsis imbellibus, et nullius in re militari usus, orta ex vicino seditione unico praelio eversum. Si Capitolinum audimus, misero hoc fato non est indignus habitus, nam et superbum fuisse ait, et sanguinarium, et in suppliciis supra quam credi possit, inhumanum, qui praeter alia extremae

a) Dio l. c. §. 11. b) Dio L. LXXVIII. §. 26. 27. c) Dio L. LXXVIII. d) Lamprid. in Diadumen. c. 9.

crudelitatis exempla, quae ibi commemorat, vetus supplicium a Mezentio repertum, dum corpora viva mortuis conjungeret, revocavit, quam ob causam *Mezentium*, et pro Macrino *Macellinum* per opprobrium dictum adfirmat. Tamen vero propius est, hanc ei ignominiam ab adversis partibus adfictam: nam coaevus Dio eum justum, fidelem, rerum experientia, et virtute insignem, etsi adfectati imperii reum, depraedicat.

Vxor *Nonia Celsa*, teste Lampridio [a]), cujus praeter nomen aliud nihil, neque etiam numos tenemus.

* * *

Vt lit. A. et B.

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. P. P. *variis typis.* AV. AR. AE. I. II.

Vt lit. A. et B.

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. P. P. *Imperator in lentis quadrigis d. ramum, s. sceptrum cum aquila coronatur a Victoria retro currui insistente.* AV. AR. AE. I. II. (Vaill. Mus. Caes.)

Alii eodem modo inscripti variis typis, et metallo.

M. OPEL. SEV. MACRINVS. AVG. *Caput laureatum.*

COS. II. *Victoria gradiens.* Quin. AV. (Mus. olim de France Vindob.)

In prioribus numis indicatur Macrini processus consularis anni praesentis. De Macrino, hoc anno in numis jam COS., jam COS. II., agetur alibi, ut mox infra indicabitur. In numis cum Macrini, tum Diadumeniani frequenter comparent signa militaria. Sunt haec vexilla *Antoniniana*, a Macrino in castris constituta, et sic nominata ex nomine Diadumeniani, quem Antoninum vocari voluit [b]). Quinarius aureus, quem postremum dedi, fidei mihi suspectae visus est.

* * *

Vt lit. A. et B.

VICTORIA. PARTHICA. *Victoria gradiens, vel thoraci insidens.* AR. AE. I. II.

Vt lit. A. et B.

VICT. PART. P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *Iidem typi.* AV. AR. AE. II. (Vaill. Mus. Caes.)

Comprobant hi numi, quod refert Dio [c]), Macrinum icto cum Parthis foedere, postquam inferior praelio discesserat, non omnia, quae eo bello acta sunt, senatui accurate perscripsisse. Interim tanquam ob partam victoriam decreta ei fuisse sacrificia, et *Parthici* cognomen, quod tamen non recepit, ut visum, pudore, ab iis sumendi agnomen, a quibus victus esset.

Numi vagi.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVGVSTI. S. C. *Macrinus et Diadumenianus in suggestu congiario praesident.* AE. I. (Mus. Caes.)

Ex lege ordinaria congiaria erogata non sunt, nisi praesente in urbe principe, quae ut ex ipsis numis, raro alio exemplo, abunde confirmatur, sic et sub Macrino adhuc valuit teste Lampridio [d]): *Congiarium etiam per edictum Antoninianum promisit, ut ipsum edictum po-*

---

a) in Diadum. c. 7. b) Lamprid. in Diadum. c. 3. c) L. LXXVIII. § 27 d) in Diadum. c. 2.

terit indicare. Verba edicti: Vellem, Quirites, jam praesentes essemus. Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret. Ergo ad illud repraesentandum sua filiique praesentia saltem per communem consuetudinem praetexta est. Tamen ex praesentibus numis liquet, indicatam liberalitatem a Macrino captandae certe benevolentiae causa etiam se absente occupatam. Simile exemplum collati absente principe congiarii in Hadriano ad annum V. C. 870 vidimus.

Numi reliqui obvio argumento: ANNONA. AVG. — FIDES. MILITVM. — IOVI. CONSERVATORI. — SECVRITAS. TEMPORVM.

Numi commatis peregrini.

Exstant numi tam *urbium liberarum*, quam *coloniarum*, at nihil praeterea de iis praecipiendum.

Nomina.

Privato nomina fuere: *M. Opelius Macrinus.* Capitolino constanter dicitur *Opilius*, ut et filius ejus *Diadumenus* Lampridio, numis, marmoribus, auctoribus coaevis unanimiter *Opelium*, et *Diadumenianum* enunciantibus. Et tamen futiles hi scriptores propter temporum viciniam abundabant monumentis, quorum nobis rara messis relicta. Adeo verum est, multa nos ex historia vetere, licet aetate dispari, arte critica manum ducente nosse melius, et adcuratius, quam vicino illo aevo cognitum fuit. In numis Graecis saepe duplicatur Π, sic: ΟΠΠΕΛΙΟϹ. Sed et Graeci perperam scripsere ΠΛΩΤΤινα et ΜΑΤΤιδια, ut vidimus.

Severus passim in numis, et nomen istud confirmat quoque Capitolinus [a]).

Pius Felix. Hi tituli in numis absunt, sed leguntur in marmoribus apud Muratorium [b]). Consentit etiam Dio, etsi depravato misere loco [c]) *scripsit vero se in epistola Caesarem, imperatorem, et praeter Macrini nomen Severum, tum PIVM et FELICEM.* Quare nullo loco putandum testimonium Capitolini, a senatu utrumque Macrino titulum decretum adserentis, sed ab hoc receptum tantum nomen *Felicis* repudiato *Pii* [d]). Voluisse praeterea *Antoninum* se, et *Pertinacem* vocari, idem quoque historicus tuetur [e]), alii ignorant.

De Macrini trib. potestate, et consulatibus.

De trib. ejus potestate agemus in tractatu singulari de hac dignitate, quo loco explicabimus etiam, quo modo accipiendi sint duplices consulatus, qui intra eundem annum Iulianum in Macrini moneta observantur.

---

a) in Macr. c. 2. et 5. b) Pag. 459. 1. et 1993. 7. c) L. LXXVIII. 16. d) in Macr. c. 5. e) in Macr. c. 2. et 5.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	RRR.
Argentei	R.
Aenei max. mod.	RRRR.
Aenei I., et II. formae	O.
Commatis peregrini:	
Vrbium liberarum	R.
Coloniarum	RR.
Alexandrini	RRR.

M. OPELIVS DIADVMENIANVS.

Ei pater Macrinus, mater Nonia Celsa. Natus est anno V. C. 961, ut colligitur ex Dione a). Diem prodit Lampridius XIX. Septembris, nempe qui idem fuit natalis Antonini Pii b). Eum pater V. C. 970 adserto sibi per Caracallae necem imperio *Caesarem* et *Antoninum* dixit c), et Augustum, ut mox amplius disputabitur. Reliquum ei fatum cum patre commune. Hic ab Elagabalo victus, et fugere coactus filium, quo ejus saluti consuleret, ad Artabanum Parthorum regem misit d). Sed et ipse hostibus proditus, et a milite interfectus est e).

Multus est Lampridius in commendanda ejus pueri forma, quam tantam fuisse tradit, ut quasi sidereus et coelestis emicaret, et ab omnibus venustatis gratia amaretur f). Praeter crinem flavum, nigros oculos, et mentum ad omnem decorem compositum effert is etiam ejus os ad oscula paratum, quae una causa fuit, cur Bottarius protomen marmoream, quae servatur in museo Capitolino, esse Diadumenianum pronunciaret, nimirum quod in ea labium velut propinaturi oscula videre sibi visus esset g). At enim ut abundavit donis naturae, ita teste eodem Lampridio h) destituebatur, quae sunt multo illis praestantiora, donis gratiae. Nam increpasse patrem literis tradit, quod iis benignius parceret, qui suspecti rerum novarum videbantur. Animi tam in puero saevi nullum penes Dionem, et Herodianum indicium, videturque Lampridius eandem invidiam, qua Capitolinus (nisi hic idem cum priore est) patrem Macrinum plus justo oneravit, in filium quoque voluisse derivare.

V. C. 970. 971. P. X. 217. 218.
CAESAR. PRINC. IVVENT.

---

a) L. LXXVIII. §. 34. b) in Diadum. c. 5. c) Vide infra sub his nominibus. d) Dio L. LXXVIII. §. 39. e) Capitolin. in Macr. c. 10. f) in Diadum. c. 3. g) Museo Capitolino. h) Cap. 8.

A. M. OPEL. ANT. DIADVMENIAN. CAES. *Caput nudum in AV. et AR.*

B. M. OPEL. ANTONINVS. DIADVMENIANVS. CAES. *Caput nudum in AE. I. et II. formae.*

C. M. OPEL. DIADVMENIANVS. CAES. *Caput nudum in AV. et AR.* (Mus. Caes.) *radiatum in AR. maj mod.* (Mus. Caes.)

* * *

Antica incerta.

FIDES. MILITVM. *Mulier stans inter quatuor signa militaria.* AR. (Vaill.)

Vt lit. A. B. C.

PRINC. IVVENTVTIS. *Caesar paludatus stans inter signa militaria vario numero.* In omni metallo et forma.

Vt lit. A. B.

SPES. PVBLICA. *Spes gradiens.* AR. AE. I. II.

Numi commatis peregrini.

Vt patris Macrini, ita et filii habentur numi justo numero tam in urbibus liberis, quam coloniis percussi. Quod hi peculiare, et ad juvandam ejus Caesaris historiam offerunt, per sequentes animadversiones proponetur.

Nomina.

M. Opelius, nomina patria.

Macrinus. In numo Docimei Phrygiae: M. ΟΠΕΛ. ΜΑΚΡ. ΑΝΤΩΝ. ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝΟC. K. (Sestini Lettere T. IV. p. 125.)

Diadumenianus Ita non modo in numis omnibus, et marmoribus, sed etiam a coaevis Dione et Herodiano constanter appellatur. Taceant igitur his auctoribus scriptores inferioris aevi omnes, quibus *Diadumenum* eum vocare placuit. Duplicem ejus appellationis causam proponit Lampridius [a]), vel quod ejus nati capiti tenue diadema tam fortiter adhaesit, ut avelli non posset, ex quo eventu *Diadematus* primum, deinde *Diadumenus* dictus esset, quam fabulam libenter permittimus illis, quorum saliva his bellariis adficitur, vel a nomine avi materni, quod vero propius, etsi levi auctore nixum.

Antoninus. Quae causa Severo fuit, ut filium Bassianum *Antoninum* diceret, eadem fuit et Macrino. Nimirum utrique cognitus mos populi attoniti et superstitiosi, *qui*, ut belle ait Horatius, *stupet in titulis, et imaginibus.* Nihil frigidius et ineptius ea voluptate, quam sensit pater, cum nomen istud arrepto imperio in filium contulit. En teste Lampridio argumentum literarum (si modo non confictae sunt) quas ea causa ad uxorem Noniam Celsam scripsit [b]): *Antonini pater factus sum, Antonini mater es facta. O nos beatos! o fortunatam domum! etc.* Et in edicto congiarii ita Romanos adfatur: *vellem, Quirites, jam praesentes essemus! Antoninus vester vobis congiarium sui nominis daret; daret praeterea et pueros Antoninianos, et puellas Antoninianas etc.* [c]). En quorsum delapsa est nominis Antoniniani majestas et reverentia, arcessiti infelice hac ae-

a) Cap. 4. b) in Diad. c. 7. c) Ibid. c. 2.

tate, ut claritudine sua oculorum aciem obtunderet, ne in Caesaribus appareant obscurissimi generis, morumque, et ultimae infamiae sordes! Principio artificium e voto cessit. Nam proposito novo hoc Antonino adclamavit miles: *Antoninum habemus*, *omnia habemus etc* a). At non multo post male materiatum hunc Antoninum alter similis compagis Antoninus evertet.

In numo Aegarum Ciliciae apud Haymium hic Caesar solo *Antonini* nomine indicatur.

Nobilissimus Caesar.

Hactenus hic titulus a moneta quacunque extorris, etsi illum jam Getae tribuant marmora, ut vidimus. Primus in numis, sed commatis peregrini, Diadumenianus sic appellatur, quorum unum Laodiceae coloniae edidit Belleyus, inscriptum: NOB. CAES. b). Addo alium coloniae Caesareae Samaritidos museo Caesareo nuper illatum, addito sub finem: N. CA. Procul dubio qui Antoninus, idem et nobilissimus. Graeci *Nobilissimum* Caesarem verterunt Επιφανεστατον Καισαρα, ut dixi in numis Antiochi IV. Syriae regis.

Augustus.

Pluribus locis Diadumenianum diserte *imperatorem* appellat Dio c). Alibi tempus distincte docet, nimirum coepto jam adversus Elagabalum bello, cum ad hunc persequendum Apameam progressus esset, Macrinus, filium, etsi nonnisi decimum annum ageret, imperatorem esse renunciatum d). Quin et in sua ad patrem epistola, quam recitat Lampridius e), scripsit: *Patri Augusto filius Augustus.* Honorem hunc numi non pauci, sed commatis peregrini, ac praecipue Antiochenses, et insignis Thyatirenus apud Pellerinium f) confirmant, in quibus dicitur ΑΥΤ. Κ. addito etiam nonnunquam CEB. et corona laurea, quos videre est apud Pellerinium, Vaillantium in Coloniis, et in museo Caesareo. Romani commatis cum titulo Augusti nullus exstat; credo, serpente iam inter utrumque aemulum bello, et incerto exitu differre senatusconsultum placuit, quo collata haec a Macrino dignitas confirmaretur, ut tum moris fuisse manifeste colligitur ex Dione g). Paullo post victo utroque ac caeso exempta haesitatio. Atque haec una causa fuerit, cur ab ipsis veteribus disputatum sit fueritne Diadumenianus unquam Augustus dictus, quos inter sic Capitolinus h): *Sciendum praeterea, quod Caesar fuisse dicatur, non Augustus Diadumenus puer, quem plerique pari fuisse cum patre imperio tradidere.* Constat nimirum, adclamatum eum fuisse a patre et militibus, sed nondum accessit sententia patrum, ac propterea tergiversatas provincias Occidentales Augusteum titulum distulisse suspicor. Exstat apud nos Vindobonae nobile marmor jam a marchione Maffeio vulgatum i):

---

a) Lamprid. in Diad. c. 1. b) Mem. B. L. Tom. XXIII. c) L. LXXVIII. §. 37. 38. d) Ibid. c. 34. e) Cap. 8. f) Mel. I. p. 100. g) L. LXXIX. §. 2. et 8. h) in Macr. c. 10. i) Mus. Veron. p. 241.

IMP CAES M
OPELIVS SEVERVS
MACRINVS PIVS FEL
IX AVGVSTVS PONTI
FEX MAX TRIB POT
II P P COS PROCON
SVL ET M OPELIVS
ANTONINVS DIADV
MINIANVS NOBILISSIMVS
CAES PRINCEPS IVVENTVT
PROVIDENTISSIMI AVG
FECERVNT

Additus Macrino tribunatus II. docet, marmor istud fuisse positum ejus jam imperio ad finem vergente, et tamen adhuc Diadumeniano honor Augusteus negatur. Non obest, ei hunc honorem deferri verbis PROVIDENTISSIMI. AVG., nam communicatus is cum filio fuit propter consortium cum patre, cujus nos plura, eaque certissima exempla deinceps intuebimur, et cumprimis Vol. VIII, in Observatis gen. sub titulo *Augusti*.

Vtrum Consul?

Mediobarbus Diadumenianum a patre mox ab adito imperio non modo dictum Augustum, sed etiam consulem iterum pronunciat. Cum eo ratione consulatus sentit quoque Tillemontius, addito, consulatus eos fuisse suffectos [a]). Verum ex quo fonte Mediobarbus perversam hanc doctrinam hausit, quae cum historia vera componi nullo modo potest? nimirum ex numo argenteo, quem ipse primum in moneta Diadumeniani ad V. C. 971 citat, in cujus aversa: P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. Egregium sane monumentum, quod ad eruendam veritatem advocetur. Esto, non repugnare titulos posteriores, an non vel tironem advertere mox debet titulus P. M. Diadumeniano, utcunque rem spectes, indebitus? Ex quo consequitur, etsi adulterinum esse numum non continuo statuam, aversam numi permutatis, cujus obvia exstant exempla, matricibus ad Macrinum pertinere, aut certe numum hunc, quoniam argenteus fertur, esse subaeratum, et adeo ad faciendam fidem ineptum. Adeo ars nostra, quae tam insigniter philologiam juvat, etiam damnosa est, nisi criticam jungimus. Nollem in simili causa gravissime lapsum eruditum Khellium, qui argenteum max. mod. ex museo Ariosti sic promulgat [b]): ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Α., ex quo adeo indicio primus saltem Diadumeniani consulatus posset erui. Verum in laudato numo nequaquam ΤΟ. Α. sed distincte ΤΟ. Δ. legitur, quod spondere possum, quoniam gaza Ariostiana cum museo Caesareo unita numum ipsum ante oculos habeo. Ergo si numo huic fides, non unum, vel duos, sed ipsos quatuor consulatus dabimus puero decenni. Quis non videt, properantibus monetariis aversam, quae tota Caracallae est, cum Diadumeniani capite conjunctam? Numus est Antiochensis, et refert Lampridius [c]): *hac habita concione* (nempe Macrini ad milites) *statim apud Antiochiam monetam Antonini Diadumeni nomine percussam esse.*

a) in Macrino p. m. 252. b) Subplem. p. 135. c) in Diadum. c. 2.

Ergo in ea festinatione monetarii de ejus solum capite soliciti, aversam Caracallae, cujus tum nomine feriebatur moneta, cum adversa novi Caesaris composuere. Fueritne Diadumenianus consul, an non, ex certis adeo monumentis probari non potest. Mediobarbus consules anni V. C. 971, statuit Diadumenianum II. et Adventum, sed fasti Antoninum et Adventum. Sed hunc Antoninum non fuisse Diadumenianum, sed Elagabalum, probabitur in tractatu de trib. potestate.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	RR.
Aenei I. et II. formae	R.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Urbium liberarum et coloniarum	R.
Alexandrini	RRRR.

M. AVRELIVS ANTONINVS
vulgo ELAGABALVS.

Operae pretium videtur, adcuratius stirpem Elagabali, quae quatuor Augustos, totidem Augustas Romano imperio dedit, proponere. Quem ad finem opportunum erit praemittere schema genealogicum in compendium redactum.

Bassianus.

- Iulia Domna Aug. uxor Severi Aug.
  - Caracalla Aug.
  - Geta Aug.
- Iulia Maesa Aug. uxor Iulii Aviti.
  - Iulia Soaemias Aug. uxor Sex. Varii Marcelli
    - Elagabalus Aug.
  - Iulia Mamaea Aug. uxor Gessii Marciani
    - Alexander Sev. Aug.

De iis, qui Augusto nomine insignes fuere, agitur in singulorum numis. Reliquorum, qui privati fuere, expediendus hic status.

Bassianus, nobilissimae deinceps gentis auctor. Ejus nomen forte unicus Victor prodit [a]): *hic* (Caracalla) *Bassianus ex avi materni nomine dictus.* Fuisse ex genere plebeio, (ἐκ δημοτικȣ γένȣς) patet ex Dione [b]), quoniam is hac conditione natam Domnam adserit. Quare vix credam, fuisse eum apud Emisam sacerdotem Elagabali, quod aliqui opinantur, cum verisimile non sit, tam illustre sacerdotium fuisse plebeio delatum, quanquam certum sit, eum Emisae domicilium fixisse; nam Herodianus ejus filiam Maesam hinc oriundam profitetur. Ab ejus nomine Caracallam vocatum Bassianum diximus, et sic quoque vocatos Elagabalum, Alexandrum, et Soaemiadem videbimus.

Iulius Avitus, maritus Maesae. Iulii nomen definite habemus ex Dione [c]), qui addit, eum fuisse consularem, nimirum uxore hos honores viro impetrante. Fuisse ei nomen *Aviti*, historici diserte non produnt, sed colligunt eruditi ex Dione, qui avum Elagabali dictum fuisse Avitum memorat [d]). Sed poterat et avo paterno esse Aviti nomen. Qualiscunque hic Avitus imperante Caracalla Asiae primum, dein Mesopotamiae, denique Cypro praefuit, ut eruitur ex lacunis Dionis [e]). Ab hoc Elagabalus *Aviti* nomen hausit, quo non raro a veteribus compellatur.

Sex. Varius Marcellus, maritus Soaemiadis, Elagabali pater. De eo in haec verba Dio [f]): habuit Maesa ex filia *Soaemide*, *Varioque Marcello populari suo (nam Apamea Marcello patria erat) saepe procuratoris munere functo, et in senatum adlecto, denique mortuo, filium Avitum.* (Elagabalum intellige.) Omnia ejus nomina exhibet insigne epigramma in utraque lingua, repertum in vinea prope Velitras, et a variis vulgatum, quod, quoniam praeclara multa continet, integrum juvat proponere captum ex commentariis cl. Oderici insignis a scientia lapidaria nominis [g]). Aeneae tabulae incisum exstat in singulari dissertatione edita Romae 1765 auctore anonymo.

ϹΕΞΤω. ΟΥΑΡΙω. ΜΑΡΚΕΛΛω.
ΕΠΙΤΡΟΠΕΥϹΑΝΤΙ. ΥΔΑΤΩΝ. ΕΠΙΤΡΟΠΕΥϹΑΝΤΙ. ΕΠΑΡΧΕΙΟΥ. ΒΡΙΤΑΝΝΕΙΑϹ. ΕΠΙΤΡΟΠΕΥϹΑΝΤΙ. ΛΟΓωΝ. ΠΡΕΙΒΑΤΗϹ. ΠΙϹΤΕΥΘΕΝΤΙ. ΤΑ. ΜΕΡΗ. ΤωΝ. ΕΠΑΡΧωΝ. ΤΟΥ. ΠΡΑΙΤωΡΙΟΥ. ΚΑΙ. ΡωΜΗϹ. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤω. ΑΝΔΡΙ. ΕΠΑΡΧω. ΕΡΑΡΙΟΥ. ϹΤΡΑΤΙωΤΙΚΟΥ. ΗΓΕΜΟΝΙ. ΛΕΓΕΙωΝΟϹ. Γ. ΑΥΓΟΥϹΤΗϹ. ΑΡΞΑΝΤΙ. ΕΠΑΡΧΕΙΟΥ. ΝΟΥΜΙΔΙΑϹ. ΙΟΥΛΙΑ. ϹΟΑΙΜΙΑϹ. ΒΑϹϹΙΑΝΗ. ϹΥΝ. ΤΟΙϹ. ΤΕΚΝΟΙϹ. Τω. ΠΡΟϹΦΙΛΕϹΤΑΤω. ΑΝΔΡΙ. ΚΑΙ. ΓΛΥΚΥΤΑΤω. ΠΑΤΡΙ.

---

a) in Epitome. b) L. LXXVIII. §. 24. c) L. LXXVIII. §. 30. d) L. LXXIX. §. 16. e) L. LXXVIII. §. 30. f) L. LXXVIII. §. 30. g) Dissert. et Adnot. p. 199.

SEX. VARIO. MARCELLO
PROC. AQVAR. C. PROC. PROV. BRIT. CC. PROC. RATIONIS
PRIVAT. CCC. VICEPRAEF. PR. ET. VRBI. FVNCTO
C. V. PRAEF. AERARI. MILITARIS. LEG. III. AVG.
PRAESIDI. PROVINC. NVMIDIAE
IVLIA. SOAEMIAS. BASSIANA. C. F. CVM. FILIIS
MARITO. ET. PATRI. AMANTISSIMO.

Ab hoc Elagabalus filius dictus est *Varius*, ut dicetur, et thermae *Varianae*, quas Victor in regione XIII. constituit.

Gessius Marcianus, maritus Mamaeae, Alexandri pater. Memoratur ab uno Dione [a]): Maesa nepotem alterum habuit *ex Mamaea Gessioque Marciano Syro, et ipso ex urbe Arce, et procurationibus quibusdam functo, nomine Bassianum.* Ejus reliqua ignorantur. Fuisse illum alterum Mamaeae maritum conjicit Marinius [b]).

Parentibus ergo Sex. Vario Marcello et Soaemiade natus Elagabalus anno fere V. C. 958, nam eum Herodianus anno 971, quo imperium arripuit, annos natum circiter XIV. adserit [c]). Emesae eum primam lucem vidisse verisimile est; illum enim Iulianus Aug. το ἐκ της Εμεσης παιδαριον vocat [d]). Nomina tum habuit *Varii Aviti Bassiani* a majoribus collecta. Adultior una cum consobrino Alexandro creatus est sacerdos dei Elagabali, cujus Emesae templum magnificum et opulentum stetit [e]). Nulla adhuc ad summum fastigium spe mansit in ea fortuna, dum avia Maesa artes muliebres expediret. Ea sororis Domnae beneficio hucusque in aula versata, sed inde post Caracallae exitium a Macrino pulsa, et in patriam Emesam reversa, cum vita illi privata ipsa morte intolerabilior videretur, nepotem Elagabalum respexit, per quem amissam fortunam repararet. Edocta longo in aula usu praesentis imperii omnem statum, tum machinas omnes, quibus magnae fortunae pervertuntur, tenues adsurgunt, militum a Macrino aversione in rem suam usa coepit comminisci, Elagabalum ex furtivo Caracallae cum Soaemiade congressu conceptum. Is rumor cum in milites efferretur, qui ad tuendam Phoenicen prope Emesam castra habuere, iis jam pridem forma pueri captis, cum in urbem commeantes pretioso indutum habitu pontificatus munia obire viderent, tum corrupti pecunia, quam longa parsimonia corrasam Maesa liberaliter erogaverat, effectum facile, ut Elagabalum cum avia, matre, et omni familia die XVI. Maji V. C. 971 in castra reciperent [f]), et tanquam Caracallae filium nomine *M. Aurelii Antonini* imperatorem salutarent. Re audita Macrinus Iulianum cum militibus mittit, qui seditiosos coercerent. At hi quoque promissis illecti, tum moti superstitione

a) L. LXXVIII. §. 30. b) Frat. arv. p. 509. c) in Macrino. d) in Caesarib. e) Herodian. l. c. f) Dio. L. LXXVIII. §. 30.

novi Antonini sibi de vallo ostentati caeso duce in partes discedunt. Quare Macrinus ipse in aciem progressus inter Syriae, ac Phoenices fines signa confert die VIII. Iunii, sed a majore suorum parte proditus victoriam et imperium aemulo puero cedere cogitur [a]). Rei gestae fama tam celeriter Romam pervasit, ut fratres Arvales Elagabalum, quem die VIII. Iunii victorem diximus, jam *pridie idus Iul. in Capitolio convenerint ad vota annua suscipienda pro salute et incolumitate imp. Caes. M. Aurelii Antonini Pii Fel. Aug. P. M. tr. pot. cos. procos.*, verba sunt illustris fragmenti ante paucos annos in Vaticano, cum fundamenta aedificandae sacristiae jacerentur, reperti, quo acta diurna fratrum Arvalium continentur.

V. C. 971. P. X. 218.
TR. P. COS. P. M. P. P.
Antonino Aug. Advento II. cos.

Victor Antiochiam ingressus ad senatum scribit, se ipsum non exspectata patrum sententia imperatorem, Caesarem, filium Antonini, Severi nepotem, Pium, Felicem, Augustum, proconsulem addita trib. potestate appellans [b]). In Macrini locum se hujus anni consulem edicit [c]). Iam in Syria caedes orditur. Instituto Romam itinere Nicomediae hiberna agit [d]).

Cum in numis Elagabali astrum areae adfixum vix compareat ante ejus consulatum III., omnes illi numi, qui dicto astro carent, et alia nota chronologica destituuntur, hoc anno, et proxime sequente signati videntur.

* * *

A. IMP. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in AR. moduli ordinarii, radiatum in AR. mod. majoris.*
B. ANTONINVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AR.*
C. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. *Caput laureatum in AR.*
D. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR. radiatum in AR. maj. mod.*
E. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. etiam radiatum in AE. II.*
F. IMP. CAES. ANTONINVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*
G. IMP. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*
H. IMP. C. M. AVR. ANTONINVS. P. F. AVG. *Caput laureatum in AV.*
I. IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS. P. F. AVG. *Caput laureatum in AV.*
K. ANTONINVS. V. PIVS. FEL. AVG. *Vide infra sub nomine Antonini.*

* * *

Vt lit. D.

LIBERALITAS. AVG. *Liberalitas stans.* AE. III. sed est anima subaerati. (Mus. Caes.)

Romam ut venit, ait Herodianus, (in Elagab.) - - - *distribuit populo congiarium, ut mos est imperium suscipientibus.* At vero congiarium, quod in urbem adven-

a) Dio L. LXXVIII. §. 39. b) Dio L. LXXIX. §. 2. c) ibid. §. 8. d) Dio ibid.

tans dedit, jam fuit numero secundum, ut videbimus in numis anni sequentis inscriptis: LIB. II. TR. P. II. Igitur prima haec liberalitas, quam adductus numus praedicat, ob successionem in imperio erogata fuit, et quidem ab Elagabalo absente, cujus exemplum in Macrino quoque vidimus, et altera anni proximi ob ejus in urbem adventum, aut verius ob nuptias Paulae, quarum occasione fuisse eum in omnes ordines munificum tradit Dio [a]). Numus praesens subaeratus quidem est, atque hac de causa auctoritatis per se levis. Tamen et Mediobarbus aeneum cum liberalitate simplice recitat, et cum certum sit ex numis fuisse Elagabalum anno sequente liberalem secundo, indubitatum est, praecessisse aliam, eamque anno praesenti adsignandam.

* * *

Vt lit. F.

NOBILITAS. *Mulier stans d. hastam, s. Victoriolam.* AR. (Mus. Caes.)

Perspicuum est, Elagabalo nobilitatem fuisse debitam, ex quo Caracallae se filium ferre constituit. Supra diximus, commentum istud Maesae fuisse, quanquam, cui notus Caracalla, incredibile videri non debeat, illi cum Soaemiade, quo tempore in aula versabatur, illicitum commercium intercessisse, non abhorrente ab ea suspicione Herodiano. Istud si verum, miserum sane aevum, quo adulterium non infamiam, sed nobilitatem intulit. Atqui Caracallae eum filium publice fuisse agnitum, confirmat fragmentum fratrum Arvalium supra laudatum, in quo Elagabalus dicitur DIVI. MAG*ni* ANTONINI. FIL. DIVI. SEVERI. NEP.

* * *

Antica varia.

P. M. TR. P. COS. P. P. *vel:* PONTIF. MAX. TR. P. *Roma sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. AE. I. II.

Reliqui: SALVS. ANTONINI. AVG. — VICTORIA. ANTONINI. AVG. — VOTA. PVBLICA. aliique, inscriptionibus, et typis obviis.

V. C. 972. P. X. 219.
TR. P. II. COS. II. P. M. P. P.
Antonino Aug. II. Sacerdote II. cos.

Consul iterum Nicomediae procedit [b]). Romam proficiscitur, spectacula magnifica instruit, dei Elagabali cultum intrudit exstructo ei templo [c]).

* * *

Vt lit. G. et E.

ADVENTVS. AVGVSTI. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AV. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Numi hi ex facto ad hunc annum revocandi.

* * *

Vt lit. A. et B.

CONSVL. II. *addito in aliis:* P. P. *Aequitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

LIB. AVG II. P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *Imperator in suggestu congiario praesidet.* AV. (Mus. olim de France.) *Alius, ut lit. E, et scriptum* LIBERAL. AE. (Mus. Caes.) *In aliis:* LIBERALITAS. AVG. II. vel: LIBERALITAS. AVGVSTI. II. *Liberalitas stans.* AR. AE. II.

---

a) L. LXXIX. §. 9. b) Dio L. LXXIX. §. 8. c) Herodian.

De hoc congiario actum anno praecedente ad liberalitatem I.

* * *

Antica varia.

P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *typis variis in omni metallo, et forma.*

Vt lit. I.

TR. POT. II. COS. II. P. P. *Imperator in lentis quadrigis d. ramum, s. sceptrum cum aquila.* AV. (Mus. Caes.)

Indicatur hoc typo processus consularis hujus anni.

V. C. 973. P. X. 220.

TR. P. III. COS. III. P. M. P. P.

Antonino Aug. III. Eutychiano Comazonte II. cos.

Vt lit. E.

ADVENTVS. AVG. TR. P. III. S. C. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AE. II. (Mus. Caes.)

Repetitur, quod raro in numis, Elagabali in urbem anno superiore adventus.

* * *

Vt lit. G.

LIBERALITAS. AVG. III. *in aliis* IIII. *Liberalitas stans, in area astrum.* AR. (Mus. Caes.)

Binae hae liberalitates haud dubie in annum praesentem, et proximum erunt dispertiendae. Vtriusque causa ignoratur. In his factum fuerit, quod narrat Lampridius a), populo sortes fuisse distributas, quae dictabant decem camelos, aut decem libras auri, aut totidem plumbi etc. aut alias decem ursos, decem glires, decem lactucas etc. quibus populus aut lucri, aut risus appetens adfatim delectabatur.

* * *

Antica varia.

P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *variis typis, in area plerumque astrum.* In omni metallo, et forma.

V. C. 974. P. X. 221.

TR. P. IV. COS. III. P. M. P. P.

Grato Sabiniano, Claudio Seleuco cos.

Suadente Maesa Alexandrum consobrinum adoptat, Caesarem dicit, et secum consulem in annum sequentem designat. Paullo post facti poenitentia ducitur, eique insidias struit, sed quas maternae curae, et militum in Alexandrum propensio elidunt. (Vide haec explicatius in Alexandro.)

* * *

Vt lit. H et B.

SANCT. DEO. SOLI. ELAGABAL. *Quadrigae lentae vehentes lapidem conoidicum, circum quatuor perticae, quarum singulis impositus lapis conoidicus minor.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

CONSERVATOR. AVG. *Quadrigae lentae vehentes lapidem conoidicum una cum aquila alas explicante, in area astrum.* AV. (Mus. Caes.) AE. max. mod. (Belley B. L. hist. T. XVIII. p. 231.)

Vt lit. G. et E.

INVICTVS. SACERDOS. AVG. *Imperator togatus stans ante aram ignitam s. palmae ramum, humi bos victima, in area astrum.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

---

a) in Elag. c. 22.

Vt lit. G. et E.

INVICTVS. SACERDOS. AVG. *Imperator togatus stans ante aram ignitam s. palmae ramum, humi bos victima, in area astrum.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. G. et E.

SACERDOS. DEI. SOLIS. ELAGAB. *Typus similis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

SVMMVS. SACERDOS. AVG. *Typus similis.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *Imperator stans ad aram d. pateram, s. palmae ramum, pone duo hastilia, quorum unum in ferrum acutum desinit, alterum in conum.* AR. (Mus. Caes.)

Hi numi, insanum Elagabali in Syriacum suum numen adfectum testantes, non omnes anno praesente signati sunt: nam primo et secundo loco descripti propter delicatiora oris lineamenta annis superioribus certo debentur, reliqui quoniam barbulam luculentam ostentant, anno huic, et sequenti ejus postremo. Conjungere tamen illos etsi disparis aetatis placuit, quoniam argumento conjunguntur, certe nulla chronologiae jactura. De hoc deo, et Elagabali in eum studio haec habemus. Ejus religionem et nomen ipsum esse Phoenicium, diserte prodit Herodianus [a]. Nam habuisse eum apud Emesam, vel Emisam (utroque modo scribitur) Syriae vel Phoenices urbem, certe in utriusque confinio sitam templum maximum auro plurimo, et pretiosis lapidibus refertum memorat. Ejus nomen varie proditur. In marmore Gruteri legitur: SOLI. ALAGABALO [b]). At recte secundum numos marmor Pannonium editum nuper a cl. Schönwisner [c]): DEO. SOLI. ELAGABAL. Herodiano est Ελαιαγαβαλος, Lampridio, aliisque inferioris aevi scriptoribus *Heliogabalus*, Dioni Ελεγαβαλος [d]), at numi, quos citavi, *Elagabalum* diserte vocant. Etymon ex lingua Hebraica, aut huic adfine ducendum, et quidem priore sui parte ab אל, quae vox *deum* notat, indubitatum, quanquam de altera parte גבל litigetur, de quo vide Spanhemium [e]), et Belleyum [f]). Peregrinum hunc deum eundem fuisse cum Sole, numi praesentes, atque alia veterum testimonia abunde testantur, atque hinc fluxerit scriptorum minus eruditorum error, qui, quod pro Sole habebatur, qui Graecis ἥλιος, vocem hybridam *Heliogabalum* confixere. Ejus veram formam numi I. et II. clare ob oculos ponunt, nimirum figura coni, reliqua consona explicabit Herodianus, *simulacrum ejus*, inquit, *nequaquam, ut Graecis Romanisque manu factum ad dei similitudinem, sed lapis est maximus, ab imo rotundus, et sensim fastigiatus velut conus, color ei niger, feruntque delapsum coelo.*

Huic deo Elagabalum nostrum (nam a deo in cultorem appellatio fluxit) enixius fuisse addictum, quoniam patrium istud institutum fuit, et ejus ipse jam puer sacerdos, nequaquam mirum, quin et religiosum habebatur. At quod mox ab adito imperio, cum gentis imperantis suscipienda sacra ratio ipsa praeci-

a) in Macrino. b) Pag. 32. 12. c) Iter Pannon. P. II. p. 277. d) L. LXXIX. §. 11. e) Caes. Iuliani Preuves p. 46. f) B. L. hist. T. XVIII. p. 231.

peret, ipse edicto sanciret, ut aliis diis omnibus, atque ipsi etiam Iovi Elagabalus suus praeferretur, ipse imaginem numinis sui Romam praemitteret, in media curia loco edito collocandam, urbem ingressus ei templum constitueret, et barbarico ipse habitu ac ritu munia sacerdotis palam fungeretur, vetaretque, ne quis Romae deus nisi Elagabalus suus coleretur, id vero intolerabile cunctis visum. Accessit extremae amentiae argumentum illustre, quod cum caelibem suum deum esse nollet, uxorem ei circumspexit. Ac primo cum Palladem non indignam eo loco putaret, ejus simulacrum inde ex quo advectum Ilio fuerat, immotum in aulam transtulit, eamque nuptiales taedas in hunc diem aversatam compellere ad nuptias cum deo extra coelum Graecum nato tentavit. Continuo re curatius expensa, deo suo cum uxore armata et bellicosa non recte convenire, deam Coelestem, seu Vraniam Carthagine advehendam curavit, praeclaro istud consilio; nam cum qua Sol Elagabalus aptius convenientiusque jungeretur, quam cum hac Vrania, quam lunam Afri censuere? Tum vero urbe tota, ac per Italiam, nimirum nubentibus diis, indicta Theogamia, et dos per totum imperium descripta. Caeso imperatore patuit, invito Hymenaeo has coaluisse nuptias; nam pulsus urbe maritus Syriam, uxor Africam imperato divortio repetivere. Haec quae usque modo docui, vide copiosius apud Dionem a), Herodianum et Lampridium b). Exstitisse hunc deum Emesae adhuc Aureliani aetate, qui eum donariis et templis ornavit, refert Vopiscus c).

Numus ex propositis primus vectum publice deum Elagabalum exhibet. Idem factum refert Herodianus, nempe impositum eum vehiculo auro gemmisque distincto, deductumque ex urbe in suburbanum, quo loco ejus templum stetit, praeeunte currum imperatore ac frenos retinente, quem processum vide apud laudatum auctorem liberaliter descriptum. Quid notent quatuor perticae, quae currum ambiunt, et totidem conos sustinent, mihi incompertum, neque operae pretium, in omnia stultae superstitionis mysteria diligentius inquirere. Eodem modo Heliopoli quoque vehebatur deus Heliopolitanus, qui Sol item fuit. Sic enim de hoc Macrobius d): *vehitur enim simulacrum dei Heliopolitani ferculo, uti vehuntur in pompa ludorum circensium deorum simulacra.* Notus passim simulacrorum sic vectorum sacer ritus. Teste Herodoto e) apud Papremin Aegypti Martis signum una cum sacello curru quatuor rotarum vehebatur. Exempla plura alia vide in mea Sylloge I. Pag. 55. Ad idem argumentum pertinet numus II., qui Elagabalum *conservatorem Augusti* appellat, et conoidem hunc deum aquilae alis obumbratum exhibet, credo, quod Elagabalus aeque Solis ac Iovis dignitatem obtinuit more in Syria recepto, nam et Heliopolitanorum Coelesyriae numen utriusque dei

a) L. LXXVII. §. 12. b) in Elagab. c) in Aureliano. d) Saturn. I. 23. e) L. II. c. 63.

habuisse honores in horum moneta demonstravimus. Quo factum, ut fluctuaret ipse Lampridius, utrum Iovis, an Solis sacerdotem diceret Soaemiadis filium [a]), et Spartianus in eodem ancipiti deprehensus cum narrasset, ademptum Faustinae juniori templum, quod ei maritus Marcus sub Tauri radicibus fundaverat, addit, Elagabalum nostrum illud *sibi*, *vel Iovi Syrio*, *vel Soli (incertum enim id est) vindicasse* [b]).

Reliqui numi allegati imperatorem nostrum velut *invictum*, et *summum sacerdotem dei Solis Elagabali* proponunt, et quidem operantem sacris, cui muneri ut rite vacaret, atque secundum patrium institutum, circumcidit sese, et carnibus suillis abstinuit [c]). Offerunt hi numi habitum quoque, quo ministerii hujus tempore usus est, nempe *medio inter Phoenissam stolam sacram*, *et laenam Medorum*, ut eum describit Herodianus [d]), et alio loco: *incessit barbarico cultu tunicas indutus purpureas intextas auro*, *et manulentas et ad pedes demissas* [e]). Palmae ramus, quem sinistra tenet, quique in numis pluribus ad clavae similitudinem accedit, forte Phoeniciam religionis originem indicat; at hastilia cum indicatis attributis juxta defixa partem utique vesani ritus constituunt. Astrum superne in area defixum, ut in plurimis aliis Elagabali numis, deum Solem notat. In marmore Muratorii [f]) legitur Iunius Maternus SACER. D. S. HALAGAB.

* * *

Vt lit. G. et E.

P. M. TR. P. IIII. COS. III. P. P. *variis typis*, *plerumque in dei Elagabali cultu occupatis*. AV. AR. AE. I. II.

V. C. 975. P. X. 222.

TR. P. V. COS. IV. P. M. P. P.

Elagabalo IV. Alexandro Caes. cos.

Comperto, Elagabalum consobrino suo necem moliri, tumultuantur praetoriani, neque antea quiescunt, dum securitatem Caesari, et traditurum se omnes, quibuscum turpiter vixerat, promitteret. Renovatis insidiis, et orta rursum seditione ingressus castra ab iratis militibus una cum matre Soaemiade occiditur, corpus per urbem tractum in Tiberim abjicitur, quod factum circiter XI. Martii ex calculo Dionis, vi cujus imperavit annos III. menses IX., dies IV. [g]) aetatis anno XVIII. [h]).

Ejus pueri infamiam vitae, moresque inde a tenera aetate omni libidine corruptos animo reputans aut dubitabit, utrum vera sint omnia, quae de ejus amentia, et sordibus fidem omnem superantibus tradidere veteres, aut mirabitur patientiam Romanorum ipsum triennium et amplius hanc orbis pestem ferentium. Natus ea conditione, qua, si patrem Varium spectes, privati modum excedere non debuerat, si Caracallam, in despectis propter adulterinos natales habendus erat, dejecto muliercularum artibus, et velut per ludum Macrino in imperium intrusus, et per necessitatem agnitus, cum mox post aditam summam dignitatem conciliare sibi populorum studia per moderationis et vir-

---

a) in Elag. c. 1. b) in Carac. c. 11. c) Dio L. LXXIX. §. 11. d) in Elagab. e) in Macrino. f) Pag. 1113. 4. g) L. LXXIX. §. 3. h) Dio L. LXXIX. §. 20.

tutis specimina oportuisset, ea continuo ausus est, quae licere sibi alter, imperii per natales heres, prolatis virtute finibus, munita Caesaribus domo non putasset. Mitto, quae ab eo crudeliter et avare, nimirum ut insanis sumptibus aerarium sufficeret, in civium vitam ac fortunas decreta sunt; mitto etiam, quae per amentiam singularem, ac stuporem incredibilem, ut, cum coenam sibi ex pavonum, et lusciniarum linguis paravit, leones psittacis et phasianis pavit, interdum nonnisi calvos, aut luscos, aut podagrosos, aut surdos, aut longos, aut pingues ad coenam vocavit; in convivas repente leones et leopardos exarmatos immisit, aut iis coenam ex ebore, cera, aut marmore instruxit, aut cum omnes per urbem aranearum telas conferri in unum jussit, ex quarum pondere (confecta fuere decem millia pondo) de magnitudine Romae constaret. At fidem superant, quae de ejus impudicitiae sordibus memorantur. Non illi voluptas placita, quae secundum naturam esset. Stomachatus virilem conditionem, meretricem professus est, et meretricio adscito cultu invitavit praetereuntes, ut ad se accederent, accepitque munera ejus causa rependi solita. Ejus instituti feminas omnes in unum coactas militari more adlocutus commilitones dixit, cum iis de generibus voluptatum disputavit, et donativum dedit. Conquiri toto imperio jussit, si quos liberalioribus natura ad voluptates praesidiis instruxit, quos inter Aurelius Zoticus Smyrnaeus praecipuos honores abstulit, evocatus Romam, et regia pompa ad palatium deductus, qui cum obvium sibi Elagabalum, ut par erat, salutaret: *domine imperator, salve!* ipse muliebrem in morem inflexa molliter cervice, ne me, ajebat, dominum voces, domina enim sum. Nupsit vero etiam Hierocli Carico mancipio. Haec cum propalam, et in hac summi fastigii majestate patraret, aversi paullatim omnium ordinum ab eo animi, paratoque melioris spei successore exitum habuit, ut vidimus, vitae contaminatissimae respondentem. Vide haec apud Dionem, Herodianum, Lampridium.

Vxores. Quas lege matrimonii duxerat, tres fuere, *Cornelia Paula*, *Aquilia Severa*, *Annia Faustina*, hae quoque per vices repudiatae. Ex nulla pater evasit. De iis agetur in singularum numis.

Numi:

Vt lit. G. et E.

P. M. TR. P. V. COS. IIII. P. P. *Imperator togatus stans ante aram d. pateram, s. ramum, in area astrum.* AR. AE. I. II.

Quam acriter de his numis, etsi minime raris, propter inscriptum tribunatum V. a viris summis disputatum sit, dicemus abunde in tractatu de trib. potestate.

Numi commatis peregrini.

Hujus generis numi tam in *urbibus liberis* Graecis, quam *coloniis* copiosi signati sunt, at ne hujus imperatoris numi cum moneta Caracallae misceantur, quod non raro viris exercitatissimis accidit, cautio sit.

Nomina, ac tituli.

Varium Avitum Bassianum principio fuisse vocatum, altius diximus. *Varii*

nomen traxit a patre Sex. Vario Marcello, ut hunc appellatum supra ex Dione, et epigrammate bilingui docuimus. Quare ratio non est adserendi cum Lampridio a), ei hoc nomen datum ab avia Varia. Fuisse huic aviae nomen *Iuliae Maesae*, ex numis constat, Variam nullus praeterea prodidit. Satis ex his apparet, in nugis habendum, quod idem auctor parum emunctae naris ex aliorum sententia refert, fuisse nempe Elagabalum dictum *Varium*, quod *vario* semine, de meretrice utpote, conceptus videretur b). Obtinuit Varii nomen, donec illustrius Antonini usurpare inciperet, at hoc post ejus necem ex S. C. eraso iterum Varius vocari coepit c). *Avitum* aliquoties vocat Dio d), quin et Xiphilinus e), sed in quo corrupte legitur: *τον Λουπον τον της Μαισης ἐγγονον*, librariis prono errore ΛΟΥΠΟΝ pro ΑΟΥΙΤΟΝ legentibus, quod a nemine adhuc animadversum tandem suboluit egregio Reimaro ad sanam crisin nato factoque f). Tractum istud nomen ab avo Avito, diximus supra in diagrammate genealogico, valere autem ab Elagabalo jussum, cum primum in Antonini nomen invasit, testatur Dio g). *Bassianum* diserte appellat Herodianus h), nimirum ab abavo materno. Tria haec nomina in monumentis publicis non leguntur.

M. Aurelius Antoninus. Haec nomina sibi adrogavit, cum Caracallae per adulterium filius credi voluit, cui sive mendacio, sive dedecori revera imperium debuit. Eo interfecto, cum sanctum istud nomen male impositum homini turpissimo videretur, jubente senatu ex monumentis publicis erasum est i), ac tum convenientiora nomina ingesta *Pseudantonini* k), *Tiberini*, et *Tractitii*, quoniam unco per urbem tractus, et in Tiberim abjectus est l), *Sardanapali*, quia hujus Assyriae regis moribus vixit m), *Assyrii*, quod sacerdotum Syrorum habitu indutus saepe prodivit n). Adeo *Antonini* nomen per Pii et Marci sanctimoniam omnibus gentibus venerabile ac sanctum habitum, ac propterea a successoribus avide, etsi nullo ad id jure expetitum in Elagabalo turpiter desiit, nemine deinceps eam appellationem adfectante.

Non possum hoc loco praeterire insolentem capitis inscriptionem, quam exstare in numo argenteo Elagabali, qui in museum regis Hispaniarum migravit, testatur cl. Beauvais o), videlicet: ANTONINVS. V. Eam aliter capi non posse video, quam Elagabalum esse ex Caesaribus *quintum*, qui Antonini nomine praeditus fuerat. Si numus est integer, ac vera, qualis proditur, epigraphe, unicum istud est in omni antiquitate exemplum, quod principem a decessoribus homonymis addito numero distinguat, qui mos nostra aetate in discriminandis principibus obtinet. At video causam luculentam, cur istud Elagabalus contra omnem veterum morem constituerit. Nimirum ut Macrino consulatum, tanquam

a) Cap. 10. b) Cap. 2. c) Lamprid. c. 17. d) L. LXXVIII. §. 30. et L. LXXIX. §. 2. e) in Macrino. f) ad Dionis L. LXXVIII. nota 160. g) L. LXXIX. §. 2. h) in Macrino. i) Lamprid. c. 17. k) Dio L. LXXIX. §. 1. l) Dio l. c. Lamprid. l. c. m) Dio l. c. et L. LXXIX. §. 13. n) Dio L. LXXIX. §. 11. o) Hist. abrég. des Emp. T. I p. 328.

in imperium intruso, eripuit, ejusque nomen ex fastis erasit, ita numeratis quinque Antoninis Diadumeniano Antonini nomen velut indebitum, et injuria delatum ademit. Ex quo apparet, Elagabalum quinque tantum Antoninos, quibus ea appellatio vere competeret, agnosci voluisse, Pium, Marcum, Commodum, veros Antoninos, quibus deinde necessario addidit Caracallam, suum obtentu patrem, nam nonnisi per hunc jus illi in Antonini appellationem partum. Ergo praeter Diadumenianum exclusit etiam Getam, neque id mirum; nam praeterquam quod dubitari potest, fueritne hic unquam Antoninus dictus, a Caracalla hostis est judicatus, ejusque nomen ex monumentis expunctum. Exclusit etiam L. Verum, sed et hunc soli inferioris aevi scriptores Antoninum faciunt, certa monumenta ignorant, ut in ejus moneta dictum. Haec posteaquam commentatus fueram, forte in animadversionem Bimardi eundem numum describentis incidi [a]), quem laetabar idem mecum in ejus epigraphes explicatione sentire, quanquam verisimile eidem videatur, literam insolentem V monetarii vitio irrepsisse. Sic autem numum describit: ANTONINVS. V. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum.* ℞ VOTA. PVBLICA. *Imperator ad aram sacrificans.* Mazzoleno litera V expleri posse videtur legendo *Vranius* [b]), sed vereor, ut hanc conjecturam eruditis probaverit.

Pii et *Felicis* nomina continuo post susceptum imperium sibi adscivit, ut testantur numi, et quidem non exspectato senatus consulto [c]).

De *Elagabali* nomine actum in numis anni V. C. 974.

Pater patriae, Consul, Trib. pot.

Dixi in annalibus V. C. 971 ex Dione, Elagabalum statim omnes principum titulos, et citra patrum decreta arripuisse, tamen inter hos *patris patriae* elogium non memorat Dio. Sed illud jam exhibent numi ejus anni, et concordat laudatum aliquoties fragmentum fratrum Arvalium, quod est ejusdem anni.

De Elagabali *consulatibus*, et *tribunatibus*, iisque secum compositis vide, quae prolixe disseremus in tractatu de trib. potestate.

Discrimen inter numos Caracallae, et Elagabali.

Vt plerique utriusque Augusti numi, si curatius expendantur, certum aliquod, ad utrum pertineant, criterium offerunt, ita indubitatum etiam, esse nonnullos, ad quos ii quoque adhaereant, qui longius tempus in his studiis collocavere. Ex omni numero ii solum impediunt, qui faciem proponunt, quae adolescenti inde a XIV. aetatis anno usque XVIII., qui anni fuere Elagabali imperantis cardines, potest competere. Si qua lineamenta huic aetati aut detrahunt, aut addunt, numus haud dubie est Caracallae. Cum ergo in statuendo isthoc discrimine nonnunquam dubia obversentur, praesentis est instituti, in tironum cumprimis gratiam leges diacriticas ferre,

a) ad Iobert. T. I. p. 284. b) Animadv. in mus. Pisan. P. II. p. 280. c) Dio LXXIX. §. 2.

quas qui applicare voluerit, vix unquam in ferendo judicio peccaverit.

I. Cum caput prolixius barbatum est, aut provectioris aetatis, Elagabalo nequit convenire, qui annos XVIII. natus periit. Barba promissior in Caracalla circa trib. potestatem X. incipit, et simul certa, et constantia oris lineamenta. Elagabalus nonnisi postremo imperii anno barbam, eamque tenuem appendit.

II. Appellationes PART. MAX. aut BRIT. aut GERM. soli Caracallae convenire possunt, ut docet historia.

III. Eadem historia pro multis discrimen facile suppeditat. Sic cum leges: *Victoria Parthica*, vel: *Ludi saeculares*, vel: *Arcus Augg.* etc. Caracallae monetam intellige, et sic ἀναλογως monetam Elagabali.

IV. Caput nudum, aut solum nomen *Caesar* sine mentione *Augusti*, est solius Caracallae. Elagabalus simul Caesar, simul Augustus fuit. Ex eadem regula Caracallae proprii putandi numi inscripti: *Princeps Iuventutis.*

V. Cum legeris PONTIF. sine MAX., hos omnes Caracallae tribue. Nam cum duo simul erant Augusti, lege usque ad Balbinum et Pupienum constante is tantum erat pontifex maximus, qui dignitate praestabat. Exstant tamen numi Caracallae vivo adhuc Severo signati, in quibus is P. MAX. dicitur, verum has voces non explendas *Pontifex Maximus*, sed *Parthicus Maximus*, dixi in numis Caracallae ad annum V. C. 955.

VI. Si in numo trib. potestas cum consulatu conjungitur, omnis tollitur ambiguitas. Caracalla nonnisi in tribunatu V. fuit consul I., contra Elagabalus in tribunatu V. consul IV. Qui numi trib. potestatem V. excedunt, sunt Caracallae; nam in quinta caesus est Elagabalus.

VII. Numi, in quorum aversa comparet astrum, sunt Elagabali. Nam in certis Caracallae, aut qui una cum eo principatum tenuere, Severi, Domnae, Plautillae, Getae, nunquam visitur, saepissime in numis Elagabali, sed non ante consulatum III., quin et ejus gynaecei. Constat, eo notari Solem Elagabalum imperatori cognominem.

VIII. Cum facies prorsus puerilis est, haud dubie erit Caracallae. Hic decennis a patre dictus est Augustus, Elagabalus annos natus fere XIV. Vbi numi ordine chronologico dispositi sunt, aetatis progressus in utroque Augusto manifeste apparet.

IX. Cum in inscriptione aversae occurrit AVGG., Caracallam item intellige; illo enim duo Augusti notantur. Caracalla partem imperii cum Severo, partem cum Geta fratre exegit. Elagabalus socium imperii Augustum non habuit.

X. Ad utrumque discernendum plurimum conferunt inscriptiones capitis. Etsi utrique communia nomina fuere *M. Aurelii Antonini*, tamen sive in horum modo, sive addendis aliis titulis ita variatum, ut hactenus unicam tantum ambobus communem epigraphen observaverim, nempe: ANTONINVS. PIVS. FEL. AVG., atque hanc rarius in Caracalla, et quem, quo tempore hac usus est, promissa barba jam satis discriminat. Quare nullo negotio, utrius sit numus, reperias, ubi ejus epigraphen cum syllabo inscriptionum Elaga-

bali, quas supra in ejus numis ad annum V. C. 971 congessi, contenderis. Fateor, aliter sentire Vaillantium, qui in Numis praest. T. I. p. 136 haec scribit: *Numi Elagabali ut distinguantur ab iis, qui ad Caracallam spectant, in area astrum plerumque habent, eadem enim utriusque capitis epigraphe.* Haec Vaillantius adserere potuit, quem constat inscriptiones capitis tanti fecisse, quanti cassam nucem, cujus eum iniqui judicii graves saepe dedisse poenas, jam saepe per hoc opus vidimus.

Haec, quae modo disputavi, fere tantum ad numos commatis Romani valent; nam in iis, quos provinciae dedere, seu urbium liberarum, seu coloniarum, non raro judicium desperatum, dubiis saepe ob scalpri ruditatem oris lineamentis, et capitis inscriptione utriusque Caesaris patiente. Copiosa sunt exempla, quibus viros etiam artis nostrae peritissimos in fraudem inductos fuisse compertum est. In his Caracallae saepe succurrit aut barba promissior, aut addita nomina *Severi*, *Britannici*, *Germanici*, tum epocha iis inscripta litem non raro resecat.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	R.
Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Aenei urbium liberarum, et coloniarum . .	C.
Alexandrini	C.

VXORES ELAGABALI.

Harum plures Elagabalum per vices duxisse, ex numis constat, et scriptoribus, etsi hi alteri in omnibus causis non satis consentiant, ut docebunt sequentes commentarii, quos posteaquam conscripsi, incidi forte in dissertationem cl. Belleyi a), qua is earum sibi succedentium ordinem figere instituit, quem cum in hoc conatu vix unquam a me dissentire viderem, licuit ea, quae scripseram, relinquere intacta.

a) B. L. T. XLII. p. 60.

IVLIA CORNELIA PAVLA.

Eam nobilissimo satu editam refert Herodianus a), atque id jure, si ex vetere gente Cornelia originem traxit. Certe Corneliam eam appellant Dio b), et numi externi. Iuliae nomen, quod ei numi passim tribuunt, nihil ad generis claritudinem confert, quoniam Augustae hac aetate a Domna usque ad Mamaeam, id nomen adfectabant, perinde ac Augusti appellationem Antonini, ut jam observavit Spanhemius c). Teste Dione d) illam duxit Elagabalus, quo celerius, ut ajebat, pater fieret. Ex quibus verbis, tum et Herodiani, eam in uxorum catalogo primam recitantis e), atque etiam numis Graecis, quos infra proferemus, certum fit contra Tristanum, et Spanhemium f), Paulam nostram nequaquam ordine movendam, eique tempore, quod volebant, praeferendam Anniam Faustinam, quam revera fuisse postremam mox docebimus. Augustam continuo appellavit maritus, nuptiasque eximia in omnes liberalitate, et magnificis ludis celebravit g). Factum istud V. C. 972, haud dubie paullo postea, quam ex Bithynia Romam pervenit. At quoniam malo suo occultam in corpore maculam habuit, ut testatus est autopta Elagabalus, satis causae visum moroso marito, cur repudiata illa ad alias nuptias transiret h). Huic illam calamitati non ante autumnum V. C. 973 fuisse involutam, mox ex numis Graecis demonstrabo. Iussam deinceps ademptis omnibus Augustae honoribus privatam vitam agere, testatur ibidem Herodianus. Ejus reliquum fatum ignoratur.

Numi:

IVLIA. PAVLA. AVG. *in omni metallo et forma.*

IVLIA. PAVLA. AVGVSTA. *in AE. I.*

CONCORDIA. *vel:* CONCORDIA. AVG. *vel:* CONCORDIA. AETERNA. *Concordia sedens.* In aliis: *Elagabalus et Paula stantes, et dexteras jungentes, adstante nonnunquam in earum medio figura velata.*

Numi alii cum typis obviis: VENVS. GENITRIX. — FELICITAS. AVGVSTA. etc.

Numi commatis peregrini.

Ejus generis complures in museis servantur. In Graecis saepe legitur: IOΥΛΙΑ. ΚΟΡΝΗΛΙΑ. ΠΑΥΛΑ. Illustriores sunt ii, qui per inscriptos annos ejus tempora copiosius illustrant. Diximus fuisse nuptam V. C. 972. Cum hoc anno facile componuntur numi Alexandrini non infrequentes inscripti L. Γ. Ex eorum cognito calculo coepit annus III. exeunte Augusto ejusdem anni. Alium citat Vaillantius, Alexandrinum item cum anno Δ. Ergo exeunte Augusto anni 973 adhuc Augustum thorum occupa-

a) in Elagab. b) L. LXXIX. §. 9. c) Tom. II. p. 298. d) l. c. e) l. c. f) l. c. g) Dio, Herodian. ll. cc. h) Dio l. c.

vit. Ampliat terminum numus cum ejus capite signatus apud Tripolin Phoenices cum anno ΒΛΦ, quem edidit Pellerinius. Coepit hic in autumno anni ejusdem 973, ergo hujus initio Augustae honores adhuc obtinuit. At paullo post illis eam excidisse, persuadent numi Aquiliae, quae eam excepit, cum anno item Δ. Numos alios hujus commatis vide in laudata dissertatione Belleyi.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei	R.
Aenei max. mod.	O.
Aenei I. et II. formae	R.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, coloniarum, et Alexandrini	RR.

IVLIA AQVILIA SEVERA.

Repudiata inique Paula huic locum fecit. At gravissime senatum populumque perculere hae nuptiae, quod Aquilia virgo Vestalis esset, matrimoniumque nonnisi per sacrilegium conjungi posset. Maestos eapropter Quirites ut consolaretur, appetiisse se has nuptias ajebat, ut ex se pontifice maximo, et ex hac Vestale Maxima divini liberi nascerentur [a]. Ita quibus ex rebus illum oportebat in foro caesum verberibus in carcerem conjici, ibique morte multari, de iis ille, quasi pulcre factis, gloriabatur [b]). Habuit eo commune cum Paula fatum, quod ductam paullo post fastidivit, repudiavitque, sed aliarum quoque, quas deinceps sibi sociaverat, captum taedio, postremum in Aquilia nostra iterum acquievisse testatur Dio [c]). Infra ex numis externis docebimur, duci eam non potuisse maturius anno V. C. 973 jam ad finem vergente. Quid caeso Elagabalo ea factum, non reperio.

Numi:

IVLIA. AQVILIA. SEV. AVG. *Hujus caput.*
IMP. M. AVR. ANTONIN. PIVS. AVG. *Caput Elagabali.* AV. (Vaillant Num. praest. T. II. p. 271 et 276. edit. Rom.)

Praestantissimus est hic numus, etsi accurate utriusque faciei epigraphen proditam dubitem.

IVLIA. AQVILIA. SEVERA. AVG. *Hujus caput.*

---

a) Dio L. LXXIX. §. 9. Herodian. b) Dio l. c. c) l. c.

AEQVITAS. PVBLICA. — CONCORDIA. — LAETITIA. — VESTA. etc. *cum suis typis.* AR. AE. I. II.

Numi commatis peregrini.

Rariores sunt hujus classis numi. Inter hos praestant, qui annos praeferunt. Horum unus Caesareae Paniados exhibet annum CKΓ. 223. (Pellerin.) Coepit hujus aera in autumno V. C. 751, ergo numus, de quo agimus, signatus est ab autumno V. C. 973. Idem tempus exigit numus Alexandrinus inscriptus L. Δ. (Mus. Theup.) qui annus coepit eodem anno 973 exeunte Augusto. Sed exstant etiam numi cum anno posteriore, quales sunt Alexandrini L. E., qui annus coepit V. C. 974 fine Augusti, quos ergo signari oportuit inde ab hoc tempore usque ad Martium anni sequentis V. C. 975, quo caesus est Elagabalus. Ergo et his numis juvatur testimonium Dionis supra adductum, Elagabalum post ductas per intervallum alias ad Aquiliam redivisse. Vulgavit Pellerinius numum Gabalorum Syriae cum hujus capite, et anno CΞH. 268. Si verum est, aeram hujus urbis coepisse V. C. 707, quod nunc a plerisque creditum, erit numus signatus inde ab autumno V. C. 974, et conspirabunt tempora. Verum obstat, quod ex numis serius repertis probabile fit, ejus urbis aeram nonnisi in autumno V. C. 708 coepisse, quo posito annus CΞH. saltem anno dimidio imperium Elagabali excedit, ut dicemus in Addendis ad numos hujus urbis.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	RR.
Aenei max. mod.	O.
Aenei I. et II. formae	RR.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, coloniarum, Alexandrini .	RR.

ANNIA FAVSTINA.

Hujus Augustae genus ac fortunam paucis attingunt scriptores, sed nomen reticent, quod sufficiunt numi. De hac Dio a): *Basso crimen fuit, quod uxorem haberet formosam, et nobilem. Erat enim Claudii Severi, et M. Antonini neptis,* (ἀπογονος) *quam quidem ipse uxorem duxit, nec ei, ut mariti lugeret casum, injecto metu permisit.* Paullo infra b): *ne hanc quidem* (Aquiliam Severam) *diu retinuit,*

a) L. LXXIX. §. 5. b) §. 9.

sed aliam postea, *et hinc aliam atque aliam duxit*, *ac deinde rediit iterum ad Severam.* Denique Herodianus [a]): *sed eam quoque* (Aquiliam) *mox repudiavit tertia ducta uxore*, *quae referre genus suum ad Commodum dicebatur.* Ex his testimoniis confit, Anniam Faustinam, quam numi Elagabali uxorem constituunt, eandem esse cum anonyma, quam citati scriptores M. Antonini neptem, aut, quod perinde est, referre genus ad Commodum dixere. Nam utrumque hujus Augustae nomen ex Marci familia est, qui ex gente Annia oriundus fuit, uxoremque Faustinam habuit, ex quibus natae neptes, et abneptes utrumque nomen collegere. Sane et Iuniae Fadillae proneptis Antonini, quae desponsata fuit Maximo Caesari, meminit Capitolinus [b]). Suspicatur Fabricius, fuisse hanc Faustinam Lucillae filiam ex Claudio Pompejano altero ejus marito [c]). At nulla istud veri specie conjectat. Caesa est Lucilla V. C. 936. Esto, Anniam nostram postremo hoc anno natam fuisse, anno V. C. 974, quo eam junctam cum Elagabalo dicemus, egit annum aetatis XXXVIII. An verisimile, Elagabalum decem et septem tum annos natum appetiisse mulierem ejus aetatis, aut illi hac adhuc aetate illecebras constitisse adolescenti damnosas, quasque in ea praedicat Dio? Verius igitur fuit Marci ex hujus filiarum una abneptis; nam ἀπογονος, qua voce utitur Dio, in plures generationes porrigitur. Ductam eam V. C. 974, infra ex numis commatis peregrini probabimus. Repudiata perinde ac priores, et fuisse matrimonium perexigui temporis, probat non modo paucitas ejus numorum, sed etiam quod Elagabalus intra modicum tempus, quod inter has nuptias et mortem intercessit, alias adhuc uxores duxit, ac denique suam iterum Aquiliam respexit, ut ex Dione docuimus. Ea sola ex coaevis feminis Augustis arcessito Iuliae nomine abstinuit, nimirum cui opus non fuit alienum gentis decus affectare, cum satis per gentem Anniam, cujus surculus fuit, se nobilitatam existimaverit.

Numi:

Rarissimi sunt hujus Faustinae numi. Quare operae pretium fecero, si, quos ipse vidi, et probavi, aut ab idoneis praeconibus promulgatos novi, descripsero, sepositis in separatum articulum falsis, aut jure suspectis.

ANNIA. FAVSTINA. AVG. *Hujus caput.*

CONCORDIA. *Imperator togatus stans dexteram cum adstante Faustina jungit, in area astrum.* AR.

Numum hunc Baldinus in Romana Vaillantii editione ex museo abbatis Rothelin, nunc regis Hispaniarum, refert, eumque unicum, et singularem vocat, cum quo consentit cl. Beauvais [d]), et Belleyus, qui eundem numum vidit adprobavitque, ut testatur ipse in laudata dissertatione.

* * *

ANNIA. FAVSTINA. AVG. *Caput Faustinae lunae impositum.*

---

a) in Elagab. b) in Maximo. c) Nota 24 ad Dionis libr. LXXIX. d) Hist. abr. des Emp.

PIETAS. AVG. *Mulier velata stans ante aram d. extenta, s. acerram.* AR. maj. mod.

Numus hic ex museo comitis Ariosti, nunc Caesareo, editus est a Khellio [a]), estque ex eorum genere, quos ex majore modulo inde a Caracalla ad Elagabalum usque percussos supra in Caracalla diximus, in quibus Augustarum caput semper lunae impositum conspicitur. Quoniam per omnia Europae musea unicus tantum argenteus hujus Augustae numus est cognitus, mearum esse partium videbatur, ejus probitatem ad omnes artis nostrae regulas explorare. Pars aversa incorrupta certe est, nullique suspicioni obnoxia, ut adeo de numi antiquitate dubitari nullatenus possit. Reliquum ergo totum examen in una antica versatur. Etiam in hac caput, quod nitidissimum est, et fabricae primaevae opus, omni cura liberat. At characteres, quoniam solito majores nitidioresque aut sunt, aut quod evenire circumspectis solet, cum in re singulari in verum inquirunt, tales videntur, scrupulum injecere. At vero cum repetitis curis nullum indicium aut recentis scalpelli, aut excavatae areae, quae meditatam Faustinae inscriptionem admitteret, deprehenderem, praeterea pars numi controversa nihil primaevae patinae nigricantis amiserit, qua utraque numi pars obtegitur, absolvendum denique fuit illustre hoc cimelium, et cum propter raritatem numorum hujus Augustae, et quod unicus item cum hoc typo est, tum propter eximiam conservationem singulari gazae Caesareae ornamento cedit.

* * *

ANNIA. FAVSTINA. AVGVSTA. *Hujus caput.*

CONCORDIA. S. C. *Elagabalus et Faustina stantes dexteras jungunt.* AE. I.

Editus est a Vaillantio, et haud dubie ex museo Christinae, nunc Vaticano, in quo integer olim, ac nitidissimus servabatur, ut vidi ipse. Ex eodem editus est ab Havercampo ejus musei praecone. Quare mirum, praeclarum hunc numum ignotum fuisse erudito Beauvais, ut ipse testatur [b]).

* * *

Eadem adversa.

PIETAS. S. C. *Typus, ut supra in argenteo cum eadem epigraphe.* AE. I. (Mus. Farnes.)

Numi commatis peregrini:

Etsi perrari hi quoque, tamen facilius hujus generis unum reperias, quam commatis Romani. Ephesii aliquot proditi. (Vaill. num. Graec.) Aliarum urbium varios continet museum Theupoli, modo probae omnes fidei. Nonnullos dedere coloniae Berytus, Ptolemais, Sidon, Troas, quos vide apud Vaillantium et Pellerinium. Exstant denique Alexandrini inscripti L. E., quin et alium cum L. Δ. ex museo Ainslieano adjecit cl. Zoega.

Numi falsi aut suspecti.

Faustinae numis, quoniam eximiae sunt raritatis, idem accidit, quod Othonis, Pescennii, aliorumque, quorum co-

---

a) Subplem. ad Vaill. b) Hist. abr. T. I. p. 336.

gnitum est propter paucitatem pretium, ut adulteratorum ars falsos pro genuinis obtruderet, ex quibus eos solum memorabo, qui a clarioribus viris editi fidem propter auctorum existimationem possent reperire.

ANNIA. FAVSTINA. AVGVSTA. *Hujus caput, pone astrum.* IMP. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Caput Elagabali laureatum.* AV.

Eum Khellius ex illustri museo de France, quod fuit Vindobonae, in genuinorum numero edidit [a]). Ad hunc usque diem aureus hujus Augustae cognitus non est, sed neque praesentis ulla habenda ratio; nam etsi affabre effictus est, magnopere tamen ab ejus aevi fabrica abludit, ut ipse, qui numum diu exploraveram, ejus experimentum feci.

Memorabilis numus *Damasci* cum anno ΕΛΦ, quem ex museo Theupoli, in cujus catalogo binis locis describitur [b]), olim edidit Philippus a Turre Adriae episcopus, et genuinum judicavit in dissertatione epistolari ad Ioannem Astorium, quae deinde occasio fuit litis eruditae, qua ipse et Valsechius in causa trib. potestatis V. Elagabali commissi fuere. De ejus numi suspecta fide jam egi in moneta Damascenorum, quam non minus elevarunt viri alii periti, qui numum ipsi inspexere, ut serius testatus est ipse a Turre, ejus antea acer patronus [c]).

Geminus huic habendus numus *Raphaneae* Syriae cum anno AOC variis eruditis antehac probatus, sed modo spurius omnibus creditus, de quo vide a me dicta in moneta ejus urbis. Tamen novum rursus vindicem nuperrime nactus est cl. Sanclementium, qui similem alium musei sui omni prorsus suspicione immunem, et certissimis verae vetustatis signis ornatum adfirmat. At cum is non minus, ac praecedens Damasci numus causa epochae ab antiquariis vapulet, ut sua utrique cimelio constet fides, statuere non dubitat, Faustinam vel nunquam conjugio cum Elagabalo copulatam fuisse, vel certe, si ejusdem uxor exstitit, etiam post repudium, et ipsius Elagabali necem in honore habitam fuisse apud Alexandrum Severum, et apud Orientis populos, quam etiam numis omnis generis honestaverint. Vide haec, atque his plura apud ipsum auctorem [d]). Verum huic judicio graviter obstat, non modo quod peritissimi quique nostrae aetatis hos Raphaneae numos, quorum non pauci circumferuntur, et vidi ego quoque, ad unum omnes condemnant, sed etiam quod de fabro constat, qui cudere solebat numos hos mendaces, quod factum jam obiter indicavi in ejus urbis moneta, et satis etiam indicavit Belleyus [e]).

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei . . . . 0.

a) Subplem. ad Vaill. b) Pag. 802. et 1017. c) de ann. Elagab. p. 174 seq. d) de vulg. aera p. 241. 242. seq. e) B. L. Tom. XLII. p. 63. seq.

Argentei	RRRR.
Aenei I. formae	RRRR.
Aenei II. et III. formae	O.
Commatis peregrini:	
Vrbium liberarum	RRR.
Coloniarum	RR.
Alexandrini	RRR.

IVLIA SOAEMIAS.

Maesae ex Iulio Avito filia, Elagabali sive ex Sex. Vario Marcello marito, sive ex Caracalla adultero, nam utrumque ferebatur, mater. (Vide genealogiam in Elagabalo sub initium.) Ei secundum Dionem, et Herodianum nomen *Soaemis*, at in numis tam Latinis, quam Graecis *Soaemias*. Capitolini, et Lampridii *Semiamira* corruptum est. Lege de hujus mulieris nomine varie scripto, ejusque etymo observata Ios. Scaligeri [a]). Dicitur et *Iulia* ex adfectatione Augustarum ejus aetatis, ut dictum, et *Bassiana* in marmore Graeco, quod supra sub initium vitae Elagabali descripsi. De ejus vita, quamdiu privata erat, vix aliquid ex scriptoribus constat. Id certum, eam materterae Domnae favore Romam accitam in aula cum Caracalla circa annum V. C. 957 versatam; nam secus fabula de concepto ex Caracalla Elagabalo, qui anno circiter sequente natus est, fidem non reperisset. Verisimile est, vivo adhuc Caracalla, et non post hujus demum necem in patriam Emesam reversam; neque enim filius Elagabalus intra anni spatium Romanorum religionem dedidicisset, deoque suo cognomini tanto furore, qui contemnere eum qualecunque aliud numen jussit, adhaesisset, nisi inde ab infantia animum suum fanatico illo oestro imbuisset. Filio artibus Maesae contra Macrinum imperatore a militibus renunciato, commissoque VI. idus Iunias inter utrumque aemulum praelio magna pars victoriae fuit, cum inclinantem jam suorum aciem precibus ac lamentis opposito etiam filio puero, a fuga inhibuisset [b]). Mox Augusta, ut par erat, dicta tantum gratia apud filium valuit, ut is nihil in republica faceret, quod ipsa non probasset [c]). Sane prima fuit, nullo hactenus exemplo, quae a filio in senatum vocata in consulum subselliis consedit. Novum etiam senatus genus, id est, mulierum senaculum in colle Quirinali constituit, factaque tum Semiamirica senatusconsulta de legibus matronalibus, nimirum: quo quaeque vestitu prodiret, quae cui cederet, cui accedendi ad osculum venia esset, quae equo, quae äsino, quae mulo, quae bove veheretur, et quae sella, eaque

---

a) in Chronic. Eusebii p. 232. b) Dio L. LXXVIII. §. 38. c) Lamprid. in Elag. c. 2.

an pelle, an osse, an auro, argentove vestita [a]). Ex probrosis his ejus moribus facile creditum, fuisse Caracallae per stuprum cognitam. Filii insanos mores jam nemine ferente, omniumque studiis in Alexandrum conversis, orta militum seditione cum filio, quem mordicus ipsa complexa tenebat, in castris occiditur, corpus primum nudatum, tractumque per urbis vicos, postremo in cloacam abjectum est circiter XI. Martii V. C. 975 [b]).

Proles. Praeter *Elagabalum* alios quoque habuisse liberos docet marmor bilingue, quod supra sub principium Elagabali recitavi, quodque *Iulia Soaemias Bassiana faciundum curavit CVM FILIS marito, et patri amantissimo.*

Numi:

IVLIA. SOAEMIAS. AVG. *vel* AVGVSTA. *Hujus caput.*

VENVS. CAELESTIS. *Dea sedens puello adstanti pomum offert, s. hastam.* In aliis: *Eadem stans cum iisdem attributis.* AV. (Vaill.) AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Obvii sunt in Soaemiade hi typi. Venus Coelestis, seu Vrania, Syris Astarte, numen Syrum, et Soaemiadi adeo domesticum. De ea multa diximus in numis urbium Syriae late sumptae. Haec Venus nunc primum in moneta R. occurrit; nam aureum Agrippinae junioris cum epigraphe VENVS. COELESTIS. quem unus dedit Mediobarbus, negligendum puto. Deinceps in una adhuc Mag. Vrbica revertitur, scripto: VENVS. CELEST. Cautum tamen fuit, ne Syra haec dea more Syro proponeretur, haud dubie, ne populum offenderet peregrinitas.

In reliquorum aversa: *Caput et epigraphe Elagabali*, vel: IVNO. REGINA. — MATER. DEVM. *cum typis congruis.*

Cl. Beauvais Soaemiadis numum citat, in cujus aversa est caput Caracallae [c]). Mirum profecto. Vivente illo Soaemias necdum Augustae nomen, et adeo nullum in monetam jus habuit. Illo ac Macrino mortuis et evecto ad imperium Elagabalo tanto minus repugnat conjunctum utriusque caput, quanto impensius hic Caracallae et Soaemiadis filius haberi credique voluit. At tum necesse est adesse consecrationis indicia. Verius igitur videtur, qui Elagabalus est, pro Caracalla habitum, quam suspicionem patienter ferat vir eruditus, cui ipse causam praebuit, quoniam ad faciendam numo tam singulari fidem liberalior ejus mentio facienda fuerat.

Numi commatis peregrini.

Plurium Graecarum urbium habemus numos. Epigraphe: IOΥΛΙΑ. COAIMIAC, rarius COAIMIC, vel etiam COΥAIMIC, COΥAIMIΛC. In numo Sidetum musei Com. Vitzai: IOΥΛ. COAIMIΔA. Rariores sunt coloniarum numi, ut et Alexandrini.

---

a) Lamprid. ibid. c. 4. b) Dio L. LXXIX. §. 20. Herodian. in Elag. c. 8. c) Hist. abrég. T. I. p. 340.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	RRRR.
Argentei	vix R.
Aenei I. et II. formae	R.
Commatis peregrini: ut continuo dictum.	

IVLIA MAESA.

Domnae soror, Soaemiadis ex Iulio Avito mater, Elagabali avia. Postquam Severus imperium invaserat, ex patriae Emesae latebris sororis beneficio in aulam traducta, futuri non improvida rei pecuniariae operam dedit, quod ei deinceps magno ad perficienda, quae meditabatur, adjumento fuit. Nam caeso Caracalla aula excedere jussa, Emesaeque suae restituta, cum adsueta splendori aulico privatas tenebras fastidiret, videretque minus probari militibus Macrinum, didita inter hos fama, tanquam nepos Elagabalus Soaemiadis suae ex Caracalla filius esset, eos non minus Antoniniani nominis superstitione, quam profusis largitionibus impulit, ut Elagabalum Macrino sufficerent, effecitque, ut oblatum imperium relata insigni victoria solidarent, quam ipsa non parum promovit, quando fugientibus jam suis in mediam aciem cum Soaemiade provolans exemplum in se virtutis, et animi intrepidi dedit [a]). Ob collatam illustrem hanc operam aucta quidem subinde honoribus omnibus, et Augustae titulo ornata, verum cum mulier perspicax funestum nepotis exitum propter intractabile ejus ingenium, alteramque rerum suarum conversionem jure metueret, hac ipsa ejus insania in rem suam usa, persuadet Elagabalo, ut, quoniam ipse dei sui cultu, divinisque caerimoniis distineretur, adoptaret consobrinum Alexandrum, qui pro se terrena curaret [b]). Neque erat ad mulieris salutem consilium opportunius, certiusque; nam cum esset communis et Elagabali, et Alexandri avia, quamcunque deinde fortunam illa experiretur, paratum habuit imperii successorem, alterum ex filia Mamaea nepotem. Revera hic everso propter criminum atrocitatem Elagabalo rerum potitus omni observantia aviam est prosecutus, ipsa vero participe consiliorum Mamaea non cessavit praeclaris monitis imbuere adolescentiam nepotis, et veteres mores per alterius infamiam corruptos revocare. Denique mortua, ut optaverat, tranquille, et ab Alexandro coelitibus inserta est, ut dicetur.

---

a) Dio L. LXXVIII. §. 38. b) Herodian. in Elag.

Numi:

IVLIA. MAESA. AVG. *in nonnullis aeneis I. formae* AVGVSTAE. *Hujus caput.*
Aversae cum solitis Augustarum typis: FECVNDITAS. AVG. — PIETAS. AVG. — PVDICITIA etc. AV. AR. AE. I. II.

Diva Maesa.

De ejus consecratione haec Herodianus [a]): *Mortua est Maesa jam senior, consecuta honores, qui Augustis tribui consuevere, et ex instituto Romanorum consecrata.*

DIVA. MAESA. AVGVSTA. *Caput velatum.*
CONSECRATIO. S. C. *Maesa ab aquila sursum elata.* AE. I. (Vaill.) AE. II. (Patin.) In alio: *Rogus.* AE. (Romae in mus. cl. Vicecomitis.)

De praeclara rogi in postremo hoc numo pictura vide, quae commemorabo in tractatu de numis consecrationum.

Numi commatis peregrini.

Iusto numero suppetunt Maesae numi tam in urbibus liberis, quam coloniis signati, quoniam Augustos honores non modo per totum Elagabali imperium, sed etiam partem Alexandri obtinuit. In numis Alexandrinis dicitur MHT. CTPA. id est: μητηρ στρατοπεδυ, *mater castrorum*, quod nomen delatum etiam fuit ejus filiae Mamaeae, ut olim quoque Faustinae juniori, et Domnae. Ipsa vero ante alias honorificum istud nomen promerita, quod in praelio cum Macrino in mediam aciem progressa exemplo suo fugientes revocavit, ut diximus.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	C.
Aenei I. et II. formae	C.

Commatis peregrini: ut continuo dictum.

M. AVRELIVS ALEXANDER SEVERVS.

Natus parentibus Gessio Marciano, et Iulia Mamaea (vide genealogiam in Elagabalo) in Phoenice apud Arcam Caesaream Libani in templo ipso Alexandri M., cum forte parentes die festo Alexandri, ut solemnitati interessent, eo venissent [b]). Natum circa annum V. C. 958 P. X. 205 colligitur ex Lampri-

a) in Alex. Sev. b) Lamprid. c. 13. et 5. Victor.

dio [a]). At si verum est, quod refert Herodianus, fuisse eum natum annos decem, quo tempore Elagabalus adclamatus est imperator, et duodecim, cum adoptatus est, natum oportuit V. C. 961, P. X. 208, sed qui peccavit in annis Elagabali, potuit et peccare in annis Alexandri. Natalem Lampridius statuit eum ipsum diem, quo mortuus est Alexander M. [b]), sed cum de hoc ipso satis certi non simus, etiam alter ambiguus est. Bucherius Kalendas Octobres ex vetere Kalendario eruit [c]). Nato nomen fuit secundum Dionem *Bassiani* [d]), secundum Herodianum *Alexiani*, de cujus origine vide plura infra sub *nominibus*. Elagabalo consobrino ad imperium promoto aulam secutus privatus in hac ipsum triennium mansit, dum consiliis Maesae, quae multo ante praeviderat, praesens Elagabali imperium propter quotidiana insaniae monstra durare non posse, ab hoc adoptaretur anno V. C. 974 saltem ante autumnum, ut docet numus Caesareae Libani Phoenices, quem ibi dedimus. Ceterum fuisse et hunc Caracallae filium creditum, diserte Dio [e]), et Herodianus, diditamque fuisse passim hanc famam, comprobant non pauca per Gruterum marmora, in quibus Alexander Antonini Magni filius, Severi nepos praedicatur. Quin et ipse se Caracallae filium tulit, ut patet ex ejus constitutione [f]): *et quae a divo Antonino patre meo, et quae a me rescripta sunt.* Item ex lege alia [g]), et dixit Zosimus quoque, fuisse eum ἐκ της Σεβηρȣ γενεας καταγομενον [h]).

V. C. 974. P. X. 221.
CAESAR. PRINC. IVV. COS. DES. PONT.
Grato Sabiniano, Claudio Seleuco cos.

Adoptatus ab Elagabalo *Caesar*, et pro Bassiano *Alexander* dicitur. (Vide infra in nominib.) Consul in sequentem annum cum patre adoptivo designatur. Adoptionis Elagabalum haud multo post poenitet, quoniam ad hujus se mores conformare detrectabat. Quare insidiis Caesarem petit, sed quem avia ac mater ut adversus morum corruptelam, ita et contra vim consilio ac prudentia defendunt.

M. AVR. ALEXANDER. CAES.
Caput nudum.

INDVLGENTIA. AVG. *Mulier gradiens d. florem, s. vestem sustinet.* AV. (Vaill.) AR. (Mus. Caes.) In alio: *addito* S. C. *Caesar paludatus stans d. bacillum, s. hastam, pone duo vexilla.* AE. II. (Seguin. pag. 170.)

Novus ad certum Spei typum inscriptionis modus. Indicat haec, Alexandrum per unam Elagabali *Indulgentiam* ad Caesaream dignitatem evectum, at typus *Spem* imperio ex ea adoptione adfulgentem. Alterius numi typus principem juventutis designat.

* * *

Eadem adversa.

PIETAS. AVG. *Instrumenta pontificalia.* AR. (Mus. Caes.)

Solitus Caesarum typus, quibus ad dignitatem Caesaris pontificatus etiam honos addi consuevit.

---

a) Cap. 60. b) Cap. 5 et 13. c) Doctrina temp. d) L. LXXVIII. §. 30. e) L. LXXIX. §. 19. f) Cod. L. II. tit. 1. §. 8. g) Cod. L. XII. tit. 36. §. 4. h) L. II. c. 11.

V. C. 975. P. X. 222.

CAESAR. PRINC. IVV. COS. PONT.

Antonino Aug. IV. Alexandro Caes. cos.

M. AVR. ALEXANDER. CAES. *Caput nudum.*

PONTIFEX. COS. S. C. *Processus consularis in quadrigis d. sceptrum cum aquila.* AE. II. (Mus. Caes.)

Indicatur hoc typo, quod factum anno praesente prodidere fasti.

Eodem anno:

AVG. TR. P. COS. P. M. P. P.

Elagabalus Alexandrum semel atque iterum apertis insidiis ad necem deposcit. Eum avia atque mater, tum favor militum ab interitu vindicant. Desperato consensu, et Elagabalo circiter die XI. Martii a praetorianis interfecto, Alexander unus imperator agnoscitur, atque uno eodemque die a senatu Augustus, trib. potestatis, pontifex maximus, pater patriae dicitur [a]). *Severi* nomen recusatis Antonini et Magni suscipit, ipse Maesae et Mamaeae consiliis obsequens mores urbis emendat, veterem religionem restituit, viros ab integritate, et rerum scientia cognitos rebus gerendis praeficit [b]).

Praemonendum ad primos Alexandri Aug. numos, horum non paucos, qui per inscriptionem certe sunt hujus anni, velut: P. M. TR. P. COS., in area astrum perinde, ac in numis Elagabali ostentare. Diximus in hujus numis, eo notari deum Elagabalum, seu solem imperatori cognominem. Ejus in Alexandri numis explicandi aliam rationem non video, quam ut opinemur, retentum adhuc a monetariis receptum hactenus morem, donec ejectum, quod paullo post contigit, ex urbe peregrinum istud numen ex moneta quoque exulare est jussum. Atque id confirmatur non modo eo, quod multo plures hujus anni numi dicto astro abstinent, nunquam deinceps per reliquorum annorum monetam comparituro, verum etiam quod lineamenta oris perquam juvenilia in his appareant. Cumque eadem aetas observetur etiam in aliis numis astriferis nullo charactere chronologico praeditis, ut: AEQVITAS. AVG. — LIBERTAS. AVG. — SALVS. PVBLICA. — VICTORIA. AVG., dubium non est, eos his quoque principiis Alexandri applicandos.

A. IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. IMP. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

C. IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

D. IMP. CAES. M. AVREL. SEV. ALEXANDER. PIVS. FELIX. AVG. *in AE. max. mod.* (Vide infra in nominibus sub *Pius Felix.*)

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGVSTI. *Liberalitas stans.* AV. (Mus. Caes.) *In aliis:* AVG. AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. C. et D.

LIBERALITAS. AVGVSTI. S. C. *Im-*

a) Lamprid. c. 1. b) Dio, Herodian, Lamprid.

perator in suggestu congiario praesidens. AE. max. mod. (Harduin Opp. sel. p. 819.) AE. I. (Mus. Caes.)

Prima haec liberalitas, ut moris erat, suscepto imperio.

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. *addito in aliis* P. P. *Miles stans d. ramum, s. hastam, in area astrum.* AR. (Mus. Caes.) *In aliis alii typi praesente astro.*

Vt lit. A. et C.

P. M. TR. P. COS. P. P. *Processus consularis, in aliis alii typi absente semper astro.* AV. AR. AE. I.

* * *

Ad hunc etiam annum per oris lineamenta referendi numi: PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. P. P., qui historiae, et chronologiae aperte repugnant, sed de quibus agam in tractatu de trib. potestate.

* * *

IMP. MARCO. AVR. SE. AL. AV. *Caput laureatum.*

SACERDOS. VRBIS. *Imperator stans ante aram d. demissa ramum, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Singularem hunc, et vere antiquum numum olim edidi, et copiose illustravi [a]). Diximus in moneta Elagabali, Augustum hunc stolido consilio spretis Romanorum sacris Syram dei sui religionem, et Coelestis Carthaginiensium deae cultum in urbem infudisse. At constat etiam, Alexandrum statim ab adito imperio abolitis barbaris his sacris aviti cultus nitorem restituisse Herodiano istud diserte testante [b]). Ad hoc igitur factum numi praesentis et inscriptio, et typus adludunt. Ergo Alexander se vocat *Sacerdotem Vrbis*, scilicet Romae, quae ipsa dea habita fuit, et cujus numine res Romana regebatur, non vero ejus deae, in cujus tutela fuere aut Emesa, aut Carthago. Eodem modo quidam Sex. Valerius sese jactavit in marmore SACERD*otem* VRBIS. ROMAE. AETERNAE [c]). Numum hunc causa metalli, operis vilioris, et epigraphes in antica, cujus similis in moneta Romana non occurrit, non dubitem extra urbem fuisse signatum.

V. C. 976. P. X. 223.

TR. P. II. COS. P. M. P. P.

D. Mario Maximo II. L. Roscio Aeliano cos.

Incertum, ut et saepius deinceps, quae facta huic anno debeantur.

A. IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

B. IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AVG. *Caput laureatum, in AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *variis typis.* AV. AR.

Vt lit. B.

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. P. P. S. C. *variis typis.* AE. I. II.

Vt lit. B.

Eadem epigraphe. Amphitheatrum cum me-

a) Sylloge I. p. 103. b) in Alex. sub init. c) Rossi Memoriae Bresc. p. 271.

ta sudante, *foris tres figurae togatae*, *in area duo gladiatores pugnantes* AE. I. (Vaill.) In alio: *Amphitheatrum Titi*, *ab laeva frons templi*, *a dextera figura togata velato capite*, *cui adstat miles hastatus*, *juxta meta sudans*, *pone colossus capite radiato. Singuli arcus ornantur statuis*, *ex fastigio amphitheatri per gyrum eminent capita spectatorum.* AE. II. solito crassior.

Posteriorem hunc numum recens Romae repertum testatur cl. Baldinus Vaillantii ampliator. Idem et argenteum amphitheatri typo, eumque hujus anni ex museo abbatis Rothelin adjunxit. Quae causa fuerit, cur amphitheatrum Titi cum omni suo ornatu in praeclaris his numis sit propositum, Alexandri biographi reticent. Solum reperio apud Lampridium, eum lenonum, meretricum, et exoletorum vectigal, quod prius sacro aerario inferri solebat, ad instaurationem theatri, circi, et amphitheatri deputasse [a]).

V. C. 977. P. X. 224.
TR. P. III. COS. P. M. P. P.
Iuliano II. Crispino cos.

Vt lit. A. et B.

LIBERALITAS. AVG. II. *at in aeneis:* AVGVSTI. II. S. C. *Liberalitas stans.* AR. AE. II. (Mus. Caes.)

Difficile est, liberalitates Alexandri, quod notae chronologicae desunt, suis annis adsignare. Lineamenta in praesentibus annum, in quo sumus, deposcere videntur. Ejus causa esse potuit matrimonium forte hoc anno cum Orbiana celebratum.

* * *

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *sed in aeneis* PONTIF. MAX. *etc. typis variis.* AV. AR. AE. I. II.

V. C. 978. P. X. 225.
TR. P. IV. COS. DES. II. P. M. P. P.
Fusco II. Dextero cos.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. *sed in aeneis:* PONTIF. MAX. *etc. typis variis.* AV. AR. AE. I. II.

V. C. 979. P. X. 226.
TR. P. V. COS. II. P. M. P. P.
Alexandro Aug. II. C. Marcello Quintiliano II. cos.

Hoc anno Artaxerxes Persa victo Arsace Artabano regnum a Parthis ad Persas transfert.

Vt lit. A. et B.

LIBERALITAS. AVG. III. *sed in aeneis:* AVGVSTI. III. S. C. *Liberalitas stans.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

LIB. AVG. III. PONTIF. MAX. TR. P. V. COS. II. P. P. S. C. *Imperator congiario praesidens.* AE. II. (Mus. Caes.)

C. IMP. CAES. M. AVREL. SEV. ALEXANDER. AVG. *Caput laureatum.*

LIBERALITAS. AVGVSTI. III. *Idem typus.* AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Incerta tertii hujus congiarii causa.

* * *

D. IMP. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum.*

a) in Alex. c. 24.

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *Imperator paludatus gradiens d. hastam, s. tropaeum super humero.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *in aeneis:* PONTIF. MAX. *Aedificium elegans elatum, et statuis ornatum, et porticu clausum.* AR. AE. I. (Mus. Caes.) max. mod. (Reg. Gall.) *Alii aliis typis.*

Communis antiquariorum est opinio, hac substructione exhiberi thermas, quas ipse aedificavit, inducta aqua, quae, ut et ipsae thermae, *Alexandrina* dicebatur. De iis plura Lampridius [a]). Fecit et basilicam Alexandrinam latam pedes C., longam pedes M., ita ut tota columnis penderet, cujus imaginem sisti in praesentibus numis credere forte praestaret, nisi adderet idem Lampridius [b]), ab Alexandro morte praevento effici eam molem non potuisse.

V. C. 980. P. X. 227.

TR. P. VI. COS. II. P. M. P. P.

L. Albino, Max. Aemilio Aemiliano cos.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. *variis typis in omni metallo et forma.*

V. C. 981. P. X. 228.

TR. P. VII. COS. II. DES. III. P. M. P. P.

Ti. Manilio Modesto, Serg. Calpurnio Probo cos.

Vt lit. D.

LIBERALITAS. AVG. IIII. *Liberalitas stans.* AV. AR. (Mus. Caes.)

E. IMP. SEV. ALEXANDER. AVG. *Caput laureatum.*

LIBERALITAS. AVGVSTI. IIII. S. C. *Liberalitas stans.* AE. I. II. (Mus. Caes.) In alio: *Imperator congiario praesidens.* AE. max. mod. (Mus. Albani.) AE. I. (Mus. Caes.)

Terna tantum congiaria ab Alexandro praebita memorat Lampridius [c]), en jam quartum testibus his numis, et ex his adhuc constabit de quinto. Capto ex lineamentis augurio liberalitas haec anno praesenti debetur.

* * *

Vt lit. A. B. D. E.

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *variis typis in omni metallo et forma.*

V. C. 982. P. X. 229.

TR. P. VIII. COS. III. P. M. P. P.

Alexandro Aug. III. Cassio Dione II. cos.

Consul III. procedit conlega Dione Cassio, celebri rerum Romanarum scriptore, ac toties a nobis per hoc opus laudato.

* * *

Vt lit. D. et E.

P. M. TR. P. VIII. (*in nonnullis* VII.) COS. III. P. P. *variis typis, quorum unus anni hujus processum consularem sistit.* AV. AR. AE. II.

De tribunatu VII. aliquot hujus anni numis contra legem ordinariam inscripto vide, quae monebimus in tractatu de trib. potestate.

V. C. 983. P. X. 230.

TR. P. IX. COS. III. P. M. P. P.

L. Virio Agricola, Sex. Catio Clementino cos.

---

a) Cap. 25. b) l. c. c) Cap. 26.

Vt lit. D. et E.

P. M. TR. P. VIIII. COS. III. P. P. *variis typis, frequentius Sol capite radiato stans d. elata, s. globum.* AR. AE. I.

IMP. SEV. ALEXAND. AVG. IVLIA. MAMAEA. AVG. MATER. AVG. *Capita adversa Alexandri et Mamaeae.*

P. M. TR. P. VIIII. COS. III. P. P. *Imperator sedens d. Victoriolam, s. hastam coronatur a Victoria retro stante, ante illum figura militaris tenens clypeum super columella, cui inscriptum* VOT. X. AE. II. (Mus. Caes.)

Similem, sed cum TR. P. VIII. et AE. I. recitat Vaillantius.

* * *

Vt lit. D.

VICTORIA. AVGVSTI. *Victoria tenens clypeum, cui inscriptum:* VOT. X. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 984. P. X. 231.
TR. P. X. COS. III. P. M. P. P.
Civica Pompeiano, Peligniano cos.

Artaxerxes Persa victo Artabano Arsacidarum postremo Parthiam, quam post Darii clades Alexander M., dein aliquamdiu ejus successores Seleucidae, denique his ejectis Arsacidae Parthi pluribus saeculis tenuere, Persis post longum intervallum iterum subjicit. Ea felicitate elatus jam inde a biennio Romanis ipsis infestus omnem Asiam, quae ad se avito jure pertineret, tentavit repetere, bellumque Mesopotamiae, ac Syriae minari [a]. Desperatis pacis consiliis Alexander anno praesente, ut mox probare contendam, profectionem in Persas suscipit.

Non una est scriptorum sententia, quo anno Alexander Aug. in Persas exiverit. Ante omnes aspernanda ea, quam Herodianus, etsi coaevus, obtrudit, bellum istud anno demum XIV. Alexandri erupisse, qui tamen paullo altius Alexandrum annis non amplius XIV. imperasse scripsit, ex quo sequeretur profectionem in Persas, bellum ipsum, reditum Romam, triumphum de Persis, apparatum belli Germanici, ejus ipsam expeditionem, denique necem Alexandri intra unius anni angustias fuisse peracta. Ex recentioribus Pagius bellum hoc jam anno V. C. 981 inchoat [b], sed abunde is refutatur a Dione, qui cum facta anni V. C. 982 recenseret, quibus deinde totum suum opus absolvit, solum prava Artaxerxis consilia, et imminentia ab hoc Romanis pericula, necdum vero bellum jam tum gestum, quod sane non reticuisset, commemorat. Accedit, quod satis ex postremis Dionis verbis constet, Alexandrum ipsum ac praetorianos ineunte anno 982, et majore adhuc ejus parte Romae fuisse praesentes. Tillemontius, qui Pagii etiam sententiam argumentis aliis impugnat, belli initium ad annum V. C. 985 vel 986 figit, sed et hunc verisimiliter falli, mox ostendam. Mediobarbus annum V. C. 983 praehabet, cur istud, cum causam non addat, ignoro. Sane numi, quos ad hunc annum recitat, illud nullatenus persuadent. Qui inscribuntur sim-

a) Dio L. LXXX. §. 3. 4. Herodian. Lampr. b) Dissert. hyp. p. 176. seq. et Crit. Baron. ad hunc ann.

pliciter: PROFECTIO. AVG., quos velis, annos admittunt; nam carent notis chronologicis, ut et ii, qui VICTORIA. AVG. praeferunt, quosque eruditi passim ad stabiliendam suam sententiam advocant. Neque etiam typus Solis, velut certum Orientis symbolum, qui jam in numis anni 983 comparet, quidquam confert; nam dubium non est, jam ante Alexandri adventum propter metum hostis praepotentis, et Romanas ditiones, ut refert Herodianus, jam cum armis ingressi coactas in Mesopotamia legiones; verum de hoc non quaeritur, sed de profectione Alexandri. Enimvero numus, quem Pagius citat: P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. PROFECTIO. AVG. a), dubium omne facile dirimeret, at enim hic neque in Occone, quem tamen citat, reperitur, neque ex ullo alio museo descriptum reperire licuit. Alibi idem Pagius numum offert: P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. typo Alexandri curru triumphali invecti b), quo, ait, indicari victoriam alicubi relatam, sed ubi, inquit, nisi in Oriente? Verum et hic mihi numus ignotus, at bene notus alter similis, sed inscriptus: P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P., quo adeo typo notatur Alexandri processus consularis tertius.

Videtur annus ejus profectionis propius posse definiri ex numo, sed qui eruditis his viris non videtur fuisse cognitus, aut minus adcurate in catalogis propositus. Infra ad annum V. C. 986 numum intuebimur a Vaillantio inter aureos descriptum: P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. *Imperator paludatus in quadrigis triumphalibus.* Hic typus ad processum consularem referri nequit, cum consul III. annos abhinc quinque processerit, ergo ad triumphum, eumque unicum, quem de Persis egisse constat. Cum igitur certum sit, Persas anno V. C. 986, quo hic Vaillantii numus signatus est, jam victos triumphatosque fuisse, in hunc annum ejus profectionis initium referri nequit, ut existimavit Tillemontius, neque etiam verisimiliter in annum praecedentem, quae fuit altera ejus sententia, quoniam inter profectionem et reditum propter distantiam locorum, et quae interea plura alia secundum Herodianum ab Alexandro peracta fuere, saltem biennium videtur impensum. Ergo secundum citatum numum bellum istud non coepit post annum V. C. 984, quoniam certe finitum jam fuit V. C. 986. Neque tamen dissimulo, nequaquam repugnare huic numo, quo minus dicatur profectus imperator V. C. 983 et reversus 985, at tum dicere oportebit, renovari in hoc numo anno sequente signato memoriam triumphi anni praecedentis.

Atque haec modo disputata docent, hanc, de qua agimus, Alexandri expeditionem anno V. C. 984, aut saltem non citius anno 983 fuisse motam, ex quibus priorem legi, quoniam nonnihil probabile videtur, numum triumphalem eo anno cusum, quo triumphatum.

* * *

A. IMP. SEV. ALEXAND. AVG.
Caput laureatum in AV. AR.

B. IMP. SEV. ALEXANDER. AVG.
Caput laureatum in AE. I. II.

---

a) l. c. b) Crit. Baron. ad ann. V. C. 931.

* * *

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *Miles, aut Sol, aut Victoria stantes.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PROFECTIO. AVGVSTI. S. C. *Imperator eques praecedente Victoria, quae in aliis abest.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VICTORIA. AVG. *vel* AVGVSTI. *variis Victoriae typis.* AV. AR. AE. I. II.

Non satis expeditum, sintne hi numi hujus anni, utrum praecedentis cujuspiam, an testes victoriae de Persis, an de altera natione a legatis relatae. Exstant sane numi primo Alexandri imperantis anno percussi cum epigraphe, et typo Victoriae, etsi ipse in urbe tum adhaeserit, neque de externo aliquo bello quid constet.

Eodem anno:

Incipit PIVS.

Vide, quae de hoc titulo sub finem monebo.

IMP. ALEXANDER. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. X. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. AE. I.

Eadem adversa.

VICTORIA. AVG. *Victoria stans d. clypeum, s. palmam, humi captivus sedens.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

VOTIS. VICENNALIBVS. *intra coronam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 985. P. X. 232.

TR. P. XI. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

Lupo, Maximo cos.

Alexander cum valido exercitu Mesopotamiam ingressus Artaxerxem ingenti praelio superat, et ex imperii finibus ejicit. Haec Lampridius, Eutropius, Victor aliique. Ab his diversus Herodianus exercitum Romanum in tres partes divisum foedis cladibus, ac morbis misere attritum, coactumque Alexandrum magnis detrimentis acceptis inglorium in Syriam remeare. Vtrum verisimilius, dicetur ad numos anni sequentis.

* * *

IMP. ALEXANDER. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. *Sol stans, vel gradiens d. elata, s. aut globum, aut flagellum.*

Alii typi in anni hujus moneta mihi ignoti.

V. C. 986. P. X. 233.

TR. P. XII. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

Maximo, Paterno cos.

Intellectis Germanorum motibus omisso Oriente in urbem revertitur, et de Persis triumphat. (Vide numos.)

* * *

A. IMP. ALEXANDER. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. *Sol stans d. elata, s. flagellum,* in omni metallo et forma

Adversa incerta.

P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. *Imperator paludatus d. hastam, s. parazonium stat inter duos fluvios humi jacentes, et ab accedente retro Victoria coronatur.* AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

Adversa incerta.

P. M. TR. P. XII. COS. III. P. P. *Imperator paludatus in quadrigis triumphalibus.* AV. (Vaill.)

Vterque numus hic descriptus decus ex bello Persico partum offert. Alterius numi, aurei videlicet, jam anno V. C. 984 memini, quo loco de initio belli Persici disputavi. Exhibetur in hoc triumphus, quem de Persis victis egisse Alexandrum, testatur Lampridius [a]). *Post hoc Romam venit, triumphoque pulcherrimo acto apud senatum primum haec verba habuit etc.* addit, orationem hanc ad senatum habitam die VII. Kalend. Octob. Hoc disertius numus prior Alexandri in bello Persico virtutem praedicat, dum is a Victoria coronatus in medio duorum fluviorum proponitur, quibus Mesopotamia, quam Lampridius ex nomine *terras interamnanas* vocat, ejus nimirum belli theatrum indicatur. Herodianus, qui, ut ad annum superiorem monui, multus est in commemorandis cladibus, propter quas excedere Mesopotamia coactus est Alexander, cum ex his numis, tum testimonio Lampridii, aliorumque refellitur. Nam si inferior ex eo bello discessisset, perspecta ejus in omni vita moderatione ac prudentia, non admisisset honores, qui conferri nonnisi re prospere gesta sunt soliti, satisque habuisset dissimulare jacturam. Speciatim et Herodianum refutavit Lampridius, tanquam diversum ab aliis sentientem [b]). Refert idem, currum triumphalem a quatuor elephantis fuisse vectum [c]), at numus equos exhibet. Quare aut falsum edoctus est Lampridius, aut hic non ipsum triumphum, sed alium processum inter haec solennia peractum intelligit.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. V. *Liberalitas stans.* AV. (Mus. Caes.)

B. IMP. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum.*

LIBERALITAS. AVGG. V. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.) Est fabricae barbarae.

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGVSTI. V. S. C. *Idem typus.* In aliis: *Imperator congiario praesidens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Teste Lampridio [d]) Alexander eodem die VIII. Kal. Octob. concionem hujusmodi habuit: *Quirites, vicimus Persas, milites divites reduximus, vobis congiarium pollicemur, cras ludos Circenses Persicos dabimus.* Et paullo infra: *Alia die actis Circensibus, et item ludis scenicis deinceps congiarium populo R. dedit.* Numus alter argenteus praeter morem nomen *Pii* in antica omittit, et in aversa, quod in nullo adhuc Alexandri numo adverti, AVGG. pro solito AVG. offert. Animadversione utrumque dignum foret in numo consueti cultus, at cum barbarae sit fabricae, legem facere nequit.

V. C. 987. P. X. 234.

TR. P. XIII. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

Maximo II. C. Caelio Vrbano cos.

a) Cap. 56. b) Cap. 57. c) l. c. d) Cap. 57.

Germanis trajecto Rheno Gallias atrociter incursantibus Alexander cum exercitu in Gallias proficiscitur a).

IMP. ALEXANDER. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. AE. I. etiam radiatum in AE. II.*

P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P. *Sol stans d. elata, s. flagellum,* in omni metallo et forma.

Eadem adversa.

PROFECTIO. AVGVSTI. S. C. *Imperator eques d. hastam praecedente Victoria.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

IMP. ALEXANDER. PIVS. AVG. IVLIA. MAMAEA. AVG. MATER. AVG. *Capita adversa Alexandri et Mamaeae.*

PROFECTIO. AVGVSTI. *Imperator eques d. elata, s. hastam praecedente Victoria, et lauream d. ostentante, aliisque militibus aut praeeuntibus, aut sequentibus.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Hi numi ad praesentem in Germanos profectionem revocandi visi, quoniam in horum antica additur *Pii* nomen, quod non occurrit in aliis profectionis numis, quos descripsi ad annum V. C. 984, quosque propterea ad profectionem Persicam referendos putavi.

V. C. 988. P. X. 235.

TR. P. XIV. COS. III. P. M. P. P. PIVS.

Severo, Quintiano cos.

Alexander in pago Sicila prope Rhenum sui securus a paucis militibus instigante, ut creditum, Maximino circumventus una cum matre interficitur. Teste Lampridio vixit annos XXIX. menses III. dies VII. b). Quare si dies ejus natalis incidit in Kalendas Octobr., necesse est natum V. C 958, et caesum V. C. 988 VII. Ianuarii. At eodem teste c) imperavit annis XIII. diebus IX. Quoniam Elagabalus caesus est circiter XI. Martii V. C. 975, secundum alterum hoc testimonium oportebit statuere caesum Alexandrum circiter XX. Martii V. C. 988. Sunt, qui ejus necem in autumnum usque differant, sed cui sententiae repugnare numos Alexandrinos, mox separato articulo docebo.

Ejus mortem senatus populusque omnis gravissimo luctu accepere, qui magis intendebatur metu futuri, cognita Maximini successoris crudelitate, et moribus rusticis. In commemorandis ejus principis laudibus copiosi fuere scriptores veteres omnes dempto Herodiano, sed cujus fatente ipso Capitolino d) cognitum fuit in Alexandrum odium. Iam istud natum ad virtutem animum luculente probat, quod annum agens XVI. ad summum fastigium evectus, quae aetas in plerisque seniorum monita fastidit, ipse matri saluberrima monenti, quosque illa viros optimos, jurisque scientissimos in consilium adhibuit, obsecutus semper est. Praeclaris his institutis nativam indolem adjuvantibus factum, ut jure iis principibus accenseretur, quos eo loco dignissimos imperium R. nactum est. Vt facilis, comis, atque affabilis etiam erga infimos erat, sic ut propterea, accedente insuper formae

---

a) Lamprid. Herodian. b) Cap. 60. c) l. c. d) in Maximino c. 13.

gratia, in omnium esset amoribus, ita et sobrius, et frugalis in victu, et corporis cultu, in tractanda republica, et administranda tuendaque justitia adsiduus. Acer in restituenda militari disciplina, quam Elagabali vecordia corrupit, legiones integras, cum obsequium detrectabant, exauctoravit. Religionem eximie coluit, sed promiscue; nam si fides Lampridio [a]), in larario suo praeter cognita jam numina Christum, Abrahamum, Orpheum, Apollonium Tyanensem repositos habuit, matre Mamaea haud dubie ad Christiana dogmata hortante, quam fuisse Christianam, ut in ejus vita dicemus, passim creditum. Tam praeclaro principi ipsa virtus, sed quae fines excessit, exitium attulit; nimirum cum propter incredibilem in matrem pietatem etiam illis ejus consiliis morem continuo gereret, quae ipse minus e rep. fore intellexit, atque hac suadente parsimoniae intempestive studeret, magnum militum numerum, quorum ea aetate insatiabilis fuit cupiditas, ab se avertit. Sane cum sese ad necem quaeri, neque ullum saluti effugium videret, coepit ipse matrem, cui implicitus haerebat, incusare, sese ejus unius causa extrema pati [b]).

Vxores. De his vide, quae dicentur infra in Orbiana, uxore Alexandri unica ex numis cognita.

Numi:

IMP. ALEXANDER. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. XIIII. COS. III. P. P. *Sol gradiens d. elata, s. flagellum,* in omni metallo et forma.

Numi cum hac trib. potestate non infrequentes, tamen de alio aversae typo non constat.

Numi vagi.

Horum ingens numerus raris aversae typis, nisi obviis. Quare nonnisi illustriores ex omni agmine hoc loco describentur omissis reliquis. Pro horum aetate eruenda non parum conferet observare inscriptiones capitis, quas per intervalla, et certa lege variasse supra in numorum ipsorum descriptione vidimus.

* * *

A. IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum.*

AETERNITATIBVS. *Mulier stans d. globum, s. innixa columnae spiculum gestat.* AR. (Vaill.)

Haec aversae epigraphe inter adclamationes imperatoribus fieri solitas reponenda, quarum copiosas, quae huic inscriptioni adplicari possunt, apud Lampridium in Alexandri vita reperies.

* * *

FECVND. AVGVSTAE praedicatur in binis AR. musei Caesarei, sed aversa haec pertinet ad Mamaeam matrem. Idem sphalma redibit in moneta Gallieni.

* * *

B. IMP. ALEXANDER. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

IOVIS. (sic) PROPVGNATOR. *Iuppiter d. fulmen intentans.* AR. (Mus. Caes.)

a) Cap. 29. b) Herodian.

Iovi Propugnatori frequens est in Alexandri numis inscriptio, rarior IOVIS in casu recto, etsi non primo hactenus exemplo. Habemus in Alexandri moneta etiam *Iovem Conservatorem*, *Statorem*, *Vltorem*.

* * *

C. IMP. ALEXANDER. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

MON. RESTITVTA. S. C. *Moneta stans d. bilancem, s. cornucopiae, pro pedibus massa metalli.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. C. Caput radiatum.

RESTITVTOR. MON. S. C. *Imperator paludatus stans d. extenta, s. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Restitutorem monetae unus Alexander se in numis jactat. Auctore Lampridio [a]) is *vectigalia publica in id contraxit, ut, qui X. aureos sub Heliogabalo praestiterant, tertiam partem auri praestarent, hoc est, tricesimam partem. Tuncque primum semisses aureorum formati sunt, tunc etiam, cum ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses, dicente Alexandro, quartarios futuros, quod minus non posset. Quos quidem jam formatos in moneta detinuit, exspectans, ut, si vectigal contrahere potuisset, et eosdem ederet. Sed cum non potuisset per publicas necessitates, conflari eos jussit, et tremisses tantum solidosque formari. Formas binarias, ternarias, et quaternarias, et denarias etiam, atque amplius usque ad bilibres quoque et centenarias, quas Heliogabalus invenerat, resolvi praecepit, neque in usu cujusquam versari, atque ex eo his materiae nomen inditum est, cum diceret, plus largiendi hanc esse imperatori causam, si, cum multos solidos minores dare possit, dans decem, vel amplius una forma, triginta, et quinquaginta, et centum dare cogeretur.* Habes prolixum Lampridii locum, cujus nodos ut evolverent, operam multam, at fere inutilem dedere Causabonus, ac praecipue Salmasius, multum deinde in pari conatu feliciore cl. Dupuy [b]). At licet mihi a molesto hoc examine curam animumque abstinere, quod mei modo instituti non est, illustrare scriptores veteres, sed monetam veterem. Iam vero observare lectorem velim, memoratas has a Lampridio formas binarias, ternarias etc. tum et tremisses neque in Elagabali, neque Alexandri moneta reperiri, quorum sane numi hodieque obvii ac triti, aliam rationem non sequuntur, quam quae in proxime superiorum Augustorum re pecuniaria observatur. Vnum, in quo a praecedentium Caesarum more discessit, est, quod non perrexit ferire numos argenteos, quos Caracalla majore volumine signare instituit, de quibus vide, quae diximus altius pag. 220. Neque etiam in Alexandri numis probius est argentum, quin potius impurius, ut adeo, nisi haberemus testimonium Lampridii, et numorum praesentium, non sciremus, Alexandrum in re monetaria quidpiam immutasse.

* * *

Vt lit. A. et C.

PERPETVITATI. AVG. *Securitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

POTESTAS. PERPETVA. *Securitas se-*

a) Cap. 39. b) B. L. Tom. XXVIII. p. 683.

dens. AE. I. (Beauvais Hist. Emp. T. III. p. 429.)

Nova prioris numi epigraphe, sed quae deinde quoque recurret. *Perpetuitas* ab *Aeternitate* differre non videtur, nisi quod plus superstitionis huic, quam illi vocabulo tribueretur. Sic in marmore Gruteriano a) Diocletianum et Maximianum videmus dici *Aeternos*, at Caesares Constantium, et Galerium *Perpetuos*. In numis Floriani et Cari legitur PERPETVITAE. AVG. simili typo. Alterius numi aversa in hoc tantum imperatore occurrit.

* * *

D. IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AVG. *Caput laureatum.*

S. P. Q. R. AN. N. F. F. OPTIMO. PRINCIPI. PIO. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Belley ex mus. Pfau B. L. Tom. XIX. p. 475.)

Explicationem pete ex numo simili Hadriani.

* * *

E. IMP. SEVERVS. ALEXANDER. AVG. IVLIA. MAMAEA. AVG. MATER. AVG. *Caput utriusque se respiciens.*

TEMPORVM. FELICITAS. *Imperator globo stellato insidens d. grandem circulum humi attinet, per quem quatuor puelli nudi ingrediuntur. Ipse a Victoria retro stante coronatur, ad dexteram adstat Iuppiter d. hastam.* AE. max. mod. ex dupl. met. (Mus. Albani.)

Globus stellatus, circulus, puelli tempus, ejusque varias vices indicant, ut docemur numo Hadriani: SAEC. AVR., et variis numis Commodi.

Divus Alexander.

De ejus consecratione in haec verba Lampridius b): *Senatus eum in deos retulit. Cenotaphium in Gallia, Romae sepulcrum amplissimum meruit. Dati sunt et sodales, qui* Alexandrini *appellati sunt, addita et festivitas matris nomine, atque ipsius, quae hodieque Romae religiosissime celebratur natali ejus die.*

DIVO. ALEXANDRO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila*, in aliis: *Ara ignita.* AR. (Mus. Caes.)

Sunt hi ex eorum genere, qui pluribus post ejus consecrationem annis signati sunt, quod ostendam in tractatu de numis consecrationum. Coaevos ejus consecrati numos ex quocunque metallo nondum reperio.

Numi commatis peregrini.

Numi hujus classis in Alexandro, ut in aliis hujus aevi imperatoribus abundant.

Nomina, et honores.

Ei privato fuisse nomina *Bassiani* et *Alexiani*, principio diximus.

Alexander. Nomen istud illi ab Elagabalo, et quidem ita praecipiente deo Elagabalo, cum primum adoptatus est, datum refert Dio c). Secundum Lampridium istud factum, quod in templo

a) Pag. 161. 3. b) Cap. 63. c) L. LXXIX. §. 17.

Alexandri natus esset [a]). Probabilius videtur, quod narrat Herodianus [b]), primaevum illi nomen fuisse *Alexiani*, quo nomine fuit avus, dictum subinde *Alexandrum*, ut certius haberetur filius Caracallae, qui Alexandri M. sibi nomen adjecit.

M. Aurelius. Haec nomina traxit ab adoptante Elagabalo, ut patet.

Severus. Binis locis adserit Lampridius [c]), Severi nomen Alexandro a militibus datum ob ingentem vigorem animi contra militum insolentiam. Istud insigniter falsum. Iam enim primi Alexandri Augusti numi Severi nomen constanter addunt, quo tempore nullum adhuc severitatis documentum praestare potuit. Ex quo docemur, Alexandrum una cum Augusti titulo Severi nomen adoptasse. Ejus causa in promptu. Nam cum, ut initio dictum, Caracallae filius haberi voluerit, eo jure Severi nepos necessario fuit. Igitur ab avo pro ejus aetatis exemplo nomen sibi imposuit. Et sane, ut alias dictum, non raro in marmoribus *Magni* Caracallae *filius*, et *Severi nepos* appellatur. Quid quod propius illud a patre Caracalla trahere potuit, cui Severi quoque fuisse nomen, suo loco diximus.

Pius, *Felix*. Vtrumque hunc titulum satis mature Alexandro tribuunt numi, sed perpauci, iique rarissimi, omnes maximi moduli. En illos:

IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXANDER. PIVS. FELIX. AVG. *Caput laureatum.*

LIBERALITAS. AVGVSTI. *Imperator dat populo congiarium.* AE. max. mod. (Harduin Opp. sel. p. 819.)

Eadem adversa.

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *Imperator ante templum sacrificans cum pluribus figuris.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Eadem adversa.

P. M. TR. P. VIII. COS. III. P. P. *Victoria in quadrigis triumphalibus.* AE. max. mod. (Num max. mod. reg. Gall. tab. 22.)

Ex his numus prior haud dubie ad annum I. imperantis Alexandri pertinet, quia Liberalitati numerus non additur; alter est anni V. C. 981, tertius 982. Vtrumque etiam *Pii Felicis* titulum conjunctum legimus in marmoribus jam in TR. POT. VII. [d]) et in TR. POT. III. [e]) quin et in ipso aditu imperii secundum certas notas chronologicas: P. M. TR. P. COS. P. P. [f]). Numi Alexandrini ЄΤCЄΒ, *PII* titulum jam in numis cum anno Δ ostentant. At in reliquo copioso numorum Alexandri agmine alia lex obtinuit. Et ad *Pii* nomen quod attinet, in nullo alio cujuscunque metalli seu formae, demptis paucis maximi moduli, illud reperias ante trib. potestatem X., seu annum V. C. 984, ac tum quidem in monetam inductum non amplius deinceps omittitur, demptis numis aliquot aut semibarbaris, aut de permutatione matricum suspectis. At titulus *Felicis*, si citatos maximae formae numos demas, in nullo alio seu commatis Romani, seu peregrini legitur.

a) Cap. 5. b) L. V. c. 7. c) Cap 12. et 25. d) Muratori p. 459. 4. e) Gruter p. 190. 13. f) Gruter p. 1078. 8.

Nolim cum Harduino numos omnes et marmora, quae Alexandrum *Felicem* appellant, suspecta putare [a]). Nam nimis gravibus utrique testimoniis nituntur, et fuit sane Alexandro in utrumque nomen jus, tractum quippe ab adoptante Elagabalo, et, ut credi voluit, patre naturali Caracalla, quae sane ratio vera prae altera, quam statuit Lampridius, qui ab aliis *Pium* appellatum refert, sed potius ex opinione vulgi [b]). At vero anno demum V. C. 984 peculiari quodam modo illi fuerit decretus *Pii* titulus, et haud dubie per spectatam in matrem pietatem, atque is propterea non amplius deinceps intermissus.

Caesar. Notandus iterum geminatus Lampridii error, qui Alexandrum mox mortuo Macrino *Caesarem* a senatu appellatum statuit [c]). Aliud docent Dio, et Herodianus, ut suo loco est indicatum.

De tempore mortis Alexandri.

Ex disertis verbis Lampridii, qui Alexandrum imperasse annos XIII. dies IX. adserit [d]), necesse est, ut jam supra ad annum V. C. 988 adverteram, bonum hunc principem caesum ejusdem anni mense Martio. At Herodianus annos XIV. imperii Alexandro tribuit. Veterum scriptorum alii cum Lampridio, cum Herodiano alii consentiunt. Medium inter hos tempus definiunt Glycas et Cedrenus, qui imperasse annos XIII. menses VIII. statuunt. Recentiores plerique Lampridio adhaerendum putant, qui adeo mense Martio interfectum Alexandrum conficiunt, quos compendio citatos vide apud Mazzolenum [e]). Quam sententiam cupide amplexi sunt ii, qui trib. potestatem natali imperii renovatam contenderunt. Nam si statuatur Alexander in autumno mortuus, quod sensisse alios mox videbimus, modum non reperere, quo successoris Maximini tribunatum IV. extunderent.

At enim sunt argumenta in speciem gravia, quae differre Alexandri mortem saltem usque in autumnum anni V. C. 988 cogunt. Exstat lex data ab Alexandro Aug. die XIII. Augusti, Severo et Quintiano cos., qui fastorum omnium consensu processerunt V. C. 988. Ergo Alexander mense Augusto hujus anni adhuc superstes fuit. Hoc codicis Iustinianei oraculum [f]) tanti visum est erudito Dodwello, ut jam de tempore caesi Alexandri dubitari non posse audeat adserere [g]). Eodem, opinor, ex capite Mediobarbus Alexandri mortem in Octobrim differt. Advertit is nodus Pagium, cumque jam mensis Martius ejus animum occupasset, maluit mendum in lege suspicari, et adserere, pro *idib. Aug.* legendum *idib. Ian.* vel *Febr.* [h]). At enim aliud argumentum priore multo validius ad differendam in autumnum Alexandri mortem ex numo Amasiae Ponti, et inscripta huic epocha reperit Mazzolenus [i]). Coepit aera Amasiae, ut in ejus numis demonstravimus, in autumno anni V. C. 747. Exstat apud Vaillantium numus Mamaeae Amasenus

a) Opp. sel. p. 819 823. b) Cap. 4. c) in Alex. c. 1. et 2. d) Cap. 60. e) Animadv. in mus. Pis. Part. II. p. 146. f) L. II. de offic. praetor. g) Dissert. XI. Cyprian. h) Critic. Baron. ad ann. 235. i) l. c.

cum anno CMB, 242, quem adeo signatum oportuit ab autumo V. C. 988, verum qui istud, si Mamaea, filiusque jam in Martio ejus anni per vim occubuere? Ergo quo tempore iniit annus 242 Amisenorum, Alexander aut vixit adhuc, aut ejus illis mors nondum intellecta fuit.

Verum adversus hanc usque in autumnum moram insurgit Aegyptus ostentatis suis cum Alexandri, tum Maximini numis. Ad Alexandrum quod attinet, si is exeunte adhuc Augusto superstes fuit, oporteret existere ejus numos commatis Alexandrini inscriptos L. IЄ. Nam secundum cognitum Aegyptiorum calculum anno V. C. 988, quo mortuus est Alexander, valuit annus IΔ usque ad diem XXIX. Augusti, quo die inivisset annus Alexandri IЄ., sed quem in nullo adhuc catalogo reperi, anno postremo tam in numis Alexandri, quam Mamaeae constanter IΔ notato. At minus valeat istud argumentum, cum evenire facile possit, ut aliquando ex terrae sinu, aut museo adhuc ignoto eruatur numus anno IЄ insignis. Acrius urgebunt numi Maximini inscripti L. A. B. Γ. Δ. Ex his necesse est, numos L. A. signatos fuisse vel ante diem XXIX. Augusti V. C. 988, vel post. Istud postremum certe dici nequit; nam tum neque pro anno Maximini Γ, multo minus pro anno Δ locum reperiemus, ut patebit in moneta Maximini. Ergo necessario ante. At qua tum ratione Alexandrum adhuc vivum die XIII. Augusti praestabimus, ut docent hujus sententiae patroni ex subscriptione legis ab hoc imperatore hac die facta? Esto, Alexandrum uno alterove post hanc subscriptionem die caesum. An verisimile, potuisse nuncium caedis, et evecti ad imperium Maximini, ejusque a senatu confirmati intra XII. circiter dierum spatium ab ultimo Rheno ad Nilum usque pervenire, ei mox ab Alexandrinis haberi fidem, et adhuc signari numos inscripto L. A., antequam orta dies XXIX. Augusti literam A in B commutaret? Ab his igitur Aegyptiorum numis invicte docemur, non quidem, quod aliis placuit, Alexandrum jam mense Martio diem obivisse, sed tamen justo ante diem XIII. Augusti spatio, nimirum quantum requirebatur, ut agnito per provincias novo imperatori numi ferirentur. Qui memoratae subscriptionis testimonium volet regerere, ei probare incumbet, majorem esse subscriptionum, quas saepissime fallere deprehendimus, auctoritatem, quam numorum synchronorum. Earum intuta fides jam pridem cognita eruditis, ut pluribus locis, ac cumprimis in nota XII. in Maximinum probavit Tillemontius. Quod ad numum Amasiae attinet, qui Alexandri necem adhuc longius differt, hunc certe, etsi genuinum demus, atque in eo revera annum CMB exstare, insigniter fallere, facile ex jam dictis demonstramus, quoniam si Maximini annus A coepit post diem XXIX. Augusti, ut in hac doctrina evenire necesse est, annis Maximini Γ et Δ locus non relinquetur. Ex quo liquere manifeste arbitror, Alexandri mortem non posse longius, nisi fere sub mensis Iulii principium differri.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei et Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
Commatis peregrini:	
Vrbium liberarum, coloniarum, Alexandrini .	C.

VXORES ALEXANDRI SEVERI.

Tres a scriptoribus Alexandri uxores produntur, at quo illae ordine ductae, et utrum nati ex his liberi, reticent.

I. *Anonyma.* De hac Dio [a]): *duxit Mamaea et filio uxorem, quam tamen Augustam appellari passa non est; quin aliquanto post a filio avulsam in Africam relegavit, quam etsi Alexander diligebat, tamen matri, in cujus erat potestate, refragari non est ausus.* Acerbius istud persequitur Herodianus, qui addit praeterea, patrem uxoris, pertaesum injuriarum, quas sibi, ac filiae intulit Mamaea, confugisse in castra, eamque vehementius incusasse. Quare indignata mulier interfici eum jussit, et uxorem in Africam ejecit. At Lampridius ex Dexippo narrat [b]), fuisse eam Martiani cujusdam filiam, eundemque ab Alexandro Caesarem appellatum, at cum hic insidias imperatori compararet, his detectis eum interemptum et uxorem abjectam.

II. *Memmia* Sulpicii consularis viri filia, Catuli neptis, cujus obiter meminit Lampridius [c]). Ex hoc indicio numum confinxit Goltzius: SVLPICIA. MEMMIA. AVGVSTA, quem videre adhuc, nisi spurium, alteri non licuit.

III. *SALLVSTIA BARBIA ORBIANA.*

De hac ex scriptoribus nihil constat, ejus nomina solis numis, ac marmoribus debemus. Esse eam diversam ab anonyma, quam primo loco memoravi, eo conjicitur, quod in numis Augustae nomine decoratur, quem honorem anonymae illi fuisse negatum supra vidimus. Ad tempus matrimonii quod attinet, id unum ex numo Alexandrino per epigraphen L. Є. tenemus, eam Alexandro anno ejus imperantis V. convixisse.

* * *

a) L. LXXX. §. 2. b) in Alex. c. 49. c) Cap. 20.

SALL. BARBIA. ORBIANA. AVG. *Hujus caput.*
IMP. SEV. ALEXANDER. AVG. *Caput Alexandri laureatum.* Quin.

Hunc quinarium Khellius ex museo comitis Ariosti edidit, eumque praestantissimum numismation gemmae facile suppar appellavit [a]). Probat enim, Orbianam Alexandro fuisse matrimonio junctam, cum adhuc saeculo superiore crederetur, fuisse eam Decii uxorem. Hoc ut multum ad historiam imperatorum valet, ita vereor, ut quinarius praesens eam lucem possit praestare. Nam pridem dubium mihi movit epigraphe capitis Alexandri IMP. SEV. ALEXANDER. AVG., quae quidem, ut vidimus, valuit in numis aeneis I. et II. formae, in denariis aureis, et argenteis nunquam, in quibus semper legitur contractius ALEXAND. Si hoc compendio usi sunt monetarii in numis formae ordinariae, et majoris, multo magis usi essent in quinario. Vnito postea cum gaza Caesarea museo Ariostiano numus hic a me solicite exploratus etiam per literarum formam suspectus visus est, ut adeo ad faciendam historiae fidem ejus quoque testimonium sit suspectum. Ceterum exstitisse similem alium in museo cardinalis Buoncompagni, Gotifredus apud Spanhemium testatur, in cujus una superficie esset caput Alexandri, altera Orbianae [b]).

* * *

IMP. SEV. ALEXANDER. AVG.
SAL. BARBIA. ORBIANA. AVG.
Capita utriusque adversa.
IVLIA. MAMAEA. AVG. MAT. AVGVSTI. *Caput Mamaeae.* AE. max. mod. (Mus. Theup. p. 804.)

Hoc numisma si genuinum, qua suspicione saepe laborant numi maximi moduli, controversiam, cujus uxor fuerit Orbiana, plene dirimit.

* * *

SALL. BARBIA. ORBIANA. AVG. *Hujus caput.*
CONCORDIA. AVGG. *Mulier sedens d. pateram, s. cornucopiae.* AV. (Mus. Theup.) AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.
CONCORDIA. AVGVSTORVM. S. C. *Idem typus.* In aliis: *Alexander et Orbiana stantes jungunt dexteras.* AE. I. II. (Mus. Caes.)

Iam advertit Spanhemius, in his numis magis integris etiam ex tenui pictura satis perspici, imperatorem in parte aversa stantem nullo pacto Decium, at Alexandrum facile referre [c]), quod et ipse in meis observavi.

* * *

Eadem adversa.
MINERVA. VICTRIX. *Minerva stans d. Victoriolam, s. hastam, pro pedibus clypeus.* AR. (Mus. Caes.)

Ignotus fuit hic numus, antequam eum vulgassem in mea Sylloge I. p. 104.

* * *

Eadem adversa.
PVDICITIA. AVG. *Mulier sedens d. faciem velat, s. hastam.* AR. (Vaill.)

Eadem adversa.
TEMPORVM. FELICITAS. *Mulier sedens inter tres puellos, quorum unius ca-*

a) Subplem. ad Vaill. p. 147. b) Tom. II. p. 299. c) Tom. II. p. 300.

piti sinistram imponit, adstat Felicitas d. caduceum oblongum tenens. AE. max. mod. (Vaill.)

Numi commatis peregrini.

Horum non pauci notis jam *Sallustiae Barbiae Orbianae* nominibus alia addunt, ut:

ΓΝ. CΕΙ. ΕΡΕ. CΑΛΛ. ΒΑΡΒ. ΟΡΒΙΑΝ. CΕ. in numis Aegyptiacis apud Haym [a]), et Pellerinium [b]). Haec nomina a marmore Gruteriano in hunc modum explentur: GNAEAE. SEIAE. HERENNIAE. SALLVSTIAE. BARBIAE. ORBIANAE. AVG. CONIVGI. DOMINI. NOSTRI. AVG. [c]).

Γ. CΕΡ. CΕΙ. CΑΛ. ΒΑΡ. ΟΡΒΙΑΝΗ, ΑΥΓ. in numo Prusae ad Olympum, quem olim edidi [d]). Alterum nomen lego *Sergia*. Istud etiam praefert numus Sidetum max. mod. apud Theupoli [e]).

In Alexandrinis Orbianae numis legitur L. Ε. (Arigoni, Haym.) et L. ς. (Pellerin l. c.) certissimo argumento, eam Decio, aut quod alii opinati sunt, Hostiliano conjunctam non fuisse; nam horum imperium nequaquam in annum V., nedum VI. duravit, ne quidem in Alexandrinorum calculo.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	RR.
Aenei max. mod.	RRRR.
Aenei I. et II. formae	R.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum	RRR.
Coloniarum	O.
Alexandrini	RRR.

IVLIA MAMAEA.

Iuliae Maesae ex Iulio Avito filia, Domnae Aug. neptis, Alexandri Aug. mater ex marito Gessio Marciano Syro. (Vide stemma genealogicum in Elagabalo.) Vivo adhuc Severo in urbem ex patria Emesa traductam, Domnae nimirum indulgentia, in eaque circa annum V. C. 958, quo Alexandrum enixa est, versatam, eo liquet, quod et haec, ut supra in Alexandro probaveram, filium ex Caracalla concepisse credita est, qui per illud tempus pedem ex

a) Thes. Brit. T. II. p. 352. b) Mel. I. p. 232. c) Pag. 274. 2. d) Num. vet. p. 189. e) Pag. 804.

urbe non extulit. Sequens ejus fortuna incerta, et obscura, donec admoto ad imperium nepote Elagabalo coepit clarescere. Cum hoc Romam profecta filium, qui triennio post a consobrino Elagabalo adoptatus est, maternis plane curis protexit, ne aut prava imperatoris exempla ejus animum perverterent, aut hujus insidiis, quas is Alexandro mox post adoptionem struere coepit, e medio tolleretur. Filio per Elagabali necem ad imperium vocato ipsa jam *Augustae* nomine insignis [a]) omnem dedit operam, ne augustus adolescens a virtute ad vitia deflecteret, fuitque eo, quod rari est exempli, fortunata, quod filium, quoad vixit, praeceptis suis obsequentem habuit. Atque praeclaro huic matris sapientissimae instituto debebat orbis administratum per annos fere XIV. sancte atque integre imperium. Inter praeclaras has virtutes suis laboravit vitiis, quorum maxime foedum fuit arrogantia muliebris, qua ferre mulierem aequalem non potuit. Quam atrociter primam filii uxorem insectata fuerit, supra exposuimus. Regendae vero reip. partes adeo ipsa praecepit, ut adserere non dubitaverit Herodianus, penes Alexandrum nomen, et insignia imperii, at potestatem penes mulieres fuisse. Immoderatum faciendae pecuniae studium ipsi filio, qui omnia in matre tulit, improbatum est [b]), fuitque intempestiva haec parsimonia non postrema causa ejus calamitatis, cui ipsa demum in Gallia una cum filio succubuit, ut dictum in Alexandro. Adfectam immerito hoc supplicio senatus non minus, quam filium luxit, fecitque participem honorum, quos Alexandro defuncto publice constituit. Fuisse eam Christianis sacris addictam, et Christianam ab illustribus ecclesiae nostrae scriptoribus passim creditam, vide apud Tillemontium [c]).

Liberi. Praeter Alexandrum habuisse filiam Theocliam, quam is Maximo Maximini parricidae sui filio elocare constituerat, refert Capitolinus [d]).

Numi:

A. IVLIA. MAMAEA. AVG. *Hujus caput in AV. AR. rarius in AE. II.*

B. IVLIA. MAMAEA. AVGVSTA. *Hujus caput in AE. max. mod. I. II.*

C. IVLIA. MAMAEA. AVG. MATER. AVG. *in aeneis, in quibus ejus caput in antica ungitur cum capite filii.*

D. IVLIA. MAMIAS. AVG. *in aeneo.* (Elect. Woltereck p. 352.)

* * *

Vt lit. B. Protome Mamaeae alata cum loto in capite, et luna bicorni in occipite d. cornucopiae, s. taedam cum spicis.

FELICITAS. PERPETVA. *Augusta sedens s. hastam ab accedente muliere aliquid accipit; adstant mulier velata, et alia caduceum tenens.* AE. max. mod. (Mus. Pisani.)

Insignem hunc numum facit antica, in qua Mamaeam plurium dearum attributa Pantheon faciunt.

---

a) Dio L. LXXX. §. 1. b) Dio L. LXXX. §. 2. Herodian. c) in Alexandro p. 288. d) in Maximo c. 3.

* * *

Vt lit. A. et B.

IVNO. AVGVSTAE. *Iuno sedens d. florem, s. infantem fasciis involutum.* In omni metallo et forma. Vide typum hunc explicatum in moneta Lucillae Veri.

* * *

Vt lit. B.

MATER. AVGVSTI. ET. CASTRORVM. (*in AE. II. legitur* AVG. *et* S. C.) *Mamaea sedens d. porrecta, ante eam Pietas stans d. porrecta, s. acerram, pro pedibus ara, retro duo signa militaria.* AE. max. mod. duplicis metalli. AE. II. (Mus. Caes.)

Neque *matris castrorum* nomen novum post Faustinam juniorem, et Domnam. Sic etiam compellatur Mamaea in marmore Gruteri [a]), et frequenter in Alexandrinis perinde ac Maesa, MHTηρ CTPAτοπεδων.

* * *

Reliqui Mamaeae numi, etsi copiosi, typos memorabiles, aut novos non offerunt, qui fere sunt: *Fecunditas Augustae*, *Felicitas Aug.*, *Iuno*, *Pietas*, *Venus*, *Vesta*.

Numi commatis peregrini:

Sunt obvii, et saepe in his Mamaea jungitur cum capite filii.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Vt continuo dictum.

VRANIVS ANTONINVS.
SVLPICIVS ANTONINVS.

Teste Zosimo [b]) duo imperante Alexandro purpuram arripuere a militibus ipsis adversus imperatorem solicitati. Horum unus *Antoninus* motus rei periculo fuga sese subduxit, neque amplius comparuit. Alter *Vranius* servili ortus genere in ejus locum suffectus, sed paullo post captus ad Alexandrum perductus est. Horum posteriori, nisi forte Zosimus in hujus aetatis historia parum adcuratus ex tyranno uno binos fecit, tribuitur numus aureus singularis:

a) Pag. 271. 6. b) L. I. c. 12.

L. IVL. AVR. SVLP. VRA. ANTONINVS. *Caput laureatum modeste barbatum.*

FECVNDITAS. AVG. *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AV.

Suspectus hic numus per partem aversam videri posset, quoniam *fecunditas* inscriptio est ab Augustorum numis aliena, typus vero fortunam, non fecunditatem sistit. At cum Baro Bimardus, quem in hunc numum prolixe commentantem cumprimis consule [a]), suo suorumque judicio indubitatae antiquitatis mercem spondeat, ipse, qui numum non viderim, nihil habeam, quod opponam, libenter insignium virorum suffragio subscribo.

* * *

Commemorato Sulpicii Vranii Antonini numo exemplo Bimardi conjungo alium Graecum *Sulpicii Antonini.*

ΑΥΤΟΚ. ΣΟΥΛΠ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. ϹΕΒ. *Caput laureatum.*

ΕΜΙϹϹΩΝ. ΚΟΛΩΝΙ. ЄΞΦ. *Templum sex columnarum, intra quod lapis conoidicus.* (Haym. T. I. p. 292. Pembrock P. III. tab. 58.)

Addo alium, quem Mazzolenus a se Venetiis in museo Apostoli Zeno visum describit: (Animadv. in mus. Pis. P. II. p. 279.)

ΑΥΤΟΚ. ΣΟΥΛΠ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. ϹΕΒ. *Caput laureatum.*

δημαρχ ἐ ΞΟΥΣΙας. *Aquila.* AE. II.

Hunc Antoninum suspicatur Haymius esse eundem, cujus meminit Zosimus his verbis [b]): *Gallienus in Italiam Scythas expulsurus redivit ea tempestate, qua Cecrops Maurus, Aureolus, et ANTONINVS, aliique multi rebellarunt, at omnes unico Aureolo excepto seditionis suae poenas dederunt.* Verum aetas numi non satis congruit cum narratione Zosimi; nam annus ЄΞΦ, qui est aerae Seleucidarum, incipit ab autumno V. C. 1006 exiturus in autumno anni sequentis, quo Emisenorum anno labente coepit annus primus Valeriani et Gallieni, Zosimus autem Antonini seditionem pluribus annis serius constituit, quanquam et istud excuset Bimardus [c]), qui Haymii de hoc numo judicium ipse approbat. Sunt tamen praeterea adhuc alia non levia, quae contra pugnent. Facies ectypi Haymiani Elagabalum non diffitetur, ut et ea numi alterius teste ipso Apostolo Zeno, quem citat Mazzolenus. Atque etiam haec ipsa imberbis magis conveniet Elagabalo, quam tyranno; nam nunquam pueri, sed longiore armorum usu spectati arripuerunt imperium, inde vero ab Hadriano Augusti omnes, nisi cum aetas obstitit, barbam alebant. Ad haec non exstat numus coloniae Emisae cum alterius imperatoris capite, quam Caracallae et Elagabali; mirum vero, obscuro tyranno dedicatam ab hac monetam, cum istud, quod adhuc constet, non praestarent Alexandro, Gordiano, aliisque. Quod si valet judicium ex fideli Haymii typo captum, certe fabrica nitidior magis Elagabali, quam Valeriani aetati congruet, quod etiam de fabrica numi sui aperte profitetur Zeno. Quibus omnibus ad trutinam vocatis nescio, an numi hi non Elagabalo potius,

a) in Iobert. T. II. p. 348. b) L. I. c. 38. c) l. c.

aut etiam Caracallae sint tribuendi. Fateor, utrique omnino obstare annum epochae, sed non desunt exempla errorum a monetariis in notanda epocha admissorum. Atque etiam hic epochae annus unica fiducia est, qua Antonini tyranni causa nititur. Nam quod ad nomen Sulpicii attinet, poterat hoc esse praeditus aut Caracalla, aut Elagabalus, etsi istud ignoremus. Numi tantum Graeci Caracallae dederunt nomen Severi, Etruscillae nomen Cupresseniae, Gallieno Egnatii, Saloninae Chrysogones, quibus appellationibus abstinent numi Romani. Ceterum vide prolixiora de his numis judicia apud Haymium, et Bimardum [a]), Mazzolenum [b]), et Maffeium [c]).

C. IVLIVS VERVS MAXIMINVS.

C. Iulius Verus Maximinus, quae hujus imperatoris sunt nomina testibus marmoribus, natus est in Thracia parentibus barbaris, quorum alter e Gothis, mater ex Alanis fuit. Ejus prima vita pastoritia, at cum liberaliorem sibi fortunam a corporis robore, quo supra hominis modum valebat, auderet promittere, Romam venit, ejusque cum proceritatem, tum vires miratus Severus militiam sequi jussit. Sub hoc, et filio Caracalla cum varios ordinis sui gradus pervasisset, subinde taedio Macrini in patriam rediit, quo caeso reversus in castra paullo post ab Alexandro, ignaro tum, quem efferret, ad maximos honores propter laborum tolerantiam, et disciplinae militaris scientiam promotus est, et praefectus supplementis, quae ipse in Pannonia conscripserat. V. C. 988 Alexandrum ad bellum Germanicum secutus, fretus legionum in hunc odio recente, suorumque adfectu, imperatorem de se egregie promeritum perfide e medio sustulit, forte circa initium Iulii, certe non serius, ut supra in Alexandro probavi.

V. C. 988. P. X. 235.
TR. P. COS. DES. P. M. P. P.
Severo, Quintiano cos.

Caeso Alexandro Maximinus ab exercitu imperator adclamatus probante mox senatu resistere non auso. Filium Maximum Caesarem creat, omnesque Alexandri amicos aut loco movet, aut interimit. Rhenum transgressus Germanos bello impetit.

* * *

IMP. MAXIMINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum, etiam radiatum in AE. II.*

P. M. TR. P. P. P. *Imperator paludatus stans inter duo signa militaria d. elata, s. hastam.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

LIBERALITAS. AVG. *Liberalitas stans.* AV. AR. In aliis: *Imperator congiario praesidens.* AE. I. (Mus. Caes.)

a) ll. cc. b) de trib. pot. p. 181 et 279. c) Ant. Gall. p. 118.

Eadem adversa.

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra lauream.* AV. AR. AE. I. II.

Ad hunc annum, et partem sequentis referendi numi Maximini omnes, qui appellatione *Germanici* abstinent, qua illum in trib. potestate II. fuisse ornatum, ex sequentis anni moneta patebit.

V. C. 989. P. X. 236.
TR. P. II. COS. P. M. P. P.
Maximino Aug., Iul. Africano cos.

Germanos saepe vincit, magnisque incommodis adficit eorum agris late introrsum vastatis.

IMP. MAXIMINVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Processus consularis. In aliis alii typi, iique obvii.* In omni metallo et forma.

Eadem adversa.

VICTORIA. GERMANICA. S. C. *Imperator paludatus stans d. elata, s. hastam coronatur ab adstante Victoria, humi captivus sedens.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eodem anno:
Incipit GERMANICVS.

MAXIMINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum, etiam radiatum in AE. II.*

P. M. TR. II. COS. P. P. *Imperator stans inter signa militaria.*

Eadem adversa.

VICTORIA. AVGVSTORVM. S. C. *Maximinus, et Maximus paludati stantes dexteras jungunt, et simul Victoriolam tenent. Adsunt milites, et captivi.* AE. I. (Mus. Caes.)

Quod ex monumentis veteribus constet, Augusti honos in Maximum collatus nunquam fuit. Quare in hoc numo, aliisque similibus tantum propter consortium cum patre in ejus honoris partem venit.

* * *

Deinceps numi cum titulo Germanici, cum trib. potestatem non addunt, per reliquos Maximini annos nullo certo criterio vagantur, ut: FIDES. MILITVM. — PAX. AVGVSTI. etc.

V. C. 990. P. X. 237.
TR. P. III. COS. P. M. P. P. GERM.
Perpetuo, Corneliano cos.

Pacata Germania Sirmium in hiberna concedit.

MAXIMINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Imperator stans inter signa militaria.* In omni metallo et forma.

V. C. 991. P. X. 238.
TR. P. IV. COS. P. M. P. P.
An. Pio, Pontiano Proculo cos.

Dum bellum in Sarmatas meditatur, in Africa Gordiani duo Augusti acclamantur, in quorum nomina continuo omnis Roma, ac pleraeque provinciae juravere. His haud multo post caesis senatus Maximum Pupienum, et Balbinum Augustos, et Gordianum juniorem Caesarem sufficit. Quo intellecto Maximinus furore amens, et vindictam spirans profectionem in Italiam edicit.

In ultionem ruenti obstitit Aquileia, ad quam pertinaciter sese defendentem dum longius adhaeret, a militibus propter crudeles mores et annonae penuriam sibi iratis una cum filio Maximo occiditur. Cur omnia haec facta contra chronologorum omnium sententiam in hunc annum conjecerim, infra ratio expedietur.

Hujus principis mores magis ex belluae, quam hominis ingenio fuere. Iam istud ex belluarum more, quod montibus innutritus perdiu intra haec latibula vitam egerat, antequam in loca plana, cultaque emergeret. Neque vero per corporis molem, et virium incredibilia experimenta belluam est inficiatus, quae tantae fuere, ut vulgo Milo Crotoniates, Hercules, Antaeus vocaretur, quas non raro in die vini Capitolina amphora, et sexaginta libris carnis sustentavit a). Atque hoc corporis sui modo cum in risum aeque jocumque, ac sui commendationem uteretur, brevi effecit, ut non modo gratiosus apud principes, et contubernales, sed propter fortitudinem utilis etiam reip. esset, fieretque indies in re militari magis spectabilis. Tamen haec ferenda, partim etiam laudanda fuissent, nisi membrorum feritas in mores etiam transivisset. Quam ille ingratus in Alexandrum sibi beneficum, ac crudelis fuerit, supra exposuimus. Mox audito, imperium ab eo fuisse occupatum, tanta Romae propter cognitam ejus feritatem trepidatio fuit, ut passim vota in templis conciperentur, ne urbem unquam istud monstrum videret. Neque frustratus est communem orbis opinionem vexatis propter inexhaustam cupiditatem provinciis, caesis nullo discrimine, quorum aut suspectior fides, aut pinguior fortuna, aut quibus primaeva sua ignobilitas cognita fuisset, nimirum cui persuasum fuerat, ut professus est ipse, imperium nisi crudelitate teneri non posse; quo factum, ut, quae dirissima vetus aevum habuit nomina, Cyclopis, Busiridis, Phalaridis, sibi promereretur. At nunquam luculentior bellua apparuit, quam cum factum de se senatusconsultum accepit, quo hostis imperii judicatus est. Illisisse tum caput parieti, nonnunquam in terram se abjecisse, clamasse incondite, conscidisse vestem regiam, proximum quemque excepisse verberibus, auctor est Capitolinus b). Quare cum urbs extrema quaeque ab irritata hac furia timeret, nullus unquam nuncius majore gaudio ac gratulatione acceptus est, quam qui caesum tyrannum promulgavit, cujus fidem primum ambiguam paullo post comprobavit adlatum utriusque, patris ac filii, caput, quod aliquamdiu publice propositum, subinde in campo Martio insultante populo flammis exustum est c).

Vxor *Paulina*, de qua infra.

* * *

MAXIMINVS. PIVS. AVG. GERM. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. *Imperator paludatus stans inter signa militaria.* In omni metallo et forma.

MAXIMINVS. ET. MAXIMVS. AVGVSTI. GERMANICI. *Capi-*

a) Capitolin. c. 4. b) Cap. 17. c) Capitolin. in Maximo c. 5.

ta adversa, Maximini laureatum, Maximi nudum.

P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. *Maximinus paludatus inter signa militaria stans ante aram coronatur ab Hercule retro stante; ex adverso stans Maximus paludatus d. pateram, s. hastam, cui adstat Apollo nudus s. arcum tenens. In horum medio stat mulier globum juncta utraque manu tenens.* AE. max. mod. ex duplice metallo. (Mus. Caes.)

Vide, quae de hoc numo infra in moneta filii monebo.

* * *

De annis et trib. potestate Maximini, ut et de terminis imperii Gordianorum, Balbini, et Pupieni.

Nusquam alias hac parte implexior historia Romana, adeo discordibus ipsis veteribus, ut dubium videatur, sitne magis miranda eorum ignorantia, cum historiam summorum orbis principum, quorum aevum non magnopere a suo distabat, scribere meditarentur, an oscitantia, cum omissa crisi temere omnia, ac fortuito mandasse literis viderentur. Ex horum praeconiis imperavit Maximinus annis II. vel III. vel ipsis VI. Imperavere Gordiani Afri jam dies C. jam annum I. menses VI., jam annos adeo VI. At Balbinus et Pupienus jam dies XXII., jam menses III., jam annum I. jam II. Reliquae notae, quas adferunt, aut non cohaerent cum aliorum dictis, aut aperte sunt mendaces. Nolo brevitatis causa commemorare singula, quod ea explicate jam habentur in Tillemontii ad Maximinum notis, tum apud Mazzolenum [a]). His testimoniorum monstris cum nitendum esset eruditissimis aetatis nostrae chronologis, istud denique obtinuere, ut quanto plus indagarent, tanto plus ignorarent, et quamcunque demum sententiam amplecterentur, sibi diffiderent ipsi. Quare satius fore existimo, si, quaecunque ab his angustae mentis hominibus, quos inter Capitolinus omnium forte primus locandus, conscripta sunt, aspernabimur, et ex numorum fide, quibus testes incorruptiores non habemus, hujus aetatis chronologiam metiemur. Atque secundum hoc institutum lubet varia hujus aevi capita expendere, non quo sperem, me tenebras omnes depulsurum, sed quo pateat, quid in universa hac causa habeamus certum, et quae difficultates singulis sententiis opponantur.

I. *Caesus est Maximinus V. C. 991 P. X. 238.*

Viri omni laude majores, Onuphrius, Petavius, Calvisius mortem Maximini Octobri anni V. C. 990 P. X. 237 adfixerunt, opportunius alii anno V. C. 991. Abstineo argumentis, quibus posteriorem opinionem stabilire conatus est Tillemontius [b]). Numis rem agam.

Istud evincunt numi Romani tam argentei, quam aenei senatusconsulto signati, in quibus notatur trib. potestas IV. Horum fidem in dubium vocaverunt Tillemontius [c]), aliique viri praestantissimi. At existere ejus generis non paucos, testatur vel solum museum Caesareum, in quo non adnumeratis

a) Animadv. I. de trib. pot. p. 149. b) Nota V. in Maximinum. c) l. c.

duplicibus servantur quatuor diversi hoc tribunatu inscripti, ut praeteream alios, qui in catalogis adcuratis recitantur. Quantumcunque mature imperium Maximini ordiaris, quod ii, qui plurimum anticipant, saltem a Martio anni V. C. 988 ducunt, et quacunque renovati tribunatus sententia utare, necesse est, Maximini tribunatum IV. in annum V. C. 991 differri. Quam graviter per hunc tribunatum laborent ii, qui eum natali imperii instauratum adserunt, satis ex terminis ejus imperii apparet.

II. *Defectio Gordianorum in Africa non potuit contingere nisi eodem anno V. C. 991. P. X. 238.*

Hanc Petavius, et Calvisius inchoant anno V. C. 989 P. X. 236, Tillemontius V. C. 990 P. X. 237 a). Vtrique sententiae canore adversantur numi. Vocemus in judicium sententiam Tillemontii; nam hac eversa multo magis laborabit Petaviana.

Diximus articulo praecedente, exstare numos Maximini cum tribunatu IV., quorum alii notam S. C. praeferunt, eosque sine dubio V. C. 991 percussos. At qua id ratione verum esse posset, si jam anno praecedente defecissent Gordiani? Testibus Herodiano et Capitolino, cum primum Romam nunciatum est, Gordianis in Africa imperium fuisse delatum, continuo Maximinus hostis a senatu judicatus est datis ad omnes praesides literis, ut illam belluam omni vi persequerentur, mox inversae, et confractae ejus imagines, et in amicos omni crudelitate saevitum. An patres, qui Maximinum ex S. C. de summa potestate dejecerant, altero senatusconsulto ejus nomine pecuniam feriundam curaverint, quod semper summae potestatis confessio habitum est? An iidem patres, qui mox sua in Gordianos studia signatis horum imagine numis testata fecere, uno eodemque tempore et novis his Augustis, quos conservatores suos agnovere, et judicato patriae hosti monetam dedicaverint? Cui istud unquam sano persuadebitur? Sed venia danda viris illustribus, qui annum praecedentem maluere, quoniam numos Maximini cum tribunatu IV. aut ignoraverunt, aut in dubiorum loco habuerunt.

III. *Caedes Balbini et Pupieni serius non potuit contingere, quam ad summum exeunte Iulio V. C. 991. P. X. 238.*

Frequentes habentur numi Gordiani III. in Aegypto signati, qui annum imperii VII., nempe L. Z. offerunt. Cum constet, Gordianum caesum circiter mense Martio V. C. 997, et Aegyptios ut annos civiles, sic et annos imperii die XXIX. Augusti renovare solitos, necesse est, ut annus VII. locum habeat, anno I. Gordiani ante diem XXIX. Augusti V. C. 991 stationem adsignandam, quo die exorto continuo scribi coepit L. B. Hunc Gordiani annum I. eximie fuisse macilentum, colligitur vel ex ipsa raritate numorum Alexandrinorum, cum tamen aliorum annorum numi abundent.

a) Nota IV. in Maximin.

IV. *Anacephalaeosis rerum anno V. C. 991 P. X. 238. secundum praecedentia gestarum.*

Maximinus V. C. 990 domitis Germanis in Pannoniam regressus apud Sirmium hiemavit, et omnia ad vernam expeditionem, gentibus in septemtriones positis facturus bellum, comparavit. V. C. 991 sub ipsas Kalendas Ianuar. occoepit trib. potestatem IV. Forte initio Martii Gordiani in Africa imperatores adversus Maximinum salutantur. Afrorum suffragia gestiens laetitia senatus adprobat, et Maximinum hostem judicat. Die quinto, ex quo motum hunc intellexit Maximinus, Sirmio cum omni exercitu Italiam versus proficisci incipit [a]). Factum istud circiter initio Aprilis. Paullo post caesi in Africa a Capelliano Mauretaniae procuratore Gordiani. Senatus in re trepida Balbinum et Pupienum Augustos appellat, et huic bellum in Maximinum demandat. Maximini iter, quia improvisum et festinatum, ob rerum necessariarum defectum saepe impeditur, retardante etiam flumine in Aquileiae vicinia, quod solutis verno tempore nivibus late restagnabat. Exeunte Aprili Aquileiae obsidionem orditur Maximinus, Pupienus apud Ravennam exercitum comparat. Nulla propter propugnatorum pertinaciam deditionis spe Maximinus ab irritatis militibus cum filio occiditur forte medio Majo. Pupienus in urbem redit, et cum conlega Balbino remp. procurat. Vterque exeunte circiter Iulio caeditur, Gordianus imperium orditur, unde numi Alexandrini L. A. usque ad proximum diem XXIX. Augusti.

En probabilem hujus anni rerum gestarum seriem ex invicto numorum testimonio, multum quidem abludentem ab ea, quae secundum historicorum testimonia contexitur, ac vel ideo minus perturbatam ac fallacem, quoniam horum quisquilias et pinguem Minervam fastidivimus. Istud certum, optime eam convenire cum eo ordine, quem tenuit Herodianus coaevus scriptor etsi non adcuratissimus, tamen ex malis optimus.]

Consul.

Maximinum processisse consulem V. C. 989, nimirum ex recepto more proximis Kalendis Ian. electionem consequentibus, numi ac fasti docent, quibus quoque testibus hic fuit consulatus primus, nullo antea altero huic terrae filio delato. Serius iterum processisse consulem, ignorant numi fastique; verum his plus vidit oculatissimus Capitolinus, quo teste sic a senatu Pupieno et Balbino fuit adclamatum: *praesentem annum* (V. C. 991.) *consules vos ornetis, in locum Maximini Gordianus sufficiatur.* Non vacat, hanc quaestionem longius agitare, quam abunde decidunt ejus anni numi, quos attulimus, in quibus praeter trib. potestatem IV. legitur COS. simplex. His si fidem habuisset Tillemontius, necesse non fuisset, hunc Capitolini locum, ut inepte propositum et absurdum, ita suapte mendacem, explicatione mollire [b]). Numos Maximini inscriptos COS. II. sinceri catalogi ignorant.

a) Herodian. b) Nota V. in Maximin.

Germanicus, *Dacicus*, *Sarmaticus*.

Delati Maximino tituli *Germanici* meminimus in numis anni V. C. 989. At nonnulla marmora eum non modo *Germanicum Max.*, sed et *Dacicum Max.*, et *Sarmaticum Max.* appellant addita trib. potestate III., quale videre est apud Gruterum pag. 158 n. 6., et in columna milliaria ante annos non multos prope Essekinum reperta [a]). Ex quo apparet, Maximinum post victos Germanos anno V. C. 990 dimicasse cum Dacis, et Sarmatis, antequam Sirmium in hiberna concederet. Capitolinus [b]), et Herodianus belli jam tunc cum his gentibus gesti non meminere, sed solum commemorant, habuisse eum in animo, Sarmatas, et omnes Germaniae barbaras nationes Oceano tenus subjugandi.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	RRR.
Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
Commatis peregrini:	
Vrbium liberarum, et coloniarum	R.
Alexandrini	R.

PAVLINA.

De Maximini uxore haec Ammianus Marcellinus [c]): fuisse eam moribus placidis, et saepe ferum maritum ejus mansuetudine ad mitiora consilia fuisse revocatum. Ejus nomen neque ille, neque alter quisquam prodidere. Censent eruditi, ei adjudicandos numos, qui *Paulinae* nomine inscribuntur, etsi certam ejus judicii rationem non teneant. Nimium subtiliter abbas Fontenu Paulinam Maximini uxorem statuit propterea, quod eam Maximus Caesar facie multum referat, nempe ut matrem filius [d]). Vivae numismata desunt, consecrationis notam omnia hactenus reperta praeferunt. Ex quo confit, si modo fuit hujus Augusti, vivo marito diem obivisse. Si fides Syncello, et Zonarae, ab ipso Maximino ad mortem adacta est.

* * *

a) Schönwisner Iter Rom. per Pann. p. 67. b) Cap. 13. c) L. XIV. sub init. d) B. L. Tom. X. p. 467.

DIVA. PAVLINA. *Caput velatum.* CONSECRATIO. *Pavo stans.* AR. In aliis: *Pavo Paulinam hastatam sublime efferens.* AR. AE. I. In aliis: *Diana lucifera in citis bigis manibus oblongam facem tenens.* AE. I. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	O.
Argentei	RR.
Aenei I. formae	R.
Aenei II. et III. formae	O.
Commatis peregrini	O.

C. IVLIVS VERVS MAXIMVS.

Filius Maximini, et forte Paulinae secundum ea, quae paullo ante in hujus moneta observavimus. Vt egregia forma, ita moribus improbissimis fertur fuisse, ac cumprimis superbia non ferenda, cujus exempla plura memorat Capitolinus in ejus vita. A patre in imperii aditu dictus Caesar patris in bellis adsecla honorificum etiam nomen Germanici, et secundum marmora etiam Dacici et Sarmatici accepit [a]). Postremum ei fatum cum patre commune, saeviente in hunc quoque in Aquileiae obsidione militum furore, ut supra in patre exposuimus. Caesus aliis aetatis anno XXI., aliis XVIII. perhibetur [b]). Capitolinus, qui eum non Maximum, ut numi ac marmora, sed Maximinum dicit, inscitiam suam propalam profitetur.

Dosponsata illi fuit *Iunia Fadilla* proneptis Antonini teste Capitolino. Ejus numum edidit celeb. Heyne ex museo Bentinck inscriptum: IVNIA. FADILLA. AVGVSTA. ✕ PIETAS. AVG. S. C. *Mulier stans cum puello.* AE. I. [c]). Eum tanto minus vereor accensere spuriis, quoniam vir illustris profitetur ipse, numum ipsum sibi nunquam, sed solam tantum picturam fuisse exhibitam.

V. C. 988. 989. P. X. 235. 236.
CAESAR. PRINC. IVVENT.

IVL. VERVS. MAXIMVS. CAES. *vel:* C. IVL. VERVS. MAXIMVS. CAES. *Caput nudum.*

PIETAS. AVG. *Instrumenta pontificalia.* In aliis: PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Caesar paludatus stans inter signa militaria, d. bacillum, s. hastam.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

---

a) Gruter p. 158. 6. b) Capitolin. in Maximo. c. 1. c) Comment. Gotting. Vol. IV. p. 113.

V. C. 989. P. X. 236 et deinceps.
CAESAR. PRINC. IVVENT. GERM.

* * *

MAXIMVS. CAESAR. GERM.
Caput nudum.

PIETAS. AVG. *Instrumenta pontificalia.* AV. (Mus. Caes.)

Hunc numum solum metallum commendat; nam praeter hunc aureus hujus Caesaris cognitus non est.

* * *

Eadem adversa.

Eadem pars aversa, sed in segmento inferiore S. C. AR. (Mus. Caes.)

Numus singularis propter notam S. C., quae, ut constat, a moneta aurea et argentea abesse constanter solet. Malim lapsum monetarii suspicari, quam vanis conjecturis indulgere. Atqui neque spondere velim, numum hunc vere esse genuinum, etsi eandem notam in nonnullis etiam aureis Diocletiani observarim.

* * *

Eadem adversa.

VICTORIA. AVGVSTORVM. S. C. *Typum vide ex simili numo patris.* AE. I. (Vaill.)

MAXIMINVS. ET. MAXIMVS. AVGVSTI. GERMANICI. *Capita adversa Maximini laureatum, Maximi nudum.*

P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. *etc.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Illustre hoc cimelium jam descripsi in moneta patris. In hoc Maximus nonnisi per consortium cum patre dicitur Augustus, quo ipse honore ornatus nunquam fuit, ut vel ex praesente numo apparet, in quo capite nudo proponitur. Sic et in numo Cibyrae Phrygiae: AΥ. K.Γ. I.OΥH. MAΞEIMEINOC.K.Γ. I.OΥH. MAΞIMOC. KAICAP. CEBB., etsi τo CEBB. utrumque complectatur, tamen solus pater est capite laureato, filius, quia Caesar tantum fuit, nudo. Quod si in binis numis musei Caesarei Magnesiae Ioniae, et Phocaeae signatis laureato est capite, istud Augustum non arguit, nam et in his cum hoc ipso ornamento dicitur tantum KAICAP., atque etsi demus, fuisse a patre dictum imperatorem, quod testatur Capitolinus [a]), vidimus tamen exemplo Titi, et saepe videbimus alias, potuisse aliquem esse imperatorem, non Augustum. Eum tamen recentiores scriptores omnes Augustum dictitavere, non tam fide historicorum, quam duorum numorum, quos unus Goltzius vidit, probavit, promulgavit, at nos, quia videre similes nemini adhuc concessum, una cum ipso praecone jure contemnimus. Esto ergo Maximus una Caesaris dignitate contentus, neque se Augustum existumet, nisi quod hoc cum temporario honore praesens pater adflavit, cujus exemplum jam vidimus in Diadumeniano, et deinceps plura videbimus in Tetrico juniore, Carino, aliisque, ac praecipue Vol. VIII. in Observatis gen. sub titulo *Augusti*.

Typus numi alterius exhibet Maximum, cui adstat Apollo conservatoris more. Non noverat tum, perfidum hunc deum vadimonium deserturum. Nam, ut refert Herodianus, et ex eo Capi-

a) in Maximino.

tolinus [a]), Belenus, sive Apollo in Aquileiae obsidione pro oppidanis stetit, visusque est a Maximini militibus desuper pro urbe pugnare.

* * *

Numi reliqui: PRINC. IVVENTVTIS obvii.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aureus in museo Caesareo, forte	unicus.
Argentei	RR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
Commatis peregrini:	
Vrbium liberarum et coloniarum	RR.
Alexandrini	RR.

T. QVARTINVS.

Tycum, vel Titum quempiam Capitolinus in Maximino, et Trebellius Pollio in Tyranno XXIX. ab Osrhoenis in Germania militantibus contra Maximinum adclamatum imperatorem tradunt. Eum Quartinum appellat Herodianus [b]), Quarcinum Mediobarbus. Paullo post purpura et vita exuitur.

Huic Mediobarbus post Stradam numum argenteum tribuit: DIVO. TITO. *Caput radiatum.* ✕ CONSECRATIO. *Ara.* Verum satis apparet, eum esse Titi Vespasiani, et ex eorum numero, qui circum tempora Treboniani in honorem Caesarum consecratorum percussi sunt, quod jam vidit Valesius [c]). Huc si animum advertisset Apostolus Zeno, non sibi gratulatus fuisset, sibi hujus tyranni numum, etsi caro emptum, in manus venisse [d]).

GORDIANVS I. AFRICANVS PATER.

Natus ex illustri genere patre Metio Marullo, matre Vlpia Gordiana, eumque cum Herode Attico sanguine junctum conjicit Olearius [e]). Reipublicae muniis mature admotus magnam a moderatione reliquisque virtutibus famam est adeptus, praecipue a magnificentia, et liberalitate, quam in aedilitate per

a) in Maximino c. 22. b) L. VII. c. 1. c) B. L. T. XII. p. 310. d) Lettere Tom. II. p. 282. e) Philostr. vitae Soph. p. 479.

ingentes paternae domus opes edendis muneribus comprobavit. Maximis in urbe magistratibus, et duplice consulatu perfunctus ab Alexandro in Africam proconsule missus est addito filio legato. Ea in provincia cum in omnium esset amoribus, utramque fortunam repentino casu expertus est. Etenim Maximini quidam in Africa procurator, cum ab opulentioribus pecuniam omni acerbitate atque injuriis exigeret, a nobilibus aliquot adolescentibus conspiratione facta occisus est. Gravius hoc facinus cum esset, quam ut a Maximino, cujus satelles petebatur, venia dignum haberi posset, continuo ad Gordianum, qui Tysdri tum agebat, advolant, eumque reluctantem, et octogesimum aetatis annum praetexentem per vim purpura amiciunt, et una cum filio Augustum proclamant circiter initio Martii V. C. 991, ut supra in Maximino verisimile dixi. Ea res non modo ab universa provincia, sed statim a senatu quoque, et universa urbe odio Maximini gratanter accepta, factumque senatusconsultum, quo abrogatum tyranno imperium, et maturatus in Africa honos Gordiano utrique confirmatus est. At non diu supremo honore perfrui novis Augustis licuit. Nam Capellianus Mauretaniae procurator iratus Gordiano, quod successorem sibi miserat, cum magna militum manu Carthaginem advolat. Qua re audita Gordianus, cum imparem sese tantis resistendo copiis videret, ne atrociora ab hoste pateretur, laqueo se suspendit, ipso quoque filio in tumultu, et promiscua multitudine caeso, postquam, ut colligi potest, mensem unum ac dimidium in principatus imagine eminuissent. Caesorum desiderium, qua potuit ratione mitigavit senatus, utrumque inter divos referendo.

Vxor *Fabia Orestilla* Antonini proneptis a). Ejus numi desunt.

Proles: *Gordianus II.* in imperio conlega, de quo proxime. *Metia Faustina* nupta Iunio Balbo consulari b).

GORDIANVS II. AFRICANVS FILIVS.

Gordiani superioris ex Fabia Orestilla filius. Ejus liberalem formam, literarum studia, et praeclaram indolem collaudat Capitolinus, etsi vitam nimium delicatam, et mulierum amores carpat, ut qui cum concubinis XXII. consuevisset, sic ut temporis sui Priamus per ludibrium diceretur. Quaesturam sub Elagabalo, praeturam et consulatum sub Alexandro meruit. Ab hoc legatus patri proconsuli in Africam misso additus eo, quo in patre exposuimus, modo imperium ibi, necemque reperit, cum annum ageret sextum et quadragesimum c).

Vxor incerta.

Filius *Gordianus III.* Augustus. Atque hos tres Gordianos novit historia vera, numique, quibus adeo invitis nonnulli olim antiquarii intrusere Gordianum quempiam quartum, sed quem jam nemo in Caesarum conlegium admittit.

---

a) Capitolin. c. 17. b) Capitolin. c. 4. c) Capitolin. c. 15.

Vide de his copiose disputantem Spanhemium [a]), et Bandurium [b]).

Animadversio
in numos utriusque Gordiani.

Cum utriusque Gordiani numi eandem praeferant capitis epigraphen, et easdem, dempta unica, aversas, solum discrimen, ad utrum singuli pertineant, a capitis peristasi pendet. Observavi post alios, senioris vultum esse nonnihil oblongum, et macilentum, naso modice gibboso, nimirum aevo pinguiores partes exedente, atque secundum hoc verum esse potest, quod ex Vulcatio Terentiano recitat Capitolinus [c]), Gordianum seniorem repraesentasse Augusti vultum, nimirum jam in senium vergentis. Contra junioris vultum magis contractum, ob quam causam Pompeji similis a nonnullis habitus fuerit, ut eodem loco refertur, pinguiorem, (nam et ibidem obesi fuisse corporis proditur) fronte recalvastra, forte ob amoris intemperiem. Haec criteria in numis aliis satis sunt luculenta, in aliis difficilius discrimen, quorum facies pleraque habet Gordiani senioris praeter aetatem nimis juvenilem, quae referre octogenarium nullo pacto potest. Secundum regulam Vaillantii numi inscripti P. M. TR. P. COS. P. P. ad Gordianum seniorem pertinent, quae, ait, inscriptio in Gordiano filio non reperitur [d]). Credo, virum insignem non modo propter oris lineamenta, quae hos numos esse Gordiani senioris persuaserint, in eam propendisse sententiam, sed etiam, quoniam constante hactenus lege nonnisi Augustus senior, cum duo tresve essent Augusti, pontificatum maximum obiverit. At enim post dies non multos a Gordianorum obitu certum est, binos una fuisse pontifices maximos, Balbinum atque Pupienum, cur idem honos non poterat etiam deferri utrique Gordiano? Ad haec, si hi numi propter additum P. M. adimendi sunt Gordiano juniori, iidem propter additum simplex COS. adimendi erunt seniori; nam teste Capitolino, ut infra in titulo *Consulis* videbimus, senior adhuc privatus processit consul iterum, junior semel; quod si verum, tam parum in Gordiano patre omissus fuisset obitus ejus consulatus duplex, quam parum duplex consulatus Balbini et Pupieni, quem privati obiverunt. Atque haec causa fuit, cur olim in descriptione musei Caesarei suadente praeterea juveniliore vultu numum inscriptum P. M. Gordiano juniori tribuendum putaverim. At postquam secundis curis video, rationem, propter quam Balbinus et Pupienus uno tempore pontifices maximi dicti fuere, non posse valere ad Gordianos, et longiore usu edoctus sum, non semper Capitolini oracula fidem mereri, quae cedere continuo debent, cum vera historiae ratio aliud suadet, veritatis amor profiteri cogit, veram esse Vaillantii sententiam hos numos uni seniori tribuentis, reliquos vero ex descripto supra capitis modo definiendos, quamvis hic non raro dubius sit, quod evenire necesse fuerat,

---

a) Tom. II. p. 243. b) Bibl. num. artic CL. sub Ioanne du Bos. c) in Gordiano II. c. 21. d) Num. praest. T. I. p. 152. edit. Rom.

quia Maximino hoste judicato deproperabantur Gordianorum numi, neque licebat monetariis veras horum imagines exprimere, cum plures jam annos Roma abessent.

Vt Othonis et Pescennii, ita utriusque etiam Gordiani copiosa habentur numismata a falsariis ad vetus exemplar efficta, a quorum fraude cumprimis cavendum.

Numi Gordiani I.

IMP. C. M. ANT. GORDIANVS. AFR. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. COS. P. P. *Vir togatus stans d. ramum*, *s. scipionem*, AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Numos cum hac aversa ad unum Gordianum seniorem pertinere, in animadversione praecedente dixi.

Numi Gordiani I. et II.

Cum reliquorum numorum aversae utrique principi aut sint communes, aut non adversentur, placuit utriusque numos eodem titulo complecti.

Eadem adversa.

CONCORDIA. AVGG. *Mulier sedens d. pateram*, *s. cornucopiae.* AR. (Vaill. Beger. in Gord. sen.)

Eadem adversa.

PROVIDENTIA. AVGG. *Mulier stans d. bacillum*, *s. cornucopiae*, *et simul columnae innixa*, *humi globus.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

ROMAE. AETERNAE. *Roma super scuto*, *aut juxta hoc sedens d. Victoriolam*, *s. hastam.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

SECVRITAS. AVGG. *Mulier sedens d. sceptrum.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

VICTORIA. AVGG. *Victoria gradiens.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Ab his numis docemur, non semper ob victoriam relatam, sed etiam tantum speratam Victoriae typum a monetariis fuisse adhibitum. Gordianis et tempus, et occasio referendae victoriae defuit. Laeti igitur ominis rationem hic typus habet velut vincendi propediem Maximini, quem certum erat bellum in novos Augustos parare.

Eadem adversa.

VIRTVS. AVGG. *Miles galeatus stans d. clypeum humi attinet*, *s. hastam.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Numi commatis peregrini.

Coloniarum numi cum Gordianorum capite nondum comperti, etsi horum unum Edessae, sed plus quam suspectum dederit Sestinius, quem paullo infra sub *Nominibus* obiter attingemus, neque *urbium liberarum* dempta Samo, cujus numum cum capite Gordiani senioris et typo Fortunae recens repertum ex museo abbatis d'Ennery recitat cl. Beauvais [a]. Si fides Arigonio, habebis ejusdem alium signatum Antiochiae Cariae. Horum defectum supplent *Alexandrini*, etsi hi quoque perrari.

a) Hist. abrég. des Emp. T. I. p. 347.

Consul.

Gordianum seniorem bis processisse consulem, primum cum Caracalla, deinde Alexandro, diserte refert Capitolinus [a]), quod si verum, necesse est, fuisse consulatus suffectos, nam in fastis non memorantur. At in ejus numis simplex tantum consulatus proditur, quo fit, ut dubitare hic quoque de veritate hujus testimonii liceat, ut in praemissa animadversione monui. Filium mature consulatu ornatum idem testatur [b]).

Nomina.

Antonius. Cui non stomachum moveat denique, toties atque ad fastidium disputans, et ambigens Capitolinus, fuerintne Gordiani dicti *Antonini*, an *Antonii?* [c]). Si pro futilibus suis auctoribus consuluisset marmora, ac numos Graecos Gordiani III., in quibus plene scribitur ANTONIVS, facile fuisset verum reperire. Fueritne ex veterum Antoniorum prosapia, iterum alibi suspicatur [d]), at vix cuipiam persuaserit.

Africanus. Ait Vaillantius, nomen Africani Gordianis nequaquam inditum, quod pater Africae praeesset, sed quod originem a Scipione Africano se habere ambo gloriarentur [e]). Miremur, virum eruditum hanc sententiam tanquam certam sequi, cum tamen Capitolinus, ex quo eam excerpsit [f]), nihil decidat, sed varias tantum variorum opiniones proponat, ipse vero diserte alibi adserat, originem paternam Gordiano a Gracchis fuisse, etsi, ut erat auctor minime morosus, neque aspernatus est eorum testimonia, qui eum ab Antoniis, Antoninis, Pompejo etc. oriundum dixere. Cur non omissis hujus nugis placuit sequi Herodianum coaevum, qui loquens de Africanis Gordianos ad imperium vocantibus haec de illis [g]): *τῳ δε κυριῳ αυτῃ ονοματι προσθεντες* ΑΦΡΙΚΑΝΟΝ *εκαλεσαν* ΑΦ' ΕΑΥΤΩΝ, *proprio vero ejus nomini AFRICANI nomen A SE addidere.* Ergo nomen istud a Gordiano antehac alienum inditum est ab Afris.

ΣΕΜΝΟΣ. In numis Alexandrinis legitur: A. K. M. AN. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ϹЄΜ. ΑΦΡ. ЄΥ. ϹЄΒ. (Mus. Caes. Pellerin Mel. I. p. 225.) Pro ϹЄΜ. non intellecto antiquarii priores, quos inter et Vaillantius, legerunt ϹЄΒ., ut adeo in eadem inscriptione duplex esset ϹЄΒ., quod absurdum ut evitarent alii, ex postremis vocibus ЄΥ. ϹЄΒ. unam fecere, nempe ЄΥϹЄΒ*ης*, *Pius.* At enim literae ϹЄΜ. sunt *αρχαικως* vocabuli *σεμνος*, quod Graecis est *venerabilis*, qualem fuisse Gordianum seniorem docet Capitolinus [h]): *Hic enim vita* venerabilis *cum Platone semper, cum Aristotele, cum Tullio, cum Virgilio, ceterisque veteribus agens alium, quam merebatur, exitum passus est.* Non inique censet Pellerinius, numos Alexandrinos, in quibus dictum ϹЄΜ. legitur, esse Gordiani senioris, nempe cui istud elogium per senium et gravitatem morum accesserit, in quibus omittitur, esse junioris. SEMNOS etiam

---

a) Cap. 4. b) Cap. 18. c) in Macrino c. 3. in Gordianis c. 4. 5. 17. d) Cap. 17. e) Num. praest. T. I. p. 155. edit. Rom. f) in Gordian. c. 9. 17. g) in Maximino. h) in Gordian. c. 7.

appellatur Caracalla in numo coloniae Cassandreae [a]), et CEMνη est Syedra urbs Ciliciae, ut suo loco dictum, idemque nomen tribuitur concilio seniorum in marmore Oxoniensi CLXVII. τῳ σεμνοτατῳ συνεδριῳ των ἐν Σμυρνη γεροντων.

ETCεβης, *Pius*, dicitur uterque Gordianus in citatis numis Alexandrinis.

ΚΑΛΟC, *Pulcher*, si fides haberi posset numo Edessae Mesopotamiae, quem promulgavit Sestinus [b]), in quo legitur: M. A. K. Γ. ΑΦΡ. ΚΑΛΟC. Sed eu[m] ob multas causas videri falsum, ja[m] monui in moneta ejusdem Edessae. A[t] modo, cum certo nuper auctore com[pe]rerim, numum hunc esse confictum, ut docebo volumine postremo in Adden[dis] ad Tomi III. pag. 510, omnis to[l]litur suspicio arcessitae a principe Ro[ma]no laudis, quae vel mulierem in mo[nu]mento publico, et adeo serio dede[ceret].

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei . . . . O.

Nullum genuinum ex hoc metallo sibi cognitum contra Begerum testatur Vaillantius [c]). Subinde ille aureum suum Gordiani senioris numum adversus Vaillantium tuetur [d]), et continuo aureum alium Gordiani junioris addit [e]). Senioris alium edidit Khellius ex museo Vindobonensi Franciano [f]), sed qui spurius certe est, ut ipse αὐτοπτης testari possum.

Argentei . . . . RRR.

Horum unum majoris molis ex museo com. Ariosti edidit Khellius [g]), sed quem confidenter inter spurios locandum putavi.

Aenei I. formae . . . . RRR.

Aenei II. et III. formae . . . . O.

Aeneos III. formae, etsi summae raritatis, exstare tamen testatur cl. Beauvais [h]). Non credo, ab eo intelligi numos S. C. notatos, quales inde ab Antonino Pio usque ad Decium non habentur. Si sunt animae subaeratorum, ab argenteorum classe non sunt separandi.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum. Vide dicta supra in numis commatis peregrini.

Coloniarum . . . . O.

Alexandrini . . . . RR.

a) Wilde tab. XX. b) Lettere T. IV. p. 130. c) Num. praest. T. II. p. 295. ed. Rom. d) Thes. Brand. T. II. p. 720. e) l. c. p. 721. f) Supplem. Vaill. p. 154. g) l. c. h) Hist. abr. T. I. p. 374.

BALBINVS ET PVPIENVS.

Audito Romae Gordianorum in Africa interitu, et Maximino cum valido exercitu Italiae imminente senatus trepidus in templum Iovis Capitolini advolat, novoque exemplo duos Augustos aequata potestate creat Clodium Balbinum, et Maximum Pupienum. Erat ille genere nobilissimus, iterumque consul, et multarum antea provinciarum rector, ac praeter vetustam prosapiam (nam genus ducere a Cornelio Balbo Theophane credebatur, qui per Pompeium M. civitatem meruerat) a moderatione, sanctimonia vitae, facundia, tum et opibus domesticis, et rerum forensium scientia commendatus. At Pupieno nullus imaginum splendor, verum infimo loco natus per militiae laudem crevit, quo nomine summos in rep. magistratus, atque ipsum etiam consulatum est adeptus. Ceterum per incorruptos mores, et innatam severitatem populo amatus aeque, ac formidatus. Vulgato senatus judicio non quievit populus, dum Gordianus puer senioris nepos (tantus erat ejus in Gordianos adfectus) Caesaris nomine insigniretur. Quo facto Pupienus ad bellum Maximino faciendum egressus Balbino ad urbem remanente, gravesque seditiones, quae milites inter ac populum exortae fuerant, perpesso. Caeso inter haec apud Aquileiam Maximino Pupienus, qui ad parandum bellum Ravennae hactenus restitit, reversus in urbem, et incredibili laetitia a conlega Balbino, patribusque, ac populo exceptus est. At non multo post milites aegri, quod novi Augusti non a se, sed senatu lecti essent, cum neque ipsi inter se satis conspirarent, capta occasione ludorum Capitolinorum ambos omni prius contumelia adfectos interficiunt V. C. 991 exeunte Iulio, postquam imperium in mensem tertium tenuere, ut supra in Maximino verisimile dixi. Vide Herodianum, et Capitolinum.

Numi BALBINI.
V. C. 991. P. X. 238.
TR. P. COS. II. P. M. P. P.
An. Pio, Pontiano Proculo cos.

A. IMP. CAES. D. CAEL. BALBINVS. AVG. *Caput radiatum in AR. maj. mod. et AE. II.*

B. IMP. CAES. D. CAEL. BALBINVS. AVG. *Caput laureatum in AR. min. mod. et AE. I.*

C. IMP. C. D. CAEL. BALBINVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AR.*

* * *

Vt lit. A. et B.

AMOR. MVTVVS. AVGG. *Duae dexterae junctae.* AV. (Beger Thes. Brand. T. II. p. 723, sed cujus mihi suspecta fides.) AR. (Vaill.)

Eadem adversa.

CARITAS. MVTVA. AVGG. *Duae dexterae junctae.* AR. (Vaill.)

Eadem adversa.

FIDES. MVTVA. AVGG. *Duae dexterae junctae.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

PIETAS. MVTVA. AVGG. *Duae dexterae junctae.* AR. (Mus. Caes.)

Communes hi typi, ut omnes alii, utrique Augusto, sed *Amor* et *Caritas* perrari sunt in Balbino, ut *Fides* et *Pietas* in Pupieno. Optandum sane fuerat, ut mutuus hic amor perpetuo utrinque constitisset, quem principio sincerum, sublato subinde a Maximino metu mutua suspicio, ad extremum utrique fatalis, inquinavit.

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGVSTORVM. *Liberalitas stans.* AR. (Vaill.) AE. I. (Mus. Caes.) In aliis: *Balbinus, Pupienus, Gordianus Caesar congiario praesidentes.* AR. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PATRES. SENATVS. *Duae dexterae junctae.* AR. (Vaill.)

Rarissima aversa in Balbino, etsi obvia in Pupieno. Vterque a senatu electus se se *Patrem Senatus* profitetur, et hoc typo perpetuam cum hoc concordiam spondet. Iam Commodus in numis dicitur PATER SENATVS, quos vide ad annum V. C. 940.

* * *

Vt lit. C. et B.

P. M. TR. P. COS. II. P. P. *variis typis.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. et A.

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra lauream.* AV. (Vaill.) AE. I. II. (Mus. Caes).

Numi commatis peregrini.

Vrbium liberarum usque modo reperti tantum Mileti, Tarsi, Thessalorum, (Vaill. Theupoli.) et Siphni. (Arigoni.) *Coloniarum* numi desiderantur. Sed habentur *Alexandrini* inscripti L. A., iique perrari.

Numi PVPIENI.
Iidem cum Balbino tituli.

Pupieni numismata, ut altius dixi, communes cum Balbino aversas habent, nisi quod aliae in hoc rariores sunt, aliae in alio magis obviae. Quare necesse non est, ea in Pupieno rursum describere, demptis duobus, quorum unum in Balbini moneta ignotum, alterum propter historiam commemorandum.

A. IMP. CAES. M. CLOD. PVPIENVS. AVG. *Caput radiatum in AR. maj. mod. et AE. II.*

B. IMP. CAES. M. CLOD. PVPIENVS. AVG. *Caput laureatum in AR. min. mod. et AE. I.*

C. IMP. C. M. CLOD. PVPIENVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR.*

D. IMP. CAES. PVPIEN. MAXIMVS. AVG. *Caput laureatum in AR.*

E. IMP. CLOD. PVPIENVS. AVG. *Caput laureatum in AR.* (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. C.

BALBINVS. AVG. GORDIANVS. CAES. *Capita adversa, Balbini laureatum, Gordiani radiatum.* AR. (Mus. Caes).

Illustris numus, qui trium eodem tempore imperantium capita sistit. Eadem visuntur etiam in numo Mileti [a]).

a) Pellerin Rec. III. p. 237.

Gordiani, etsi Caesaris, caput radiatum tamen est, quo cultu Diadumenianus quoque in nonnullis numis comparet.

* * *

Vt lit. A. et C.

P. M. TR. P. COS. II. P. P. *variis typis.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Memorandi hi numi propter COS. II. de quo infra sub titulo *Consul.*

Numi commatis peregrini.

Aliquot item *urbium liberarum* habemus numos, inter quos eximius is, qui signatus est apud Aegas Ciliciae cum anno epochae CΠΔ, qui incipit in autumno V. C. 990. *Coloniae* unius, nempe Tyri, numum protulit Pellerinius [a]), *Alexandrini* admodum rari sunt, quorum nullus cognitus fuit Beauvaisio. Duo sunt in museo Caesareo, plures alios reperit cl. Zoega.

Nomina.

BALBINI. Decimus Caelius Balbinus. In insigni Alexandrino musei Caesarei: A. K. ΔΕΚ. K. AN. BAΛBINOC. CЄB. Nomen AN. aenigma est, quod an explendum sit legendo *Annius*, vel *Antoninus*, vel aliter, ab aliis edoceri cupio.

PVPIENI. M. Clodius Pupienus Maximus, numis perspicue docentibus tam Latinis, quos vidimus, quam Graecis, in quibus M. ΠΟΥΠΙΗ. ΜΑΞΙΜΟC. in numo Siphni (Theupoli), et similiter in Alexandrinis. Capitolinus, cum in aliis scriptoribus Maximum, in aliis Pupienum adversus Maximinum bellasse legeret, mire perturbatur, et nescire se profitetur, unde error hic natus sit, *nisi forte*, ait, *idem est Pupienus*, *qui et Maximus. Quod ideo testatum posui*, *ne quis me hoc nescisse crederet*, *quod revera magnum stuporem*, *ac miraculum creat* [b]). Idem dubium renovat in Maximo et Balbino [c]). Tandem sibi *abolitum stuporem* gratulatur, cum legeret in Fortunatiano, Pupienum dictum nomine suo, cognomine vero paterno Maximum. Dubitare in re obvia potuisse hominem, qui in Constantini Aug. gratiam vitas imperatorum scripsit, istud *revera magnum stuporem ac miraculum creat.*

Trib. potestas.

Recitatur in museo Farnesiano aeneus I. formae, et a Mediobarbo argenteus, in quibus Balbino confertur trib. potestas II., qui adeo favent eorum sententiae, qui imperasse illum cum conlega annum unum, quin et duos adseruere. At jam supra in Maximino probavimus, tres circiter menses, neque amplius, horum durasse imperium. Quare praestat, hos numos aut spurios, aut male lectos suspicari. Certe mihi similes videre nondum licuit.

Consul.

Balbinum in numis dici consulem II., nequaquam mirum, nam bis eum processisse revera testantur Herodianus; et Capitolinus. Sed et Pupienus in numis

---

a) Rec. II. p. V. b) in Maximino jun. cap. ult. c) Cap. 16.

obviis dicitur COS. II., cum tamen Capitolinus ei nonnisi simplicem consulatum tribuat [a]). Et vero si bis processisset, eum honorem commemorasset sane Herodianus, quem non reticuit in Balbino. Tamen quis non videt, potiorem esse numorum auctoritatem, quam utriusque historici.

Pontifex maximus.

Hactenus, cum duo vel tres una essent Augusti, is tantum erat pontifex maximus, qui dignitate praestabat, reliquis inferiorum sacerdotiorum honore contentis. En novum in Balbino et Pupieno exemplum, quorum utrumque pontificatu maximo fuisse insignem comprobant numi. Eum in ambos collatum refert etiam Capitolinus [b]), etsi nihil de infracto more vetere praecipiat. Dubitari nequit, istud patribus visum, ut aequata utrinque tam potestate, quam dignitate major in utroque animorum esset consensio, quam invidia facile potuisset corrumpere. Sed de novo hoc geminati in utroque hujus honoris instituto agemus plura in tractatu de Pontifice maximo.

PRETIVM numorum BALBINI.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	R.
Aenei I. formae	R.
Aenei II. formae	RRR.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini, ut dictum altius.

PRETIVM numorum PVPIENI.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	R.
Aenei I. formae	R.
Aenei II. formae	RRR.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini, ut dictum.

a) Cap. 15. b) Cap. 8.

M. ANTONIVS GORDIANVS III.

Gordiani senioris ex filio Gordiano juniore, aut secundum alios ex filia nepos. De anno, quo natus est, non satis constat, sed natalem XIII. Kal. Feb. evincunt bina Kalendaria apud Bucherium [a]). Vtroque Gordiano V. C. 991 violenta nece in Africa magno urbis luctu exstincto, suffectisque in eorum locum a senatu Balbino et Pupieno, cum populus Pupieni severitatem pertimesceret, et per incredibilem in Gordianos adfectum, qui in causa reip. a Maximino atrociter vexatae vitam abjecere, ex horum gente principem mallet, obsidere patres in Capitolio non destitit, dum arcessitus domo Gordianus puer, quem alii tum undecim, alii tredecim, qui plurimum, sedecim annos natum dixere, positusque in concione, Caesar appellaretur.

V. C. 991. P. X. 238.
CAESAR. PRINC. IVVENT.
An. Pio, Pontiano Proculo cos.

Pupienus ad bellum adversus Maximinum exit, Balbinus et Gordianus Romae resistunt. Orta ingente inter praetorianos ac populum seditione sublato in altum Gordiano puero, et utrisque ostentato mitigantur animi, et pax coalescit. Maximinus cum filio Maximo apud Aquileiam interemptus novis Augustis imperium firmat.

M. ANT. GORDIANVS. CAES. *Caput nudum.*

PIETAS. AVGG. *Instrumenta pontificalia.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Soli hi sunt Gordiani tantum Caesaris numi, si demas numos Balbini et Pupieni cum typo Liberalitatis, cui Gordianus una cum Augustis praesidet, item numum Pupieni, in cujus aversa sunt capita Balbini laureatum, Gordiani radiatum. In antica variorum numorum Graecorum comparent etiam omnium trium imagines. In his omnibus Gordianus constanter tantum *Caesar* appellatur. In numo coloniae Parianae Mysiae dicitur NOBIL. CAE. (Mus. Caes.)

Eodem anno:

AVGVSTVS. TR. P. COS. P. M. P. P.

Balbino et Pupieno a praetorianis circiter exeunte Iulio caesis Gordianus unanimi consensu tam praetorianorum, quam senatus Augustus renunciatur.

Ex numis, quorum per mentionem trib. potestatis, et consulatus certa est aetas, apparet, a Gordiano nomina primum *Pii*, deinde *Felicis* in tribunatu II. esse adoptata, quae semel suscepta in numis omissa nunquam fuere, si Liberalitatis numos demas, de quibus infra separatim agetur. Quare numi omnes, qui his titulis carent, ad annum praesentem, et partem sequentis jure pertinent.

A. IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG. *Caput laureatum*, *in* *AV. AE. I. II.*

---

a) Doctr. temp. p. 276.

B. IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG. *Caput radiatum*, *in AR. maj. mod. et AE. II.*

C. IMP. C. M. ANT. GORDIANVS. AVG. *Caput laureatum*, *in Quinar.*

* * *

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVG. *Liberalitas stans d. pileum*, *s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Dubium non est, exhiberi liberalitatem aditi imperii causa repraesentatam. At cur inscriptio liberalitatem, typus libertatem sistit? an id factum vitio monetarii? Numus subaeratus non est, ejusque duplex exemplar integerrimum est in museo Caesareo.

Vt lit. B.

P. M. TRI. P. CON. P. P. *Imperator velatus stans ante aram d. pateram*, *s. scipionem.* AR. (Mus. Caes.)

De singulari hoc numo agetur in tractatu de trib. potestate.

Vt lit. A.

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra lauream.* AR. *et addito* S. C. AE. I. (Mus. Caes.)

Numus memorandus videbatur propter vota decennalia mox ab aditu imperii concepta.

Numi reliqui obviis typis: *Abundantia*, *Pax*, *Victoria*, *Virtus Aug.*

Notandum, nondum mihi conspectum Gordiani numum cum simplice TR. P., etsi copiosissimi exstent, qui consequentes tribunatus inscriptos offerunt. Numus quidem loco II. descriptus TRI. P. eloquitur, sed dubia, quae illum premunt, in tractatu de trib. potestate proponam.

V. C. 992. P. X. 239.

TR. P. II. COS. P. M. P. P.

Gordiano Aug. M. Acilio Aviola cos.

Nihil certi ad hunc annum memorat historia.

A. IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG. *Caput radiatum in AR. maj. mod.*

B. IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AE. I. II.*

* * *

Vt lit. A. et B.

LIBERALITAS. AVG. II. *Liberalitas stans.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Causam hujus congiarii ignoramus.

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Processus consularis*, *aliique typi mire varii in omni metallo et forma.*

Incipit PIVS:

IMP. CAES. GORDIANVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. et AE. I.*, *radiatum in AR. maj. mod. et AE. II.*

LIBERALITAS. AVG. II. *Liberalitas stans.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Vide, quae ad liberalitatem proximam observabo.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *variis typis.* AV. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

In numis reliquis: *Abundantia Aug.* — *Aequitas Aug.* — *Virtus Aug.*

Incipit PIVS. FELIX.

IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator velatus stans ad aram sacrificat.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 993. P. X. 240.
TR. P. III. COS. DES. II. P. M. P. P. PIVS. FELIX.
Sabino II., Venusto cos.

Hoc aut sequente anno Sabinianus in Africa imperium invadit, sed a Mauretaniae praeside victus suorum proditione capitur. Gordianus Viminacium coloniam deducit, quae ab hoc anno aeram suam ducit. Vide ejus numos.

* * *

IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AV. AE. I. II. item in AR. soliti moduli, radiatum in AR. maj. mod. Plenum* FELIX *in AE. max. mod.*

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *typis variis in omni metallo et forma.*

Eadem adversa.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *Apollo seminudus sedens forma plane muliebri, d. tenens lauri ramum, s. lyrae innixus. In aliis alii typi in omni metallo et forma.*

De singulari phaenomeno iterati sub eodem tribunatu consulatus agetur in tractatu de trib. potestate. Apollo hoc cultu deinceps in Gordiani numis perfrequens. Stolatum iam vidimus in moneta Augusti, nempe Actium. De Apolline, formae ad mulierem accedentis vide in *Description des pierres du Duc d'Orleans T. I. p. 197.*

V. C. 994. P. X. 241.
TR. P. IV. COS. II. P. M. P. P. PIVS. FEL.
Gordiano Aug. II., Civica Pompejano cos.

Sapor Persarum rex, filius ejus Artaxerxis, qui eversis Arsacidis Parthiam iterum Persis subjecit, ut dictum in imperio Alexandri Severi, omnibus copiis Mesopotamiam Romanis subjectam aggressus non Orientem modo, sed ipsam Italiam terrore implevit. Ingentes Gordiani adversus hostem praepotentam apparatus. Hoc anno Sabiniam Tranquillinam uxorem ducit.

* * *

Adversa, ut anno praecedente.

P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. *variis typis in omni metallo et forma.*

IMP. GORDIANVS. PIVS. FELIX. AVG. *Protome Gordiani laureata cum toga picta d. sceptrum cum aquila.*

PONTIFEX. MAX. TR. P. IIII. COS. II. P. P. *Imperator in quadrigis equorum d. lauri ramum, s. sceptrum cum aquila, pone insistit Victoria, praecedit miles, et figurae aliae cum palmae ramis.* AE. max. mod. dupl. met. (Mus. Albani.)

Illustris hic numus proponit Gordiani processum consularem hoc anno actum. Qui in eo triumphum viderunt, refutabuntur in tractatu de consulibus Caesaribus. Alioqui de hujus anni triumpho nihil constat.

V. C. 995. P. X. 242.
TR. P. V. COS. II. P. M. P. P. PIVS. FEL.
C. Vettio Attico, C. Asinio Praetextato cos.

Gordianus urbe egressus per Moesiam Thraciamque in Asiam, atque inde in Syriam contendit. Annum hunc

definit Capitolinus [a]). Collatis signis saepe victor Saporem Mesopotamia submovet.

* * *

Adversa, ut in praecedentibus.

P. M. TR. P. V. COS. II. P. P. *typis variis in omni metallo et forma.*

IMP. GORDIANVS. PIVS. FELIX. AVG. *Protome laureata.*

TRAIECTVS. AVG. *Navis praetoria, in cujus puppi sedet imperator adstante turba militum. Navim comitantur tres delphini.* AE. max. mod. (Mus. Farnes.) AE. II. (Mus. Caes.)

Ex Thracia in Asiam transivisse Gordianum refert Capitolinus, quod factum commendat typus, nimirum cum Hellespontum trajiceret. Conjicit Tillemontius, his numis indicari posse trajectum Euphratis [b]), at laxior navis compages, tum praecipue delphini fluvio adversantur. Tamen ad Euphratem pertinebunt aenei II. formae, quos sic describit Vaillantius: TRAIECTVS. AVG. *Super navigia pons, quem transit imperator paludatus cum militibus praecunte Victoria.* Fluvii facto ex navibus ponte jungebantur. An post Xerxem alius Hellespontum sic junxerit, mihi ignotum.

Liberalitates Gordiani reliquae.

A. IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput radiatum.*

LIBERALITAS. AVG. III. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.) *Alii capite laureato, et addito* S. C. AE. I. II. (Mus. Caes.)

B. IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. *Caput radiatum.*

LIBERALITAS. AVG. III. *Liberalitas stans.* AR. (Mus. Caes.)

C. *Eadem epigraphe. Caput laureatum.*

LIBERALITAS. AVGVSTI. III. S. C. *Imperator congiario praesidens.* AE. I. (Mus. Caes.)

D. IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput radiatum.*

LIBERALITAS. AVG. IIII. *Liberalitas stans.* AR. *Alius capite laureato, et addito* S. C. AE. I. (Mus. Caes.) *In alio typus congiarii.* AE. I. (Vaill.)

Quatuor ex numis Gordiani liberalitates cognitas habemus, quarum omnium neque occasionem, neque tempus satis cognitum habemus. At in his liberalitatum numis inscriptiones capitis negotium in speciem facessunt. Diximus ad annum V. C. 991, Gordianum nonnisi altero imperii anno titulis *Pii Felicis* uti coepisse, eosque in numis annorum consequentium non amplius fuisse omissos. Revera soli liberalitatis III. numi hanc legem infringunt, in quorum aliis, ut videre est litera A, habetur epigraphe capitis huic aetati conveniens, nimirum nomina *Pii Felicis*, in aliis sub B et C epigraphe, quae primo imperii anno valuit, cum tamen numi liberalitatis II., quos anno 992 exhibuimus, saltem nomen *Pii* jam addant. Nolo propter solos hos numos refigere legem, sed difficultatem ajo elevandam dicendo, liberalitatem III. numorum B et C re ipsa eandem cum II. esse, et a monetariis aliis additam liberalitatem, cui

a) Cap. 26. b) ad ann. 242. artic. IV.

ipse una cum Balbino et Pupieno praesedit, ut in Balbini numis vidimus, ab aliis eam neglectam, quo modo et Macrini consulatus varie numeratos diximus, quin et liberalitates Caracallae, et Getae.

V. C. 996. P. X. 243.
TR. P. VI. COS. II. P. M. P. P. PIVS. FEL.
L. Annio Arriano, C. Cervonio Papo cos.

Gordiano ob res belli praeclare gestas triumphus in bigis elephantorum decernitur. Moritur Misitheus praefectus praetorio, Gordiani socer, cujus praeclara consilia secutus juvenis imperator remp. recte, ac feliciter administravit. In ejus locum suffectus Philippus Arabs captus imperandi desiderio, ut invidiam Gordiano conciliaret, derivato perfide aliorsum commeatu exercitum adversus principem irritat.

* * *

Adversa ut anno 993.

P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. *variis typis in omni metallo et forma.*

V. C. 997. P. X. 244.
TR. P. VII. COS. II. P. M. P. P. PIVS.
Peregrino, Aemiliano cos.

Gordianum jam palam militibus exosum Philippus interfici jubet mense Februario, aut aliquanto serius, de quo vide Belleyum [a]).

Hic fuit exitus Gordiani, cui ad praestantissimi principis dignitatem nihil defuit, nisi vita longior. Studio populi ob avi patrisque merita dictus primum Caesar, subinde Augustus adeo per formae venustatem, et comitatem morum amatus fuit, ut eum senatus militesque filium, populus delicias suas appellaret. Insigne praestantis ac rectae indolis argumentum, quod aetate adeo lubrica non animi impetum, sed Misitheum suum audivit, quo doctiorem, facundiorem, clarioremque belli pacisque consiliis imperium non habuit, quemque non modo praefectum praetorio, sed et socerum suum ducta ejus filia Tranquillina sibi delegerat. Vt felix erat, quamdiu tanti viri consiliis uti licuit, ita in successore deligendo infelicissimus. Nam dum Philippum barbaro genere ortum, cujus artibus Misitheus ipse periisse credebatur, in defuncti locum suffecit, ea ab homine ingrato passus est, quae in annalibus memoravimus. Defuncto milites sepulcrum apud Circesium castrum in finibus Persidis constituere, quod adhuc Iuliani aetate a se visum, et longe conspicuum testatur Ammianus Marcellinus. Ejus vitam uberius descripsit Capitolinus.

Vxor *Sabinia Tranquillina*, de qua infra.

Numi:

IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *Miles gradiens d. hastam, s. clypeum.* AR. (Mus. Caes. Mediob.)

Eadem epigraphe. Caput laureatum.

---

a) B. L. T. LXXXV. p. 636.

Eadem aversa addito S. C. AE. I. (Ibid.)

IMP. GORDIANVS. PIVS. FELIX. AVG. *Protome laureata.*

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *Circus maximus cum obeliscis, bigis, luctatoribus, militibus, curru triumphali, in quo imperator comite Victoria.* AE. m. m. (Mus. Albani, Theupoli, Buonarotti.)

Eadem adversa.

VIRTVS. AVGVSTI. TR. POT. VII. *Imperator armis insidens coronatur a Victoria, adstantibus militibus.* AE. m. m. (Num. max. mod. Reg. Gall.)

Diligentior fui in describendis hujus anni numis propter ea, quae in tractatu de trib. potestate docebuntur.

Numi vagi
ab anno V. C. 992, quo tituli Pius Felix invaluere.

A. IMP. GORDIANVS. PIVS. FELIX. AVG. *Caput laureatum in numis max. mod. seu AR. seu AE., rarius in AV. et AE. II.*

B. IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. AE. I. II., radiatum in AR. maj. mod., rarius in AR. moduli ordinarii, et in AE. II.*

* * *

Vt lit. B.

FELICITATEM. PO. R. *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae.* AE. I. (Vaill.)

Ob inscriptionis modum numus memorandus videbatur.

Vt lit. A. Protome laureata cum hasta et clypeo.

FIDES. EXERCITVS. *Imperator paludatus stans coronatur a Victoria retro stante, et simul dexteram jungit cum milite, in imo duo fluvii sedentes.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Fluvii infra positi Mesopotamiam, ut jam in Trajani moneta vidimus, significant, in qua decerptae lauri. In aliis Gordiani numis etiam comparet sol in quadrigis, quo notatur domitus Oriens.

* * *

Antica incerta.

MART. VICTOR. *Figura velata subsequentibus duabus aliis sacrificans coram templo, in cujus peristylio scriptum:* ΘΕΟΤ. ΟΠΛΟΦΟΡΟΤ, *ante imperatorem popa cum victima.* AE. II. (Vaill.)

Vt lit. A.

VICTORIA. AVGVSTI. *Mars hastatus stans in templo rotundo, cujus peristylio inscriptum:* ΘΕΟΣ. ΟΠΛΟΦΟΡΟΣ, *ante illud hinc imperator ad aram sacrificans stantibus pone duabus figuris aliis, illinc popa taurum feriente, alio victimam attinente.* AE. m. m. (Mus. Caes.) In alio simili tantum legitur: ΟΠΛΟΦΟΡΟC. (de Camps.) In simili fertur inscriptum peristylio: ΠΕΡΙ. ΟΠΛΟΦΟΡΟΤ, nullo sensu. (Numi max. mod. reg. Gall.)

Vt lit. B.

VICTORIA. AVG. *Templum, in cujus fronte:* ΝЄΙΚΗ. ΟΠΛΟΦΟΡΟC, *intus idolum stans, hinc imperator stans velatus, ad aram sacrificat, pone alia figura, inde victimarius securi tauro ictum intentat.* Medaglioncino. (Mus. M. Ducis, a me editus in meis Num. vet. p. 313.)

En tres varios Gordiani numos bilingues, nullo, quod sciam alio in imperatorum moneta exemplo, si barbaros Byzantios infimi aevi demas. Argumentum victorias in Oriente relatas eloquitur, fingiturque in his vel *Mars armiger*, vel *Victoria armigera.* Quae causa fu-

erit, cur utrumque numen hoc nomine appellaretur, et cur inscriptione potius Graeca, quam Latina in numis commatis Romani uti placuerit, incertum, ut ejus aevi pleraque alia. Istud certum, illi, qui typum hunc imperavit, quandam antiquitatis imitationem fuisse propositam, quod apparet ex elemento Σ, qua forma illud inde ab Hadriano raro, inde ab Antonino Pio nunquam, quod sciam, in certo monumento vetere occurrit, de quo vide plura Vol. I. p. CIII. in Prolegomenis.

* * *

Antica incerta.

MVNIFICENTIA. GORDIANI. AVG. *Amphitheatrum Flaviorum, in quo taurus et elephas committuntur, hinc et illinc duae aedes, ad latus dexterum figura togata stans.* AE. m. m. (Vaill. Albani.)

De vocabulo MVNIFICENTIA, et conjuncto tum typo elephanti jam egi in numis Antonini ad annum V. C. 902. Elephantos, in ludis Circensibus anno V. C. 586 primum progressos scripsit Livius a). Aucto cum opibus luxu saepius in scenam vocati ut illustre spectaculum, sic aliquoties miserandum dedere. Eorum omnino XVIII. Pompejus M. in suo consulatu II. induxit, quos per ludum caesos laniatosque ipse populus est miseratus, cum illi acceptis vulneribus a pugna desisterent, circumeuntesque, et elatis in altum proboscidibus opem viderentur spectatorum implorare, testarique superos, et commonere ejus jurisjurandi, quo persuasi ex Africa sese acciri passi sunt. Haec Dio b). Addit Plinius haec eadem narrans c), tanto ad hoc spectaculum dolore exarsisse populum, ut is oblitus imperatoris, ac munificentiae honori suo exquisitae flens universus consurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit, imprecaretur. Et scripsit Cicero, qui spectator adfuit d), magnam tum admirationem vulgi atque turbae, delectationem nullam exstitisse, quin etiam misericordiam quandam consecutam, atque opinionem ejusmodi, esse quandam illi belluae cum genere humano societatem. Libenter equidem hunc populi animum collaudarem, qui sese vel belluarum aerumnis ac laboribus tangi est passus. Verum invitus ego cogor detrahere has laudes, cum venit in mentem praeposterae in eodem hoc populo misericordiae, qui, dum bestiarum sanguini parci cupit, hominum in arena caedibus animum oculosque pascit. Ad numum revertor. Sistit hic amphitheatrum Flaviorum, et intra hoc praeter elephantum taurum quoque, nempe animal utrumque secum commissum, vetus dimicationis genus; nam similem inter utrumque pugnam jam descripsit Martialis e).

* * *

Vt lit. B.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Imperator paludatus stans d. globum, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Nondum hactenus vidimus in moneta vetere, titulum principis juventutis cum

---

a) L. XLIV. c. 18. b) L. XXXIX. §. 38. c) L. VIII. §. 7. d) ad Famil. L. VII. epist. 1. e) Spectac. epigr. XIX.

Augusteo sociari, etsi istud deinceps frequentius, de quo agam latius in tractatu de princ. juv. Singularis hic numus haud ita pridem repertus est, et in museum Caesareum illatus, et certae is antiquitatis.

* * *

Antica incerta.

PVDICITIA. AVG. *Mulier sedens dextera faciem velat.* AR. (Vaill.)

Typum pudicitiae in Augustarum monetā tritum vidimus etiam in moneta Hadriani.

Divus Gordianus.

Inter divos fuisse relatum a senatu et milite, ipso etiam parricida Philippo callide adprobante, refert Capitolinus a), Eutropius, et Ammianus b). Numi istud factum non confirmant. Exstat quidem in museo Caesareo numus: IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum.* ☧ CONSECRATIO. *Pavo.* At is luculente est subaeratus, et peccat utraque facie, priore, quae *divi* mentione abstinet, posteriore, quae pavonem cum Augusti consecratione conjungit.

De numis Gordiani aureis barbaris.

IMP. GORDIANVS. PIVS. FELT. *(sic)* AVG. *Caput radiatum.*

MLETHRM. PROPVGNATOREN. PII. *Mars gradiens d. hastam, s. clypeum.* AV. m. m. adpendens drach. 6. grana 10. (Mus. Caes.) Alius similis drachm. 4. (Mus. olim. de France.)

Fabrica rudis tam quod at typum attinet, quam ad characteres et linguam, caput radiatum, quod in aureis Gordiani insolens, pondus item non modo ab hujus aevi monetae aureae pondere abludens, sed etiam inter ipsos hos numos inaequale abunde comprobat, numos hos ne quidem in provincia quapiam Romana, nedum in urbe fuisse signatos, sed a barbaris quibusdam imperio finitimis, quibus neque pulcri ratio, neque lex monetaria fuit cognita. Et vero Gothos sive Getas jam Caracallae aetate provincias Rom. incursasse, ex Spartiano constat c). Imperantibus Balbino et Pupieno pugnatum a Carpis contra Moesos, et a Scythis eversa Istrus d). Ipse Gordianus, cum per Thraciam in Orientem tenderet, dimicavit cum Alanis e). Fortasse per tumultuariam quandam pacem circa istud tempus agri barbaris in Dacia, sive Moesia, quod subinde frequenter, concessi, atque hi per quandam observantiae, et concordiae speciem hos cum imperantis capite numos percussere. Non parum sententiam hanc juvat, quod id genus numi copiosius in museis provinciarum Austriacarum reperiuntur, nimirum propter viciniam parabiles. Sane hic musei Caesarei numus repertus est anno 1713 in Transilvania una cum pluribus aliis barbaris aureis. Confer etiam aureos Philippi senioris ejusdem argumenti.

De numis argenteis maximi moduli.

Gordiano imperante novae rationis numismata frequentius feriri coepere,

a) in Gord. c. 31. b) L. XXIII. c. 5. c) in Carac. c. 10. d) Capitolin. c. 16. e) Capitolin. c. 26. 34.

nimirum argentea maximae formae eo volumine, et crassitie, qua aenea, probitate argenti varia, duravitque satis per proximos imperatores. Aversa plerumque inscribitur AEQVITAS. AVGVSTI, vel MONETA. AVGVSTI typo *trium mulierum stantium cum bilance et cornucopiae, adstituta ad singularum pedes massa metalli cudendae monetae destinata*, quo de typo jam pauca memoravi Vol. I. Proleg. gen. cap. 1. Cum his aversis sub sequentibus etiam imperatoribus numi maximi moduli, sed toti aenei signati sunt. Argentei hujus formae numi cum aliis aversis rarius occurrunt. Vnum Philippi senioris dedit Vaillantius: VICTORIA. AVG. *Victoria gradiens* a). Observavi, non paucos ex his *Aequitatis*, seu *Monetae* numis sive argenteis, sive aeneis esse deauratos, aut tenuissima auri bractea vestitos, et quidem etiam more emblematum, sic ut paludamentum imperatoris fuerit obductum auro, immunibus reliquis numi partibus. Satis apparet, numos hos propter formam extraordinariam, et artis ostentationem pecuniae rationem non habuisse, sed signatos, ut servirent liberalitati principum, aut qualicunque alia de causa nobis ignota. Confidenter adserit Vaillantius b), id genus numos fuisse percussos in Syria, additque: *Romae numos ex argento maximos non observari signatos, quod hac forsan moneta non uterentur Romani.* At nimium temere istud statuitur. Enimvero in moneta Augusti, et sequentium imperatorum animadverti, numos argenteos communem modulum excedentes, etsi Latine inscriptos, tamen in urbibus Graecis esse signatos; verum istud statuendi causae erant plures, quas tum commemoravi. At hi, de quibus agimus, numi neque spectata inscriptione, neque typo, neque aliorsum quidquam peregrini ostentant, sed fabricam urbis aperte profitentur. Ajebam principio, hujus formae argenteos inde a Gordiano frequentius cusos. Iam enim ante illum, etsi perpauci, observantur. Quippe Vaillantius memorat unum Severi: VICTORIAE. AVGVSTI. c). Alius in museo Florentino Mamaeae: AEQVITAS. PVBLICA typo trium monetarum. Duo Maximini in museo Caesareo: AEQVITAS. AVGVSTI eodem typo.

Numi commatis peregrini:

Hujus classis numos tam urbium liberarum, quam coloniarum, et Alexandrinos magna copia superesse singuli catalogi docent, ceterum speciatim de his nihil observandum.

Nomina, ac tituli.

Antonius. Ita hunc quoque Gordianum vocatum, non Antoninum, in Gordianis Africanis disputatum.

Pius, *Felix*. Quo tempore his titulis uti coeperit, dictum supra ad annum V. C. 991.

* * *

De consulatu, trib. potestate, et terminis ejus imperii opportunius agetur in Tractatu de trib. potestate.

---

a) Num. praest. T. II. p. 316. b) l. c. c) Num. praest. T. II. p. 227.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	C.
Argentei max. mod.	RRR.
Argentei maj. mod. capite radiato	C.
Argentei soliti moduli capite plerumque laureato	R.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
Commatis peregrini: ut mox dictum	C.

SABINIA TRANQVILLINA.

Misithei praefecti praetorio, cujus laudes in Gordiano peregimus, filia teste Capitolino, qui tamen nomen dissimulat, sed illud prodit Eutropius, quin et copiosi numi Graeci ejus caput cum capite mariti sociantes. Nuptam fuisse V. C. 994, colligitur ex numo Alexandrino musei Caesarei inscripto L. Δ., quem annum sistunt etiam numi Caesareae Cappadociae. Habueritne proles, et quod illi caeso marito fatum, ignoratur.

Numi:

SABINIA. TRANQVILLINA. AVG. *Hujus caput.*

CONCORDIA. AVGG. *Gordianus togatus stans dexteram jungit cum adstante uxore.* AV. unicus, modo genuinus (olim in museo de France.) AR. AE. I. (Vaill.) AE. II. (Baldini.)

Eadem adversa.

CONCORDIA. AVGG. *Mulier sedens d. pateram, s. duplex cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.) AE. I. (Theupoli.)

Eadem adversa.

FELICITAS. TEMPORVM. S. C. *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae.* AE. I. (Harduin. Hist. Aug.)

Eadem adversa.

PVDICITIA. AVG. S. C. *Mulier sedens d. faciem velat, s. hastam.* AE. I. (Baldini, Theupoli.)

Numi commatis peregrini.

Paucitatem numorum commatis Romani supplent peregrini, quorum insignis copia tam urbium liberarum, quam coloniarum, et Alexandrinorum.

Nomina.

Furia. Istud nomen reticent numi Romani, sed non raro usurpant Graeci scripto ΦΟΥΡΙΑ. pro quo nonnunquam corrupte legitur ΦΡ. ΦΡΟ. ΦΡΟΥ., ut videre est apud Haymium, et Pellerinium. Latina quoque marmora constanter praeponunt FVRIA.

Sabinia. Sic nomen istud scriptum legitur in numis Romanis adcurate inspectis. Sed CABEINA habent complures numi Graeci, et marmora pleraque, si modo rite lecta, offerunt SABINA. Quae causa fuit, cur Spanhemius dictam potius *Sabinam*, quam *Sabiniam* cense-

ret [a]). At nunc artis nostrae periti numorum Romanorum auctoritate nixi in lectione *Sabinia* acquiescunt. Lego in lapide, quam vulgavit Sponius [b]): C. FVRIO. SABINIO. AQVILAE. TEMESITHEO. PROC. etc. cujus forte filia, aut neptis fuerit Tranquillina, ut colligi potest ex nominibus *Furii Sabinii.* Istud si verisimile est, non minus etiam videatur verisimile, pro *Misitheus*, quo nomine Capitolinus iterum iterumque Gordiani socerum notat, legendum *Timesitheus*, juvante nonnihil Zosimo, cui is in gignendi casu dicitur Τιμησικλεους [c]). Atqui habemus et Τιμησιθεον Trapezuntium apud Xenophontem [d]), Cleomenis Spartani fratrem apud Herodotum [e]), et *Timasitheum* Dorice apud Val. Maximum [f]), et Livium [g]). Non me magnopere turbat marmor, quod sic recitat Gruterus [h]):

MISITHEO
EMINENTI. VIRO
PARENTI. PRINCIPVM
PRAEF. PRAETORIO
ET. TOTIVS. VRBIS
TVTORI. REIP.
S. P. Q. R.
VICEM. REDDIDIT.

Confictam hanc inscriptionem dejerat Harduinus, quia insulsam, quae parentem principum P. R. socerum principis vocet [i]). Nequeo judicium istud refellere auctoritate Capitolini, quo teste Misitheus Gordianum vocavit filium, Gordianus Misitheum patrem. Nam quid proficerem adversus hominem, qui Capitolinum cum sociis scriptoribus tanquam confictum abjicit? Alia mihi causa, cur inscriptionem hanc adulterinam putem. Nimirum translatam a falsario in marmor ex Capitolino ipso suspicor, qui eandem iisdem paene verbis recitat [k]). Ergo si hunc Gordiani generum pro *Misitheo* malimus dictum *Timesitheum*, minuetur invidia nominis, et pro *osore deorum* habebimus nomen magis pium *cultoris deorum.* Enimvero ad nomen tam malignum sic obstupuit Casaubonus, ut exclamare non dubitaret: *quis est vir bonus, qualis hic fuit, qui* Μισοθεου *nomen gestare velit? quis qui non abhorreat?* et quod magis mirum, jam ipse in lectionem *Timesitheus* propendebat [l]). Credam, hanc eum lectionem plane fuisse adprobaturum, si laudatum Sponii marmor sibi jam fuisset cognitum.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aureus, de quo supra, forte	unicus.
Argentei	RRRR.
Aenei I. et II. formae	RRRR.

a) Tom. II. p. 302. b) Miscell. p. 148. c) in Gord. III. d) de exped. Cyri L. V. e) L. V. c. 72. f) L. I. c. 1. g) L. V. c. 28. h) Pag. 439. 4. i) Hist. Aug. p. 829. k) in Gord. III. c. 27. l) ad Gord. III. c. 23.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum	R.
Coloniarum	RR.
Alexandrini	RR.

M. IVLIVS PHILIPPVS I.

Ex Arabia Trachonitide secundum Victorem a), ex colonia Bostra Arabiae propriae secundum Zonaram oriundus, natus patre latronum duce. Variis per gradus militiae muneribus fuisse conspicuum, etsi istud historicorum compendia dissimulent, dubium non est, nam mortuo, et quidem, ut fama tulit, ipsius Philippi fraude, Misitheo praefecto praetorio, cujus praeclaris consiliis juventus Gordiani regebatur, in ejus locum, ac amplissimam dignitatem evectus est. Quam continuo perfide principem optimum, ac de se tam insignite meritum interfici jusserit, diximus in proximo Gordiano.

V. C. 997. P. X. 244.
TR. P. COS. DES. P. M. P. P.
Peregrino, Aemiliano cos.

Caeso Gordiano circiter mense Februario, aut aliquanto serius Augustus ab exercitu dicitur adprobante senatu. Filium Philippum Caesarem appellat. Pace cum Sapore Persa facta Romam revertitur. Philippopolin Arabiae condit. (Victor alter, Zosimus.)

* * *

A. IMP. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. AE. I. II. radiatum in AR. maj. mod.*

B. IMP. C. M. IVL. PHILIPPVS. P. F. AVG. P. M. *Caput radiatum in AR.*

C. IMP. IVL. PHILIPPVS. P. F. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

* * *

Vt lit. A.

ADVENTVS. AVGG. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita adversa patris laureatum, filii nudum.*

ADVENTVS. AVGVSTORVM. *Tres figurae equestres, praeit Victoria d. lauream gestans, humi decumbunt duo barbari, sequuntur milites quinque.* AE. m. m. (Vaill.)

Haec antica saepe occurrit in numis hujus et sequentium proxime imperiorum, praecipue ex maximo modulo. Saepe etiam occurrit caput tertium, nempe Otaciliae jugatum cum capite mariti, ut videbimus. Tres equites partis aversae divinandi materiem praebent. Vaillantius tertium ait esse Priscum Philippi fratrem memoratum Zosimo. Verum cum hic referat, Priscum a Philippo, quo securitati suae magis con-

a) in Caesarib.

suleret, legionibus Syriacis fuisse praefectum, verisimile, eum principio imperii, cum res adhuc intutae essent, in Oriente relictum, neque fratrem in urbem adsecutum. Quid quod non constet, Priscum hunc Caesaris dignitate fuisse ornatum. Quare propter hanc ipsam trium equitum causam, qui praesenti imperio minus quadrant, lubentius adsentior Buonarrotio, qui numum plane similem in imperium Valeriani differt, quo tempore principes fuere Valerianus, Gallienus, Saloninus. Vide, quae ad similes numos monebimus in numis vagis Valeriani, tum et Treboniani ad annum V. C. 1005.

* * *

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita jugata Philippi et Otaciliae una cum adverso nudo filii.*

EX. ORACVLO. APOLLINIS. *Templum rotundum, in cujus apice aquila, intus idolum, vel idola tria.* AE. m. m. (Mus. Caes. Vaill. Albani.)

Vtrum ex oraculo Apollinis acceptaverit imperium, aut templum, quod aversa exhibet, curaverit aedificandum, aut aliud quid praestiterit, incertum, et alio opus Apollinis oraculo. Quidquid erit, sinistrum numus hic omen est eorum sententiae, qui Philippum Christianam religionem professum adseruere, de quo agetur infra. Venutus in suo musei Albani numo idola videt tria, quae censet esse Capitolina, Iovis, Palladis, Iunonis.

* * *

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita adversa patris laureatum, filii nudum.*

LIBERALITAS. AVGG. *Duo impp. congiario praesidentes.* AE. m. m. (Vaill.) In alio, sed ut lit. C. AE. I. (Vaill.) In aliis tantum AVG. typo *Liberalitatis stantis.* AR. (Vaill.) AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PAX. FVNDATA. CVM. PERSIS. *Mulier stans d. ramum, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Eloquitur numus, quod narrat Zosimus, Philippum mox caeso Gordiano pacem amicitiamque cum Sapore constituisse.

* * *

Vt lit. A.

PIETAS. AVGG. *Capita duo adversa filii nudum, et Otaciliae.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VOTIS. DECENNALIBVS. S. C. *intra lauream.* AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 998. P. X. 245.
TR. P. II. COS. P. M. P. P.
Philippo Aug., Iunio Titiano cos.

Carpis, populo sive Scythico, sive Gothico, provincias Istro adsitas infestantibus, contra eos exit Philippus, et aliquoties victos ad pacem compellit [a]). Quo anno coepta haec expeditio, et quamdiu duraverit, non satis constat, certe intra annum hunc, et sequentes binos compingenda. Ex eo bello una cum filio dictus *Germanicus Maximus, Carpicus Maximus* (V. numos anni 1001.)

* * *

a) Zosimus.

A. IMP. CAES. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AE. m. m.*

B. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum, in AV. AE. I. II. radiatum in AR.*

* * *

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator paludatus stans d. hastam, circumstantibus tribus, in aliis quatuor figuris militaribus.* AE. m. m. (Mus. Caes. M. Ducis, Theup.) In alio: *Vterque Philippus stans paludatus adstantibus tribus praetorianis.* (Mus. Albani, de Camps.)

De numis his, in quibus omissus numerus trib. potestatis, agemus in tractatu de hac dignitate.

* * *

Vt lit. B.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator sedens d. globum, s. scipionem.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

V. C. 999. P. X. 246.

TR. P. III. COS. DES. II. P. M. P. P.
Praesente, Albino cos.

Continuatur haud dubie expeditio Carpica.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. radiatum in AR. et AE. II.*

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita jugata laureata utriusque Philippi, adversum tertium Otaciliae.*

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Typus dubius, seu congiarium, seu proles alimentarias exhibens.* AE. m. m. (Buonarroti Osserv.)

De hoc numo, qui jam ad annum praesentem caput Philippi filii laureatum sistit, agetur infra in hujus moneta.

V. C. 1000. P. X. 247.

TR. P. IV. COS. II. DES. III. P. M. P. P.
Philippo Aug. patre II. Philippo Aug. filio cos.

Anno millesimo urbis conditae Philippus filium Augustum dicit collata trib. potestate. Ab hoc anno Dacia provincia annos suos numerare incipit. Vide hujus numos.

* * *

A. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. II. radiatum in AR.*

B. IMP. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AE. radiatum in AR.*

* * *

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGG. II. *Liberalitas stans.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Verisimile, congiarium II. ad praesentem annum pertinere, collatum per causam communicati cum filio imperii.

* * *

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae.* AR. AE. I. II. In aliis:

P. M. TR. IIII. COS. P. P. *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Omissum in posteriore hoc numo contra morem consulatus numerum docebimus in tractatu de trib. potestate.

* * *

Vt lit. B.

VICTORIA. CARPICA. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Numus explicandus ex iis, quae in annalibus ad annum V. C. 998 monui. Harduino hoc bellum gestum non cum Carpis trans Istrum, sed cum Carpis Africae urbecula visum [a]). Acute! Multa Dacos a Carporum incursionibus passos confirmat marmor repertum Albae Iuliae Daciae urbe, quod Serapidi posuit G. Valerius A. CARPIS. LIBERATVS. [b]). Non satis Gorius aevi hujus historiam consuluit, cum ait, ex hoc marmore nos discere, C. Valerium Serapidis auxilio liberatum fuisse a chiragra, quae cum manuum articulos, tum carpos intercipit [c]).

V. C. 1001. P. X. 248.
TR. P. V. COS. III. P. M. P. P.
Philippo Aug. patre III. Philippo Aug. filio II. cos.

Ludos saeculares summa cum magnificentia celebrat.

* * *

A. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. II.*

B. IMP. PHILIPPVS. AVG. *Caput radiatum in AR. et AE. II. laureatum in AE. I.*

* * *

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita jugata Philippi patris laureatum, et Otaciliae, et adversum laureatum Philippi filii.* GERM. MAX. CARPICI. MAX. *infra,* III. ET. II. COS. *Currus triumphalis, super quo hinc Victoria, inde Mars in aere libratus duobus Augustis currum conscensuris manum porrigunt, humi duo captivi sedentes.* AE. m. m. (Mus. Albani.)

Insigne cimelium, quo docemur, Philippum non modo cum Carpis, de quo jam ex numis constabat, sed et Germanis dimicasse, atque ex utraque victa gente se filiumque *Germanicum Maximum*, *Carpicum Maximum* fuisse dictos. Vide typum plane geminum in numo Valeriani inscripto PONTIF. MAX.

* * *

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVG. III. *Duo impp. congiario praesidentes.* AR. (Mus. Caes.) AE. I. II. (Vaill.)

Hoc congiarium haud dubie occasione ludorum saecularium est collatum.

PIETAS. AVGVSTORVM. III. ET. II. COS. *Capita adversa laureata patris et filii.*
MARCIA. OTACILIA. SEVERA. AVG. *Caput Otaciliae.* AE. m. m. (Mus. Pisani.)

Adludit antica ad pietatem Augustorum celebrandis ludis saecularibus impensam.

* * *

Vt lit. B.

P. M. TR. P. V. COS. III. P. P. *variis typis.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Ludi saeculares.

Annus rei Romanae millesimus, grande aevum imperii ex tenui initio pro-

a) Hist. Aug. b) Grut. p. 85. 9. c) Mus. Florent. T. I. p. 115.

fecti, et ad summum fastigium, quo tendere conditio mortalis potest, virtute ac tolerantia enixi. Tam memorabilis fortuna nulli imperio tam liberaliter ac profuse concessa omnibus orbis cogniti gentibus aut servire coactis, aut ad nomen R. trepidare, merebatur omnibus caerimoniis, gratulatione, ac ludorum magnificentia celebrari. Coeperat is annus a parilibus, sive die XXI. Aprilis anni proxime elapsi, qui fuit post Christum natum 247, et exivit eodem die anni praesentis. In ludorum omnis generis copia et ingente apparatu conspirant quidem, qui supersunt, auctores veteres, verum in anno dissentiunt, quo celebrati hi ludi. Eorum D. Hieronymus ad annos post Christum 245 et 246 meminit. Orosius et Iornandes constitutos adserunt exacto Philippi triennio, quod revera in annum P. X. 247, seu ipsum annum millesimum cadit. Capitolino acti dicuntur in consulatu Philipporum [a]), oratione dubia, nam duobus annis continuis, nempe P. X. 247 et 248 una processere consules. At Cassiodoro consulibus Aemiliano et Aquilino, qui processere anno P. X. 249. Si ludos hos ex nominis lege spectes, celebratos oportuit anno P. X. 247, nimirum anno ipso millenario, atque secundum hanc legem actos eos anno V. C. 800 a Claudio constat. Revera Baronius, aliique nonnulli recentiores eundem annum 247 maluerunt. At plerique chronologi alii annum sequentem 248 praetulere persuasi invicto numorum testimonio, quorum nullus anno priore signatus horum solennium mentionem facit, at habemus copiosos, qui cum his ludis consulatum III. Philippi patris, aut II. filii conjungunt, quae sunt certa indicia anni post Christum 248. Ceterum neque Victor adversatur anno annum millenarium consequenti, nam queritur [b]), sua aetate post annos mille centesimum consule Philippo excessisse, nullis, uti solet, solennibus frequentatum. At hic Fl. Philippi consulatus cadit in annum V. C. 1101 P. X. 348, quod argumentum jam attulit Tillemontius [c]). Ex quo apparet, constituisse Philippum nonnisi exactis annis mille hos ludos peragere. Cassiodorus et Hieronymus testantur, ludos theatrales in Campo Martio celebratos tribus diebus ac noctibus populo pervigilante, quo docemur, acta tum ea esse, quae ludis saecularibus agenda praescribit Zosimus [d]). Capitolinus leones, elephantos, aliasque feras enumerat, quas Gordianus III. ad Persicum suum triumphum reservavit, aut congregavit ipse, sed quas subinde Philippus ludis saecularibus vel dedit, vel occidit [e]). Lubet in sequente catalogo numorum saeculi milliarii testium propter argumenti concordiam conjungere etiam numos Philippi jun. et Otaciliae ad eosdem ludos pertinentes.

A. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laur. Philippi I.*
MILIARIVM. SAECVLVM. S. C. *Cippus, cui inscriptum.* COS. III. AE. I. II. (Mus. Caes.)

a) in Gordiano III. c. 33. b) in Caesarib. sub Philippo. c) Nota VI. in Philipp. d) L. II. sub init. e) in Gord. l. c.

Epigraphe et caput Otaciliae.
MILLIARIVM. SAECVLVM. S. C. *Cippus.* AE. I. II. (Vaill.)

B. IMP. PHILIPPVS. AVG. *Caput laur. Philippi I., in AR., in aeneis ut lit. A.*

SAECVLARES. AVGG. *Cippus, cui inscriptum* COS. III. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Epigraphe et caput Otaciliae.
SAECVLARES. AVGG. *Cippus.* AV. (Vaill.) AE. I. II. (Mus. Caes.)

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laur. vel radiatum Philippi II.*

SAECVLARES. AVGG. S. C. *Cippus, cui inscriptum* COS. II. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. vel A. Caput rad. vel laur. Philippi I.

SAECVLARES. AVGG. *Leo, infra* I. AR. *In aliis sine* I. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. vel A. Caput rad. vel laur. Philippi I.

SAECVLARES. AVGG. *Lupa gemellos lactans, infra* II. AR. *In aliis sine* II. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. et A. Caput rad. vel laur. Philippi II.

SAECVLARES. AVGG. *Capra cornibus sursum erectis, infra* III. AR. *In aliis sine* III. AE. I. (Mus. Caes.)

Epigraphe et caput Otaciliae.
SAECVLARES. AVGG. *Hippopotamus, infra* IIII. AR. *In aliis sine* IIII. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. Caput laureatum Philippi II.

SAECVLARES. AVGG. S. C. *Hippopotamus.* AE. I. (Vaill.)

Vt lit. B. et A. Caput rad. vel laur. Philippi I.

SAECVLARES. AVG. *Cervus, infra* V. AR. *In aliis sine* V. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. et A. Caput rad. vel laur. Philippi I.

SAECVLARES. AVGG. *Capra silvestris cornibus versus tergum inclinatis, infra* VI. AR. *In aliis sine* VI. AE. I. (Mus. Caes.)

Numum aeneum cum epigraphe: SAECVLARIA. SACRA *citat Mediobarbus ex unis schedis Pedrusianis* a)*; quem adeo aeque confictum suspicor, ac alterum Claudii Aug. cum eadem epigraphe, ut loco suo monui.*

MILIARIVM in his numis fere constanter scribitur, vix aliquando MILLIARIVM, nullo monetarii errore, nam et *mile*, et *mille* scriptum veteribus, ut habet Papirianus apud Cassiodorum, et monumenta veterum non pauca. At nunquam in his numis legitur MILLENARIVM, etsi hanc scripturam obtrusere Occo, et numi Arschotani. Est vero *Miliarium saeculum* saeculum magnum quod decem ordinaria complectitur, fere ut ait Plautus b):

Quin mille annorum perpetuo vivunt ab
saeculo ad saeculum.

Saeculum vero istud dicitur *miliarium*, quod mille annos collegit, ut Varroni de R. R. *milliarius grex* dicitur, qui fuit mille capitum, et haud dubie Suetonius porticus Neronis dixit *milliarias*, quod mille passus porrigebantur c).

Varia alia in posteriores numos ob-

a) Pag. 347. b) Mil. Act. IV. sc. II. v. 87. c) in Nerone c. 31.

servanda. Quae animalia sunt in numis Philippi I., (de argenteis tantum sermo, nam aenei, etsi perpauci, huic legi non se adcommodant) non reperiuntur in numis uxoris et filii, et vicissim. Argentei id genus omnes inscribuntur numeris ab I. usque ad VI., idque lege constante; nam infra leonem semper observabis notam I., infra cervum V. etc. Fuere, qui censerent, animalia haec esse eadem, quae per hos ludos in spectaculum exhibita sunt, numeris autem indicari dies, quibus certa quaedam animalia in conspectum emissa fuere a). Vtrumque adsertum graves premunt difficultates. Nam si placuisset monetariis inserere numis proposita tum animalia, selegissent haud dubie in typum animalia minus obvia, et quae per insolentiam, et quod longe, et cum discrimine, magnisque sumptibus petenda fuerant, magis hac ludorum celebritate digna fuerant. Sane Capitolinus inter feras a Philippo tum productas memorat elephantos, alces, tigres, leopardos, hyaenas, rhinocerotem, camelopardalos etc. b). At horum animalium nullum in his numis, sed in eorum locum, si hippopotamum et leonem demas, alia minorum gentium, cervi et caprae, quibus amphitheatra parum illustrantur, sese offerunt. Novi, in horum uno a Spanhemio videri alcem c), in aliis a variis hyaenam, verum aut nimium sibi indulsere eruditi hi viri, cum videre vellent in numis, quae Capitolinus memoriae prodidit, aut numos non satis integros prae oculis habuere. Vt igitur dem, unum alterumve animal, quod cimelia haec sistunt, esse ex eorum genere, quae ludos nobilitarunt, ita vix dedero, idem esse de reliquis judicium, nisi velimus Romulum quoque ac Remum, qui in numis cum nota II. lupae suae beneficio fruuntur, venatui tum fuisse expositos, qui idem typus alteram quoque sententiam adfligit, quae, ut dixi, missus diurnos his numeris indicari statuit. Cui sententiae obstat etiam illud, quod inde sequeretur, ludis his impensos fuisse saltem dies VI., nam tot, ut diximus, numeri in his numis exarantur; quin et numerum X., nescio unde acceptum, nobis obtulit Pagius d). At vero ludis saecularibus inde ab eorum exortu dies tantum tres, totidemque noctes fuisse praescriptas, apud auctores omnes legimus, ac privatim de Philippeis his saecularibus ait D. Hieronymus e): *Regnantibus Philippis millesimus annus Romanae urbis expletus est, ob quam solennitatem innumerabiles bestiae in Circo magno interfectae, ludique in Campo Martio theatrales* tribus diebus ac noctibus *populo pervigilante celebrati*. Vnde et recte dixit Ausonius f):

Trina Terentino celebrata trinoctia ludo.

Ex quo colligi potest, etsi hi typi docente inscriptione ad ludos saeculares certo pertineant, aliam tamen illorum esse significationem, praecipue cum videamus, alios typos uni, alios alteri principi ex tribus imperantibus fuisse reservatos. Ad numeros quod attinet, in iis nihil aliud video praeterquam notas

---

a) Iobert T. I. p. 147. Pagi Critica Bar. ad ann. Ch. 247. §. 10. b) in Gord. III. c. 33. c) T. I. p. 197. d) l. c. e) Chron. Eusebii. f) Carm. 336. v. 34.

monetariorum; nam si animalia statis diebus missa indicarent, causam non video, cur neglexerint monetarii idem docere in numis aeneis. At docebimus infra, imperante Philippo in moneta argentea coeptos signari numeros et literas solitarias, quas subinde successores cum tanto antiquariorum fastidio multiplicavere.

* * *

Vt lit. B. et A. Caput in aliis Philippi I. in aliis Philippi II.

SAECVLVM. NOVVM. *Templum in aliis sex, in aliis octo columnarum, intra quod idolum sedens.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eadem aversa exstat etiam in numis Etruscillae, Treboniani, et Volusiani.

IMP. CAES. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laureatum Philippi II. In alio caput patris.*

SAECVLVM. NOVVM. *Vterque imperator velatus ad aram sacrificans adstante tibicine et quatuor figuris aliis; retro templum octo columnarum.* AE. m. m. (Vaill.)

V. C. 1002. P. X. 249.
TR. P. VI. COS. III. P. M. P. P.
M. Aemiliano II., Iunio Aquilino cos.

Iotapianus in Oriente, P. Carvilius Marinus in Moesia et Pannonia imperium invadunt, sed paullo post morte adficiuntur. Philippus ad sopiendam exercitus Pannonici seditionem Trajanum Decium mittit, quem continuo milites, quo poenam evaderent, Augustum salutant. Adversus eum urbe egressus Philippus praelio apud Veronam inferior cadit, mox filius in urbe a praetorianis in castris interficitur [a]). Chronicon Alexandrinum exegisse eum annos vitae XLV adserit, at Zosimus debili eum per aetatem fuisse corpore narrat.

Durasse Philipporum imperium usque ad inchoatum saltem autumnum, probatur primum ex numis Alexandrinis inscriptis L. Z., quos necesse est esse signatos inde a XXIX. Augusti anni praesentis, quo Alexandrinorum annus VII. incepit. Deinde numis coloniae Sinopensis cum capite Philipporum, et anno CCCXIX., quem item signari decuit inito jam autumno, ut patet ex calculo aerae Sinopensis. Scrupulum male auspicatum chronologis injecit Froelichius ad contrahendum Philippi imperium ex vulgato per manifestum errorem anno aerae Anazarbensis in numo Decii, de quo vide, quae disputavi in numis Anazarbi Ciliciae. Alia argumenta promoti usque in autumnum imperii ex legum subscriptionibus petita vide apud Tillemontium.

Ergo Philippo perfide principatu potito memor sceleris Nemesis pares vices rependit. Hoc unum peccatum si demas, reliqua ejus vita reprehensione videtur caruisse. Christianum fuisse multi veterum, quos inter et sancti patres exstitere, memoriae prodiderunt, quod examen cum mei instituti non sit, et abunde agitatum ab historiae ecclesiasticae scriptoribus, ac cumprimis Tillemontio, ipsi vero numi perpetua falsorum deorum mentione contrarium potius doceant, haec relinquere intacta licebit. Inter divos una cum filio relatum tradit Eutropius, numi tacent.

Vxor *Otacilia*, de qua infra.

a) Zosimus.

Numi:

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. VI. COS. P. P. *Leo capite radiato gradiens.* In aliis: *Imperator velatus stans ad aram d. pateram, s. scipionem.* In aliis: *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Mediobarbus, cum numos similes ad hunc annum describit, eorum epigraphen sic refert: P. M. TR. P. VI. COS. III. P. P. Numi musei Caesarei hujus generis copiosi atque integerrimi additum consulatui numerum III. prorsus ignorant. Ergo Mediobarbus, aut auctor, ex quo is hos numos descripsit, permissum sibi putabat, quod gravissimum in nostris studiis peccatum, veterem ac veram numi epigraphen interpolare, ac corrigere. Verum est, fuisse Philippum hoc anno consulem III., at verum est etiam, non raro in Philippi moneta numerum consulatus et trib. potestatis esse omissum, quod olim copiosius docebimus in tractatu de trib. potestate.

Numi vagi:

A. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laur. in AV. Quin. et AE. II., radiatum in AR., raro laureatum.*

B. IMP. PHILIPPVS. AVG. *Caput radiatum in AR., laur. in AE. I.*

C. IMP. C. M. IVL. PHILIPPVS. P. F. AVG. P. M. *Caput radiatum in AR.*

* * *

Vt lit. A. et B.

AETERNITAS. AVGG. *Elephas cum rectore.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

AETERNITAS. IMPER. *Sol gradiens d. elata, s. flagellum.* AR. (Mus. Caes.)

En bina aeternitatis symbola, elephas et sol. Elephas propterea, quoniam longissimi aevi ferebatur, ducentorum aut etiam trecentorum annorum, ut ex Aristotele refert Plinius [a]). De sole nihil est, quod memorem iterum post numos Trajani: AET. AVG. consulatus V.

* * *

Vt lit. B.

FELICITAS. IMPP. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. et B.

NOBILITAS. AVGG. *Mulier stans d. hastam, s. globum, in area* ꟼ. AR. *Sine hoc areae signo* AE. I. (Mus. Caes.)

Nobilitatem liberalissime jactaverunt ii, quorum genus ignobile fuit ac sordidum, cujus exemplum in Severo vidimus. Quanquam Philippo aliqua saltem, eaque vera nobilitas praesto fuit, nam Victor alter ejus patrem *nobilissimum latronum ductorem* fuisse refert. Legimus in marmore Gruteri [b]): OB. HONOREM. PHILIPPI. IMPERATORIS. NOBILISS. SEMPER. AVGVSTI. ET. PHILIPPI. CAESARIS. NOBILISSIMI.

* * *

Vt lit. A. et B.

TRANQVILLITAS. AVGG. *Mulier stans d. draconem bipedem, s. hastam, in area* B. AR. *Sine nota* B. AE. I. (Mus. Caes.)

---

a) L. VIII. §. 10. b) Pag. 272. 9.

Mediobarbus illud, quod mulier dextera praegestat, jam delphinum, jam capricornum dicit. Verum cauda oblonga et sinuata, tum caput praeacutum, quod utrumque in numis nitidissimis musei Caesarei luculente apparet, certissimum draconem faciunt, atque ejus formae, qua insignia militaria praefixa conspicimus, de quibus infra, hoc uno discrimine, quod draco numorum binos pedes praetendit, quibus carent dracones in signis militaribus. At novimus immoderatam veterum artificum in fingendis animalibus licentiam, cum haec extra naturam quaesita fuere. Ita et dracones alatos sistunt numi Eleusinis, et passim ii alati sunt, qui Cereris aut Triptolemi currum subivere. Tamen et draconem bipedem video in tabula aenea vetere legioni II. Aug. adstitutum, etsi hunc quoque Buonarrotius commentator capricornum dicat [a]). Praesentis numi draco aenigma offert, quod sic expedire tento. Fuisse dracones apud Romanos insignia cohortium, diserte docet, Vegetius [b]): *Primum signum totius legionis est aquila, quam aquilifer portat. Dracones etiam per singulas cohortes a draconariis feruntur ad praelium.* Eos fuisse intextos vexillis, discimus ex Ammiano solennem Constantii in urbem ingressum describente: *alios purpureis subtegminibus texti circumdedere dracones, hastarum aureis gemmatisque summitatibus illigati, hiatu vasto flatiles, et ideo velut ira perciti sibilantes, caudarumque volumina relinquentes in ventum.* Draconum hastis aptatorum saepius meminit Ammianus, et dracones in inepta Gallieni pompa inter signa militaria processisse refert Trebellius [c]). Vide, quae plura de his testimonia etiam ex poetis congessit eruditus le Beau Gallus [d]). Dacis etiam ac Parthis multo ante dracones fuisse pro insignibus praefixos hastis, patet cum ex columna Trajani, tum Luciano [e]). Ergo draco in praesente numo a muliere praegestatus indicare facile potest *tranquillitatem* a cohortium fide ac virtute imperio praestitam. Eadem aversa est etiam in numo rarissimo Taciti eodem haud dubie sensu.

Numi commatis peregrini.

Obvii hujus generis numi tam in urbibus Graecis, quam coloniis signati, nihil tamen privatim de iis videtur commemorandum.

De aureis barbaris Philippi.

PHILIPPVS. FIVS. AVGG. *(sic omnia). Caput muliebre galeatum alatum.*

ENTTLOICKCSS. *Miles stans d. hastam, s. globum.* AV. bini, quorum unus adpendit aureos nostrates tres cum aliquo excessu, alter nonnihil levior. (Mus. Caes.) Alius gran. 195. (Pellerin. Mel. I. p. 161.) Alius gran. 161. (ibid.) Alius gran. 150. (Mus. olim de France Vindob.)

Aureum barbarum similis naturae

a) Osserv. istor. p. XVII. b) L. II. c. 13. c) in Gallieno c. 8. d) Mem. B. L. T. XXXV. p. 302. e) de conscrib. hist.

jam sub Gordiano vidimus. Praesens item numi barbari numeros omnes implet, seu fabricam spectes, seu inscriptionis modum, praecipue in parte aversa, cujus sensum verisimile est ne ipsi quidem monetario barbaro fuisse cognitum. Ad haec ejus plagia manifesta sunt; nam typum anticae mutuatus est ex numis consularibus, aversam ex numis Philippi jun. inscriptis: PRINCIPI. IVVENTVTIS. Eandem huic numo esse patriam, quam Gordiani numo, indubitatum videtur; nam praeterquam quod eadem utrique est barbaries, ex eodem etiam tractu proveniunt omnes, nimirum ex Dacia vetere, et regionibus conterminis. Iam in Gordiano monui, qua ratione hi numi a barbaris, qui jam tum impressionem in has terras fecerunt, feriri potuerint. Operae pretium videtur describere hoc loco marmor, quod edidit Muratorius [a]), ex quo varia praesens argumentum contingentia possunt colligi:

P. M. TR. P. V. COS. III. P. P.
TRANQVILLITAS. AVGG.
VIRTVS. AVGG.
PIETAS. AVGG.
VIRTVS. AVGG.
NOBILITAS. AVGG.

Habemus ergo sex priores Graecorum numeros, sic ut postrema nota indubitatum sit episemon, seu senarius, quae adeo notae Graecae plene respondent memoratis supra notis Latinis ab I item usque VI, et quidem sic, ut, quemadmodum numeri I. II. V. VI. sunt tantum in numis Philippi senioris, sic et in his tantum numeri Graeci Latinis analogi A. B. Є. Ϛ., quemadmodum numerus IIII est tantum in numis Otaciliae, sic et in his solum occurrit Δ, denique quemadmodum numerus III est tantum in numis Philippi filii, sic et in his tan-

D. M.
ZIAI. TIATI. FIL.
DACAE. VXORI
PIEPORI. REGIS
COISSTOBOCENSIS
NATAPORVS. ET
DRIGISA. AVIAE
CARISS. B. M. FECER.

Costobocarum, qui Scythis adnumerabantur, aliquoties meminit Ammianus.

Notae solitariae in moneta argentea.

Praeter notas arithmeticas I. II. III. IIII. V. VI., quae occurrunt in argenteis cum epigraphe SAECVLARES. AVGG., de quibus egi ad annum V. C. 1001, observo etiam nunc primum in moneta, sed et hac tantum argentea, literas solitarias, sed, ut intuenti manifestum fiet, Graecas, easque item arithmeticas. En horum numorum catalogum ex uno museo Caesareo.

in area	A.	Philippi patris.
in area	B.	Philippi patris.
in area	Γ.	Philippi filii.
in area	Δ.	Otaciliae.
in area	Є.	Philippi patris.
in area	Ϛ.	Philippi patris.

a) Pag. 1039. 3.

tum comparet Γ. Quo adeo comprobatur, inanes esse conjecturas, quas, ut supra diximus, eruditi ad explicandam numerorum Latinorum causam attulere. Nunc ergo primum solitariae hae notae, etsi parce, occupare monetam incipiunt, quae deinceps inferioris aevi numos more examinum insedere. Ceterum nullus in iis sensus reconditus, neque aliud fuerint, quam indicia, quibus monetarii opus suum distinxere.

Nomina.

Germanicus Maximus, *Carpicus Maximus.* De his vide numos anni V. C. 1001.

Parthicus Maximus. In marmore Toletano apud Gruterum [a]) dicitur PART. MAX. Praeterquam quod marmoribus Hispaniensibus exiguam habemus fidem, verisimile etiam visum, perperam lectum esse PART. MAX. pro PONT. MAX., qui honos, quando Augustorum tituli in marmoribus recensentur, negligi non solet. At vulgavit nuper cl. Schönwisnerus columnam milliariam, quae nunc exstat Budae in arce, cum hoc epigrammate [b]):

IMP. CAES.
M. IVL. PHILIPPO
P. F. INVICTO. AVG.
PARTICO. (sic) MAXIMO
TRIB. POTESTATIS.
P. P. PROCOS.

Nisi forte privatum fuit Pannonum obsequium, Parthici titulum inconsulta curia Romana Philippo decernentium, videtur hoc ornatus elogio non quidem ob victos Parthos, sed ob conclusam cum iis pacem, quam ipsam in numis quoque jactavit, inscriptis: PAX. FVNDATA. CVM. PERSIS, quos altius indicavimus. In ejus moneta hic titulus reticetur.

De trib. potestate.

De hac, et conjunctis consulatibus agemus in tractatu singulari.

Consul.

Numi commatis R., fasti omnes, aliaque monumenta Philippo nonnisi consulatus III. tribuunt, soli Antiocheni, neque exiguo hi numero, omnino IV. inscripto ΔΗΜΑΡΧ. ЄΞ. ΥΠΑΤΟ. Δ. Atque hos Gallandus in epistola ad Grainvillium, quae exstat in Miscellaneis observationib. crit. novis Tomo IV. p. 275, tanti putat, ut omnibus, quas memoravi, auctoritatibus contemptis sibi permissum putaret, Philippo consulatum IV. adserere. Sin istud, nihil obest, quo minus Diadumeniano quoque consulatus IV. tribuamus, quia in hujus etiam numis Antiochenis, iisque obviis, legitur ΥΠΑΤΟC. ΤΟ. Δ., ut taceam infanda alia, quae Antiochenorum hujus aevi tetradrachma promulgant. Vide huc pertinentia etiam in moneta Philippi jun.

---

a) Pag. 273. 1. b) Iter per Pannon. P. II. p. 172.

PRETIVM.

Commatis Romani:		
Aurei		RR.
Argentei max. formae		RRR.
Argentei formae ordinariae		C.
Aenei I. et II. formae		C.
Aenei III. formae		O.
Commatis peregrini:		
Omnis generis	fere	C.

MARCIA OTACILIA SEVERA.

Cognita Philippi senioris uxor cum ex marmoribus, tum numis utriusque commatis. Reliqua ejus incerta, nisi quod Christianam fuisse multis veterum est creditum, de quo vide Tillemontium [a]).

Proles: *M. Iulius Philippus Aug.* de quo infra. Habuisse et *filiam*, docet Zosimus, qui Severianum Philippi generum memorat [b]).

Numi:

A. M. OTACIL. SEVERA. AVG. *Ejus caput in AV.*, *idem super lunula in AR.*

B. MARCIA. OTACIL. SEVERA. AVG. *Ejus caput in AE. m. m. et AE. I. II. idem super lunula in AR.*

C. OTACIL. SEVERA. AVG. *Ejus caput in AE. I. II. idem super lunula in AR. et AE. II.*

D. MARC. OTACIL. SEVERA. AVG. *Ejus caput super lunula, in AR.*

* * *

Vt lit. D.

FECVNDITAS. TEMPORVM. *Mulier humi sedens ramum extendit versus adstantes duos puellos, s. cornucopiae.* AR. (Pellerin Mel. I. p. 193.)

Vt lit. B.

PIETAS. AVGVSTAE. *Mulier sinistra elata stans inter quatuor puellas, quarum unam dextera adprehendit.* AE. m. m. (Mus. Caes.)

Hoc typo dubium non est indicar puellas alimentarias, de quibus saepe agunt numi Augustarum inde ab Antonino Pio.

* * *

Numi, in quorum aversa:

SAECVLARES. AVGG., *recitati jam sunt in numis Philippi I. similis argumenti ad annum V. C. 1001.*

Numi reliqui: CONCORDIA — IV-

a) Tom. III. P. II. p. 562. b) in Philippo.

NO — PIETAS — PVDICITIA etc. argumenta trita in moneta Augustarum.

Numi commatis peregrini.

Hujus classis numi, ut mariti, ita Otaciliae quoque, sunt frequentes.

Si Pellerinium audias, dicta fuit CEMνη, *Venerabilis*, in numo Alexandrino perinde ac Gordianus Afr. senior, (Mel. I. p. 226.) verum hanc sententiam satis refutavi in tractatu de num. Alexandr. Certior in his titulus MHτης CTPAτοπεδȣ, *mater castrorum*, ut ibidem dictum.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei	C.
Aenei max. formae	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Vt dictum.

M. IVL. PHILIPPVS II.

Natus Philippo et Otacilia Augg. Caeso Gordiano a patre Caesar appellatur, cum annum tum aetatis nonnisi septimum ageret, si verum est, quod refert Victor alter, fuisse duodennem, cum ad mortem adigeretur.

V. C. 997—999. P. X. 244—246.
CAESAR. PRINC. IVVENT.

A. M. IVL. PHILIPPVS. CAES. *Caput nudum in AV. et Quin. et AE. I. II. radiatum in AR.*

B. M. IVL. PHILIPPVS. NOBIL. CAES. *Caput nudum in AR. max. mod. et AE. II.*

* * *

Vt lit. B.

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita adversa Philippi patris, et Otaciliae.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Antica varia.

PRINCIPI. IVVENT. *Caesar paludatus stans d. globum, vel signum militare, s. hastam.* In omni metallo et forma.

Reliquae aversae obviae, et jam ex numis patris cognitae.

V. C. 1000. P. X. 247.
AVGVSTVS. TR. P. COS. P. M. P. P.

Consul procedit patre conlega consule II. Imperator appellatur collatis omnibus Augusti honoribus, ipso etiam pontificatu maximo. Vide infra animadversiones.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput radiatum.*
P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. *Mulier stans d. caduceum, s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Caput laureatum.
P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. S. C. *Imperator sedens d. globum, s. parazonium.* AE. I. (Mus. Caes.)

Similes aversarum inscriptiones occurrunt etiam in numis patris anni praesentis. Nemo non videt, Philippo filio neque tribunatum IV., neque consulatum II. hoc anno competere. At ego hoc loco universim monitum volo, de quo agam copiosius in tractatu de trib. potestate, in moneta filii, satis istud quidem perverse, titulos patris fuisse exaratos.

V. C. 1001. P. X. 248.
TR. P. II. COS. II. P. M. P. P.

Consul II. procedit patre conlega consule III. Ludos saeculares cum patre celebrat.

A. IMP. PHILIPPVS. AVG. *Caput radiatum in AR.*
B. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput laur. in AE. I. II.*

* * *

Vt lit. A.
LIBERALITAS. AVGG. III. *Ambo impp. sedentes d. extenta.* AR. (Mus. Caes.)

Antica incerta.
PONTIFEX. MAX. TR. P. V. COS. III. P. P. *Victoria insidens clypeo s. alium clypeum tropaeo innixum tenens, in clypeo:* VICTORIA. AVGG. AE. m. m. (Mediob.)

Epigraphen aversae ad patrem pertinere, planum est. Ceterum in numo simili gazae Mediceae Vaillantius legit TR. P. IV. COS. II., in eodem Gorius TR. P. V. COS. II. P. P. Turbata omnia.

* * *

Vt lit. A. et B.
PRINCIPI. IVVENT. S. C. *Typi varii.* AE.

Tres hujus generis commemorat Mediobarbus, et quidem unum ex museo suo. Iam et Gordianum III. simul Augustum, simul principem juventutis vidimus.

* * *

Numi, in quorum aversa: SAECVLARES. AVGG. *enarrati etiam sunt in moneta patris ad annum V. C. 1001.*

V. C. 1002. P. X. 249.
TR. P. III. COS. II. P. M. P. P.

Patre prope Veronam in pugna adversus Decium caeso ipse paullo post Romae a praetorianis occiditur circa autumnum anno aetatis XII. [a]).

De ejus indole nihil proditur, nisi fuisse natura severum ac tristem, sic ut jam inde a quinto aetatis anno nullo cujusquam commento potuerit ad ridendum permoveri, patremque ludis saecularibus petulantius cachinnantem vultu aversato notaverit, ut refert idem Victor.

Numi:

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Caput radiatum.*

a) Victor alter.

P. M. TR. P. VI. COS. P. P. *Leo capite radiato gradiens.* In aliis: *Imperator velatus stans ad aram d. pateram*, s. *scipionem.* In aliis: *Mulier stans d. caduceum*, *s. cornucopiae.* AR. (Mus. Caes.)

Easdem aversas in numis patris ad eundem annum descriptas vidimus. Vide de his plura in tractatu de trib. potestate.

Numi vagi:

Sunt hi, ex quo Augustus dictus est, ejusdem cum numis patris argumenti. Quare cum ad historiam nihil amplius conferant, ab his describendis abstinemus.

Numi commatis peregrini.

Vt Philippi patris, ita filii quoque non infrequentes habentur numi huic classi subjecti.

Nomina.

Habuit haec cum patre communia. Vnus Victor alter eum *C. Iulium Saturninum* dictum refert nullo alio adstipulante. Vocatum eum quoque *Germanicum Max.* et *Carpicum Max.*, docet numus, quem in Philippo sen. ad annum 1001. dedi.

Severus, nempe ducto nomine a matre Otacilia *Severa*, dicitur in numis Perges Pamphyliae [a]).

Consul.

Bis processisse consulem, primum V. C. 1000, deinde 1001, conspirant fasti. Singulare est tetradrachmum Antiochenum musei Caesarei.

ΜΑΡ. ΙΟΥΛΙ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ. ΚΕϹΑΡ. (sic) *Caput radiatum.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞΟΥϹΙΑϹ. ΥΠΑΤΟ. Γ. ΑΝΤΙΟΧΙΑ. S. C. *Aquila stans.*

Cum Philippus jun. nunquam processerit consul III., certum est, a monetario aversam patris monetae destinatam filii numo fuisse applicatam. Ceterum satis jam vidimus, in ipsis numis Romanis tam consulatus, quam tribunatus patris filio fuisse applicatos. Exstant in museo Caesareo numi similes Philippi patris, et filii jam Augusti omnino tres, in quibus hi palam dicuntur ΥΠΑΤΟ. Δ, cum tamen neque pater saepius quam ter processerit. In numero consulatus paterni IV. fuisse peccatum, jam diximus in Philippo patre, translatos deinde in monetam filii typos paternos nil mirum videatur, quando eos hac aetate Antiocheni cum ipsis uxoribus communicavere, ut dictum in moneta Antiochiae.

Augustus.

Augustum fuisse appellatum anno V. C. 1000, docet tabula aenea Mutinensis, quam copiosius in tractatu de trib. potestate sub Philippo I. describam. Exarata est haec die VII. Ianuarii V. C. 1001, diciturque tum Philippus filius

AVG. P. M. TR. P. II. COS. II.

Ergo secundum rationem iterati tribunatus trib. potestatem non accepit citius anno hunc praecedente, et, quod sequitur, neque Augusti titulum. Etiam in

a) Pellerin.

tabula Neapolitana, quam eodem loco proferam, exeunte eodem anno V. C. 1000 dicitur Augustus. Quo ejus anni die hic illi honos collatus sit, incertum. Exhibet Buonarrotus numum, in quo comparent utriusque Philippi capita, et ambo laureata. Is per epigraphen patris P. M. TR. P. III. COS. P. P. signatus est anno V. C. 999. Ergo sequeretur, Philippum jun. propter laureae honorem jam hoc anno fuisse Augustum a). At licebit numum numo opponere. Refert Baldinus ex museo Albano numum max. mod., in quo Philippus jun. dicitur M. IVL. PHILIPPVS. NOBIL. CAES. et tamen cum hoc Caesaris vocabulo conjungitur caput laureatum b). Quidquid sit de his numis, qui saepe male lecti, et male promulgati sunt, plurimum tribuendum puto tabulae Mutinensi, quae Philippum nostrum nonnisi anno V. C. 1000 supremam dignitatem adeptum pronunciat. Cum his testimoniis rite conspirant ejus numi Alexandrini cum L. Δ, quorum alii Philippum jun. sistunt capite nudo et sine *imperatoris* nomine, alii lauream addunt, et dictum titulum. Coepit annus IV. exeunte Augusto V. C. 999 exiturus eodem tempore V. C. 1000, ergo intra id temporis dictus est Augustus.

Omnium minime in hac causa valere debet judicium provinciarum remotiorum. Exstat in museo Caesareo numus coloniae Sinopes, in quo epigraphe: M. IVL. PHILIPPVS. CAES., ejusque caput nudum, et annus CCCXIX, qui incipit in autumno V. C. 1002, quo ipso anni tempore constat interfectum Philippum juniorem, qui tamen jam pridem fuit Augustus. In alio numo provinciae Daciae ejusdem musei eadem est pars adversa, quae in Sinopensi, et AN*nus* II., qui respondet anno V. C. 1001, quo toto anno Philippus hic absque dubio Augustus jam fuit, ut monumenta omnia adfatim docent. Contra numi Alexandrini Philippum, cum Caesar adhuc esset, dicunt Augustum, scripto nempe M. IOΥ. ΦΙΛΙΠΠΟC. K. CЄB., quam eandem perversitatem etiam habes in numis Salonini, cujus sane difficile est rationem reddere, quando hac jam aetate non modo vetera instituta, sed et verae summi honoris significationes pessum ivere.

Pontifex maximus.

Pontificem fuisse Philippum nostrum, quam diu Caesar erat, tam analogia ab omnibus hactenus Caesaribus petita, quam numi cum typo instrumentorum pontificalium satis declarant. Verum ex quo dictus est Augustus, eum numi pontificem maximum perinde ac patrem appellant. Quod si quis meis me velit argumentis stringere, nimirum Philippum filium dici in numis P. M., non quod hic revera esset, sed quoniam hujus numis partes aversae ad patrem pertinentes applicatae fuere, appellabo ad tabulam laudatam Neapolitanam. At hanc suspectam vocat Tillemontius, quia in numis aliis, etiam cum Augustus jam esset, dicitur simpliciter PONTIF. c). Sed enim hi numi Goltziani sunt, et si laborat fides tabulae Neapolitanae,

a) Osserv. ist. p. 289. b) ad Vaill. T. III. p. 191. ed. Rom. c) Nota V. in Philipp.

an etiam Mutinensem in dubium vocabit? At dempto exemplo Balbini, et Pupieni, ait idem Tillemontius, hactenus uno eodemque tempore nunquam fuere duo pontifices maximi. Verum an non interjecto nonnisi biennio habebuntur pontifices maximi Trebonianus pater, et Volusianus filius? Haec modo monuisse sufficiat, nam evincere conabimur in tractatu de pontifice max., inde a Balbino et Pupieno omnes imperii conlegas Augustos fuisse pontifices maximos.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	RRR.
Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.
Commatis peregrini:	
Vrbium liberarum et coloniarum	C.
Alexandrini	R.

MARINVS.

Philippo ex bello adversum Carpos reduce Marinus ordinum ductor in Moesia a militibus adclamatus est imperator, at ab iisdem paullo post interemptus [a]).

Eum Goltzius ex numo Graeco *P. Carvilium Marinum* vocat; at ut numum, ita et P. Carvilii nomina suspecta facit ipse auctor.

Numi:

ΘΕΩ. ΜΑΡΙΝΩ. *Caput virile nudum, infra quod aquila expansis alis.*

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑC. S.C. *Roma galeata clypeo insidens d. extenta aquilam expansis alis, cui insistunt duo sigilla, s. hastam.* AE. I. (Seguin p. 182.)

Alius, sed Roma stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus clypeus. AE. I. (Octavius Strada, Theupoli.)

Hos numos esse signatos Philippopoli Thraciae, non Arabiae, ut visum Vaillantio, docui post alios in numis dictae Thraciae urbis [b]). At cur ea Marini nomine signaverit monetam, eumque coelo dignum putaverit, incertum. Tenues conjecturas vide apud Spanhemium [c]), et Seguinum [d]).

a) Zonaras, Zosimus. b) Vol. II. p. 44. c) Tom. II. p. 254. d) Num. sel. p. 182.

PACATIANVS.

Scenici hujus Augusti nulla in veterum commentariis hoc nomine mentio. Solis numis servatam hominis memoriam debemus. Quae ex his ope conjecturarum erui possunt, dicere aggredior. Ante omnia stabilienda est vera anticae lectio.

* * *

A. IMP. TI. CL. MAR. PACATIANVS. AVG. *Caput radiatum.*

B. IMP. TI. CL. MAR. PACATIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

Vtraque haec epigraphe habetur in numis integerrimis et indubitatae antiquitatis, quorum non paucos per varia musea videre mihi licuit. Quare veniam merebor, si plus tribuo oculis meis, quam qualicunque aliorum aliter legentium auctoritati. Satis constat, eruditionem, quantumvis late conspicuam, non semper a peccato abstrahere. Enimvero quis non miretur, insignem Froelichium [a]) et Khellium [b]), cum numum nitidissimum musei Caesarei ante oculos haberent, potuisse pro luculento IMP. TI. CL. MAR., quod ipsum ex eodem numo jam anno 1726 legerat cel. Apostolus Zeno, *leggesi chiaramente*, ut ipse ait [c]), obtrudere epigraphen falsissimam IMP. T. IVL. MAR. Sed video etiam, praeclaris his IIviris aliorum auctoritatem fuisse fatalem. Nam hunc errorem intulerunt iidem, qui primi Pacatiani numum vulgaverunt, Morellium intelligo [d]), et Chamillardum [e]). Hos deinde conferti sequuntur Spanhemius [f]), Harduinus [g]), Bandurius [h]), Bimardus [i]), Baldinus [k]), qui, ut horum notitiam numorum, ita et errorem late propagavere. Liceat ergo veram lectionem TI. CL. non solum meo testimonio stabilire, sed etiam graviore altero illustris Ennerii Galli, viri cognitae a studiis nostris famae, qui in epistola ad Khellium anno 1772 data, in qua ejus lapsum amice perstringit, quamque penes me habeo, in hanc sententiam scribit: *la legende de ce tyran ne portoit point les prénoms* T. IVL. *mais ceux de* TI. CL., *ainsi que je m'en suis assûré par toutes les médailles de ce prince, qui passent pour indubitables, et vous pouvez être sûr, que celles, où vous ne réconnoîtrez pas les mêmes prénoms de Tiberius Claudius, sont d'une fabrique moderne. C'est une erreur, quae j'ai déjà fait corriger dans plusieurs ouvrages.* Eodem pertinet error Bandurii, qui novum nomen FVL*vii* ex ejus tyranni numo protulit [l]), quem deinde errorem restituit Baldinus [m]). Alia nomina vulgavit Baudelotius, cum narrat, in museum regis Galliarum illatum recens fuisse numum cum epigraphe: FL. IVL. PACATIANVS. P. F. AVG. [n]).

Confirmata vera lectione en numos ipsos:

---

a) Cimel. Vindob. p. LXXIV. b) Subplem. ad Vaill. p. 167. c) Lettere di Apost. Zeno T. II. p. 424. d) Specim. p. 110. e) Woltereck Electa p. 350. f) Tom. II. p. 262. g) Hist. Aug. p. 83. h) Tom. I. p. 542. i) ad Iob. T. I. p. 194. k) Tom. III. p. 47. l) l. c. m) l. c. n) Vtil. des voy. T. II. p. 387.

* * *

Epigraphe ambigua. Caput radiatum.

CONCORDIA. MILITVM. *Mulier sedens cum patera et duplice cornucopiae.* AR. (Harduin. hist. Aug. p. 835.)

Epigraphe ambigua. Caput radiatum.

FIDES. MILITVM. *Mulier bina vexilla tenens.* AR. (Mus. Tolosan. Mus. d'Ennery p. 358.)

Vt lit. A.

FORTVNA. REDVX. *Mulier sedens d. gubernaculum, s. cornucopiae, humi rota.* AR. Integerrimus utraque facie in mus. Caes. et alius similis in museo de France olim Vindob.

Vt lit. B.

PAX. AETERNA. *Mulier stans d. oleae ramum, s. hastam transversam.* AR. (Mus. Caes. et d'Ennery l. c.)

Vides, neque inscriptiones, neque typos, quippe in omnium fere imperatorum saeculi III. moneta obvios, ad Pacatiani historiam quidquam conferre. Restant expendenda variorum judicia, qui in horum patriam numorum inquisivere.

Ex testimonio Ioberti numus Pacatiani, quem edidit Morellius, Parisios delatus est a P. Chamillard S. I. ex montibus Pyrenaeis reduce. Quae causa fuerit, cur habitare eos in partibus Galliae in meridiem positis adserat Beauvaisius. Confirmare hanc sententiam videtur illud, quod in agro Fuxensi repertum est dolium testaceum sexaginta numorum millibus refertum, quos inter duo fuere Pacatiani numi, qui nunc sunt in museo academiae Tolosanae. Bandurius ab amico sese inter confabulandum edoctum profitetur, reperiri eos in ea Galliae parte, quam Campaniam appellant. Id si verum, sequeretur, eos in museis Gallicis frequentius, quam alibi, exstare. Ast audio contrarium. Tamen in museis Austriacis plures octo, eosque certae fidei adservari novi, eorumque tres museum Caesareum exornant. Magnus numerus in hac ejus numorum raritate. Ex ea peristasi, quae in studiis nostris non exigui momenti est, verisimile fit, temporarium Pacatiani imperium in Pannonia, Moesiave constitisse, quod jam ante me eruditis nonnullis visum, laboratque non leviter eorum sententia, qui horum numorum Pacatianum esse eundem cum Iotapiano Victoris, aut Papiano Zosimi propter nominum adfinitatem suspicati sunt, ut refert Spanhemius [a]), quia his in Oriente delatum fuisse imperium constat.

Reperta verisimili horum numorum patria inquirendum, possitne ulterior quaepiam conjectura ex nomine MAR. capi. Istud varie legi posse ipsae variantes antiquariorum opiniones ostendunt. Harduino MAR*ius*, Morellio et Bimardo MAR*cius* legendum videbatur [b]). Chamillardus explet legendo MAR*inus*, et existimat, hunc Marinum Pacatianum esse eundem, cui dedicatam supra a Philippopolitis monetam cum inscriptione ΘΕΩ. ΜΑΡΙΝΩ vidimus, quod vero in hac Marini tantum nomen omissis reliquis legatur, istud facile tuetur

a) l. c. b) ll. cc.

exemplis obviis DIVO. PIO — DIVO. VERO — DIVO. MAGNO. etc. Iudicium istud si non plane certum, magnam tamen habet veri speciem; nam, ut diximus, Pacatiani numi in nostro tractu prae terris reliquis frequentius reperiuntur, eorum vero modus spectata tam fabrica, quam literarum forma praeclare conspirat cum numis Philippi ac Decii.

PRETIVM.

Argentei sunt tantum Latine inscripti, et . . . . RRR.

SPONSIANVS.

Cum Pacatiano conjungo alium aeque ignotum. Eccum!

IMP. SPONSIANI. *Caput virile imberbe radiatum.*

C. AVG. *Columna, cui insistit statua d. hastam tenens, ad imum columnae exsurgunt duae spicae; adstat hinc vir togatus manu incertum quid tenens, inde augur lituum gestans.* AV.

Mira in hoc numo omnia. Imperator Sponsianus omni aevo ignotus, ejus fabrica semibarbara, pondus, quod solitam monetam auream imperatoriam multum excedit. At aversae non modo epigraphe, sed et typus ad omnes apices totus captus est ex denariis C. Minucii Augurini. Vniversa haec ratio docet, numos hos hominis Romani, qui imperium adfectasset, esse non posse, nam tum adfectasset etiam pecuniae R. modum, ut in tyrannis omnibus videmus, et suetos ejus aevi typos, non inde a tribus saeculis, et temporibus reip. petitos. Animadvertendum etiam, eos reperiri in eo tractu, per quem sese Dacia vetus porrexit, quo fit, ut, cum in exteris museis vix reperiantur, minus rari sint in Austriacis; nam eorum duo exempla sunt in museo Caesareo, unum in museo olim de France Vindobonae, in museo Canonicorum regularium Ducumburgi Austriae inferioris, unum in Transilvania in museo exc. Baronis de Bruckenthal.

Sunt ergo praesentes numi ex eorum genere, quales ex barbaris incunabulis ortos supra in Gordiano et Philippo seniore recitavimus, in quorum aliquibus est etiam caput galeatum alatum, velut in denariis consularibus. Quare ex male consutis his numis spes nulla adfulget, posse aliquid in historiae commodum erui, quidquid demum barbari eorum auctores capite radiato, quod cogniti imperatoris lineamenta refert, et addita huic epigraphe volebant intelligi. Alibi diximus [a]), quam copiosi numi aurei et argentei Graecorum et Romanorum monetam, sed barbare imitantes in vetere Dacia fere quotidie eru-

a) Vol. IV. p. 177. seq.

antur. Vide etiam judicium cl. Neumanni, qui praeterea hujus numi iconismum dedit [a]). Addo, utrumque nostrum musei Caesarei numum anno 1713 repertum fuisse in consortio cum tribus aureis barbaris gentis Plautiae, et laudatis mox barbaris Gordiani et Philippi.

PRETIVM.

Sunt tantum aurei, iique . . . . RRR.

MONITVM.

Aevum ingredior, a quo Anselmus Bandurius imperatorum numos describere exorsus est. Nemo erit, qui non eruditi hujus viri propositum Herculeis humeris dignum et admiretur et vehementer adprobet. At nemo erit etiam, qui non fateatur ultro, in praegrandi hoc opere plurima contineri superflua, et philologiam, propter quam haec studia tractamus, parum juvantia. Nam quorsum tandem molesta, atque ad fastidium recurrens ejusdem numi repetitio exigui discriminis causa, quod nullo detrimento licebat ignorare? Atqui et simile fastidium in vulgandis marmoribus inutilibus tandem etiam pervasit Scipionem Maffeium. *Diffiteri quidem nequeo*, ait [b]), *nimium in his rebus quorundam diligentiam procedere, res nihili in lucem publicam proferentium.* Tanto magis mihi, qui non catalogum numorum veterum, sed doctrinam scribere aggressus sum, permissum putabo, negligere eos numos, qui ad doctrinam nihil conferunt. Tamen cum in omni scientiae genere habeantur multa exigui in speciem momenti, et existere possit ingenium sagax, quod aurum possit ex his scoriis secernere, non possumus egregio Bandurio, qui tam arduum sibi laborem imposuerat, non maximas habere gratias. At enim si laudi fuit, neque minutissima in numis neglexisse, non ego reprehendendus, si ea deinceps tantum commemoravero, quae arti nostrae proficua esse intellexero, atque istud parciore, quam antehac, dilectu, quia reliqua imperatorum moneta, ut numero est infinita, sic minus frequenter quidquam offert, quod in quamcunque partem sive prosit, sive delectet. Quo in proposito sedulam dabo operam, ne commentarios meos quidquam effugiat, quod valere ad philologiae studia possit, nihilque ejus generis ii, qui in arte nostra veram utilitatem, non otiosa sectantur, a me praetermissum possint conqueri. Monendum denique, me more meo nullam rationem habiturum singularium eorum numorum, quos Bandurius a se non conspectos, sed ex aliorum catalogorum fide, velut Mediobarbi, operi suo insertos voluit.

a) Numi pop. P. II. p. 139. b) Mus. Veron. p. 251.

TRAIANVS DECIVS.

Natus Bubaliae Sirmiensium vico a). Quibus deinde modis claritatem adeptus sit, non proditur. Cum Moesiae et Pannoniae legiones auctore Marino seditionem moverent, apud Philippum in urbe degebat Decius, gratiosus apud imperatorem et fidei minime suspectae. Quare hunc elegit Philippus, qui motas legiones sedatum iret, in quarum conspectum cum venisset, ab his ipsis, quo poenam evitarent, imperator invitus adclamatur. Parendum igitur necessitati cum esset, motis castris in Italiam properat, et collatis prope Veronam cum Philippo signis victor imperium sibi stabilit b).

V. C. 1002. P. X. 249.
TR. P. COS. DES. II. P. M. P. P.
M. Aemiliano II., Iunio Aquilino cos.

Victo, ut dictum, Philippo Augustus agnoscitur saltem inchoato jam autumno. (Vide dicta in Philippo ad hunc annum.) Herennium Etruscum filium mox Caesarem facit, et in Illyrios praemittit c).

A. IMP. TRAIANVS. DECIVS. AVG.
B. IMP. C. M. Q. TRAIANVS. DECIVS. AVG.
C. IMP. CAE. TRA. DEC. *vel* DECIVS. AVG.
D. IMP. CAES. C. MESS. Q. DECIO. TRAI. AVG. *vel* TRAI. Q. DECIO. AVG.

Caput laureatum in AV. Quin. arg. AE. I. II. III. Radiatum in AR. AE. max mod. AE. II.

* * *

Vt lit. A. et B.

ADVENTVS. AVG. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Signati sunt hi numi, cum victo Philippo urbem intravit.

Vt lit. B.

LIBERALITAS. AVG. S. C. *Decius et Herennius congiario praesidentes.* AE. m. m. (Mus. Caes.) *Decius solus in suggestu.* AE. I. *Liberalitas stans.* AE. II. (Ibid.)

Vt lit. B.

PRINCIPI. IVVENTVT. *Miles stans, d. globum, s. hastam, pro pedibus captivus.* AR. (Khell. Supplem.)

Exempla hujus tituli etiam Augustis dati jam vidimus in Gordiano III. et Philippo I.

Vt lit. D.

VOTIS. DECENNALIBVS. S. C. *intra lauream.* AE. I. II. (Banduri, Mus. Caes.)

V. C. 1003. P. X. 250.
TR. P. II. COS. II. DES. III. P. M. P. P.
Decio Aug. II., Annio Grato cos.

Scythae, quos alii Getas, alii Gothos appellant, transgressi Danubium (male Zosimo Tanaim) Thraciam atrociter infestant. Adversus eos egressus Decius barbaros tantisper egregie submovet. (Zosim.)

Desunt certi hujus anni numi.

---

a) Victor uterque. b) Zosimus. c) Victor alter.

V. C. 1004. P. X. 251.
TR. P. III. COS. III. P. M. P. P.
Decio Aug. III., Q. Herennio Etrusco Caes. cos.

In praelio adversum Gothos apud Abricium Thraciae proditione Treboniani, ut quibusdam creditum, palude haustus obit ne reperto quidem ad sepulturam cadavere a). Eodem praelio et filius Herennius cadit. Factum istud post mensem Octobrem. (Vide tract. de trib. pot.)

Virum fuisse artibus cunctis virtutibusque instructissimum, placidum moribus, et in armis promptissimum tradit Victor alter. Eum etiam omnibus his rebus Philippo longe praefert Zosimus. Ejus insigne, et clarum ad memoriam factum proditur, quod censuram tanto annorum intervallo omissam, atque antehac ab unis fere imperatoribus exercitam revocavit, et senatui restituit b). Eum cum filio in divos relatum liberalis in consecrandis imperatoribus Eutropius narrat, at in Christianorum annalibus ob exercitam in hos saevitiem nomen Decii inamabile.

Vxor *Etruscilla*, de qua infra.

* * *

Vt lit. B.

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Mulier stans d. caduceum oblongum, s. cornucopiae.* AR.

Numum hunc Bandurius bis extra seriem recitat, in praef. p. 7. et mox post praef. in addend. propterea memoratu dignum, quoniam neglectis Goltzianis unicus est ex omni Decii moneta, qui trib. potestatem memorat. Sed vel istud ipsum numum suspectum facit. Enimvero tota haec aversa habetur in numis obviis Philippi I. Constat vero etiam, hac aetate, praecipue in argenteis, non raro prioris imperii typos praesenti applicatos. Sic in museo Caesareo exstat numus Herennii, in cujus X SAECVLARES. AVGG. *Capra, infra* III., qui typus totus ad Philippum II. pertinet. Serius comperi, idem mecum sensisse Bimardum c). Fuere, qui adsererent, suppressam trib. potestatis mentionem, quia Decius eam dignitatem populo restituerit, quod certe falsum, quia hunc illi honorem non pauca tribuunt marmora, quae dabimus in tractatu de trib. potestate.

Numi vagi:

Vt lit. B.

ABVNDANTIA. AVG. *Mulier ex cornucopiae opes effundens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Aversa propter elegantem abundantiae imaginem spectabilis.

Vt lit. B.

CONCORDIA. AVGG. *Capita hinc Etruscillae, inde jugata Herennii et Hostiliani.* AR. (Banduri.)

Vt lit. B. et D.

DACIA. *Mulier stans d. contum capite asini praefixum.* In aliis: *eadem tenet signum militare.* AV. AR. Q. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

DACIA. FELIX. *Mulier stans d. tenet signum militare.* AV. AR. AE. I. II. (M. Caes.)

---

a) Victor alter. b) Trebell. in Valeriano sub init. c) B. L. T. XII. Mem. p. 424.

Vidimus in Trajani numis DACIA. AVGVST. PROVINCIA Daciam praeferre spicas et signum militare, in numis in ipsa regione inde a Philippo signatis gestare ensem incurvum patrium, quibus omissis in his numis caput luculentum asini ostentat. Quae sit hujus symboli causa, tacentibus veteribus edicere non tento. Nam si allegoria subtus latet, quod nonnulli existimant, tanto certius erroris periculum, quanto laxius allegoriae patent, et odi conjecturarum mare. Pro asini capite cl. Engelius noster in his numis videt caput draconis Dacici conto infixum omissis corpore et cauda vel ob incuriam artificis, vel ob laboris compendium, vel ob spatii in numis angustiam [a]. Enimvero constat ex iconibus columnae Trajanae, dracones hastis praefixos Dacis in signa militaria serviisse. Libenter huic me sententiae applicarem, quia tum certum quiddam teneremus, neque ad allegoriarum incerta adigeremur. At vero in numis id genus integerrimis tam productae sunt aures, ut de asini capite dubitari non possit. Dedimus in moneta Philippi I. numum inscriptum TRANQVILLITAS. AVGG., in quo mulier stans dextera draconem tenet, qua imagine dixi verisimile videri propositum unum ex draconibus, qui ex conto suspensi apud Romanos aeque ac barbaros praegestari in acie sunt soliti. Hujus caput si conferatur cum eo, quod in praesente numo comparet, continuo utriusque discrimen in oculos incurrit. Si quis hunc typum ad Dacorum velit religionem vocare, potest conjicere, adludere eum ad asinum Apollinis inter Scythas victimam teste Clemente Alex. [b]).

Φοιβος Ὑπερβορεοισιν ὀνων ἐπιτελλεται ἱροις,

Phoebus Hyperboreis asinorum delectatur immolationibus.

Confer et scholiasten Pindari ad X. Pyth. et Antoninum Liberalem [c]).

Dacia in tot Decii numis propterea frequentius memoratur, quoniam ad eam a barbarorum incursionibus vindicandam, quibus tum is tractus misere vexabatur, intentius incubuit. Quare et in epigrammate, quod exstat apud Muratorium [d]), dicitur RESTITVTOR. DACIARVM. Epigraphe DACIA. FELIX explicat literas D. F., quae in compluribus Daciae numis vexillo inscriptae leguntur. Numi: DACIA. CAPTA, quos recitat Mediobarbus, aliis, quod sciam, museis sunt ignoti, et, ut suspicor, male lecti.

* * *

Vt lit. D.

EXERCITVS. INLVRICVS. S. C. *Mulier stans d. et s. signum militare tenet.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

GENIVS. EXERC. ILLVRICIANI. *Genius stans d. pateram, s. cornucopiae, juxta signum militare, in aliis praeterea ara adstituta.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

GEN. ILLVRICI. *Genius seminudus stans*

---

a) Comment. de exped. Traj. p. 201. b) Protrept. p. 25. edit. Oxon. c) Metam. c. 20. d) Pag. 1101. 3.

d. pateram, s. cornucopiae. AR. AE. I. (Mus. Caes.)

His addendi sequentes:

Vt lit. A. B. C.

PANNONIAE. *Duae mulieres velatae stantes vultu ab se averso, utraque dexteram attolit, juxta signum militare.* In aliis: *Duae mulieres stantes dexteras attollunt medio inter has signo militari.* In aliis: *Mulier stans d. galeam, s. signum militare.* AV. AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

En post Daciam memoratum quoque Illyricum, et utramque Pannoniam, superiorem et inferiorem. Causa tanti in has provincias adfectus nequaquam occulta; nam in his adclamatus primum imperator, earum legionum fidei ac virtuti victum debuit Philippum, eas tum a barbarorum incursionibus aut liberavit, aut defendit, et lauros sibi in iis promeruit. Similem aversam vide in numis Iuliani tyranni.

* * *

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita adversa, Decii radiatum, Etruscillae lunae impositum.*

PIETAS. AVGVSTORVM. *Capita adversa nuda Herennii et Hostiliani.* AE. m. m. ex dupl. metallo. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

PIETAS. AVGG. *Mercurius stans d. crumenam, s. caduceum.* AR. (Banduri.)

Docet hic numus, Mercurium a Decio, ejusque familia (nam in filiorum moneta haec aversa frequentior) praecipua pietate observatum. Eadem aversa est etiam in numis Numeriani. Mercurium quoque sistunt numi M. Aurelii, sed cum epigraphe RELIG. AVG.

* * *

Vt lit. B.

PVDICITIA. AVG. *Mulier sedens d. velum capiti obducit, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Etiam haec aversa exstat in numis filiorum, ne forte quis monetarii lapsum suspicetur, cum fere Augustarum tantum numis typus pudicitiae sit proprius. Eo usum quoque Hadrianum vidimus.

Vt lit. A. Caput laureatum.

S. C. *Miles stans d. clypeum, s. hastam.* AE. III.

En redivivos in moneta R. numos III. formae, de quo mox plura.

Vt lit. C.

VICTORIA. GERMANICA. *Imperator eques d. elata praeeunte Victoria.* AR. (Mus. Caes.)

Bellum cum Germanis a Decio gestum ex solis his numis constat, historicis altum tacentibus.

Divus Decius.

IMP. TRAIANVS. DECIVS. AVG. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Ara ignita.* AR. (Tanini.)

Decium fuisse consecratum, scripsit Eutropius, et testaretur etiam numus praesens, nisi suspicio esset male sociatae aversae, quia in antica *Divi* mentio abest, quod suspicatus jam etiam est Taninius.

De numis Decii aeneis.

Novitatem imperante Decio in rem monetariam invectam aut resuscitatum veterem morem numi ipsi loquuntur. Eam

primum produnt numi maximae formae, in quorum antica solita capitis epigraphe, et caput semper radiatum, in aversa:

FELICITAS. SAECVLI. S. C. *Felicitas stans.* (Mus. Caes.)

LIBERALITAS. AVG. S. C. *Typus congiarii.* (Banduri.)

VICTORIA. AVG. *cum vel sine* S. C. *Victoria gradiens.* (Mus. Caes.)

In moneta Etruscillae:

PVDICITIA. AVG. S. C. *Pudicitia sedens.* (Mus. Caes.)

Sunt omnes hi numi eximia pro hoc aevo arte facti. Istud in illis praeter morem, quod notam S. C. plerique inscriptam habent, quae fere constanter in aliorum maximi moduli numis abest. Ex quo colligimus, ordinariae eos monetae rationem habuisse. Observandi deinde aenei III. formae, quales commatis R. inde ab Antonino Pio, quod norim, cusi non sunt, estque horum unum tantum genus, nempe: *Epigraphe solita. Caput laureatum.* ✕ *S. C. Miles stans d. clypeum, s. hastam.* Nihil super hoc argumento in hac veterum scriptorum penuria eruimus. Videtur Decius, qui senatui censurae jus restituit, ut ex Trebellio discimus [a]), etiam in cudenda moneta plus auctoritatis, aut potestatis senatui indulsisse. Sed et haec potestas cum Decio videtur exspirasse; nam deinceps utriusque generis numi vix amplius habentur. Vnum in Aemiliano commemorat Bandurius.

Numi commatis peregrini.

Iusto numero id genus numi prostant tam urbium liberarum, et coloniarum, quam Alexandrini.

Nomina Decii.

Decurtata Decii in numis nomina ex marmoribus facile explentur, in quibus plene: *C. Messius Quintus Trajanus Decius.* Bandurius Decio praenomen *Cnei*, non *Caii* fuisse statuit [b]), quia in numo Alexandrino, quem citat [c]), legitur A. K. ΓN. etc. Quare passim in Latinis legit: IMP. CAES. G. etc. Oblitus est sui, cum haec scriberet; nam paullo infra alium numum Graecum recitat inscriptum: ATT. KAI. ΓAI. MEC. etc. [d]) in quo certum *Caii* praenomen. Ceterum in omnibus his numis C pro praenomine positum ejusdem omnino est formae, qua idem hoc elementum in vocabulo DECIVS scribitur, atque ut demus esse G, nescio, cur haec litera potius G*neum*, quam G*aium* indicare debeat. In laudato Alexandrino haud dubie est error seu monetarii, seu legentis; nam creditum ΓN. verius erit Γ. M., nempe *Γαιος Μεσσιος*, et sic forte erratum quoque in alio Rhesaenae, quem citat [e]).

Tribunicia potestas.

De hac Decii dignitate agetur in tractatu singulari.

a) in Valeriano sub init. b) Pag. 11. c) Pag. 24. d) Pag. 15. e) Pag. 22.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	RR.
Argentei	C.
Aenei max. formae	C.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	R.
Commatis peregrini:	R.

HERENNIA ETRVSCILLA.

Quod fuerit nomen Decii conjugi, ab historicis proditum non est. Quare numi Etruscillae nomine inscripti diu vagabantur, dum denique ex numis, quos continuo proferemus, constaret, cujus ea thalamis juganda sit. Dubium, quod superesse posset, omne abstersit lapis ante annos non multos Carseolis effossus, quem edidit Muratorius [a]), subinde adcuratius, ut puto, vulgatus a Maffeio, in cujus is museum translatus est [b]):

HERENNIAE
CVPRESSENIAE
ETRVSCILLAE. AVG.
CONIVGI. D. N. DECI
AVG. MATRI. AVGG.
NN. ET. CASTROR.
S. P. Q. C*arseolitanus.*

Tuto igitur deinceps abstinebimus lite a prioribus antiquariis agitata, cujus Etruscilla uxor sit habenda, etsi de ejus vita ac fortuna quod memoremus, nihil praesto sit.

Liberi ex numis cogniti *Herennius* et *Hostilianus*, de quibus infra. Plures alios adfinxere alii, verum ex conjecturis plane infirmis, de quibus vide Tillemontium nota II. in Decium.

Numi:

A. HER. ETRVSCILLA. AVG. *Hujus caput in AV. AE. I. II. Idem super luna bicorni in AR. AE. max. mod. et AE. II.*

B. HERENNIA. ETRVSCILLA. AVG. *Caput simile.*

Aversae nihil memorabile produnt; nam FECVNDITAS — IVNO. REGINA — PVDICITIA, triti in Augustarum moneta typi. De ejus numis maximi moduli actum post catalogum numorum Decii. Aversas cum epigraphe SAECVLVM. NOVVM a Philippis inique huc translatas suspicarer, nisi etiam in Hostiliani et Treboniani moneta exstarent.

a) Pag. 1036. 4. b) Mus. Veron. p. 102.

Numi commatis peregrini.

Insignis est numus coloniae Rhesaenae, quem ex museo regis Galliarum edidit Bandurius [a]), in cujus antica: ΑΥΤ. Κ. ΓΝ. ΜΕ. Κ. ΤΡΑ. ΔΕΚΙΟϹ. ϹΕΒ. ΕΡΕΝ. ΕΤΡΟΥϹΚΙΛΛΑ. ϹΕΒ. *Capita adversa Decii et Etruscillae*, ex quo praeconio dubitari jam non potest, fuisse Etruscillam Decii uxorem.

Nomina.

Praeter nomina *Herenniae Etruscillae* ex numis Romanis cognita habemus etiam nomina *Anniae* et *Cupresseniae*.

Anniae nomen offerunt numi Tarsi: ΑΝΝΙΑΝ. ΑΙΤΡΟΥϹΚΙΛΛΑΝ, (Pellerin, Haym.) perperam hanc lectionem in dubium vocante Taninio.

Cupresseniae nomen exstat in rarissimis tribus Alexandrinis, quos memorat Pellerinius inscriptos: ΕΡ. ΚΟΥΠ. ΑΙΤΡΟΥϹΚΙΛΛΑ. ϹΕΒ. (Rec. III. p. XIX.) Vocabulum ΚΟΥΠ. legendum *Cupressenia*, docet marmor Carseolitanum supra laudatum.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei	C.
Aenei max. mod.	R.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, coloniarum	RR.
Alexandrini, quos vide apud Pellerinium, et Arigonium	RRR.

HERENNIVS ETRVSCVS.

A patre Decio imperium adepto mox dictus Caesar, et praemissus in Illyricum [b]) constanter deinceps bello adversum Gothos interfuit, ex eo non amplius rediturus.

V. C. 1002. 1003. P. X. 249. 250.
CAESAR. PRINC. IVVENT.

A. Q. HER. ETR. MES. DECIVS. NOB. C. *Caput nudum in AV. AE. I. II. radiatum in AR.*

B. HEREN. ETRV. MES. QV. DECIVS. CAESAR. *Caput radiatum in AR.*

C. Q. HERE. TRAIANVS. DECIVS. NOB. C. *Caput radiatum in AR.*

* * *

Vt lit. A. et B.

---

a) Pag. 22. b) Victor alter.

CONCORDIA. AVGG. *Duae manus junctae.* AR. (Mus. Caes.)

Etsi Caesar tantum esset, tamen ex Augusteo patris titulo honorem participat.

Vt lit. A.

PACI. S. C. *Templum sex columnarum.* AE. I. (Band.)

Haec aversa in numis imperatorum nondum conspecta.

Q. HE. ETRVSC. ME. DECIVS. NO. C. *(sic) Caput radiatum.*

P. M. TR. P. II. CONS. II. *Imperator togatus stans ad aram d. pateram, s. togam colligit.* AR. (Band.)

Omnes hi tituli Herennium diffitentur, pontificatus max. delatus Caesari, atque etiam tribunatus, et quidem inter haec jam initus alter, consul II., cum semel tantum eum processisse consulem constet, et jam in consulatu I. fuerit Augustus. Quare mirari subit, qua ratione probare ex hoc numo possit Bandurius, Etruscum una cum patre biennium imperasse [a]). Videtur serius ad hanc difficultatem ipse advertisse, nam ejus numi rursum meminit in praefatione, atque tum aversam patri Decio applicat. Opportunius istud, at nolim ex numo palam vitioso adserere, eo consularium fastorum fidem confirmari. Ceterum si numus probae est fidei, dubium non est, aversam patris adplicatam filio, cujus exempla vidimus in Philippo filio, et videbimus in Volusiano.

* * *

Antica varia.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Caesar paludatus stans cum bacillo et hasta, vel duobus signis militaribus.* In aliis: *Apollo sedens d. ramum, s. lyrae innixus.* In omni metallo et forma.

V. C. 1004. P. X. 251.

CAESAR. COS. PRINC. IVVENT.

Consul patre conlega consule III. procedit. Vnde Trebellius: *duobus Deciis cos.* Fuisse Herennium anni principio adhuc Caesarem, probat marmor Fabretti [b]):

Q. HERENNIO. ETRVSCO. MESSIO DECIO. NOBILISSIMO. CAES. PRINCIPI. IVVENTVTIS. COS. etc.

Numi supra descripti huc adhuc pertinent.

Eodem anno:

AVGVSTVS TR. P. COS.

Augustus a patre dicitur. Audacius cum hoste congressus una cum patre in acie occumbit.

IMP. C. Q. HER. ETR. MES. DECIO. AVG. *Caput laureatum.*

PRINC. IVVENT. *Apollo seminudus d. ramum, s. lyrae innixus.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 166.)

En tibi iterum una Augustum, una principem juventutis.

Eadem epigraphe. Caput radiatum.

SECVRITAS. AVGG. — VICTORIA. GERMANICA — VOTIS. DECENNALIBVS. *typis solitis.* (Mus. Caes. Bandur.)

---

a) Pag. 39. b) Pag. 683.

Nomina.

Aevum imperatorum occipimus, quo plerumque majorem videmus nominum numerum, quam annorum, quibus imperavere, quibus adeo brevitatem imperii quadam ratione compensavere. Inter haec venit mihi in mentem lepidae sententiae Plautinae interloquentibus Charmida et sycophanta [a]:

Charm. *Agedum, nomen tuum primum memora mihi.*

Syc. *Magnum facinus incipissis petere.*

Ch. *quid ita?* Syc. *quia, pater,*

Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine,

Concubium sit noctis, priusquam ad postremum perveneris.

Charm. *Opus face est et viatico ad tuum nomen, ut tu praedicas.*

Iam nobis in recitandis Orbianae nominibus face et viatico opus fuit, et utrumque nobis modo imperat Herennius, cujus nomina omnia ex numis collecta sunt:

Q. Herennius Etruscus Messius Trajanus Decius,

quae omnia dempto Trajani nomine memorantur etiam in numis Graecis. Excusemus tamen saeculum istud, nam tempora etiam altiora nominum multiplicandorum rabies invasit. In marmore fratrum arvalium Titi aetate posito unus idemque vir dicitur *L. Pompeius Vopiscus C. Aruntius Catellius Celer* [b]. Tamen hactenus in numis parcior fuit nominum congeries. *Herennii Etrusci* nomina habuisse a matre, patet, reliqua a patre. Nomen *Quintus* an habuerit rationem praenominis, dubitari possit, cum in aliis numis mediam stationem obtineat, quanquam nominum oeconomia, quam ea aetas tenuit, admodum implexa est. Sed vide etiam numos Hostiliani.

Numi commatis peregrini.

Rari sunt numi urbium liberarum, at coloniarum rariores. Rarissimi Alexandrini.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	C.
Aenei I. et II. formae	R.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini, ut mox dictum.

HOSTILIANVS.

Ad intelligendam hujus principis historiam ac numos non pauca necessario sunt praemittenda. Fuisse imperante Decio tertiam quamdam personam sexus virilis Caesarea dignitate conspicuam, jam ex numis Decii vidimus inscriptis

a) Trinum. Act. IV. scen. II. v. 41. b) Marini Frat. arv. p. 234.

CONCORDIA. AVGG. vel PIETAS. AVGVSTORVM, in quibus praeter capita Decii, Etruscillae, et Herennii occurrit aliud cum Herennio sociatum. Esse illud ejus, quem numi obvii *C. Valentem Hostilianum Messium Quintum* appellant, inter antiquarios omnes convenit. Nam Herennium cum Hostiliano non modo expressis verbis conjungit numus, quem Spanhemius ex gaza Barberina prodit, inscriptus: Q. HER. ETR. DECIVS. C. VAL. HOSTILIANVS [a]), sed et marmor, quod ex Gorio citat Muratorius [b]). At enim vetus est inter eruditos lis, aliis hunc Hostilianum Decii *filium*, aliis *generum* enixe statuentibus. Qui filium volunt, quorum ego judicium lubens amplector, nituntur auctoritate Zosimi, qui diserte alterum Decii filium memorat, etsi ejus nomen non prodit, quem post patris, fratrisque Herennii miserum fatum sibi conlegam sociavit Trebonianus [c]). Atque etiam mos in haec usque tempora servatus, quo filii censeri solent, qui juxta imperantes appellatione et cultu Caesarum in numis proponuntur, nisi certa aliqua ratio aliud postulet, qualem profecto adversae sententiae patroni nondum attulere, is, inquam, mos haud aegre persuadebit, fuisse Hostilianum Decii filium, qui simili modo cum Decio, Etruscilla, et Herennio in numis conjungitur. Adde etiam *Messii Quinti* nomina Hostiliano in iisdem data, quae utique nonnisi a patre Messio Quinto Decio traxerit. Vide argumenta alia apud Bandurium [d]).

Qui generum malunt, quos inter post Panvinium, Tristanum, Spanhemium [e]), aliosque fuit etiam Liebeus [f]), causam suam patronis historicis, et ipsis Hostiliani nominibus propugnare nituntur. Historicos, qui hujus aetatis facta memoriae prodidere, non moror, quos satis constat tam aperte sibi contradicere, ut, quid denique tenendum sit, planissime ignores, quae taedia ad causam praesentem pertinentia videre potes apud Spanhemium. Ad nomina *Valentis Hostiliani* quod attinet, illa neque Decio, ajunt, neque Etruscillae inhaesisse, ex quo arguunt, ex aliena eum gente in gentem Deciam fuisse translatum. Verisimile igitur putant, Decium extraneo huic homini collocasse quampiam suam filiam, eumque adeo sibi generum addito Caesaris honore adscivisse. Sententiae suae quo majorem fidem facerent, occurrebat, a Zonara et Cedreno memorari quemdam Severum Hostilianum, quem ajunt fuisse inter successores Gordiani III., cujus filius fuerit Hostilianus noster, quippe *Messii Quinti* nomina ceperit a Decio adoptante, *Valentis Hostiliani* a patre naturali. Haec illi. At enim infirmum est argumentum istud ex nominibus captum. Neque enim filii a patre tantum ac matre, sed avo quoque ac avia sua collegere nomina. Multo ante, ut paucis exemplis utar, M. Aurelius ab avo dictus est Annius Verus, a proavo materno Catilius Severus [g]). Geta Severi F. nomen abstulit a Geta avo paterno, vel patruo [h]). Cara-

a) Tom. II. p. 256. b) Pag. 252. 6. c) L. I. sub Trebon. d) in praef. ad Tom. I. p. 5.
e) l. c. f) Goth. num. p. 429. g) Capitolin. in Aurel. c. 1. h) Spartian. in Geta c. 2.

calla dictus Bassianus ex nomine avi materni a), Elagabalus ante imperium Varius Avitus a patre et avo. Ergo cum jam Herennius Decii F. nomina sua traxerit a patre et matre, verisimile plane est, alterum filiorum Hostilianum sua traxisse a patre, et avo seu paterno seu materno. Sed et Zonarae atque Cedreni testimoniis de quopiam Severo Hostiliano Aug. parum moveor, quorum fidem jam solide in dubium vocavit Tillemontius b), neque etiam, opinor, futiles hi auctores magnopere movissent summos illos, quos laudavi, viros, qui generum praehabuere, nisi animum plane perstrinxisset auctoritas Goltzii, a cujus placitis discedere usque modo piaculum utique habitum, qui numum obtrusit inscriptum: IMP. CAES. L. AVR. SEV. HOSTILIANVS. AVG. P. M. TR. P. c) quem a mirabili hoc viro ex verbis Zonarae praestabit confictum credere.

Hic ergo Hostilianus Decii, ut verisimile est, filius alter, patre fratreque in bellum profectis Romae restitit. Vtroque in acie caeso Trebonianus Gallus Decii successor eum ob memoriam Deciani imperii publice collaudati adoptavit, sed paullo post rerum novarum metu insidias struxit nulla habita seu adoptionis, seu honesti ratione, ut ait Zosimus d). Admotum imperio narrat etiam Eutropius: *διαδεχεται την βασιλειαν Γαλλος, Οστιλιανος, και ὁ τȣτȣ παις Βȣλȣσιανος*, quae verba aptius ad historiam vertit Pacatianus: *mox imperatores creati sunt Gallus, Hostilianus, et Galli filius Volusianus.* Victor prior: *haec ubi patres comperere, Gallo Hostilianoque Augusta imperia, Volusianum Gallo editum Caesarem decernunt.* Et Victor alter: *Horum temporibus* (Galli et Volusiani) *Hostilianus Perpenna a senatu imperator creatus.* Hostilianum pestilentia, quae tum late grassabatur, interivisse, uterque Victor testatur, contra quam Zosimus dixit, Galli insidiis.

Ex his, quae modo exposui, apparet, Hostiliani numos ad duo imperia pertinere, et eos quidem, in quibus Caesar dicitur, ad imperium patris, in quibus Augustus, ad imperium Treboniani. Hujus imperium palam eloquitur numus inscriptus IVNONI. MARTIALI, de quo mox.

V. C. 1002. 1003. P. X. 249. 250.
CAESAR. PRINC. IVVENT.

C. VALENS. HOSTIL. MES. QVINTVS. N. C. *Caput nudum in AV. et AE. II. radiatum in AR.*

C. OVAL. OSTIL. MES. COVINTVS. CAESAR. *Caput radiatum in AR.*

Vide quae de insolente hoc inscriptionis modo mox infra dicentur.

Aversae sunt:
MARTI. PROPVGNATORI. — PANNONIAE. — PIETAS. AVG. — PRINCIPI. IVVENTVTIS. — PVDICITIA. AVG. — SAECVLVM. NOVVM. — VBERITAS. AVG. — VICTORIA. GERMANICA. typis jam cognitis. (Mus. Caes. Banduri.)

---

a) Victor. epit. b) Nota II. in Philipp. c) Thes. p 105. d) l. c.

V. C. 1004. P. X. 251.
AVGVSTVS.

A patribus, et Treboniano Augustus dicitur, non multo post seu peste, seu Treboniani insidiis occumbit. Vide altius dicta.

A. IMP. CAE. C. VAL. HOS. MES. QVINTVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I. II. radiatum in AR.*

B. IMP. C. MES. QVINTVS. AVG. *Caput radiatum in numo ex AR. puro Mus. Caes.*, *sed suspecto.*

C. C. OVAL. OSTIL. MES. COVINTVS. AVG. *Caput radiatum in AR.*

* * *

Antica incerta.

IVNONI. MARTIALI. *Typum vide in numis Treboniani.* AR. (Pellerin Rec. III. p. LI.)

Numi cum hac aversa per solum Treboniani imperium signati sunt, certo adeo argumento, Hostilianum una cum hoc imperasse.

* * *

Vt lit. A.

PRINCEPS. IVVENTVTIS. S. C. *Figura sedens d. globum.* AR. (Mediob.)

Vt lit. B.

SECVRITAS. AVGG. *Mulier stans d. capiti imposita, s. columnae innixa.* Ex AR. puro. (Mus. Caes.)

Hic numus solum propter argentum purum memorandus, sed, ut mox dixi, habet modernae fraudis indicia.

* * *

Vt lit. A.

VOTIS. DECENNALIBVS. S. C. *intra coronam.* AE. I. (Mus. Caes.)

In reliquis: AEQVITAS. AVG. — ROMAE. AETERNAE. etc.

Nomina.

De uno *Quinti* nomine pauca hoc loco dicenda. De reliquis actum in praecedentibus. Habuit illud cum patre et fratre commune, at non habuisse rationem praenominis, probatur primum eo, quod pater jam habuit praenomen Caii, deinde quod illud in patre nunquam, in fratre raro primum locum obtinet, et in Hostiliano quidem semper ultimum. Ac sane videtur, Quinti nomen fuisse Hostiliano unum ex maxime propriis, non modo quod, ut dixi, postremo loco ponitur, sed etiam, quod istud suadet numus, ut videtur Aeliae Capitolinae a Patino vulgatus [a]), in cujus antica sunt duo capita jugata radiata scripto juxta: AETRVSCVS. ET. QVINTVS. CAESS., qui sunt fratres Herennius Etruscus, et Hostilianus Quintus.

De numis quibusdam argenteis Hostiliani.

Omnia musea non paucos Hostiliani numos argenteos servant, in quibus ejus nomina scribuntur: OVAL. OSTIL. COVINTVS, quae est ratio plane Graeca retentis solum literis Latinis; nam in Graecis numis eodem modo scribitur: ΟΥΑΛ. ΟСΤΙΛ.ΚΟΥΙΝΤΟС. Erunt, qui monetariorum lapsum in iis videbunt, at eorum nimis magnus est numerus. Dice-

a) Impp. Rom. num.

rem, homines Graecos Romae ad scalpendas matrices adhibitos; verum cur haec peregrinitas non observatur etiam in aeneis? aut si hi argento tantum inserviere, cur iidem hellenismi non observantur etiam in numis Decii, Etruscillae, Herennii, et deinde Galli et Volusiani? En materiam uberem, qua se occupent ii, qui conjecturis plus indulgere amant. Id unum suspicari subit, jam tum partem monetae Romanae in provinciis fuisse elaboratam. Exempla orationis Latinae in marmoribus quoque literis Graecis scriptae habes apud cl. Marinium, cujus indefessae industriae, et purgato judicio tot alia praeclara debemus [a]).

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	C.
Aenei max. formae	RRRR.
Aenei I. et II. formae	R.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum et coloniarum	RR.
Alexandrini	RRRR.

TREBONIANVS GALLVS.

Ejus incerti majores et patria. Decio bellum cum Gothis gerente ipse jam consularis, et partis exercitus Romani dux in loca palustria perfide fertur imperatorem pellexisse, quibus haustus cum una cum filio interiisset, ipse ab exercitu dictus est Augustus circiter exeunte Novembri V. C. 1004.

V. C. 1004. P. X. 251.
TR. P. COS. DES. II. P. M. P. P.
Decio Aug. III., Q. Herennio Etrusco Caes. cos.

Filium Volusianum Caesarem appellat, et Hostilianum conlegam imperii.

IMP. CAES. TREBONIANVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. POT. COS. P. P. *Imperator togatus sedens d. globum.* AR. (Banduri.)

Vnicum hunc numum reperi, qui per notas chronologicas residuae hujus anni parti possit convenire.

V. C. 1005. P. X. 252.
TR. P. II. COS. II. P. M. P. P.
Treboniano Aug. II., Volusiano Caes. cos.

---

a) Iscriz. Alban. p. 128.

Volusianum Augustum appellat. Pacem cum Gothis permisso illis cum omni praeda et captivis Romanis reditu, pactusque tributum annuum, turpissimam et principem futurorum malorum causam init. Rebus foris hoc modo pacatis Romam venit. Pestis per orbem atrox, (vide numos vagos) cui succubuisse fertur Hostilianus, ut in hoc dictum.

* * *

A. IMP. C. C. VIB. TREB. GALLVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AV. et AR. etiam sine P. F. in iisdem.*

B. IMP. CAE. C. VIB. TREB. GALLVS. AVG. *Caput radiatum in AV. AR. AE. II., laureatum in argenteis puris.*

C. IMP. CAES. C. VIBIVS. TREBONIANVS. GALLVS. AVG. *Caput laur. in AE. I. II. item AR. et AE. max. mod.*

D. IMP. C. GALLVS. AVG. *Caput laur. in quinariis.*

* * *

Vt lit. A.

ADVENTVS. AVGG. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. GALLVS. AVG. IMP. VOLVSIANVS. AVG. *Caput utriusque laureatum adversum.*

ADVENTVS. AVGG. *Imperator uterque equo decurrens d. hastam.* AE. m. m. (Buonarroti, Banduri.)

Vt lit. C.

ADVENTVS. AVGG. *Impp. duo laureati equites pacificatoris habitu, praecedit Victoria d. lauream praetendens, sequuntur milites duo cum aquilis legionariis, pone alter cum vexillo.* AE. m. m. (Numi max. mod. reg. Gall.)

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita adversa laureata Treboniani et Volusiani.*

ADVENTVS. AVGG. *Idem typus.* AE. II. (Mus. Caes. Com. Vitzai.)

Omnes hi numi probant, Volusianum, quo tempore cum patre in urbem advenit, Augustum jam fuisse, sed et illum eodem hoc anno simul consulem, simul Augustum in ejus moneta videbimus. Numum postremum Bandurius Valeriano et Gallieno tribuit a), iconismum, ut videtur, Ducangii secutus. Vtriusque motus auctoritate numum similem in catalogo musei Caesarei sub Valeriano item produxi. Verum cum ejus aversa tot figuris locuples in levissimis quoque penitus conspiret cum aversa numi praecedentis, verisimile videtur, in hoc quoque Trebonianum et Volusianum exhiberi. Pronus nonnunquam error in numis hujus aevi, in quibus inscriptio anticae non ipsa nomina capitum in iis propositorum, sed generatim *concordiam*, vel *pietatem Augustorum* enunciat, cujus luculentum exemplum dabimus in numis Valeriani cum simili Adventus typo.

Vt lit. C.

P. M. TR. P. COS. II. P. P. S. C. *Imperator velatus stans d. pateram, s. parazonium ad aram sacrificat.* AE. I. (Bandur.)

Omissum in hoc numo esse numerum

a) Pag. 127.

trib. potestatis, ut saepe alias hoc aevo factum, patebit ex iis, quae infra sub hoc titulo dicentur.

* * *

IMP. GALLVS. AVG. IMP. VOLVSIANVS. AVG. *Capita adversa laureata patris et filii.*

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. *Duo impp. in quadrigis triumphalibus a Victoriis pone stantibus coronantur comitantibus currum praetorianis.* AE. m. m. (Banduri.)

Videtur hoc numo indicari superbus imperatorum in urbem ingressus velut parta per victorias pace, quod et innuit Zosimus: *His rebus in hunc modum gestis Romam Gallus venit, magnos ob constitutam cum barbaris pacem spiritus gerens.* Epigraphe aversae ad unum patrem pertinet.

* * *

Eadem adversa.

PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. ET. COS. *Idem typus.* AE. m. m. (Mus. Albani.)

De hoc numo agetur prolixius sub Volusiano.

Vt lit. C.

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra coronam.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

V. C. 1006. P. X. 253.

TR. P. III. COS. II. P. M. P. P.

C. Vib. Volusiano Aug. II., M. Valerio Max. cos.

Aemilianus in Moesia imperator adclamatur. Ejus bello persequendi curam Trebonianus Valeriano mandat, qui ex Gallia et Germania milites contrahit. Praevenit Aemilianus, qui exeunte anno armatus Italiam intrat. (V. infra in trib. potest.)

* * *

Vt lit. C.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. S. C. *Imperator velatus stans ad aram sacrificat.* AE. I. (Banduri.) Argenteum cum eadem aversa recitat Mediobarbus.

V. C. 1007. P. X. 254.

TR. P. IV. COS. II. P. M. P. P.

Valeriano Aug. II., Gallieno Aug. cos.

Trebonianus Aemiliano obviam ex urbe progressus a propriis militibus, qui successum desperabant, una cum Volusiano apud Interamnam occiditur aetatis anno XLVII. (Victor alter.)

Ad ejus laudem vix quidquam a veteribus memoratum reperio, dedecus ex transacta turpi cum Gothis pace, tum et ignaviam vitae objectant omnes.

Vxor nonnullis credita Cornelia Supera, sed quam verius Aemiliano fuisse conjunctam, in hoc probare conabor. Ei adhuc privato nuptam fuisse *Asiniam*, tantum non demonstrat lapis, quem infra in nominibus Volusiani producam.

* * *

Vt lit. C.

P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. S. C. *Vir togatus stans d. ramum, s. parazonium.* In aliis: *Imperator ad aram sacrificans.* AE. I. (Mus. Caes.) AE. m. m. (Banduri.)

De numis sic inscriptis, vetere inter eruditos disputationis argumento, agetur ex proposito infra sub trib. potestate.

Numi vagi:

Adversa varia.

APOLLO. SALVTARIS. *vel:* APOLL. SALVTARI. *Apollo nudus stans d. ramum, s. lyram.* In omni metallo et forma.

Nimirum invocatus Apollo ab Augustis et toto imperio, ut depelleret pestem, quae inde a principio ejus imperii universum orbem funeribus implevit, et multis adhuc post annis saevire non destitit. Inter miserandam hanc cladem ut ait Victor alter, *Gallo Volusianoque favor quaesitus, quod anxie studioseque tenuissimi cujusque exequias curarent.* Vide et numos sequentes. Apposite ad hanc peristasin Apollini tribuitur ramus sive lauri, sive olivae, nam alterutro veteres lustrationem peregere. Sic Iuvenalis a):

Cuperent lustrari, si qua darentur
Sulfura cum taedis. et si foret humida laurus.

Et Virgilius b):

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, et ramo felicis olivae.

Quibus adde Theocritum c), et quae alia testimonia collegit eruditus editor musei Herculan. d) et Madrisius e).

* * *

IMP. CAES. C. VIBIVS. TREBONIANVS. GALLVS. AVG. *Caput radiatum.*

ARNASI. *Apollo nudus monticulo insistens d. ramum, s. arcum.* AE. m. m. (Pellerin Rec. III. p. 283. Banduri. Baldinus.)

Vt lit. B.

ARNAZI. *Idem typus.* AE. II. (Mus. Theupoli in Coloniis.)

IMP. CAE. C. VIB. VOLVSIANO. AVG. *Caput radiatum.*

ARNAZI. *Idem typus.* AE. II (Mus. com. de Vitzai.)

Idem in his numis Apollo, qui in praecedentibus, nisi quod s. arcum pro lyra gerit, et rupi insistit, videnturque hi ex eadem causa, ex qua priores, signati, nimirum ut averteret benignus pestem, quo modo Graeciam olim eodem adflictam malo vindicavit, ob quod benefactum dictus erat Αλεξικακος, *Averruncus*, et Επικȣριος, *Subveniens* f). Opis in hoc malo praesentis cum compertus esset Apollo, vafer Alexander pseudomantis, ut est apud Lucianum, cum pestis M. Aurelii aetate totum imperium depasceret, hunc apposite versum ex oraculo suo promulgavit:

Φοιβος ἀκερσεκομης λοιμȣ νεφελην ἀπερυκει.

Phoebus intonsus pestis nubem fugat.

Insistit vero rupi, nam teste hymno Homerico g) huic deo

Πασαι δε σκοπιαι τε φιλαι και πρωονες ἀκροι
Τψηλων ὀρεων.
Omnes speculae charae, et vertices summi
Altorum montium.

Isthaec quidem plana. At negotium fa-

a) Sat. II. v. 157. b) Aen. VI. v. 229. c) Idyll. XXIV. v. 64. d) Bronzi Tom. I. p. 264. nota 41. e) in Calogeranis Vol. IV. p. 299. f) Pausan. Attic. c. 3. Arcad. c. 41. g) in Apoll. v. 144.

cessit epigraphe ARNASI, vel ut in aeneis II. formae ARNAZI. Ad eam Bandurius, cetera animadversionum locuples, velut ad rem in vulgus cognitam, obmutuit. Harduinus in ejus explicatione vetere suo more in nugas et deliria abit a). Vnum ergo Pellerinium audire juverit conjectantem, vocabulis ARN. ASI. intelligi duo Vmbriae oppida *Arnam*, et *Asisium*, quae videntur communi sumptu Apollinis signum in loco edito et late conspicuo erexisse ea tempestate, qua ejus dei auxilium propter pestilentiae furorem maxime erat exoptatum b). At enim quaeri potest, sintne hi numi percussi Romae, an in ipsis his oppidis? De officina monetaria in Italia extra urbem aetate imperatorum non constat. In urbe si signati essent, non credo abesset nota S. C. saltem in aeneis II. formae. Haec adversus viri praestantis sententiam movere facile, at difficile, melius quidquam et valiturum adferre. Eos in coloniarum numis habuere Mediobarbus, eumque, ut videtur, secutus auctor musei Theupoli. Verum et istud incertum. Ejusdem rationis sunt numi Getae inscripti STA. BOV. Hujus generis numi jam plures, ut vidimus, comperti sunt, at Volusiani unicum hactenus cognitum novi, quem olim edidi ex insigni museo ill. com. de Vitzai c).

* * *

Vt lit. B.

DIANAE. VICTRI. *Diana venatrix d. telum, s. arcum.* AR. (Band.)

Diana Victrix nunc primum in numis occurrit. Vide, quae in Aemiliano ad similem aversam monebo.

* * *

Antica varia.

IVNONI. MARTIALI. *Templum rotundum, intra quod dea sedens d. forficulam, s. hastam.* AE. m. m. et AE. I. (Mus. Caes.) *In nonnullis adstat pavo.* AR. *In aeneis max. mod. hinc et illinc caput bovis.* (Mus. Caes. Banduri.)

Antica varia.

IVNO. MARTIALIS. *Dea sedens d. forficulam, s. hastam. In aliis s. globum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Haec aversa sub Treboniano orta est, cum eodem occidit, cumque ea in copiosis ejus ac Volusiani numis, iisque maximi etiam moduli, et operis pro hoc aevo elegantis reperiatur, verisimile videtur, eam ad idem cum prioribus argumentum pertinere, nimirum ad commune hujus tempestatis malum pestilentiam, ad quam depellendam principes nostri omnium nominum deos omnes victimis ac precibus ex Olympo excivere. Opportuna tum ad ferendam opem videri Iuno potuit, quod teste Tullio *aer interjectus inter mare et coelum Iunonis nomine consecratur* d), qui tum tracto vitio stragem mortalibus attulit, atque idem mox infra: *sed Iunonem a juvando credo nominatam.* Sic et eandem dictam fuisse *Sospitam* a Graeco σώζω autumat Festus. Quae modo dixeram, egregie confirmat signum, quod Iuno dextera tenet. Illud jam Tristanus ex numis, quos viderat, forficulam dixit e). Eo posteriores plerique alii spicas, alii ramum pronunciavere. Sed postquam secundis curis numos integerrimos musei Caesarei contenderam, cogebar ad-

a) Num. pop. et urb. p. 113. b) Rec. III. p. LII. c) Num. vet. p. 314. d) de nat. deor. L. II. c. 26. e) Tom. II. p. 663.

sentiri Tristano forficulam decernenti. Haec qua ratione ad Iunonem pertineat, vetustiores mythologi non meminere, commemoravere tamen infimi aevi scriptores Graeci. Ita auctor, qui est in Anecdotis Graecis curante Villoisonio editis a), cum Iunonis simulacrum describit, quod erat apud Argos, haec addit: *ὁ και ψαλιδα χαλκην ἀνεβασταζεν ἀπο μεταφορας της κειρουσης ψαλιδος τας τριχας, και καθαρον ἀποδεικνυουσης το σωμα, ἐπει ὁ ἀηρ καθαιρει, ἐις ὁν ἀλληγορειται ἡ* Ηρα, *quod* (simulacrum) *forficulam quoque aeneam gestabat ducta metaphora a forficula capillos tondente, et corpus a sordibus purgante: aer enim purificat, cujus symbolum est Iuno.* Eidem sententiae consona scripsere etiam Codinus b), et Suidas c) jam memorati Tristano. Illud, quod laudati hi auctores *ψαλιδα* vocant, Clemens Alexandrinus vocat *δυο μαχαιρας τας κουρικας*, *duos cultros tonsorios*, quo loco praecipit, virorum barbam non esse novacula, sed *duabus forficibus tonsorum* resecandam d). Revera in his numis duplex apparet forficula ejus formae, cujus sunt illae, quibus in nostris terris oves attondentur. In parodia Catulliana, quae exstat in Catalectis Virgilii, ejus forficulae et forma et usus eleganter describitur:

Vbi iste, post Sabinus, ante Quinctio
Bidente dicit adtondisse forcipe
Comata colla, ne qua sordidum, jugo
Premente, dura vulnus ederet juba.

Lepidum est epigramma, quod exstat in Analectis Brunckii e):

Αμητος πολυς ἐστι τεην κατα δασκιον ὀψιν.
Τῳ σε χρη δρεπανοισι, και ου ψαλιδεσσι καρηναι.

Messis multa est circum tuam umbrosam frontem.
Quare falcibus, non forficulis es adtondendus.

En rationem, propter quam addita Iunoni forficula, atque haec urgente nunc pestilentia, cui mederi posse credebatur, singulari a Romanis cultu mactata est. Dixi, in nonnullis hujus generis numis juxta conspici duo adversa boum capita. Narrat idem auctor Graecus in laudatis supra Anecdotis, Argis stato die sacerdotem feminam in curru candidis bobus juncto ad hoc Iunonis simulacrum fuisse deductam, qui cum aliquando ad vecturam praesto non essent, in eorum locum successere Cleobis et Biton fratrum par tantis ab Herodoto propter pietatem laudibus celebratum f).

Cur vero eadem haec Iuno dicta fuerit *Martialis*, nondum satis comperire potui. Winkelmannus binis locis ejus cognominis causam explicare tentavit applicando Iunoni, quod veteres de quodam pugnae genere, *serra praeliari*, prodidere, atque hinc eam dictam Martialem conjicit, et talem in his Treboniani numis propositam g). Verum an serra est, quod Iuno in his numis tenet? Neque etiam satis probari mihi potest judicium cl. Ennii Visconti illustris in re antiquaria nominis, qui in numis praesentibus pro forfice fasciculum herbarum, *un groppo d'erbe*, ma-

a) Tom. I. p. 208. b) de orig. Constantinop. c) in Ηρα. d) in Paedag. L. III. c. 11. e) Vol. III. p. 9. f) L. I. c. 31. g) Pierr. grav. de Stosch in praef. p. XIV. Monum. ant. p. 14.

vult, nimirum quarum contactu Iuno facta praegnans Martem esset enixa, unde dicta fuerit *Martialis* [a]). Novi, dicere Festum [b]), ex aliquorum sententia Martem dici Gradivum, *quia gramine sit ortus*, *quod interpretatur*, *quia corona graminea in re militari maximae est honorationis*, et ex mente Servii gramen esse consecratum Marti, etsi aliam is ejus causam statuat, non, quod ex gramine natus sit [c]). At enim Ovidius illud, ex quo Iuno Martem concepit, non gramen, sed florem dixit, ut jam praeeunte erudito hoc viro supra in Mamaeae numis indicavimus, ac, quidquid erit, illud cumprimis in hac causa quaeritur, quid numi ipsi eloquantur. At vero iterum aio, numos hujus argumenti copiosos, et nitidissimos musei Caesarei certam nobis forficulam offerre, nihil autem omnino, quod vel flori, vel herbarum fasciculo simile esset. Ceterum Iuno Martialis non in solis numis memoratur, sed et Sex. Rufus ejus aedem in regione fori Romani stetisse refert.

His numis causa argumenti jungendus alter:

DIVO. AVGVSTO. *Caput Augusti radiatum.*

IVNONI. MARTIALI. *Templum*, *in quo dea sedens adstante pavone.* AR. (Pellerin Rec. III. p. XLIX.)

Vaillantius in Numis suis praestant. a Baldino restitutis Tom. II. p. 33. numum Augusti argenteum sic describit: IVNONI. MARTIALI. *Templum rotundum*, *in quo Iuno sedet*, *d. spicas*, eumque rarissimum appellat. Ausim confidenter conjicere, hunc Vaillantii numum cum Pelleriniano, in quo sumus, ejusdem esse naturae. Enimvero coaevum esse Augusto, persuadere mihi non possum, in cujus moneta similis formae aversa adhuc conspecta non est, sed quae, ut vidimus, obvia est per imperium Treboniani. Quare plane verisimile existimo, in antica numi, quem dedit Vaillantius, esse eandem epigraphen, et typum, quales sunt in Pelleriniano, nempe: DIVO. AVGVSTO, hujusque caput radiatum. Nimirum saeculi praecedentis antiquarios passim constat indicare neglexisse, qua sint conditione partes anticae numorum imperatoriorum, aut qua metalli mixtione, tanquam haec indicia ad multas artis nostrae causas nihil plane conferrent. Ad praesentem Pellerinii numum ut revertar, anticam cum aversa male cohaerere, atque illam pertinere ad eam numorum classem, in quorum aversa est epigraphe CONSECRATIO, et typus arae, vel aquilae, et in quibus memoria consecrationis praecedentium inde ab Augusto imperatorum restituitur, dubitari nequit. Pellerinius ex hoc numo probare instituit, hos ipsos renovatae consecrationis numos non imperante Gallieno, quod plerisque usque modo visum, sed Treboniano fuisse percussos, quod nos examen in tractatum de numis consecrationum differimus.

* * *

Vt lit. C.

LIBERALITAS. AVGG. S. C. *Liberalitas stans.* AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. C. Protome laureata, *paludamento auri bractea operto.*

---

a) Mus. Pio-Clem. Tom. VI. p. 86. b) in Gradivus. c) ad Aen. XII. v. 119.

MONETA. AVGG. *Tres Monetae stantes cum bilance singulae et cornucopiae, pro singularum pedibus massa metalli.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. S. C. *Mulier sedens d. ramum.* AE. II. (Banduri.)

Credi posset haec aversa ex Volusiani moneta per injuriam huc adacta, si in hac mulieris sedentis typus cum eadem epigraphe occurreret. Sed jam alias observavimus, Augustis quoque non raro principis juventutis titulum fuisse adjectum.

* * *

Vt lit. C. Protome laureata d. sceptrum cum aquila.

SAECVLI. FELICITAS. *Quatuor puelli stantes cum attributis totidem anni tempestates designantibus.* AE. m. m. (Mus. Albani.)

Elegans typus, etsi jam ex numis cognitus.

Vt lit. A.

SAECVLVM. NOVVM. *Templum sex columnarum, intra quod idolum sedens, in imo unum, vel duo, vel tria puncta, seu globuli.* AR. (Mus. Caes.)

Haec aversa obvia in numis Philippi ejusque familiae, sed cum in his absint globuli subjecti, et etiam idem typus exstet in moneta Etruscillae Decii, et Hostiliani, demitur suspicio permutatae matricis, quam obtendit Pagius [a]).

Numi commatis peregrini.

Numi *urbium liberarum*, et *coloniarum* complures habentur, item *Alexandrini* cum A. B. Γ., de quibus numeris agetur continuo.

De trib. potestate, et terminis imperii Treboniani.

Trebonianum exeunte fere Novembri V. C. 1004 dictum Augustum vidimus. Quod ad ejus imperii finem attinet, haec Zosimus: Gothis provincias Istro adsitas impune vastantibus Aemilianum exercitui Pannonico praefectum barbaris obviam processisse, eosque victoriis fractos ut ex imperii finibus excederent, coegisse. Tam praeclarae virtutis causa ab exercitu Augustum adversum ignavos principes salutatum. Quo audito Trebonianum imperasse Valeriano, ut perduellem coactis Galliae et Germaniae legionibus ad obsequium revocaret. At praevenisse Aemilianum, et Italiae cum magno exercitu infusum ita perterruisse Treboniani milites, ut mutata fide eum una cum filio apud Interamnam occiderent, seque una cum senatu Aemiliani arbitrio permitterent. At Valeriani milites indigne ferentes, eum imperare, ad quem bello persequendum missi fuerant, Valerianum suum purpura induerunt, qui Italiam cum exercitu ingressus easdem vices rependit Aemiliano, cum a suis ipsius militibus belli incerta metuentibus occideretur. Hanc necem peractam apud Spoletum refert Victor in epitome. Sed Victor prior Aemilianum morbo exstinctum adserit, ac postea a militibus apud Rhaetias ob instans bel-

a) Crit. Baron. ad ann. Ch. 253.

lum contractis Valerianum purpura donatum. Etiam Eutropius post obscurum trium mensium imperium exstinctum tantum docet nulla facta caedis mentione, eique subinde suffectum Valerianum. Ex horum ergo auctorum fide Treboniano Aemilianus, huic Valerianus successere.

Inter haec ingens chronologorum dissensus, sitne Galli caedes figenda ad annum V. C. 1006. P. X. 253, an ad annum 1007, P. X. 254, cui praelusit ipse veterum epitomatorum dissensus in definiendis imperii Treboniani annis. Non est mei instituti, tot varias nostrae aetatis chronologorum sententias in examen vocare, quod jam praestitere Tillemontius, et Mazzolenus. Alioqui confiteri necesse est, eruditos hos viros inanem fere in tota hac disputatione operam posuisse, dum primum ex discordibus veterum opinionibus, quorum testimonia quam exiguam mereantur fidem, ipsi noverunt, conantur Treboniani et Aemiliani annos eruere, deinde cum passim ad numos provocant, quos nostra aetate condemnamus, eos vero tanquam spurios rejiciunt, quos esse legitimos hodie agnoscimus omnes. Quare ego in praesente, et quantum licebit, contracto examine nonnisi monumentis publicis pugnabo, quanquam et haec ipsa non raro eum in modum sibi adversentur, ut difficile sit, ex his laqueis evadere.

Ii, qui necem Treboniani ad annum V. C. 1006 referunt, tanquam invictum argumentum objiciunt fastos, ex quorum unanimi consensu sequentis anni 1007 consules memorantur Valerianus ejusque filius Gallienus. Pro vetere instituto, et complura priorum imperatorum exempla ii, qui imperium adepti sunt, etiam in sequentem annum consules designati fuere. Ergo verisimile est, Trebonianum jam anno 1006 mortuum fuisse. Neque dici potest, Valerianum a Treboniano potuisse ad consulatum evehi; nam etsi istud demus de Valeriano, tamen non de filio Gallieno, cum nunquam pater privatus cum filio una esset consul, et Gallienus ipse junior esset, quam ut tanto honore potuisset dignus haberi.

Argumentum alterum, illudque non parum validum offert epocha Aegeaeorum Ciliciae. Recitat Vaillantius duos Aemiliani numos in hac urbe signatos cum anno ΘϘC, (299) quibus addi potest alius Corneliae Superae cum eodem anno. Iuxta calculum aerae in hac urbe receptae, quem alibi demonstravi, numus hic signatus est ab autumno V. C. 1005 usque ad autumnum 1006. Ergo si Aemilianus, qui Gallo successit, agnitus jam fuit imperator anno 1006, nequit Galli imperium extendi in annum 1007.

Argumentum tertium sufficiunt numi Viminacii. Horum illi, qui annnm XIV. inscriptum habent, sistunt caput non Treboniani modo, sed et Aemiliani, et Valeriani. Annus XIV. Viminaciensium currit cum anno V. C. 1006, ut loco suo docui. Ex quo patet, saltem exeunte hoc anno imperium jam obtinuisse Valerianum.

Aliud etiam subsidium hujus sententiae patroni sibi quaesivere ex numis Gallieni, secundum quos tribunatus nunquam suis consulatibus respondebunt, nisi ab hoc anno ejus trib. potestates numerandi initium fiat. At fallax istud

est subsidium, nam facile est, hanc sententiam ex ipsis etiam Gallieni numis evertere. Adeo enim illi erroribus monetariorum scatent, ut quam alii sententiam juvare videntur, alii rursum pervertant, quod qui credere noluerit, is quaeso ex Mediobarbi catalogo Gallieni numos in sua quosque tempora tribuat.

Verum et adversae partis, quae Treboniani necem ad annum V. C. 1007 constituit, argumenta audire juvat.

Iam istud primum ex numis evincitur, Treboniani imperium satis late ultra Augustum anni 1006 extendendum esse. Exstant numi Alexandrini tam Treboniani, quam Volusiani inscripti L. Γ. Cum annus Treboniani A coeperit exeunte Novembri V. C. 1004, vel ipsi adversarii dabunt, ex Alexandrinorum calculo annum Γ incipere debuisse die XXIX. Augusti anni 1006, cumque numorum sic inscriptorum magna copia supersit, necesse est, longius adhuc tempus inde a dicto die imperasse Trebonianum. Hi ergo numi adfligunt sententiam Tillemontii, Pagii, Bandurii, aliorumque, qui Trebonianum mense Maio aut Iunio anni 1006 caesum statuere.

Fortissimum huic sententiae patrocinium accedit ex numis Treboniani aeque ac Volusiani inscriptis P. M. TR. P. IIII. COS. II., ex quo tribunatus numero necesse est Trebonianum saltem annum 1007 inchoasse. Haec horum numorum testimonia tanti visa sunt Petavio, ut non dubitaret Treboniani imperium eo usque extendere. Alii vero alias eorum explicandorum rationes, sed singulares omnino coacti sunt reperire. Celerius sese expediunt ii, qui priorem sententiam malebant amplecti. Hos numos, aiunt, aut esse adulterinos, aut male descriptos, aut monetariorum vitio depravatos, cum alterius principis matrices horum capitibus sociarent. Verum istud temere adseri ipsa horum numorum copia tam in argento, quam aere facile evincit. Ad haec si permutatae essent matrices, et aversae pertinerent ad praecedentes imperatores, quod plane certum visum est Pagio [a]), necesse esset, easdem tam spectata inscriptione, quam typo aversas occurrere in numis imperatorum proxime praecedentium, quod tamen nondum observatum. Numis sic inscriptis feliciter suppetias venit, omnemque his vel erroris vel fraudis suspicionem eximit marmor, quod exstat Romae in aedibus march. Rondanini, quodque primus vulgavit Barthelemyus [b]), et infra in nominibus Volusiani copiosius recitabitur, in quo Trebonianus aeque ac Volusianus dicuntur: TR. P. IIII. COS. II. P. P. An et marmor istud, quod cum numis tam eximie conspirat, corruptum?

Huc denique faciunt numi Aemiliani in Dacia cum anno VIII. signati, qui congruit anno V. C. 1007. Si ergo Aemilianus hoc adhuc anno vivus et Augustus non repugnat consulatui Valeriani, neque Trebonianus hoc anno vivus et Augustus eidem repugnabit. Etsi vero, quod ad chronologiam attinet, pa-

a) Cri. Baron. ad V. C. 1006. n. 14. b) Mem. B. L. Tom. XXVIII. p. 606.

rum valeant Daciae numi, ut in hujus moneta prolixe probavi, tamen praesens numus plus valet propterea, quoniam ejus aversa nequaquam ex antecedentis imperatoris matrice Aemiliano applicari potuit, quae fere unica fuit ratio tot errorum in Daciae moneta.

Haec utriusque opinionis incommoda cum videret Mazzolenus, suam rursus doctrinam proponit, ab his, ut sibimet ipsi palpatur, molestiis totum immune [a]). Nam pro recepto suo tribunatus numerandi modo, quem alibi latius proponemus, Trebonianus ineunte Decembri 1004 dictus Augustus tribunatum mox iteravit die X. ejusdem mensis. Anno vertente trib. potestatem III. est auspicatus. Sequente anno 1006 mense Iunio rebellavit Aemilianus. Caeditur Trebonianus circiter exeunte Novembri, cum parati jam essent numi tribunatu IV. notati, et die X. Decembris erogandi. Paullo post labente adhuc Decembri caeditur quoque Aemilianus, et Valeriani consulatui ad proximas Kalendas Ian. locum facit. Sententiam suam stabilire nititur primum numis Viminacii et Daciae, deinde numo Aemiliani Alexandrino cum anno B, qui annus II. inivit die X. Decembris una cum tribunatu iterato. Denique pervenisse Aemilianum ad Kal. Ian. anni sequentis, aut proxime saltem ad eas accessisse adserit propter numos Aemiliani Viminacii cum anno VIII. signatos, qui respondet anno V. C. 1007.

Quod facere solent medici, qui cum de languentis valetudine desperant, nullum non remedium quantumcunque violentum permissum sibi arbitrantur, id facere quoque Mazzolenus in desperata sua causa instituit. Modicus ero in eo refutando cum propter brevitatis institutum, tum quod generatim ejus de iterata IV. idus Dec. trib. potestate doctrina laborat.

I. Nemo non videt, ad arbitrium fingi, quod de numis, qui Galli tribunatum IV. praeferunt, dudum paratis adserit. Dandum forte istud, si hujus generis unus alterve tantum existeret, verum aliud aperte suadet horum insignis numerus. II. Novum ad causam comprobandam Alexandrinae epochae calculum constituit, dum hujus annos ad rationem trib. potestatis fuisse exactos praedicat, quod argumentum in moneta Alexandrina copiose tractavi. At enim dum variorum dictata everto, quod facile, erunt, qui aptiorem a me doctrinam, magisque adcommodatam ad rationem temporum a me requirent, quod in ea caligine, numorum ejus aetatis non raro perversis legibus, historicorum, quos historicos vere dixeris, inopia, eorumque, qui supersunt, pugnantibus sententiis praestare te posse plane desperes. Vt tamen aliquod meum specimen edam, ejus temporis rationem per probabiles conjecturas ex numis definiam, sic tamen, ut Daciae ac Viminacii numos, qui, ut in horum moneta comprobavi, spectatis epochae annis saepe turpiter fallunt, in tota hac causa vix audiendos putem.

Ajo igitur, Treboniani imperium sese revera in annum V. C. 1007 P. X. 254 porrigere suadentibus istud ejus ac Vo-

a) Animadv. de trib. pot p. 174.

lusiani numis tribunatu IV. notatis. Hoc constituto sic verisimiliter procedit historia. V. C. 1006 forte exeunte Iulio imperium in Moesia arripit Aemilianus. In ejus partes transitionem faciunt Cilices, quorum urbs Aegae continuo cum ejus ac Corn. Superae imagine numos ferit, antequam ejus annus ΘϘC fors exeunte Octobri exspiraret. Interea Alexandrini in fide erga Trebonianum persistunt, qui numos L. Γ. cum ejus capite inde a die XXIX. Augusti feriri coeptos magno numero signare pergunt. Audita Aemiliani perduellione Trebonianus Valeriano ejus bello persequendi curam demandat. Is militem in Gallia et Germania contrahit, sed moram injicit sive pestis, quae eo tempore per provincias saeviit, sive rei pecuniariae angustiae, sive perfidia, sive quaecunque alia causa, quam ignoramus. Exeunte anno Italiam intrat Aemilianus coepta persecuturus. Circa idem tempus Valerianus in Rhaetia, seu quod Treboniani causam propter ejus ignaviam desperaret, seu copiis suis fretus imperatorem sese appellat, et consulem se cum filio in annum sequentem designat. Init annus V. C. 1007 et Treboniani tribunatus IV. Ejus anni altero circiter mense Trebonianus et Volusianus interimuntur. Aemilianus, quia praesens, imperator ab exercitu utroque, et patribus agnoscitur. Bellum deinceps Aemilianum inter et Valerianum. Ille sive suorum gladio, sive morbo occumbit, Valerianus unus rerum potitur, eum consulem cum filio agnoscunt fasti abolitis prioribus, qui annum aperuere, quod olim et sub Elagabalo factum.

En probabilem, ut opinor, rerum eventum secundum numorum testimonium, et neque historicis, aut saltem majori eorum parti adversum. Etenim testibus Eusebio, Cassiodoro, Epiphanio, Iornande, quos laudat Tillemontius [a]), regnavit Trebonianus annos II. menses IV., nempe tantundem temporis, quantum in mea doctrina ejus imperium occupat. Ad haec Zonaras Aemiliano imperii menses IV. tribuit. Quo minus nostrae aetatis chronologi horum testimoniis subscriberent, prohibuit fere unicus Valeriani consulatus, qui tamen et ipse ea, qua dixi, ratione non difficulter sese adcommodat. Quae de Volusiani tribunatu IV. objiciuntur, in hujus moneta explicata reperies.

Postremus Sanclementius novam nuper ingressus est viam ad molestum hunc Galli tribunatum IV. enodandum [b]). Verisimile illi visum, Trebonianum non a tempore mortis Decii, sed Philipporum annos imperii sui numerare coepisse, atque istud exemplo Severi, quem item, ait, omissis Pertinace et Iuliano initium sui principatus a caede Commodi fuisse auspicatum. Ejus causam, ut visum, probabilem adfert, quod Decius trib. potestate, quam una cum censoria dignitate, jure quintae relationis, et proconsulari imperio senatui populoque restituit, ipse caruit, ac propterea nulla ejus in numis facta mentione. Quare Trebonianum, ne per biennium resp. ea potestate caruisse videretur, eandem mo-

---

a) Nota III. in Gallum. b) de vulg. aera pag. 304. seq.

netae suae ita inserendam decrevisse, ut ejus exordium ab exitu utriusque Philippi sumendum esset. Ac propterea opinatur evenisse, ut fere nulli adhuc seu Treboniani, seu Volusiani numi cum tribunatu I. et II., sed quam plurimi utriusque cum tribunatu III. et IV. essent reperti. Haec vir eruditus, sic tamen, ut nolit sententiam suam satis certam putare. Ac jure quidem, sunt enim non pauca, quae me omnes has causas obiter expendentem ab hac conjectura avertunt. Iam primum probare non possum ductum a Severo exemplum, quem ait initium imperii continuo a Commodi nece duxisse, quod olim in trib. potestate Severi latius refutabo. Neque etiam adseri potest, Decium trib. potestatem senatus arbitrio permisisse. Quo istud idoneo auctore acceperit vir eruditus in indicandis fontibus justo parcior, ignoro. Pomponii Laeti, quem istud perhibere video, auctoritas tanti mihi non est. Et quis Decio negaverit trib. potestatem, quando eam illi tribuunt tot marmora, quorum partem enumerabimus in tractatu de hac dignitate? Denique eo certissime falli videtur, quod adfirmat, vix aliquos exstare Treboniani et Volusiani numos cum tribunatu I. et II., at plurimos cum tribunatu III. et IV. Tam enim rari sunt numi Treboniani cum tribunatu III., quam rari sunt illi cum tribunatu II., Volusiani autem numum cum mentione tribunatus III. nondum reperi. At in utroque tandem abundant numi tribunatus IV. testes. Ergo ex numis evinci non potest, quod sibi eorum ope probandum sumpserat. Equidem in exclusis ex moneta tribus primis tribunatibus, aut certe parcius adhibitis nihil inesse reconditum existimo. Certum est, eos in Decii numis ex quacunque causa non memorari. Verisimile deinde, monetarios priori consuetudini servientes eorum mentionem principio omisisse, serius seu ultro, seu jussos revocasse.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei	C.
Aenei max. formae	RRR.
Aenei I. et II. formae	C.
Aenei III. formae	O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum, coloniarum, et Alexandrini	R.

VOLVSIANVS.

Patris Treboniani tam in secundis, quam adversis comes patre ad imperium evecto ex more ipse dictus Caesar, et consul designatus.

V. C. 1004. P. X. 251.
CAESAR. COS. DES. PRINC. IVVENT.

C. VIBIO. VOLVSIANO. CAES. *Caput radiatum in AR. nudum in AE.*
IVNONI. MARTIALI. — *V. numos patris.* PRINCIPI. IVVENTVTIS *typis notis.* VOTIS. DECENNALIBVS. S. C. *intra coronam.* AE. II. (Bandur.)

V. C. 1005. P. X. 252.
AVGVSTVS. TR. P. II. COS. DES. II. P. M. P. P.

A patre Augustus dicitur. V. numum sequentem.

IMP. GALLVS. AVG. IMP. VOLVSIANVS. AVG. *Capita adversa laureata patris et filii.*
PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. ET. COS. *Duo impp. curru sex equorum adversi vecti d. lauream a Victoriis pone stantibus coronantur, currum milites palmiferi prosequuntur.* AE. m. m. (Mus. Albani.)

Hoc typo indicari processum hujus anni consularem, quem pater Gallus iterum, filius primum peregere, dubitari nequit, praecipue si conferatur numus fere geminus Gordiani III., quem descripsi ad annum V. C. 994. Ergo, nisi monetarius liberiore forte prolepsi usus est, statuere oportebit, Volusianum jam Kalendis Ian., quibus consul primum processit, fuisse Augustum. Quidquid erit, hoc eum honore gavisum exeunte saltem Iulio hujus anni, docet marmor Gruteri a), in quo legitur: ACTVM. PR. KAL. AVG. IMPP. DD. NN. GALLO. AVG. II. ET. VOLVSIANO. AVG. COSS. Feruntur quidem numi, qui Volusianum, cum jam consul esset, adhuc Caesarem appellant, sed sunt hi, quod norim, Goltziani tantum. Istud certum ex numis patris hujus anni, Volusianum, quo tempore Romam advenit, Augustum jam fuisse. Quoniam in titulis aversae distinguuntur consulatus II. patris, et simplex filii, reliquis cum utroque communibus, patet, priores titulos PON. MAX. et TR. P. II. jam hoc anno filio quoque fuisse proprios, de quo agetur in tractatu de trib. potestate.

* * *

IMP. CAE. C. VIB. VOLVSIANO. AVG. *Caput laureatum.*
VOTIS. DECENNALIBVS. S. C. *intra coronam.* AE. I. (Banduri.)

V. C. 1006. P. X. 253.
TR. P. III. COS. II. P. M. P. P.

Hujus anni facta vide in patre.
Desunt certi hujus anni numi.

V. C. 1007. P. X. 254.
TR. P. IV. COS. II. P. M. P. P.

Vna cum patre apud Interamnam occiditur a militibus. (V. dicta in patre.) Vti eadem illi cum patre fortuna, ita similem moribus fuisse colligitur ex scriptoribus.

* * *

IMP. CAE. C. VIB. VOLVSIANO. AVG. *Caput radiatum.*

a) Pag. 995. 9.

P. M. TR. P. IIII. COS. II. *Vir togatus d. ramum, s. parazonium.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Caput laureatum.

P. M. TR. P. IIII. COS. II. S. C. *Idem typus.* AE. I. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Caput radiatum.

P. M. TR. P. IIII. COS. II. *Imperator velatus stans ad aram d. pateram, s. parazonium.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Caput laureatum.

P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. S. C. *Idem typus.* AE. I. (Mus. Caes.)

De controversa Volusiani trib. potestate IV., quam hi numi adstruunt, agetur in tractatu de hoc titulo. Istud profecto mirum, in numis hujus generis aeneis addi titulum P. P., eumque omitti in argenteis, etiam si reliqua epigraphe sit eadem, et idem typus, cujus ego rationem non adsequor, etsi verisimile sit subesse aliquam, cum id in his numis constanter observetur. Mirum deinde, easdem aversas tam spectata epigraphe, quam typo observari tantum in numis aeneis patris Treboniani, nunquam vero in argenteis, quamvis hujus generis argentei obvii sint in filio Volusiano.

Numi vagi:

A. IMP. CAE. VIB. VOLVSIANO. AVG. *Caput laureatum in AV. item AR. m. m. AE. m. m. AE. I. II. radiatum in AR. min. mod.*

B. IMP. C. C. VIB. VOLVSIANVS. AVG. *Caput radiatum in AR.*

C. IMP. (*in aliis* IM.) C. V. AF. GAL. VEND. VOLVSIANO. AVG. *Caput radiatum in AR.*

Aversae magis memorabiles, ut: APOLL. SALVTARI. — ARNAZI. — IVNONI. MARTIALI. etc. Volusiano fuere cum patre communes, a quibus ergo recitandis supersedemus, commemoratis tantum paucis, quae istud meruisse videbuntur.

Vt lit. A.

FELICITAS. PVBLICA. *Mulier stans d. caduceum, s. hastam transversam, et simul columnae innixa.* AR. m. m. AE. m. m. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVGG. *Liberalitas stans.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Imperator paludatus stans d. bacillum, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.) AE. I. (Baldini.)

Augustos una principes juventutis jam satis in praecedentibus vidimus.

Vt lit. C.

PVDICITIA. AVG. *Mulier sedens d. velum capiti obducit, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Haec aversa, ut in primis imperatoribus perrara (in Hadriano primum observatur) ita in hujus aevi viris Augustis magis obvia.

Vt lit. C.

SAECVLVM. NOVVM. *Templum sex columnarum, intra quod idolum sedens.* AR. (Mus. Caes.)

Inde a Philippo hic typus imperatorum plurium aversas inhabitat.

Vt lit. A.

L. IA. *Sphinx.* AE. I. (Banduri p. 85.)

En numum duplicis naturae, quem integerrimum profitetur ipse Bandurius, etsi ejus explicationem non tentet. Ex quo apparet, ad sua adhuc aenigmata

adsidere Sphingem, neque his omnibus suum adhuc repertum, qui solveret, Oedipum. Vide, quae alia de singulari hoc numo in moneta Alexandrina observavi Vol. IV. p. 90.

Numi commatis peregrini.

Sunt hujus generis in Volusiano, ut in patre Gallo.

Nomina.

Praeter obvia *C. Vibii Volusiani*, et additum in nonnullis Graecis *Treboniani*, in numis leguntur etiam haec:

IMP. C. V. AF. GAL. VEND. VOLVSIANO. AVG. in argenteis septem diversis musei Caesarei.

ΑΥΤΟΚ. Κ.Γ. ΑΦΙΝ. ΓΑΛ. ΟΥΕΝΔ. ΟΥΟΛΟΥϹϹΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. in duobus integerrimis Antiochenis musei Caesarei.

Α. Κ. Γ. ΑΦ. ΓΑΛ. Β. ΒΟΛΟΥϹΙΑΝΟϹ. ЄΤϹ. in Alexandrinis. (Mus. Caes. Theup. Arigoni.)

ΓΑ. ΒΙ. ΑΦ. ΓΑΛ... in numo Nicopolis Epiri cum solita aversa *Protomes Victoriae.* (Mus. C. de Vitzai.)

Haec nomina Vaillantius, usus interpunctione, quae opinioni suae adcommodatior est visa, sic explet: (Num. colon. sub Volus.)

VA*ndalicus*, F*innicus*, GAL*indicus*, VEND*enicus*.

Censet porro, Volusianum sic dictum ex victis Sarmatiae Europaeae populis, quorum aliqui teste Ptolemaeo a) dicebantur *Phinni*, *Galindae*, *Vendeni*. Iuvat hic contra Vaillantium haec confidenter enunciantem *ὡς ἐν παρόδῳ* animadvertere, demptis Finnis a Ptolemaeo hoc loco nullum ex laudatis Sarmatiae populis memorari. Ejus repudiata sententia Harduinus ea vocabula sic effert:

C. VA*lerius* F*innicus* GAL*lus* VIND*ex* b). Eruditi reliqui huic illive, ut visum fuit, adsensere, pauciora tamen suffragia abstulit Vaillantius, quoniam ex perpetuo more victarum gentium tituli non praecedere imperatoris nomen, sed consequi solebant; ad haec mirum iis visum, his elogiis gloriari unum filium, neque unquam patrem, cujus tamen verisimile in iis promerendis potiores fuisse partes.

Reperta serius marmora, quae in lucem dedit Muratorius c), eatenus Harduino contra Vaillantium favent, quatenus adfirmant, familiae esse nomina, non ex victis gentibus indita; nam Volusianum omnia appellant *C. Vibium Afinium* (alia *Affinium*) *Gallum Veldumnianum.* At prae reliquis insigne marmor, quod primus de eodem argumento disputans publici juris fecit Barthelemyus d) descriptum Romae in aedibus march. Rondanini, cujus initium propter nexum cum utriusque imperantis historia hic apponam:

IMP. CAES. C. VIBIO. TREBONIANO. GALLO. PIO. FELICI. A...
PONTIF. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. II. P. P. PROCOS.

---

a) Lib. III. c. 5. b) Hist. Aug. p. 841. c) Pag. 253. 2, 3, 4. d) Mem. B. L. Tom. XXVIII. p. 606.

IMP. CAES. C. VIBIO. AFINIO. GALLO. VELDVMNIANO. V. PIO. FELICI. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. IIII. COS. II. P. P....

Videmus adeo, omnia in his lapidibus contineri nomina, quae in numis, et ab his veram lectionem, et interpunctionis legem petendam. Suapte patet, το Bl. in laudato numo Vitzaiano positum esse pro OΥI., et significare *Vibius.*

At inquirendum modo, unde varia haec petita nomina. De nominibus *C. Vibii Galli* dicere nihil attinet, cum haec palam sint paterna. *Afinii* nomen verisimiliter tractum a matre, egregie Muratorius ex alio marmore [a]), et ex eodem Barthelemyus docent:

AFINIAE. M. F.
GEMINAE. BE
BIANAE. C. F.
VXORI
VIBII. GALLI. C. V.
VIBIVS. THVLLVS
PATRONI. VXORI.

An non nomen Afinii inditum Volusiano, et indicatus in hoc marmore Afiniae maritus Vibius Gallus velut digito monstrant, memoratum in hoc lapide Vibium Gallum esse ipsum C. Vibium Trebonianum Gallum subinde Augustum, ejus uxorem adhuc privati Afiniam, et ab hac pro ejus aetatis more datum nomen filio? Vtrum ab eadem matre, vel forte avia traxerit nomen *Veldumniani*, quem numi tam Latini, quam Graeci *Vendumnianum* appellant, incertum adhuc. Nomen adfine VELDVMNIMIVS continet marmor vetus Romanum monasterii S. Gregorii in monte Caelio, quod exstat in Dissertationib. cl. Odericii p. 304.

De trib. potestate.

Hanc expositam vide in tractatu singulari.

Pontifex maximus.

Geminatus uno tempore pontificatus maximus, veteri quidem instituto adversatur, sed hunc morem infractum jam a Balbino et Pupieno, mox a binis Philippis vidimus, atque deinceps exempla obvia videbimus.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei max. mod.	RRR.
Argentei ordinarii	C.
Aenei max. mod.	RRRR.

a) Pag. 670. 4.

Aenei I. et II. formae . . . . C.
Aenei III. formae . . . . O.

Commatis peregrini:

Vrbium liberarum et coloniarum . . . . . R.
Alexandrini . . . . RR.

AEMILIANVS.

Aemilius Aemilianus natione Maurus sub Treboniano Pannoniae praefectus, dum hic per socordiam imperii res corrumpit, infestos provinciae Gothos adortus magna edita strage viam relegere coegit. Ejus virtutis ergo a suis imperator in Moesia adclamatur, quod factum circiter exeunte Augusto V. C. 1006, ut verisimile esse dixi supra in trib. potestate Treboniani.

V. C. 1006. P. X. 253.
TR. P. P. M. P. P.

In Aemiliani per Moesiam et Pannoniam agniti imperatoris partes transeunt Aegeaei Ciliciae. Trebonianus ejus ad obsequium revocandi provinciam Valeriano mandat. (Vide supra in trib. potestate Treboniani.)

* * *

IMP. AEMILIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. I. P. P. *Imperator sacrificans, retro vexillum. In aliis alii typi.* AR. (Mus. Caes. Banduri.)

Eadem epigraphe.

P. M. TR. POT. P. P. S. C. *Imperator ad aram sacrificans.* AE. I. II. (Band.)

De utroque hoc numo agetur infra sub trib. potestate.

V. C. 1007. P. X. 254.
TR. P. II. P. M. P. P.

Italiam intrat bellum Treboniano facturus. A senatu primum hostis judicatur, mox Treboniano ac Volusiano apud Interamnam suorum proditione ad necem adactis ab utroque exercitu ac senatu imperator agnoscitur. Non multo post Valeriano adversum se legiones moventi obviam progressus ipse quoque a suis apud Spoletum interficitur aetatis anno XLVI. (Vide supra in Treboniani trib. potestate.) Victor prior eum morbo exstinctum refert.

Vxor verisimilis *Cornelia Supera*, de qua mox.

Numi Aemiliani reliqui.

A. IMP. AEMILIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. AE. I. II. III. radiatum in AV. AR. AE. II.*

B. IMP. CAES. AEMILIANVS. P. F. AVG. *Caput laureatum in AE. I. radiatum in AR. AE. II.*

C. IMP. CAES. AEMILIANVS. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

D. IMP. CAES. AEMILIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AE. I.*

E. IMP. M. AEMIL. AEMILIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AR.* (Banduri p. 94.)

F. IMP. CAES. C. IVL. AEMILIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Caput laureatum in AE. I.* (Banduri p. 96. 99.)

* * *

Vt lit. B.

AETERNITAS. AVGG. S. C. *Mulier stans d. globum, cui insistit phoenix.* AE. I. (Mus. Caes.)

Ex hoc et alio numo inscripto: CONCORDIA. AVGG. probatur, Aemiliano fuisse uxorem, ut dicetur infra in Corn. Supera.

Vt lit. A. et F.

APOL. CONSERVAT. *Apollo stans d. ramum, s. lyram.* AR. AE. I. (Banduri.)

De Apolline hoc aevo pestis causa eximie culto vide numos Treboniani.

Vt lit. A.

DIANAE. VICTRI. *Diana stans d. sagittam, s. arcum.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Hanc aversam in Treboniano primum observavimus. Verisimile, in communibus ejus aetatis malis observantiae in Apollinem causa conjunctam etiam sororem Dianam. Alioqui constat, in ludis saecularibus pro salute imperii celebrari solitis principes honores haberi Apollini et Dianae consuevisse. In insigni numo Valeriani utrumque numen eodem cultu conjungitur addito: CONSERVAT. AVGG.

Vt lit. E.

PAXS. AVG. *Mulier gradiens d. ramum, s. globum et hastam.* AR. (Band.)

Vt lit. A.

SPES. PVBLICA. S. C. *Spes gradiens.* AE. III. (Band.)

Memorabilis hic numus aeneus III. formae propter additum S. C. jam diu fere insuetum, ut supra in Decio ad hujus formae numos monui.

Vt lit. A. et B.

VOTIS. DECENNALIBVS. *intra coronam.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes. Band.)

Nomina.

Caii et *Marci* ejus fuere praenomina, si modo rite lecta est epigraphe partium adversarum, quas supra ex Bandurio recitavi. Etiam in Commodo et Geta exemplum habemus duplicis praenominis. Sed Caii praenomen in unico numo reperi, Marci obvium in numis Daciae et Viminacii.

Iulii nomen Bandurius in numo unico tantum ipse vidit; sed vereor, ne exesa eo loco epigraphe ex Goltzii numis refecta fuerit.

Aemilius Aemilianus. Ita eum vocat Victor prior, et consentiunt numi, quorum unum argenteum commatis Romani supra ex Bandurio adduxi. In numis Daciae et Viminacii frequenter: M. AEMIL. AEMILIANVS.

SAL. EMILIVM. EMILIANVM. CESAREM scribitur in numo Damasci apud Bandurium, in quo novum nomen SAL. forte *Sallustii.*

De consulatu et trib. potestate.

In tribus tantum, quod sciam, numis Aemiliani consulatus notatur. In uno ae-

neo: P. M. TR. P. COS. Eum dedit Mediobarbus ex museo Theupoli, sed in cujus catalogo typis vulgato is non reperitur. In alio apud Angellonium legitur: P. M. TR. P. IMP. COS. II. P. P. [a]) Sed suspectus est hic numus propter insertum alieno loco IMP., qui modus hujus aetatis non est. Tamen tertium aeneum I. formae vidit Taninius cum epigraphe: P. M. TR. P. COS. II. P. P. Aemilianum consulem reticent fasti.

Numi complures tribuniciam quoque potestatem memorant, et argentei quidem sic: P. M. TR. P. I. P. P. at aenei: P. M. TR. POT. P. P. S. C., quorum illi absque dubio extra urbem signati sunt, nam in aurum et argentum jus fuit imperatoribus, quo extra urbem usos etiam fuisse Vespasianum, Pescennium, Albinum Augustum, aliosque locis suis diximus. Opus provinciale arguit etiam scribendi modus TR. P. I., cujus in moneta Romae signata exemplum vix habemus. In argenteis quidem Severi legitur item COS. I. IMP. I., sed et hos constat mallei esse peregrini opus. Aenei certe Romam patriam jactant ob additum S. C., suntque haud dubie anni V. C. 1007, et signati, ex quo Aemilianus caeso Gallo senatum in potestate habuit.

Numi commatis peregrini.

Ex *urbibus liberis* solae Aegae Ciliciae, quod adhuc norimus, Aemiliano monetam dedicaverunt. Ejus binos dedit Vaillantius, de quibus agetur mox in Supera.

Coloniarum numos habemus provinciae Daciae, et Viminacii, qui minus rari, Dii Macedoniae, (Pellerin) Parii Mysiae, (Maffei Antiq. Gall. Pellerin.) Damasci. (Banduri.)

Alexandrini insigniter rari. Vnum citat Arigonius inscriptum L. A. Alterum Bandurius, sed a se non conspectum, ex schedis Vaillantii cum epigraphe L. B. [b]). De ejus fide subdubitat ipse, tamen et alius similis cum eodem anno editus est a Philippo de Venutis [c]), alius a cl. Zoega ex museo regis Gall. Difficile est, annum A cum historia componere; nam quo tempore in Alexandrinorum calculo Aemiliani annus I. fluxit, Aegyptii adhuc adhaesere Treboniano, quod docent hujus numi inscripti L. Γ., quae causa est, cur lubeat auctoritati Arigonii, qui unus hujus generis numum vulgavit, diffidere. Neque plus fidei videtur promereri numus Corn. Superae cum eodem anno, quem mox proponemus, quemque praeter Maffeium nemo alius adhuc vidit.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRRR.
Argentei	C.
Aenei I. formae	R.

a) Hist. Aug. p. 257. b) Pag. 545 in Addendis. c) Duoden. nomism. exposit. Liburni.

Aenei II. formae . . . . RRR.
Aenei III. formae . . . . RRRR.
Commatis peregrini, ut continuo dictum.

C. CORNELIA SVPERA.

Haec Augusta ex solis numis cognita. Quacunque erga maritum fide fuit, necesse est, saepe fuisse adulteram, si antiquariorum de ea judicia valent. Tristanus, qui primus ejus numum edidit, et post eum Vaillantius, atque ut videtur, etiam Pellerinius [a]), aliique Valeriano juniori eam junxere. Vero proxima adferunt, quibus Aemilianus maritus praeplacet, ut continuo ad numos commatis peregrini observabimus.

Numi commatis Romani.

C. COR. *vel* CORN. *vel* CORNEL. SVPERA. AVG. *Ejus caput lunae impositum.*
CONCORDIA. AVG. *Mulier sedens d. pateram, s. cornucopiae.* AR. (Theup.)
Similis adversa.
IVNO. REGINA. *Dea stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus pavo.* AR. (Vaill.)
Similis adversa.
VENVS. VICTRIX. *Eadem stans.* AR. (Theup.)
Similis adversa.
VESTA. *Dea sedens d. Palladium, s. hastam.* AR. (Vaill.) In aliis: *Dea stans d. pateram, s. hastam transversam.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

Numi commatis peregrini.

Cum ex his uberius colligi possit, cujus uxor Supera fuerit, operae pretium, eos curatius describere, utque appareat, quod mox probare satagam, eam Aemiliano fuisse conjunctam, juvat una miscere Aemiliani numos proposito servientes,

Γ. ΚΟΡ ... ϹΟΥΠΕΡ ... *Ejus caput super luna.*
ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΝΕΩΚ. ΝΑΤΑΡ. ΘϘϹ. *Templum distylum, intra quod aquila, infra capra decumbens.* AE. I.

Numi hujus a rusticis prope Puteolos reperti typum eruditus quidam Neapolitanus cl. Baldinio Romam miserat addita dissertatione epistolari 1751.

ΑΤΤ.ΑΙΜΙΛΙΟϹ.ΑΙΜΙΛΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. *Caput Aemiliani laureatum.*
ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΝΕΩΚ. ΝΑΤΑΡ. ΘϘϹ. *in duobus numis, in quorum uno Aesculapius intra templum, in alio Minerva hastam vibrans inter duas capras.* AE. I. (Vaill.)
ΓΝ. ΚΟΡ. ϹΟΤΠΕΡΗΝ. ϹΕΒΑ. *Hujus caput.*
ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Aesculapius stans.* AE. II. (Sestini Lettere T. IV. p. 109.)
C. CORNE. SVPER . . AVG. *Ejus caput.*
C. G. H. I. P. *Capricornus globum pedi-*

a) Mel. I. p. 339.

bus stringens, *superne cornucopiae*. AE. II. (Pellerin Rec. I. p. XXI.)

IMP. M. AEM. AEMILIANO. *Caput laureatum.*

C. G. H. I. P. *Idem typus*. AE. II. (Pellerin Mel. I. p. 326.)

Est uterque hic numus coloniae Parianae Mysiae.

ΓΑΙ. ΚΟΡ. ϹΟΥΠΕΡΗΝ. ϹΕ. *Ejus caput.*

ΑΡΧ. ΤΟ. Β. ΦΕΙΛΟΤΕΙΜΩ. ΙΟΥΛΙΕΩΝ. *Pallas sedens*. AE. II.

Hoc modo legendus hic Vaillantii et Haymii numus sic praecipiente Pellerinio. (Rec. I. p. XXI. et Mel. II. p. 231.) In Haymiano et Pelleriniano est *Cybele sedens*.

Alexandrinum cum L. A. et typo *Monetae* obiter citat Maffeius. (Veron. ill. P. III. pag. 268.)

Ex his insigniores sunt numi Aegarum Ciliciae propter adstitutum epochae annum ΘϞϹ, 299. Coepit hujus urbis aera in autumno V. C. 707, non in vere, ut contra Vaillantium in Aegarum moneta disputavi. Ergo numi hoc epochae anno insignes cusi sunt ab autumno V. C. 1005 usque ad autumnum 1006. Ex hoc calculo jam ruit sententia eorum, qui Superam Valeriano jun. sociaverunt, cum toto hoc adhuc tempore Trebonianus, ut supra in hujus trib. potestate prolixe disputavi, imperium tenuerit, intruso inter haec in Dacia Aemiliano. Quod si etiam demus, quae fuit aliorum sententia, Trebonianum jam caesum in Majo vel Iunio V. C. 1006, tamen neque tum Valerianum jun. Superae thalamis idoneum habebimus, cum post Trebonianum aliquot mensibus principatum in urbe tenuerit Aemilianus, ac nonnisi hoc caeso Valerianus senior per totum imperium agnitus fuerit Augustus, quod cum fiebat, jam fere effluxit annus Aegarum 299, ut adeo tum uxori ejus, cujus ne quidem pater adhuc quiete imperavit, feriri ab Aegeaeis moneta non potuerit. Ex quo patet, quanto molestius hoc calculo impediantur ii, qui cum Vaillantio epocham cum vere ordiuntur; nullo enim pacto initium imperii Valeriani intra hujus Aegeaeorum anni limites redigent, etsi is jam anno V. C. 1006 ad imperium pervenisse statuatur. Ceterum omnis haec disputatio supervacanea est, si, quod in Salonino evincere conabor, statuatur, Valerianum jun. neque Caesarem unquam fuisse, neque Augustum. Quod si verum, neque conjugi patet Augustae titulum fuisse collatum.

Restant igitur Superae proci Trebonianus et Aemilianus, hic, quoniam idem Aegeaeorum annus tam suis, quam Superae numis inscriptus est, ille, quoniam idem hic annus in ejus imperium cadit. Verum Trebonianus nihil habet, quod sibi prae Aemiliano faveat; quin ut supra in Volusiani nominibus commemoravi, ejus certam fere habemus uxorem Afiniam, nisi hac mortua ad alteras nuptias transivisse dicatur. Aemilianum juvant numi Aegarum, quos habemus cum capite tam illius, quam Superae, quin exstent ulli cum capite aut Treboniani, aut Volusiani, ex quo conjici potest, Aegeaeos fuisse Aemiliano ex quacunque causa devotos, et audita illius ad imperium adclamatione mox ejus, et uxoris nomine monetam feriisse. Idem persuadent laudati supra numi coloniae Parii cum utriusque rursum capi-

te, et eadem aversa, cum tamen praecedentis imperii nullos hujus coloniae numos habeamus. Reprehendendus hoc loco ingens Khellii lapsus [a]), qui persuadere sibi non potest, fuisse Superam Aemiliani uxorem saltem ex hoc Aegeaeo Superae numo, quoniam brevius fuit ejus imperium, quam ut a remotis his Cilicibus intelligi potuisset, fuisse eum adclamatum imperatorem, et mox feriri numus. Animum non advertit vir eruditus ad citatos binos Aemiliani numos Aegeaeos cum eodem epochae anno. Ceterum fuisse Aemiliano uxorem, quo tempore imperavit, ex ipsis etiam numis Latinis ejus Augusti: AETERNITAS. AVGG. — CONCORDIA. AVGG. non obscure colligitur. Nam socium imperii saltem sibi agnitum non habuit: ergo vocabulo AVGG. intelligi alius non potest, quam Aemilianus, et uxor Augusta.

Verum ejus praenomen *Caiae* ex numis Latinis, et Iuliensium Phrygiae tam Haymii, quam Pellerinii stabilitur, at Vaillantius et Sestinius oblato ex numis suis ΓΝ. *Cneam* faciunt.

PRETIVM.

Istud facile colligitur ex recitatis ejus numis, nam alii praeterea ad hoc usque tempus cogniti non sunt.

VALERIANVS.

P. Licinius Valerianus natus nobili genere patre Valerio. Post obitos varios magistratus consul fuit saltem anno V. C. 990. Nam anno sequente, quo Gordiani duo in Africa Augusti dicti sunt, ab his Valerianus consularis Romam missus dicitur a Zosimo. At praeclarum senatus de eo judicium tum maxime patuit, quando Decio veterem ac diu intermissam censuram revocante, et censorem a patribus postulante communibus horum suffragiis gravissimo huic muneri unus idoneus habitus est [b]). V. C. 1006 Aemiliano in Moesia imperium arripiente datum Valeriano negotium a Treboniano, ut perduellem armis ad obsequium revocaret. Et magnum jam quidem exercitum in Rhaetia et Norico contraxerat; verum audito, Aemilianum jam viam in Italiam praecepisse, sive desperata ignavi Treboniani salute Augusti ipse titulum capit, de qua ratione et ordine rerum ac temporis vide, quae supra in trib. potestate Treboniani disputavi.

V. C. 1006. P. X. 253.
TR. P. COS. DES. II. P. M. P. P.
C. Vib. Volusiano Aug. II., M. Valerio Max. cos.

---

a) Subplem. ad Vaill. p. 188. b) Trebell. in Valeriano.

Cum Augusti titulo trib. sibi potestatem arrogat, et sese in annum sequentem consulem designat. Filium Gallienum participem imperii facit. Aemilianus bellum in Trebonianum, ipse in Aemilianum apparat.

Desunt numi certi ad residuam hujus anni partem pertinentes.

V. C. 1007. P. X. 254.
TR. P. II. COS. II. DES. III. P. M. P. P.
Valeriano Aug. II., Gallieno Aug. cos.

Bellum adversus Aemilianum fervet. Hoc Spoleti seu suorum fraude, seu morbo exstincto Valerianus et Gallienus Augusti, et hujus anni consules agnoscuntur. (V. dicta supra in trib. pot. Treboniani.)

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS. AVG. *Caput radiatum.*
P. M. TR. P. II. COS. II. P. P. *Iuppiter stans, aliive typi.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator ad aram sacrificans.* AR. (Mus. Caes.)

Omissus in hoc numo consulatus numerus, quod hac aetate frequenter.

V. C. 1008. P. X. 255.
TR. P. III. COS. III. P. M. P. P.
Valeriano Aug. III. Gallieno Aug. II. cos.

Barbaris undique imperii latera fodicantibus Europaeos exercitus filio tradit, ipse bellum Persicum apparat. (Zosim.)

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS. AVG. *Caput radiatum.*
P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *Imperator sedens d. globum, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Idem typus, sed imperator stans.* AR. (Band.)

Omissus iterum consulatus numerus.

V. C. 1009. P. X. 256.
TR. P. IV. COS. III. DES. IV. P. M. P. P.
Val. Maximo II., Glabrione cos.

Franci et Alemanni Gallias, Gothi, Carpi, Borani Illyricum, atque ipsam Italiam infestant. Hinc perpetua bellorum series.

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*
P. M. TR. IIII. COS. III. P. P. *Sol gradiens d. elata, s. flagellum.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 1010. P. X. 257.
TR. P. V. COS. IV. P. M. P. P.
Valeriano Aug. IV., Gallieno Aug. III. cos.

Bellum praeter alia in Illyrico et Thracia duce Aureliano, de quo vide Tillemontium ad hunc annum.

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*
P. M. TR. P. IIII. COS. IIII. P. P. *Sol gradiens.* AR. (Band.)

Numus hic, si modo rite promulgatus, per trib. potestatem ad annum priorem, per consulatum ad praesentem pertinet. Sed de his dubiis agetur infra sub trib. potestate.

Eadem adversa.

P. M. TR. P. V. COS. IIII. P. P. *typis variis.* AR. (Mus. Caes.) AE. II. (Band.)

V. C. 1011. P. X. 258.
TR. P. VI. COS. IV. P. M. P. P.
Memmio Tusco, Basso cos.

Valerianus adversus Saporem proficiscitur, qui capta jam omni fere Mesopotamia Antiochiam ipsam ferro atque igne populatus est. (Vide Tillemontium.)

Desunt certi hujus anni numi.

V. C. 1012. P. X. 259.
TR. P. VII. COS. IV. P. M. P. P.
Aemiliano, Basso cos.

Bellum Valeriani cum Persis, ejusque ducum cum Scythis Bithyniam, Moesiam, Thraciam atrociter vexantibus. (V. ibidem.)

IMP. VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*
VICT. PART. *vel* PARTHICA. *Victoria stans d. clypeum, s. lauream, pro pedibus captivus sedens.* AR. (Mus. Caes. Band.)

Hic numus ad annum praesentem commode videtur referendus; nam sub Valeriani in Syriam adventum satis prospera omnia, recepta Antiochia, caesus a suis Cyriades princeps hujus belli causa, quique ipsum Augusti honorem attentavit.

V. C. 1013. P. X. 260.
TR. P. VIII. COS. IV. P. M. P. P.
Cornelio Seculare II., Iunio Donato cos.

Hoc anno, ut plerisque visum, Valerianus a Persis capitur. (V. infra in terminis imperii.)

Ad ejus aetatis opprobria, qua opulentissimae imperii provinciae barbaris impune in praedam cessere, Italia ipsa eorum vexationibus patuit, accessit extremum, quo nullum adhuc Romano nomini funestius, imperator ipse extra imperii fines apud barbaros captivus. Quam indignis in ea captivitate modis sit habitus, ductus in triumphi morem per urbes amictus imperii insignibus, et onustus catenis, functusque scabelli vice, cum conscendere equum pararet Sapor, ex plurium testimoniis colligit Tillemontius. Inter tot tantasque injurias et fortunam calamitosam verisimile est, nihil aeque doluisse misero, quam quod filium reliquerat successorem rectoremque imperii, quem paterni casus, tanquam haec ad filium non pertinerent, nulla tangebat miseratio, neque, cum per oblata omnium provinciarum auxilia posset, ut patris dedecus ultum iret, eumque vinculis eximeret, permoveri ullo pacto poterat. Quot annos in eo statu duraverit, incertum. Tandem excoriatum vivum tradit Agathias, (alii istud post mortem factum perhibent) ejusque infelices exuvias ex templi tholo suspensas, ut essent terrori illis, qui hactenus terrarum orbem terrore compleverunt. Fuit judicio Trebellii vir summarum virtutum, quique jure meritorum, et quasi ex totius orbis una sententia supremum fastigium conscenderat, at Victori stolidus, multumque iners dictus est. Crediderim, hac tempestate aut magis prolapsam rem Romanam, aut majores fuisse barbarorum vires, quam ut adversum haec mala remedium

principi, nisi quem fortuna omnibus ornasset imperandi subsidiis, in proclivi fuisset. Eum a Gallieno, sed ad hoc obsequium coacto inter divos fuisse relatum tradit Trebellius, et quidem cum in vivis adhuc esset; nam nuncius de ejus morte falsus denique compertus est, quod testimonium confirmant numi, sed, quod observare necesse, solum Goltziani.

Vxores. Harum binas fuisse Valeriano, diserte docet Trebellius, qui alterum ejus filium Valerianum, alia, quam Gallienum matre natum adfirmat [a]). Earum unam fuisse *Marinianam*, verisimile est, ut infra dicetur, eamque tori posterioris, ex quo editus Valerianus junior, eo colligitur, quod *divae* nomen passim in numis praefert, unde probabile, eam tum mortuam, cum Augusti uxor jam esset, atque in hoc fastigio coelestes honores adeptam. Quod fuerit priori nomen, et scriptores, et numi dicere neglexere. Conjicere subit, fuisse dictam *Gallienam*, a qua nomen filio, ut Domitiano a matre Domitia, Herennio Etrusco ab Herennia Etruscilla. Trebellius, quo loco narrat, Gallieni filium a multis dici Gallienum, a multis Saloninum, addit: *qui autem Gallienum, patris nomine cognominatum, et avi Gallieni summi quondam in rep. viri* [b]): quod interpretor: *et ejus, qui fuit avus maternus Gallieni Augusti*, et quod consequitur, abavus Salonini; nam secus genealogia non cohaeret. Ergo verisimile, a Gallieno illo vetere vocatam filiam Gallienam, priorem Valeriani uxorem, ab hac filium Gallienum Augustum. Gallienae nomen habemus in famigerato numo aureo, quem infra in Gallieni numis contemplabimur, et Gallienam Gallieni consobrinam memorat Trebellius in tyranno Celso. Verisimile quoque est, eidem mulieri alterum nomen fuisse *Egnatiae*, ut infra in nominibus Gallieni dicetur. Si verum dixit Trebellius, qui agens de Gallieno ejus *fratrum* filios memorat [c]); necesse est, Valeriano praeter Gallienum et Valerianum jun. saltem unum adhuc fuisse filium.

Desunt certi postremi hujus anni numi.

Numi vagi:

A. IMP. C. (*in aliis* CAES.) P. LIC. VALERIANVS. AVG. *Caput radiatum in AV. AR., laureatum in AV. AE. I. II. et max. mod.*

B. IMP. C. P. LIC. VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput laureatum in AV. AR. m. m. AE. m. m. AE. I. II. radiatum in AR. ordinariis et AE. II.*

C. IMP. VALERIANVS. AVG. *Caput radiatum in AR. AE. II.*

D. IMP. VALERIANVS. P. AVG. (*in aliis* PIVS. AVG.) *Caput radiatum in AR.*

E. VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AR.*

F. IMP. P. LIC. VALERIANO. AVG. *Caput radiatum in AR.*

G. IMP. VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AR.*

---

a) in Valeriano jun. b) in Salonino c. 1. c) in Gallieno c. 11.

H. CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Capita adversa laureata Valeriani et Gallieni, in AR. m. m. item AE. m. m. I. et II.*

I. PIETAS. AVGVSTORVM. *Eadem capita in AR. et AE. m. m.* (Baldini.) nisi forte numi sic inscripti sunt potius Treboniani, ut mox in ADVENTVS observabimus.

* * *

PIETAS. AVGVSTORVM. *Duo capita adversa laureata.*

ADVENTVS. AVGVSTORVM. *Impp. duo laureati equites pacificatoris habitu, praecedit Victoria d. lauream praetendens, sequuntur milites duo cum aquilis legionariis, pone alter cum vexillo.* AE. m. m. (Mus. Albani.)

Cl. Venutus musei Albani editor in binis his capitibus Valerianum et Gallienum agnoscit. Verum eadem omnino aversa est in numo certo Treboniani, quem descripsi ad V. C. 1005, quo loco dixi, quam sit arduum definire capita, quando ea non suis nominibus, sed inscriptione vaga CONCORDIA, vel PIETAS. AVGVSTORVM notantur, et vultuum lineamenta in hujus aevi numis satis ambigua, praecipue cum eos aetas rosit, minus commode possunt discerni. Ex quo sequitur, in numos similes etiam Treboniano et Volusiano jus esse posse. Nihil decido, nam video, in numis frequentibus, qui potiora habent pro Valeriano suffragia, simillimam esse aversam.

* * *

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Caput puerile nudum a dexteris, eique adversum virile barbatum laureatum.*

ADVENTVS. AVGG. *Tres equites Augusti pacificatoris habitu, praecedit Victoria, comitantur milites cum signis suis, in imo duo captivi sedentes.* AE. m. m. (Buonarroti Osserv. p. 329.)

Similis adversa.

ADVENTVS. AVGG. *Duo equites Augusti, reliqua ut in praecedente, sed sine captivis.* AE. m. m. (Mus. Pisani tab. 68.)

In explicando numo priore multum sese torsit eximius Buonarrotius, dum denique adfirmare se posse crederet, caput puerile esse Salonini, adversum alterum patris Gallieni, signatumque hunc numum, quando Valerianus in Rhaetia adclamatus imperator primum urbem intravit. Sin istud, tres equites partis aversae erunt Valerianus senior, Gallienus, et Saloninus. At Mazzolenus caput juvenile numi alterius Pisaniani adserit esse Valeriani junioris, alterum barbatum fratris Gallieni, melius, me judice, cum Buonarrotio Saloninum dixisset. Satis ex his apparet, quam in hujus generis numis omnia sint incerta et fluctuantia. Caput filii parte dextera, nobiliore adeo loco constitutum legem arguit novam, et superiori aevo ignotam. Monendum Buonarrotiano similem jam ex Vaillantio esse cognitum, sed qui eum inique, ut videtur, Philippis tribuit [a]), ut jam in horum moneta observavi. Adeo viri artis nostrae peritissimi in distribuendis rite his numis dissensere.

a) Num. praest. p. 187. ed Rom.

* * *

Vt lit. A.

AETERNITAS. AVGG. *Sol togatus capite radiato gradiens d. elata, s. globum.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

AETERNITATI. AVGG. *Sol rejecto post tergum palliolo stans d. elata, s. globum.* AR. (Mus. Caes.)

Aeternitatem typo Solis adumbrari jam alias vidimus, sed istud singulare, quod togatus proponitur in numo ex his binis priore.

Vi lit. A.

AETERNITATI. AVGG. *Vir barbatus velatus et togatus stans s. harpam tenet.* AR. (Mus. Caes.)

Novus hic aeternitatis typus in numis Valeriani, tum et Gallieni, at magis reconditus et eruditus. Bandurius id, quod figura manu tenet, acrostolium dixit [a]), quod tamen luculenta harpa est, seu falx, qualis heroi Perseo in monumentis veteribus tribui solet. Taninius hac in imagine Plutonem agnovit. Ista praesentis numi effigie intelligendum Saturnum ut dubitari non potest, sic tamen propter virorum insignium iteratos lapsus necesse video copiosius comprobare. Saturni certa indicia faciunt harpa, barba, velum capiti inductum, eique imminens globus. Harpa et barba nunquam ab ejus imaginibus absunt. Harpae causa in vulgus cognita, qua vindice patrem Vranum generationi ineptum reddidit, quod liquido demonstrat Hesiodus [b]). Praeter hanc Romani aliam falcis causam dedere. Hos inter ait Varro teste D. Augustino [c]): *Saturnus falcem habet propter agriculturam.* Macrobius [d]): *Simulacrum ejus indicio est, cui falcem insigne messis adjecit. Huic deo insertiones surculorum pomorumque educationes, et omnium ejuscemodi fertilium tribuunt disciplinas.* Cyprianus [e]): *Rusticitatis hic cultor fuit; inde falcem ferens pingitur.* Atqui ipse deus de se praedicat apud Prudentium [f]):

Vitibus incurvum, si qua est ea cura, putandis
Procudam chalybem.

Quae quidem testimonia praeclare stabilit marmor apud Sponium [g]): DEO. ARVALO. SATVRNO, si modo sincerum illud praestare velimus, nimirum quod is *arvorum* cultum docuisset, a quo adeo dictus est perinde *Arvalus*, atque fratres *Arvales.* Raro abest velum, huic deo judice Winkelmanno sic proprium, ut adserere non dubitet, caput velatum in diis nostri sexus haberi posse pro signo διακριτικῳ Saturni [h]). Martiano Capellae dicitur *glauco amictu tectus caput* in concilium deorum intrasse [i]). Additum forte velum ad exprimendam ejus dei naturam, quod ἀγκυλομήτης passim a poetis dicitur, id est: *dolosa consilia mente agitans.* Globus tum tantum ejus capiti imponitur, cum Saturnus planeta intelligitur.

Certam ejus dei effigiem habes in monumentis sequentibus magis conspicuis.

---

a) Pag. 104. b) Theog. v. 173. seq. c) de Civ. Dei L. VII. c. 19. d) Saturn. L. I. c. 7. e) de idol. van. sub init. f) in Symmach. L. I. v. 49. g) Misc. p. 145. h) Mon. ant. p. 13. i) de Nupt. L. I. c. 17.

Caput barbatum velatum prominente pone harpa imposito superne globo, in jaspide sanguinea, edita in Mem. Acad. inscr. T. I. p. 279. Simili cultu comparet in numo Alexandrino Antonini Pii, quem eleganter explicat Barthelemyus [a]). In alio ejusdem Augusti Alexandrino stat palliatus velatus cum globo supra caput s. harpam, d. crocodilum, nempe ut aliquid haberet Aegyptii [b]). Caput, quod jaspidi insculptum dixi, Gallandus adseruit esse Plutonis, at quod mirere, Montfauconius M. Aurelii. Quam mira et absurda in eo viderit Baudelotius, piget referre. In denariis gentium Neriae et Noniae habetur caput nudum addita pone harpa. Quam inconcinne Vaillantius et Havercampus illud esse Ditis adfirmaverint, in eorum examine dixi, restituto, ut oportebat, Saturno, et stabilita causa, propter quam his denariis est illatus. In marmore anaglypho apud Sponium [c]) exstat caput barbatum velatum adstituta harpa, sed quam Sponius invitam inter Solis attributa retulit. Harpa armatus comparet Saturnus in choro septem deorum planetarum, a quibus hebdomadae dies nomina sua sunt mutuati, quos propositos habes in Picturis Herculanensibus [d]), et in Theca regia calamaria, a Iacobo Martorello toto eruditionis nisu explicata. Denique complures Saturni effigies ad memoratum supra morem exactas reperies apud Winkelmannum [e]).

Animadvertendum hoc loco praeterea, Saturni harpam in melioribus antiquitatis monumentis formatam esse instar harpae, quae Perseo heroi tribuitur, in binas cuspides exeuntis, quarum una curvatur; rarius habet formam cultri simplicis brevioris, sed hujus quoque curvata cuspide. Minus ad veterem formam exacta est falx in numo Heracleae cum capite Elagabali, quem vulgavit Patinus [f]), in quo fingitur Saturnus alatus gradiens, et utraque manu tenens falcem oblongo manubrio praefixam ejus plane formae, qua hodie messores ruri opus facere videmus. Enimvero cum ex praecepto Virgilii oporteat vinitorem *curvo Saturni dente* adtondere vitem [g]), intelligimus, hanc falcem fuisse ejus naturae, ut una manu facile regeretur. In argenteo, quem edidit Morellius inter incertos, quos familiarum numis in fine adjecit [h]), capiti Saturni oblongior ejusdem formae falx adstituitur, item in gemmis apud Mariettum [i]), et alia apud abbatem Braccium [k]). Verum haec monumenta, etsi antiqua demus, recentioris sunt aevi, et forte horum pleraque artis modernae. In denariis gentium Memmiae et Serviliae Caepionum Saturni harpa est instar cultri incurvi serrati, seu dentati. Videtur haec forma omnium vetustissima. Iam enim Hesiodus eam dixit καρχαρόδοντα, id est: falcem *asperis dentibus* [l]). Quae causa fuerit, cur Nicander horrentem perniciosis dentibus hippopotami maxillam harpae adsimilat [m]):

a) B. L. T. XLI. p. 501. b) Mus. Borg. p. 169. c) Miscell. p. 3. d) Tom. III. tab. 50. e) Stosch Pierr. grav. p. 33. f) Num. impp. p. 266. g) Georg. II. 406. h) Tab. IV. lit. L. i) Part. II. n. 2. 3. k) de ant. scalptorib. p. 153. l) Theog. v. 175. m) Theriac. v. 566.

Η ἱππου, τον Νειλος ὑπερ Σαιν αἰθαλοεσσαν
Βοσκει, ἀρουρησιν δε κακην ἐπιβαλλεται ἁρπην.

Aut equi, quem Nilus supra Sain ardentem
Pascit, arvis vero exitialem injicit harpam,

observante ad hos versus scholiasta: ἁρπη δε σημαινει μεν δρεπανην, νυν δε τους ὀδοντας λεγει, *harpa quidem falcem significat, sed hoc loco intelligit dentes.* Atque haec quidem ad cognoscendas veras Saturni imagines non inutiliter credo esse disputata.

Iam vero qua ratione Saturnus cum epigraphe *Aeternitas* connectatur, inquirendum. Solitum aeternitatis symbolum veteribus fuisse habitum solem, alias vidimus. Saturnum eundem fuisse cum sole, docebit Macrobius [a]): *Saturnus ipse, qui auctor est temporum, et ideo a Graecis immutata litera* Κρονος *quasi* Χρονος *vocatur, quid aliud nisi sol intelligendus est?* Idem alibi prolixe docet, Saturnum esse idem, quod tempus, et omnis generationis auctorem [b]). Ex Graecis Euripides *tempus* eleganter vocat *Saturni filium*, αἰων τε Κρονου παις [c]), et ne desint frigida, Lucilius apud Ciceronem dictum *Saturnum* putat, quia *saturetur* annis [d]). Vnde et exclamat Libanius [e]): Κρονε, πατηρ ἐνιαυτου και μηνων, *Saturne pater anni et mensium.* Cum ergo aeternitas componatur ex tempore sibi perpetuo succedente, videmus, ad eandem notandam jure adhiberi Saturnum.

Et vero hic ejus typus tanto est opportunior, quia qui aureae in Latio aetatis conditor ferebatur, auream quoque aeternitatem praestare potuit.

* * *

Vt lit. A.

BONAE. FORTVNAE. *Fortuna stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.* AR. (Vaill.)

Bona Fortuna, Graecis Αγαθη Τυχη. Ea geminum Romae templum habuit, unum in foro boario conditum a Servio Tullo teste Dionysio Halic., alterum in Curia Hostilia aedificatum a M. Lepido in gratiam Caesaris teste Dione.

* * *

Vt lit. B.

CONCORDIA. IIII. EXERCIT. S. C. *Mulier stans d. pateram, s. cornucopiae.* AE. I. (Tanini.)

In filio Gallieno legitur: CONCORDIA. EXERC. VIII. Vide, quae de incerto similium numorum sensu infra ad legiones Gallieni notabo.

* * *

Vt lit. A.

CONSERVAT. AVGG. *Apollo nudus stans d. ramum, s. lyrae innixus, adstat Diana succincta d. telum ex pharetra promens, s. arcum.* AR. (Mus. Caes.)

Cogniti numi, qui cum hac epigraphe Apollinem solum exhibent, sed nondum cognitus, qui sororem Dianam sociasset. Rationem utriusque hoc aevo praecipue culti attuli in Aemiliano. Praeclare ad hunc numum observat Khellius, ut tristes Niobes casus, ita et gravem tum pestilentiam utriusque irae fuisse tributam.

---

a) Saturn. L. I. c. 22. b) Ibid. L. I. c. 8. c) Heraclid. v. 900. d) Nat. deor. L. II. c. 25. e) Orat. VIII. T. II. p. 249.

* * *

Vt lit. E.

DEO. VOLKANO. *Templum quatuor columnarum, in quo Vulcanus stans ante incudem d. malleum, s. forcipem tenet.* AR. (Mus. Caes.)

Inter deos, quos propter ejus aetatis mala a Romanis fuisse invocatos ex Valeriani, ac praecipue Gallieni numis novimus, etiam fuisse Vulcanum, hic numus docet, atque istud tanto aptius saeviente tum peste, quod ignis, qui idem cum Vulcano habitus, aerem corruptum purificat. Auctore Plutarcho [a]) jam Romulus templum Vulcano posuit, sed extra urbem. Plures is causas in medium profert, propter quas placuerit regi, Vulcanum urbe excludere. Inter incertas alias hanc quoque lectoris arbitrio permittit: cum videret Romulus, jam inde a principio Romam incendiis vastari, censuisse, honorandum quidem deum, sed a moenibus arcendum. Ex simili causa Aesculapii templum extra urbem fecere Romani, tam scilicet perniciosa credita arte medica, quam igne [b]). Neque tamen Romulus magnopere qualicunque hoc Vulcani cultu urbi suae providit. Non aliam magis urbem tantum incendiis fuisse adflictam legimus cum strage non privatarum modo aedium, sed et publicarum, quales fuere circi, basilicae, templa, curiae, quas operis firma compages adversum flammarum furias tueri debuerat. Conflagravit templum Capitolinum V. C. 671, temporibus Sullanis, iterum V. C. 822 turbis Vitellianis, atque ita, ut nova substructioni fundamenta essent agenda [c]). Vixdum revixit urgente Vespasiano, arsit iterum paucos post annos imperante Tito ipsis columnis flammarum rabie ita vitiatis, ut cogeretur restitutor Domitianus novas magno sumptu comparare ex Attica advectas [d]). Non memini, in causas tantae ruinae, quae olim urbium reginam non minus, atque hodie male materiata Poloniae Russiaeve oppida adflixit, ab erudito quopiam data opera fuisse inquisitum. Quam Bianconus causam inducit circorum et amphitheatrorum ignis vehementia corruptorum, plane infirma est [e]). Aptius malum istud Scipio Maffeius in superimpositas amphitheatris contignationes ligneas confert [f]). At constat etiam, praestantissimis Romae veteris aedificiis saepe nimium materiae fuisse adjectum. De Vitelliano templi Capitolini incendio Tacitus [g]): *mox sustinentes fastigium aquilae, vetere ligno, traxerunt flammam, alueruntque*, praescribente etiam ipso Vitruvio [h]): *in araeostylis autem nec lapideis, nec marmoreis epistyliis uti datur, sed imponendae de materia trabes perpetuae.* Haec de Roma vetere. Roma moderna etiam ejecto Vulcano haec funera ignorat, peritioribus, ut existimo, hac parte architectis nostris, certe cautioribus, ac forte etiam ob repetitas has calamitates aevi sui architectis iratior Martialis dixit [i]):

Si duri puer ingeni videtur,
Praeconem facias, vel architectum.

---

a) Quaest. Rom. 44. b) Plin. L. XXIX. §. 8. c) Tacit. hist. III. 72. IV. 53. d) Plut. in Poplic. p. 105. A. e) Descriz. dei Circi p. XXX. f) degli Amfiteatr. L. II. c. 12. g) Hist. L. III. 71. h) L. III. 2. i) L. V. ep. 57.

Sane si quis hodie existeret Herostratus, qui cuperet magnificentissimam Romae D. Petri basilicam flammis abolere, modum, quo facinus patrare posset, non reperiret.

* * *

Vt lit. C. et D.

GALLIENVS. CVM. EXER. SVO. *Basis cum epigraphe* IOVI. VICTORI, *cui insistit Iuppiter d. fulmen, s. hastam.* AR. (Band.)

Cum hoc conjungo numum Gallieni:

IMP. GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

IOVI. VICTORI. *Basis cum epigraphe* IMP. CES., *cui insistit Iuppiter d. fulmen, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Dictum supra, Valerianum, cum ipse Orientis rebus animum adverteret, Gallieno exercitus Europaeos commisisse. Igitur Gallienus relata victoria quapiam, quam sese debere Iovi profiteri voluit, statuam huic deo *Victori* exercitu vota jungente gratus posuit. Docente priore numo intelligimus, epigraphen alterius IMP. CES. legendam: IMP*erator* (Gallienus) *Cum* E*xercitu* S*uo*, ut jam advertit Bandurius.

* * *

Vt lit. B.

GERMANICVS. MAX. TER. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Band.)

Numum hunc propter additum TER. omnibus elogiis ornat Bandurius, additque, non exstare alterius imperatoris numum sic inscriptum. Tamen eadem plane aversa est in numo Gallieni musei Caesarei. Vterque igitur Augustus ob victorias a Gallieno de Germanis relatas se vocat *Germanicum Maximum*, et quidem *ter* ob relatas trinas. Infra videbimus, Gallienum se vocare *Germanicum Max. V*, nempe *quintum*. Plura Gallienus exempla suppeditabit, fuisse hac aetate victorias numeratas, velut quondam ex victoriarum numero auctus imperatoris titulus.

* * *

Vt lit. A.

IOVI. PACATORI. ORBIS. *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastae innixus, pro pedibus aquila.* AR. (Band.)

Epigraphe nova, et mirum, huc adactum Iovis *pacatoris orbis* titulum ea tempestate, qua totus orbis ingenti omnium populorum motu quatiebatur. At enim aliorsum satis constat, numorum typos saepe a votis publicis fuisse imperatos.

* * *

Antica varia.

LIBERALITAS. AVGG. *addito etiam* I. *vel* III. *Typi varii Liberalitatis.* AV. AR. AE. I. II. (Band. Mus. Caes.)

PIETAS. AVGVSTORVM. *Capita adversa laureata Valeriani et Gallieni.*

MONETA. AVGG. *Tres Monetae stantes.* AR. m. m. (Mus. Albani.)

Vt lit. B.

PONTIFF. *(sic)* MAX. TRI. P. P. P. *Quadrigae triumphales cum rectore, quibus insistit aversa Victoria, quae Valerianum pone currum stantem porrecta dextera, ut eum conscenderet, hortatur, dum interim Mars in aere libratus idem beneficium Gallieno offert, humi duo captivi sedentes.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Non licuisset ex numo aliqua sui parte vitiato tam confidenter describere typum, nisi succurrisset numus maximae formae Philipporum musei Albani cum epigraphe GERM. MAX. etc., qui idem omnino argumentum continet, quem vide. Quoniam vitium eam numi partem laesit, quae manifestum Martem sistere debuerat, factum, ut eruditi, qui eundem vulgavere, multum a vero aberrarent. Ejus typum Froelichius his verbis promulgavit a). *Quadriga equorum regente puero; Victoria currui aversa insistens vas aliquod a duabus figuris sustentatum elevat, ad rotam currus duo captivi sedentes.* At Baldinus b): *Quadriga triumphalis, in qua puer habenas regit, et stat Victoria intra currum amphoram deferens, quam duae figurae a tergo sustentant.* Minus culpandus Froelichius, cui laudatus numus Albanianus ignotus fuerit, at vix excusandus Baldinus, qui nobis utrumque numum aeri incisum, et satis quidem vicine, exhibuit pag. 186 et 200, habuitque sic praesto exemplar nitidum, quo aegrum sanaret. Iusta haec videatur animadversio propter praestantiam typi, qui bellam offert imaginem principis honores triumphales seu promeriti, seu ad eos aspirantis.

* * *

Vt lit. B. et C.

RELIGIO. AVGG. *Diana venatrix stans d. telum e pharetra promit, s. arcum.* AR. AE. II. (Band.) Similis est in museo Caesareo, sed scriptum: LERIGIO.

Quam impense Valerianus Dianae cultui deditus fuerit, non modo testatur numus jam altius propositus, sed etiam templum ejus deae, quod *Dianae Valerianae* vocat Sex. Rufus positum in regione VI.

* * *

Vt lit. B.

VICTORIA. G. M. *Victoria stans, pro pedibus captivus sedens.* AE. III. (Mem. Trev. in Mart. 1709.)

Vide numos Gallieni similis argumenti.

Vt lit. A.

VOTA. ORBIS. *Duae Victoriae clypeum palmae adfigentes, cui inscriptum.* S. C. AR. (Mus. Caes.)

Eadem aversa est etiam in moneta Gallieni. Liberalius in numis Constantini M. VOTA. ORBIS. ET. VRBIS.

* * *

Numi reliqui: ORIENS. AVGG. omnium maxime obvii, RESTITVT. GENER. HVMANI. — RESTITVTOR. ORBIS. — RESTITVT. ORIENTIS, gloriosius omnia dicta, quam verius.

Numi commatis peregrini.

Numos ejus non paucos habemus per *urbes liberas*, *colonias*, et *Alexandriae* signatos. Horum aliquos mox dabimus.

Nomina, ac tituli.

Praeter nomina jam cognita aliud *Colobii* memorat Victor in Epit. ex monumentis ignotum.

Germanicus Maximus dicitur in numis et marmore Muratorii c). Additur *Ter*

a) Cimel. Vindob. P. II. p. XXII. b) ad Vaill. num. praest. T. III. p. 202. c) Pag. 460. 5.

in numo singulari, quem supra in vagis produxi.

De terminis imperii Valeriani.

Cum ipsi veteres in definiendis Valeriani annis varient, nequaquam mirum, variare etiam nostrae aetatis chronologos, de quorum variis sententiis, ne jam praeclare tractata recoquam, vide diligentissimum Tillemontium [a]). Eorum opinio maximam habet veri speciem, qui eum a Persis captum V. C. 1013 P. X. 260 statuerunt, praecipue propter leges non paucas eodem adhuc anno a Valeriano subscriptas, etsi harum testimonia quam sint infirma, satis compertum. Verum in spissis tenebris qualecunque lumen etiam suspectum sequimur.

Consulamus jam monumenta, quae eruditis his viris fuere ignota. In marmore Muratorii [b]) memoratur Valeriani trib. potestas VII., quae, ut vidimus, fluxit cum anno V. C. 1012 P. X. 259. Eam numi hactenus cogniti non produnt praeterquam Goltziani. Belleyus numum Augustae Ciliciae cum anno AMC, 241, vulgavit [c]). Ejus pars adversa caput Valeriani sen. sistit. Coepit hic Augustae annus in autumno V. C. 1013, ex quo infert Belleyus, certum fieri ex hoc numo, sub hunc autumnum sui adhuc juris fuisse Valerianum. Idem comprobat numus Aegarum Ciliciae cum anno ZT, 307, et Alexandrinus L. H. citatus a Bandurio, qui pro Aegyptiorum calculo feriri non potuit ante diem XXIX. Augusti V. C. 1013 P. X. 260.

Verum haec argumenta tum solum valebunt, cum quis evicerit, ex quo Valerianus captus fuit, non amplius ejus nomine monetam per provincias primo praecipue alterove captivitatis anno fuisse signatam, quod probare difficile erit. Nam etsi captus, imperator tamen esse non desiit, recuperaturus certe cum libertate imperium, nisi malo fato aut impotentem, aut impium habuisset filium. Ipse Tillemontius profiteri non dubitat, non adversari historiae, si jam inde ab anno P. X. 256 captus statuatur [d]). Quare potuit cum in subscribendis legibus, tum in feriunda moneta ejus tanquam adhuc imperantis haberi ratio usque denique ad annum 260, quo tempore aut ejus coepit oblitterari memoria, aut desperari libertas, aut diem supremum revera obiit.

Tribunicia potestas.

De hac agetur in tractatu singulari.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei . . . . RRR.

---

a) Nota XI. in Valerian. b) Pag. 460. 5. c) Mem. B. L. T. XXVI. p. 406.
d) Nota cit.

Argentei	. . . .	C.
Argentei et aenei max. mod.	. . . . . .	RRR.
Aenei I. et II. formae	. . . .	R.
Commatis peregrini:		
Omnes hujus generis	. . . .	R.

MARINIANA.

Fuisse Marinianam Valeriani alteram uxorem, a Sapore Persa una cum marito captam, et ante hunc in captivitate Persica mortuam, consecratam denique a Gallieno, et Valeriano juniore, tanquam certum et indubitatum venditat Vaillantius a), et post eum Beauvaisius. Ex quibus fontibus, cum haec scriberent, sese proluerint, ignoro. Istud novi, eorum partem esse adhuc incertam, partem aperte falsam. Rationem, cur hactenus antiquarii Marinianam Valeriano sociaverint, aliam non habuere, nisi quod numos Marinianae nomine inscriptos ejusdem esse fabricae, cujus sunt Valeriani, repererunt. At vero potest haec lex in numis intra paucos annos percussis fallere. Quaestionem plurimum illustrat numus Viminacii olim a Froelichio editus b), qui praeter caput velatum DIVAE. MARINIANAE offert annum epochae XV. Cum annus Viminacii XV. conspiret cum anno V. C. 1007, istud saltem certo tenemus, Marinianam ad Valeriani imperium pertinere. Tamen ex eo certi nondum sumus, fuisse eam huic quoque junctam matrimonio; nam poterat esse Valeriani soror, aut filia. Interea cum ex Trebellio constet, huic saltem binas fuisse uxores, verisimile est, harum alteram fuisse Marinianam, ex qua filium alterum Valerianum jun. genuerit, eamque paullo post susceptum imperium defunctam, consecratamque. Ceterum fabulas narrare Vaillantium, cum maritum in Persiam comitatam refert, idem hic Viminacii numus comprobat, ex quo discimus, jam fuisse mortuam V. C. 1007, expeditione Persica pluribus serius annis suscepta.

Numi:

DIVAE. MARINIANAE. *Ejus caput velatum. In argenteis, et nonnullis AE. II. praeterea super luna bicorni.*

CONSECRATIO. *Pavo cauda explicata.* AV. (Mus. C. de Vitzai.) AR. *et addito* S. C. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

CONSECRATIO. *Pavo Marinianam d. elata, s. hastam tenentem sublime effert.* AV. (Band.) AR. AE. II.

Eadem adversa.

FELICIT. DEORVM. *Mulier stans d. caduceum oblongum, s. cornucopiae.* AR. (Band.)

Numus etiam propter epigraphen adhuc inusitatam singularis.

a) Num. praest. Tom. I. edit. Rom.

b) Appendic. novae.

Numi commatis peregrini.

Tantum Viminacii ad hoc usque tempus cogniti:

DIVAE. MARINIANAE. *Caput velatum.*

P. M. S. COL. VIM. AN. XV. *Mulier stans inter taurum et leonem.* AE. I.

Insignis hic numus servatur in museo Caesareo. Alium geminum Froelichius citat ex museo privato Vindobonae [a]. Tertium vidi item apud nos in praeclaro museo Neumanni. Istud ipsum, quod dempto hoc nullus adhuc visus alterius urbis, argumento est, Marinianam mortuam, cum Valerianus vix degustasset imperium.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei . . . . RRRR.

Argentei . . . . R.

Aenei I. et II. formae . . . . R.

Commatis peregrini:

Vnius Viminacii modo laudati.

GALLIENVS.

Natus Valeriano ex prima uxore, cujus tamen nomen reticetur [b]. Fuisse matri nomen Gallienae, supra in uxoribus patris verisimile dixi. Patris fortunae suam quoque debuit, a quo, cum per Treboniani et Aemiliani mortem imperium occupasset, conlega adscitus est. Victor cum a senatu creatum Caesarem adserit [c], quod testimonium utrum verum sit, non decido. Numi certe cum solo Caesaris titulo nondum reperti, omnes eum *Augustum* pronunciant.

V. C. 1006 P. X. 253.

TR. P. COS. DES. P. M. P. P.

Anni hujus facta vide in patre.

Desunt certi hujus partis anni numi, nisi huc revocare velis eos, qui VOTA. DECENNALIA inscripta offerunt, ut colligi potest ex iis, quae ad V. C. 1016 notabimus. Vix tamen verisimile est, ei, ac patri hoc jam anno cusam Romae fuisse monetam.

V. C. 1007. P. X. 254.

TR. P. II. COS. DES. II. P. M. P. P.

Consul cum patre consule II. procedit. Reliqua vide in patre.

* * *

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

---

a) Appendic. novae. b) Trebell. in Valer. jun. c) in Caesarib.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *variis typis.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

TRIB. POT. COS. P. P. *Mars d. hastam, s. clypeum tenens ad Rheam humi sedentem accedit.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 167.)

Typus hic eximius jam in moneta Antonini Pii occurrit, ubi eum explicatum reperies, quo loco de ejus Augusti numis antiquitates Romanas restituentibus egi. Idem typus recurret ad ann. V. C. 1008 et 1013.

IMP. GALLIENVS. PIVS. AVG. *vel:* GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator paludatus d. hastam, s. sceptrum stat inter duos fluvios humi decumbentes.* AR. AE. III. (Bandur.)

Vix credam, numum hunc anno praesente signatum, et verisimile est omissos tribunatus et consulatus numeros, quod saepius in Gallieno factum observabimus. Sane typus domitum a se Rhenum et Moenum eloquitur. Infra ad V. C. 1012 eandem omnino aversam videbimus, solo dempto, quod in hac legatur TR. P. VII., ad quem annum pertinere etiam numum praesentem, jure suspicari licet.

V. C. 1008. P. X. 255.
TR. P. III. COS. II. P. M. P. P.

Consul II. cum patre consule III. procedit. Pater Orienti intentus filio exercitus Europaeos, et bella adversum Francos, Alemannos, aliosque undique commotos barbaros gerenda committit.

* * *

IMP. GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum*

P. M. TR. P. III. COS. *Imperator velatus ad aram sacrificans.* AV. (Mus. Caes.) AR. (Band.)

Omissus in his consulatus numerus.

IMP. GALLIENVS. AVG. COS. II. *Caput laureatum.*

VIRT. GALLIENI. AVG. *Hercules nudus stans d. ramum, s. clavam et exuvias leonis.* AV. m. m. (Olim musei de France Vindob.)

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

TRIB. POT. COS. II. *Mars galeatus nudus gradiens, ex adverso Rhea seminuda humi decumbens brachiis erectis.* AV. (Mus. Pfau.)

V. C. 1009. P. X. 256.
TR. P. IV. COS. DES. III. P. M. P. P.

Verisimile, gestum modo a Gallieno adversum Germanos bellum, ex quo sibi decora bellica peperit, de quibus agetur infra.

* * *

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. IIII. COS. II. *Imperator velatus ad aram sacrificat.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. GALLIENVS. AVG. GERM.

P. M. TR. P. IV. COS. II. P. P. *Sol gradiens.* AR. (Mediob.)

Si verus hic numus, dubitari nequit, jam hoc anno gestum cum Germanis bellum, et ex eo Gallienum *Germanici* titulum abstulisse. Forte numus hic idem est cum sequente certo.

V. C. 1010. P. X. 257.
TR. P. V. COS. III. P. M. P. P.

Consul III. conlega patre consule IV. procedit. Ex repetitis de Germanis victoriis sibi ac patri *Germanici* titulum meretur.

* * *

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. GERM. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. IIII. COS. III. P. P. *Sol gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

Eadem adversa. AR. (Mus. Caes.)

In his numis aut tribunatus, aut consulatus numerus peccat. De numis Germanica decora jactantibus, quoniam horum multi variis imperantis Gallieni annis signati videntur, agetur commodius in numis vagis.

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. V. COS. III. P. P. *Sol stans.* AR. (Band.)

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatnm.*

P. M. TR. P. COS. III. P. P. *Mars gradiens.* AR. (Band.)

V. C. 1011. P. X. 258.
TR. P. VI. COS. III. P. M. P. P.

Imperium in Gallia invadit Postumus. (Vide hujus numos.)

IMP. GALLIENVS. AVG. *Protome radiata.*

P. M. TR. P. VI. COS. *Roma sedens.* AE. III. (Band.)

V. C. 1012. P. X. 259.
TR. P. VII. COS. III. P. M. P. P.

Saloninum Coloniae Agrippinae captum interficit Postumus. Eum Gallienus inter divos refert.

GALLIENVS. AVG. *Caput redimitum corona spicea.*

P. M. TR. P. VII. COS. P. P. *Imperator paludatus stans d. hastam, s. sceptrum inter duos fluvios humi procumbentes.* AV. (Mus. Caes.)

Ad Rhenum et Moenum Gallieni victoriis nobilitatos referendus hic typus.

Antica varia.

P. M. TR. P. VII. COS. *typis variis.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 1013. P. X. 260.
TR. P. VIII. COS. III. DES. IV. P. M. P. P.
Corn. Seculare II., Iunio Donato cos.

Hoc anno Valerianus pater a Persis captus creditur.

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. VIII. COS. IIII. P. P. *Imperator sacrificans, vel Mars gradiens.* AR. (Mediob.)

Apud solum Mediobarbum reperiuntur hi numi, qui, si veri sunt, fallunt vel in numero trib. potestatis, vel consulatus.

Eadem adversa.

TRIB. POT. VIII. CONS. III. *Mars et Rhea, ut in numis ann. 1007 et 1008.* AR. AE. III. (Tanini.)

V. C. 1014. P. X. 261.
TR. P. IX. COS. IIII. DES. V. P. M. P. P.
Gallieno Aug. IV., L. Petronio Tauro Volusiano cos.

Valeriano apud Persas detento, Gallieno propter ignaviam spreto non pauci per provincias imperium arripiunt. Hos inter Ingenuus in Moesia, sed qui a Gallieno victus cadit, Regalianus in Illyrico, Macrianus cum filiis in Oriente, minoresque alii. Balista sub Valeriano praefectus praetorio cum Odenatho Palmyrae principe Saporem Syria ejectum in ipsam Persiam persequitur, et rem Romanam in Oriente seu restituit, seu sustentat.

* * *

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*
COS. IIII. P. P. *Processus Gallieni consularis.* AR. (Mus. olim de France Vindob.)
IMP. GALLIENVS. AVG. COS.
P. M. TR. P. VIIII. COS. IIII. P. P. S. C. *Figura stolata sacrificans.* AV. m. m. (Mediob.)

Alium hujus numi testem sistere non possum.

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. C. IIII. *Caput radiatum.*
PAX. AVGG. *Mulier gradiens d. oleae ramum, s. hastam.* AE. III. (Tanini.)

Praeter hos exstant adhuc:

P. M. TR. P. V. COS. IIII. P. P. *Imperator in sella curuli.* AR. (Band.)
P. M. TR. P. VII. COS. IIII. P. P. *Mars gradiens.* AR. (Mus. Caes. Band.)
P. M. TR. VIII. COS. IIII. P. P. *variis typis.* AR. (Mediob.)

Has inscriptiones repugnare fastis, nemo non videt.

V. C. 1015. P. X. 262.
TR. P. X. COS. V. P. M. P. P.
Gallieno Aug. V., Faustino cos.

Forte hoc anno Gallienus de victis ab Odenatho Persis triumphat, quod factum refert Trebellius. Alii per imperium tyranni cadunt, alii exsurgunt.

* * *

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. *Protome Gallieni.*
P. M. TR. P. X. P. P. COS. V. *Imperator in quadrigis lentis.* AE. m. m. (Band.)

Potest hujus aversae typus aut Gallieni processum consularem, aut memoratum de Persis triumphum indicare. Hoc loco Bandurius Vaillantium opportune corrigit, qui, cum eundem numum vulgaret, pro COS. V., ut legere oportet, perperam obtrusit COS. II., quem eundem errorem rationibus chronologicis adversantem neglecto hoc Bandurii monito in nova Vaillantii editione restituit Baldinus. Si eodem exemplo omnes hactenus editi Gallieni numi novo examini subjicerentur, contractior certe esset syllabus ejus numorum adversus chronologiam peccantium.

IMP. GALLIENVS. AVG. COS. V. *Caput laureatum.*
MONETA. AVG. *Tres Monetae stantes.* AE. I. (Mus. Caes.)
GALLIENVS. AVG. *Protome Gallieni.*
P. M. TR. P. X. COS. IIII. P. P. *Imperator in quadrigis triumphalibus.* AV. (Tanini) AR. (Baldini.)

Numi hi si verum enunciarent, necesse esset, Gallieni trib. potestatem uno adhuc anno altius ordiri.

IMP. GALLIENVS. AVG. COS. V. *Caput laureatum.*

VIRT. GALLIENI. AVG. *Hercules stans.* AV. m. m. (Mus. Albani.)

V. C. 1016. P. X. 263.
TR. P. XI. COS. V. DES. VI. P. M. P. P.
Albino II., Maximo Dextero cos.

Romam reversus vota decennalia solvit. (Ex numis.)

* * *

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. XII. COS. V. P. P. *Serapis stans d. elata, s. hastam.* AR. AE. III. (Banduri.)

Numus hic cuivis sententiae chronologicae repugnat. Quare aut in tribunatus, aut consulatus nota erratum.

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

VOT. X. ET. XX. *intra coronam quernam.* AV. AR. (Band.)

Nimirum vota soluta decennalia, et suscepta vicennalia numus eloquitur. Narrat Trebellius, Gallienum capto Byzantio, ejusque praesidiariis contra datam fidem interfectis, tanquam rem magnam fecisset, ocyus convolasse Romam, atque ibi decennalia celebrasse. In horum novo apparatu, quem ex ingenio suo commentus est Gallienus, in quo nihil videre erat, nisi quod ultima amentia, et voluptas dictavit, describendo copiosus est Trebellius, quem adeat is, quem possunt imperantis deliria oblectare. Haec decennalium solennia memorantur etiam in numo Gallieni Alexandrino, inscripto: ΔΕΚΑΕΤΗΡΙϹ. ΚΥΡΙΟΥ. L. I. Coepit autem Alexandrinorum annus X. die XXIX. Augusti anni superioris.

V. C. 1017. P. X. 264.
TR. P. XII. COS. VI. P. M. P. P.
Gallieno Aug. VI., Saturnino cos.

Odenathum Palmyrenum ob res adversum Persas praeclare gestas omnibus Augusti honoribus ornat, de quo plura infra in numis principum Palmyrae.

* * *

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. XII. C. vel COS. VI. P. P. *Imperator eques pacificatoris habitu*, vel: *Leo capite radiato.* AR. (Band.)

GALLIENVM. AVG. SENATVS. *Protome laureata.*

TR. P. XII. C. VI. P. P. *Imperator in quadrigis d. sceptrum cum aquila.* AE. II. (Tanini.)

V. C. 1018. P. X. 265.
TR. P. XIII. COS. VI. DES. VII. P. M. P. P.
P. Licinio Valeriano II., L. Caesonio Macro Lucillo Rufiniano cos.

Quae facta huic anno tribuenda, incertum.

* * *

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. XIII. C. VI. P. P. *Leo*

gradiens, prae quo caput bovinum. AR. (Mus. Caes.)

V. C. 1019. P. X. 266.
TR. P. XIV. COS. VII. P. M. P. P.
Gallieno Aug. VII., Sabinillo cos.

Ad hunc annum Tillemontius Bithyniam, et magnam Asiae minoris partem a Scythis misere vastatam refert.

Desunt certi hujus anni numi.

V. C. 1020. P. X. 267.
TR. P. XV. COS. VII. P. M. P. P.
Paterno, Arcesilao cos.

Gothi iterum Moesiam, Heruli Graeciam et Asiam vastant. Contra hos Gallienus in Graeciam proficiscitur.

* * *

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. XV. P. P. VII. C. *Neptunus dextero pede prorae navis imposito, s. tridentem.* AR. (Mus. Caes.) AE. III. (Band.)

Videtur typus ad Scytharum fortunam referendus, quorum multi, cum onusti spoliis Asiae domum reverterentur, aut naufragio, aut navali bello attriti perierunt, ut narrat Trebellius [a]). Postremae notae VIIC significare consulatum VII. non possunt, nam a reliqua epigraphe avulsae in imo numi segmento comparent, et exstant etiam eodem loco in numis FORT. REDVX, quin et in ipsius Saloninae numis nonnullis musei Caesarei.

V. C. 1021. P. X. 268.
TR. P. XVI. COS. VII. P. M. P. P.
Paterno II. Mariniano cos.

In Italiam propter Aureoli seditionem, qui sese imperatorem dixerat, revocatus in obsidione Mediolani, intra cujus muros eum compulerat, a conjuratis flagitiosum principem longius pertaesis interficitur mense Martio (vide in trib. pot.), aetatis L, ut diserte Victor in Epitome.

Hunc exitum nactus est Gallienus, quem vitiis omnibus coopertum prodidere scriptores, quique non ad regendam rempublicam, sed ad desidiam et voluptatum intemperantiam vocatus videbatur, quo tempore divisum inter tot tyrannos imperium, barbarorum undique irrumpentium incursiones, pestis inde a Treboniano saevientis repetita mala fortem, excelsum, et natum ad subita consilia animum postulabant. Ejus ingenium crudele, et in vindictam praeceps ex ejus potes epistola intelligere, qua Celerem Verianum ad perdendos eos, qui Ingenuo tyranno favere viderentur, hortatur teste Trebellio [b]): *lacera, occide, concide; animum meum intelligere potes, mea mente irascere, qui haec manu mea scripsi.* Tam perversis moribus cum esset, nequaquam mirum, ad reliquorum scelerum cumulum accessisse etiam incredibilem impietatem, qua factum, ut posset siccis oculis videre patrem apud Persas captivum, et indignis modis habitum, et hanc unam injuriam ab homine, qui in reliquas omnes exquisitis poenis animadvertit, non fuis-

a) Cap. 12. b) in Ingenuo.

se vindicatam. At enim satis constabat, maluisse eum patrem captivum, quam liberum, cujus severi mores perpetua fuere morum suorum censura. Quare non tam mirandum, fuisse aliquando principem hoc nomine indignum a suis caesum, quam ad domandum hoc monstrum tam serum repertum Herculem. Sunt tamen, qui mitius de Gallieno judicent, ut observabo infra ad numum vagum cum epigraphe VBIQVE. PAX. Certe Zosimus impigrum eum potius navumque facit, et nihil de tanta flagitiorum colluvie memorat. Fuisse etiam tempus, quo bellum in Persas ad vindicandum patrem parabat, refert Trebellius [a]).

Vxor *Corn. Salonina*, de qua infra.

Numi:

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. XVI. COS. VII. *Mulier stans d. globum, s. hastam.* AR. AE. III. (Band.)

Numi vagi.

Horum, quoniam notae chronologicae jam plerumque absunt, et Gallieni imperium in annum XVI. duravit, incredibilis est copia. Eorum non pauci typos argumenti non ignobilis offerunt, ut adeo operae pretium videatur, iisdem describendis longius immorari. Lubet universam ejus monetam in IV. classes tribuere, quarum I. Numina, II. numos expeditionis Germanicae, III. legiones, IV. numos vagos reliquos complectetur.

I. Numina.

Trebellius, postquam incursiones barbarorum, bella civilia, et urgente peste, terrae motibus, marium exundationibus quasi malorum quadam conjuratione concussas orbis partes edixisset, addit: *pax igitur deum quaesita inspectis Sibyllae libris, factumque Iovi salutari, ut praeceptum fuerat, sacrificium* [b]). Ea causa invocatorum tot numinum, quae mederi his malis posse credebantur, et monetae ipsi insertorum, quorum hic syllabum damus.

Aesculapius.

CONSERVATOR. AVG. *Aesculapius stans cultu solito.* AR. (Band.) addito infra VIIC. AE. III. (Mus. Caes.)

Apollo.

APOLLO. CONSER. *vel:* APPOLLINI. CONSERVA. *Ipse nudus stans d. capiti imposita, s. lyram super columna,* vel: *Apollo stans d. ramum, s. lyram.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.) vel: *Ipse stans d. demissa lauri ramum, sinistro brachio serpentem circumvolutum.* AE. III. (Tanini.)

APOLLINI. CONS. AVG. *Centaurus arcum intendens, vel d. globum, s. gubernaculum.* In aliis: *Gryphus.* AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

APOLLI. PAL. S. P. Q. R. *Apollo stolatus stans d. lyram, s. hastam.* AE. III. (Tanini.)

a) Cap. 3. b) Cap. 5.

De numis similibus, et Apolline medico adfatim actum in Treboniano et Valeriano. Centaurus, cur ad significandum Apollinem servire jubeatur, inquirendum. Refert Hyginus, fuisse eum filium Euphemes Musarum nutricis, quin et earum σύντροφον, et habitasse in monte Helicone, et cum Musis solitum delectari, nonnunquam etiam venatum exivisse. Has subinde ab Iove impetrasse, ut in astrum, quod Sagittarium dicimus, transformaretur [a]. Sed Eratosthenes Chironem Centaurum fuisse, qui in sidera relatus est, scribit [b], quem ipsum artem medicam ex herbis primum instituisse docent Hyginus [c], et Plinius [d]. En rationes, ob quas Centaurus ad Apollinem, seu Musarum, seu medicinae praesidem facile pertineat. Cur globum, et gubernaculum manu teneat, mihi ignotum. Centaurus est etiam in numo Tetrici jun. cum epigraphe: SOLI. CONSER.

Gryphum Apollini, sive Soli fuisse sacrum, docet Philostratus [e]. In numis Aureliopolis Lydiae ejus currum trahunt. Vide, quae alia argumenta collegi ad numum Teiorum Ioniae in meis Num. vet. p. 206.

De Apolline Palatino egimus in numis Augusti, et Commodi.

Augustus.

DEO. AVGVSTO. *Caput Augusti laureatum.* AV. (Band.)

Hic numus persuasit Bandurio aliisque, numos consecrationis non coaevos iis Augustis, quorum capita praeferunt, constantes argento viliore et fabrica, Gallieno imperante fuisse cusos. Verum de probabili aetate horum numorum agemus opportunius in tractatu de numis consecrationum. Augustus, quia appellationis hujus fuerat auctor, ut successoribus suis ipse deus consuleret, a Gallieno advocatur.

Castor.

CASTOR. *Ipse stans equum freno retinet.* AR. (Mem. Trevoux 1723 Août p. 1500.)

Eadem aversa est in numis Getae Caesaris, unde explicationem pete; atque etiam in numo Postumi.

Diana.

DIANAE. CONS. AVG. *Cervus vel cerva stans.* AR. AE. III. (Mus. Caes.)

Hercules.

HERCVLI. CONS. AVG. *Aper.* AR (Mus. Caes.)

Aper Erymanthius Herculis gloria, res in vulgus nota.

Ianus.

IANO. PATRI. *Ianus biceps vultu uno barbato, altero imberbi stans togatus d. pateram, s. sceptrum.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 166. tab. V. n. 9.)

Cum altius definienda Iani forma oc-

---

a) Poet. astron. §. 27 et fab. 224. b) Cataster 40. c) Fab. 274. d) L. VII. p. 414.
e) Vit. Apollonii L. III. c. 48.

cuparer [a]), non existimabam fore, ut deinceps adhuc ejus necessario facienda esset mentio. Ajebam tum, Iani simulacrum non aliter a veteribus nisi utroque capite barbato fuisse effigiatum. Quod si vel caput unum, vel etiam utrumque esset imberbe, aliud tum numen, aut certe sensum quemcunque allegoricum esse intelligendum. Haec cum scripseram, ad numum praesentem animum non reflexi, in quo caput barbatum cum imberbi conjungitur, certo tamen Iano, quoniam epigraphe Ianum facit. Istud si verum, habent ii, qui in his varii cultus capitibus Ianum agnoscunt, atque hoc symbolo Ianum et aevi praeteriti memorem, et futuri providum significari volunt, etsi nulla istud veterum auctoritate adserant, validum in hoc numo sententiae patronum. At vero ausim iterum adfirmare, Ianum a Romanis semper non uno tantum, sed utroque capite barbato fuisse propositum, atque istud non modo temporibus reipublicae, sed Augustorum etiam, quod aperte demonstrat Ianus illatus numis Hadriani, Antonini Pii, et Pertinacis. Enimvero video in capiendo ex numis Iano non raro ab eruditis varie fuisse peccatum. Edidit Harduinus Vol. II. Plinii sui p. 611 numum Hadriani, in cujus aversa vidit *Ianum trifrontem.* Ejus iconem dedit in praefixa volumini II. tabula X. n. 1. In ejus explicatione ait: *Sic prudentia principis commendatur, qui praeterita recolat, praesentia consideret, futura prospiciat.* Bosius, qui numum eundem in sua de Iano veterum dissertatione restituit, Ianum in hoc numo quatuor omnino capitibus oneratum adfirmavit, belle cum visis conspirante Servio, qui narrat [b]), captis Faliscis inventum esse simulacrum Iani cum frontibus quatuor, cujus obiter meminit Macrobius quoque [c]). At enim sunt in museo Caesareo ejusdem numi Hadrianei exempla duo, quae Ianum nonnisi bifrontem exhibent, et eodem omnino cultu, quo is fingitur in numo Antonini Pii primae formae cum epigraphe TR. POT. COS. III., quem dedi ad annum V. C. 893, tum et in argenteis Pertinacis. Ad haec non narrat Servius, Ianum hac forma Romae fuisse cultum, sed in Tusciae urbe sic repertum; quin idem Servius alibi facta Iani bifrontis mentione obiter tantum addit: *legimus tamen, Ianum etiam quadrifrontem* [d]). Ergo permissum mihi puto conjicere, aut fallere iconismum Pellerinii, qui Ianum uno tantum capite barbatum exhibet, altero imberbi, aut hoc aevo in ejus dei habitu aliquid fuisse contra morem veterem immutatum.

Iuno.

IVNO. REGINA. *Dea stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus pavo.* AR. (Mem. Trev. l. c.)

Iuppiter.

Hic rex deorum hominumque potiores, ut par erat, in eo cultu partes abstulit. Ejus praeterea causa fuit librorum

a) Vol. V. p. 214. b) ad Aen. VII. v. 607. c) Saturn. L. I. c. 9. d) ad Aen. XII. v. 198.

Sibyllinorum praeceptum, ut cumprimis Iovi Salutari sacrificaretur, ut supra dixeram. Variis ergo nominibus, etiam peregrinis Iovem suum in utramque tum, ut credibile, aurem dormientem suppetias vocavere, quae hic ordine profero:

IOVI. CONSERVATORI. *Ipse stans vario cultu.*

IOVI. CONS. AVG. *Capra*, nimirum Iovi sacra, quod eum infantem nutriverat.

IOVI. CRESCENTI. *Iuppiter infans caprae insidens.* AR. (Mus. Caes.)

Numus hic in moneta Salonini obvius.

PACATORI. ORBIS. *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam, pro pedibus aquila.* AR. (Mus. Caes.)

IOVI. PROPVGNATORI. — STATORI. — VLTORI.

IOVI. VICTORI. *Imperator insistens basi, cui inscriptum:* IMP. CES. *id est:* IMP*erator* C*um* E*xercitu* S*uo.* AR. (Mus. Caes.)

Hunc numum jam explicavi in Valeriani numis vagis.

IO. CANTAB. *Iuppiter stans d. fulmen, s. hastam.* AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

En peregrinum quoque Iovem, nempe Cantabrorum Hispaniae, in partes vocatum, vecorde jam Capitolino, qui olim cum anseribus adfatim reip. prospexerat. Quis fuerit hic Iuppiter natione Cantaber, et quae tanta ejus insignia facta, ut sufficere ad opem ferendam videri potuerit, in veteribus non reperimus.

Liber.

LIBERO. P. CONS. AVG. *Panthera, in aliis leo*, nempe Baccho, qui idem cum Libero patre, sacri. AR. (Mus. Caes.) AE. III. (Band.)

Luna.

LVNA. LVCIFERA. *Dea cum capite lunato gradiens facem praefert.* AE. III. (Mus. com. de Vitzai.)

Mars.

DEO. MARTI. *Templum quatuor columnarum, intra quod Mars stans.* AR. (Mus. Caes.)

MARTI. CONSER. *Mars gradiens.* AE. III. (Tanini.)

Mercurius.

MERCVRIO. CONS. AVG. *Aries marinus.* AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

Aries jungitur cum Mercurio, quod is prae ceteris tueri greges existimatur, ut ait Pausanias [a]). Aliam adhuc ejus novit causam, sed quam commemorare veretur, quod sibi ex Matris initiis cognita est. Idem refert, apud Tanagram Boeotiae ejus stetisse templum *Criophori* nomine, quia is circumlato per urbem ariete pestem avertit [b]). Haec causa est, cur toties in veteribus monumentis adstitutum Mercurio arietem, aut praegestatum ab hoc arietis caput videamus, praecipue cum aries teste Artemidoro Mercurium ipsum reprae-

a) Cor. II. c. 3. b) Boeot. L. IX. c. 22.

sentet [a]). Quo loco alienum non videtur monere, pro ariete nonnunquam poni hircum, velut in gemma musei ducis Aurelianensis [b]), et in numo Corinthi L. Veri [c]). Nimirum Mercurius cum Penelopen deperiret, ut ea frui posset, hirco se adsimilavit, atque hoc facto Panos pater exstitit, ut narrant Lucianus [d]), et scholiasta Theocriti [e]). Ceterum non adsequor, cur tributus Mercurio in hoc numo aries in piscem desinat, etsi facile fuit pictoribus et poetis veteribus, animalia quaevis, quae terra gignit, in pisces mutare. Vel unus Claudianus nobis tigrides, arietes, leaenas, juvencos marinos dedit [f]), picturae Herculanenses adjecere equum, pantheram, taurum [g]).

Minerva.

MINERVA. AVG. *Dea stans.* AE. III. (Tanini.)

Neptunus.

NEPTVNO. CONS. AVG. *Equus marinus.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.) In aliis: *Capricornus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Equum Neptuno sacrum habitum, vulgo notum. Alter numus typo capricorni Bandurio ignotus fuit. Iungitur cum Neptuno, vel quod in piscem desinit, et aliquando inhabitavit Nilum teste Hygino [h]), vel quod conchis marinis Titanas impetiit [i]). Addo causam aliam ex Manilio [k]):

Vltimus in caudae Capricornus acumine summo
Militiam ponto dictat, puppisque colendae
Dura ministeria, et vitae discrimen inertis.

Existimat Bandurius [l]), numum suum signatum fuisse ob victoriam navalem de Scythis in Euxino, de qua Trebellius, et confirmat sententiam numo inscripto: VICTORIA. NEPT. Verum falsam esse hanc ejus lectionem, infra in VICTORIA. AET. comprobabo. Ceterum ut hactenus id genus numos plerosque in deorum honorem ad avertenda urgentia mala signatos diximus, ita et simile de praesentibus ferendum judicium. Constat, provincias hoc aevo, ut supra ex Trebellio docui, non minus bellis cum externis, tum civilibus, ac peste, quam terrae motibus fuisse adflictas. Constat etiam, creditum veteribus, Neptuni iram causam fuisse terrae motae, quare et passim dictus Ενοσιχθων, Ενοσιγαιος, *Terriquassor*, atque iterum Ασφαλιων, nempe tellurem motam *stabiliens* [m]), cultus propterea praecipue in Phrygia tremoribus prae aliis regionibus obnoxia, ut refert Strabo [n]).

Segetia.

DEAE. SEGETIAE etc.

De rarissimo hoc in Gallieni moneta numo vide quae monebimus in numis Saloninae.

a) Onirocr. L. II. c. 12. b) Num. 21. c) Patin. num. impp. d) Dial. deor. 22. e) ad Idyll. VII. v. 109. f) de Nupt. Honorii v. 160. seq. g) Tom. III. tab. 16. 17. 18. h) Poet. Astron. L. II. 28. i) Eratosth. catast. 27. k) L. IV. 566. l) Pag. 219. m) Macrob. Sat. L. I. c. 17. n) L. XII. p. 868.

Serapis.

SERAPIDI. COMITI. AVG. *Serapis stans d. elata, s. hastam, pro pedibus Ibis.* AE. I. (Vaill.)

Sol.

SOLI. INVICTO. *Sol stans d. elata, s. globum.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

SOLI. CONS. AVG. *Pegasus, vel bos stans.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Iam saepe dictum, Apollinem seu Solem pestis et auctorem et depulsorem habitum, quod perspicue docent primi Iliadis versus. Huc spectat et testimonium Macrobii [a]): *unde et Apollinem, id est Solem modo sospitatem, modo pestem significantibus cognominibus adoramus, cum tamen pestis, quae ab eo noxiis immittitur, aperte hunc deum bonis propugnare significet.* Solem nomine *invicti* fuisse cultum, ut testantur marmora copiosa, ita et Iulianus Aug. [b]). *Vltimo mense, qui Saturni est, splendidissimos ludos Soli facimus, festum illud SOLI INVICTO nuncupantes.*

Pegasus, quia Musarum comes, facile ad Apollinem refertur, nisi forte verius est Solis equus, cui ad notandam velocitatem additur ala. Ad bovem quod attinet, memorat Homerus βοσκομενυς βοας Ηελιυ, *pascentes boves Solis* usque adeo Vlyssi fatales [c]). Etiam tauros XII. insigni forma in stabulis Augiae filii sui habuisse sacros, testatur Theocritus [d]). De bove Mnevi Soli apud Heliopolin Aegypti sacro vide Strabonem [e]). Notae inscriptiones in marmoribus: DEO. SOLI. INVICTO. MITHRAE. Proponitur hic saepe taurum cultro feriens, et fuit hoc aevo ejus cultus insignis.

Vulcanus.

DEO. VOLCANO. *Templum etc.* AR. (Band.)

Vide eundem numum in moneta Valeriani, sed multo rariorem in Gallieno.

II. Expeditio Germanica.

Gallienum aliquanto tempore post susceptum imperium adversum Germanos profectum, manifestum est ex numis, qui eum jam in trib. potestate IV. *Germanici* titulo ornatum adserunt, quos descripsi supra ad annos V. C. 1009. 1010. Fuisse eam expeditionem victoriis celebratam, ipse hic titulus cum victori Gallieno, tum Valeriano patri partus abunde arguit. Sed parvo hae lauri stetere Gallieno, adjuto virtute Postumi Galliae praesidis, cui filium Valerianus crediderat teste Vopisco [f]). Germani hi, contra quos tum dimicatum est, secundum aliquos Franci fuere, qui transgressi Rhenum Galliam Belgicam direptum ivere, super quo argumento lege disputantem Tillemontium [g]). Numorum, qui victoriarum de Germanis meminere, magna est copia, quantumque ex his colligi potest, non omnes ad praesentem, eamque primam Gallieni

---

a) Saturn. L. I. c. 17. b) Orat. IV. c) Odyss. L. A. d) Idyll. 25. v. 129. e) L. XVII. f) in Aurelian. c. 8. g) in Valeriano ad annum Chr. 254.

expeditionem videntur pertinere, sed ad alias etiam serius susceptas. Cum autem hi non satis justum discrimen suppeditent, et sua nobis ad hoc subsidia negent historici, noluimus taedio conjecturarum certis eos annis adfigere, omnesque, qui titulos Germanicos jactant, una describere constituimus.

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. GERM. *Protome laureata d. globum cum Victoriola.*

ADLOCVTIO. AVGG. *Ambo imperatores in suggestu milites adloquuntur, infra duo captivi sedentes.* AE. m. m. (Mus. Caes.)

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

GERMANICVS. MAXIMVS. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. P. LIC. GALLIENVS P. F. AVG. *Caput radiatum.*

GERMANICVS. MAX. TER. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Numus insignis, cujus similem Bandurius in Valeriano quidem, in Gallieno autem nullum reperit. Addit in sua ad eum numum animadversione, nullum antea imperatorem dictum fuisse *Germanicum Maximum.* Verum istud, si de solis numis sermo, sed jam Maximino id elogium tributum, ut videre est ex marmore Gruteri [a]). Singulare in hoc numo additum TER, quo significari, Gallienum Germanici Maximi titulum tertio promeritum, ea, quae sequuntur, copiosius comprobabunt.

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

GERMANICVS. MAX. V. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. GALLIENVS. AVG. GERM. V. *Protome radiata d. hastam super humero.*

GERMANICVS. MAX. V. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.)

Nihil ad has aversarum inscriptiones advertit Bandurius, credo, quod postremam literam V cum MAX. jungendam putaverit, legendumque ἀρχαικως MAXV*mus*. At si istud hoc loco valere potest, an etiam in inscriptione anticae, quae est GERM. V.? quae ipsa forte magis adhuc est separanda, et ex aversae praescripto legenda GER. M. V. id est: *Germanicus Maximus V.* Quo docemur, Gallienum, quem ex praecedentibus numis Germanicum Maximum *ter* vidimus, ex repetitis victoriis, quas et ipsas numeratas fuisse infra videbimus, quater et *quinquies* hoc elogio esse ornatum, atque ut videtur ex victoriis Germanicis patris mortem consecutis, quoniam in hujus numis hic victoriarum numerus non reperitur. Ea, quae dixi, confirmat Eusebius, qui Gal. Maximianum πεντακις Περσων μεγιςον, δις Καρπων μεγιςον, ἑξακις Αρμενιων μεγιςον ex ejus ipsius titulis prodit [b]). Et refert Ammianus [c]), Constantium *militari consensu SECVNDO appellatum fuisse SECVNDVM SARMATICVM.* Ex quo manifeste arguere licet, hac aetate pro vetere illo IMP. III. IIII. etc. in

a) Pag. 158. 6. b) Hist. eccl. L. VIII. c. 17. c) L. XXVII.

monumentis scriptum fuisse victoriarum numerum, quae amplius vide confirmata infra sub VICTORIA. AVG. Eodem exemplo Postumus quoque in numis dicitur GERMANICVS. MAX. V., ut et Carausius.

IMP. GALLIENVS. AVG. GERM. V. *Protome radiata d. hastam super humero.*

RESTITVTOR. GALLIAR. *Imperator paludatus stans mulierem turritam genu flectentem erigit.* AR. (Mus. Caes.)

De hac aversa agetur infra in *Victoriis Gallicis.*

GALLIENVS. AVG. GERM. V. *Protome radiata cum hasta et clypeo.*

VICTORIA. GERMANICA. *Victoria super globo d. lauream, s. tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AR. (Mus. Caes.)

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

VICTORIAE. AVGG. IT. GERM. *Victoria stans cum captivo humi sedente.* AR. (Mus. Caes.) In simili Bandurius pro IT. legit II.

Victoriam de Germanis *iterum* relatam, sive secundam commemorant hi numi.

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. GER. S. *Caput radiatum.*

VIRTVS. AVGG. *Miles stans d. clypeum, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Additum S in parte antica legendum puto *Secundo*, vel *Sexto*, ut patet ex dictis, nisi error est monetarii, scriptumque GERS. pro GERM.

III. Legiones.

GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.* Est haec adversa in omnibus, qui sequuntur.

COHH. PRAET. VI. P. VI. F. *Leo capite radiato gradiens.* AR. (Mus. Caes.) In alio: VII. P. VII. F. (Band.)

LEG. I. ADI. VI. P. VI. F. *Capricornus, vel Pegasus.* AR. (Band.) VII. P. VII. F. (Mus. Caes.)

LEG. I. AVG. VI. P. VI. F. *Mars stans cum hasta et clypeo.* AR. (Vaill.)

LEG. I. ITAL. VI. P. VI. F. *Aper.* AR. (Mus. Caes.) VII. P. VII. F. *Capricornus, bos marinus, capra cum gemellis.* (Band. Mus. Caes.)

LEG. I. MIN. VI. P. VI. F. *Minerva stans d. Victoriolam, s. hastam cum clypeo.* AR. (Mus. Caes.) VII. P. VII. F. (Band.)

LEG. II. ADI. VI. P. VI. F. *Pegasus volans.* (Mus. Caes.) VII. P. VII. F. (Band.)

LEG. II. ITAL. VI. P. VI. F. *Aper, lupa cum gemellis.* (Mus. Caes. Band.) VII. P. VII. F. *Ibis.* (Band.)

LEG. II. PART. VI. P. VI. F. *Centaurus.* AR. (Mus. Caes.) V. P. V. F. (Vaill.)

Addo: LEG. SECVNDA. AVGVS. *Capricornus*, in lamina aenea apud Buonarrotium. (Osserv. istor.)

LEG. III. ITAL. VI. P. VI. F. *Ibis.* AR. (Mus. Caes) VII. P. VII. F. *Ciconia.* (Band.)

LEG. IIII. FL. VI. P. VI. F. *Leo currens.* AR. (Mus. Caes.)

LEG. V. MAC. VI. P. VI. F. *Victoria gradiens d. lauream offert, pro pedibus aquila.* AR. (Mus. Caes.)

LEG. VI. MAC. VII. P. VII. F. *Idem typus.* AR. (Band. sed mihi suspecta lectio.)

LEG. VII. CL. VI. P. VI. F. *Taurus.* AR. (Mus. Caes.) *Leo.* (Band.) VII. P. VII. F. *Taurus.* (Band.)

LEG. VIII. AVG. VI. P. VI. F. *Taurus.*

AR. (Mus. Caes.) VII. P. VII. F. (Band.)
LEG. VIIII. AVG. VI. P. VI. F. *Leo.* (Mus. Caes.) Alter typo *Victoriae et aquilae*, quem cum eadem inscriptione Bandurius, et ab hoc deceptus ego in Catalogo mus. Caes. citavimus, legendus haud dubie LEG. V. MAC. Certe Caesareus a me rursum attente inspectus non aliud docet.
LEG. X. GEM. VI. P. VI. F. *Taurus.* AR. (Mus. Caes.)
LEG. XI. CL. VI. P. VI. F. *Neptunus stans d. tridentem, s. delphinum.* AR. (Mus. Caes.) Addo: LEG. XI. C. P. F. *Lupa cum geminis*, in gemma Musei Florentini Tom. II. tab. 19.
LEG. XIII. GEM. VI. P. VI. F. *Victoria gradiens d. lauream offert, pro pedibus leo.* AR. (Mus. Caes.)
LEG. XIIII. GEM. VI. P. VI. F. *Idem typus.* AR. (Band.) In alio: *Capricornus.* (Ibid.)
LEG. IIXX. VI. P. VI. F. *Capricornus*, in alio: *idem undis innatans*, in alio: VII. P. VII. F. (omnes in Mus. Caes.)
LEG. XX. VI. P. VI. F. *Capricornus.* AR. (Vaill.)
LEG. XXI. GEM. VI. P. VI. F. *Typus ut in leg. XIII.* (Band.) Forte et perperam lectum XXI. pro XIII.
LEG. XXII. VI. P. VI. F. *Capricornus.* AR. (Mus. Caes. Band.)
LEG. XXX. VLP. VI. P. VI. F. *Neptunus stans d. tridentem, s. delphinum.* AR. (Band. Mus. Caes.)

Illustris hic legionum catalogus non pauca offert observatu digna, inter quae cumprimis memorandi typi. Vidimus, singulas proprium suum jactare seu numen quodpiam, seu animal, sive naturale, sive fictum. Ejus exempla jam vidimus in numis provinciae Daciae, et coloniae Viminacii, tum et videbimus infra in numis Victorini, Carausii, aliisque monumentis, quae mox proferam. Quo pacto hae imagines ad indicandas legiones referantur, anceps quaestio. Verisimile est, signis eas militaribus serviisse, cum quod in nonnullis Viminacii numis videmus, taurum ac leonem, legionis VII. ac IIII. symbola, in ipso signi militaris apice proponi, tum quod constat ex Appiano [a]), legioni V. post relatam in Africa de elephantis victoriam fuisse indultum, ut elephantum in signis militaribus haberet. At enim cum constet, aquilam fuisse insigne legionis Romanae non modo ab antiquissimis temporibus, sed etiam, quamdiu ea stetit, certum videtur, has imagines ex cohortium signis in numorum typum fuisse advocatas, cumque legio ex pluribus cohortibus constiterit, causam tenemus, cur nonnunquam in his numis una eademque legio varias jactet imagines, v. c. legio I. Italica jam aprum, jam capricornum, jam bovem marinum, jam lupam cum gemellis. Certum vero est, cohortes separata sua habuisse signa, de quo argumento agetur alibi, ac probabile adeo etiam, imagines in praesentibus numis propositas legionum singularum cohortem primam, aut si illae variarunt, cohortes primarias respexisse.

Iam alias comprobavi [b]), typos, quos

---

a) Bell. civ. L. II. b) Num. vet. p. 50.

certis legionibus in aliorum Augustorum numis etiam extra urbem signatis tribui videmus, cum iis, quos praesentes Gallieni legiones praeferunt, commode conspirare. Sic in numis Viminacii legioni VII. tribuitur taurus, legioni IIII. leo, perinde atque in his Gallieni numis. In numis Daciae legioni V. adstat aquila, legioni XIII. leo; in praesentibus Gallieni legionem V. aquila cum Victoria comitantur. In numo Victorini legio IIII. habet duos leones, eadem in Gallieniano leonem unum, legio X. utrinque taurum. In numis Carausii legio IIII. item leonem, VII. taurum. Tamen in aliis typi dissident. Legio XX. Valeria Victrix aprum offert non modo in numo Carausii, sed et in tabula aenea, quam inter postremas edidit Buonarrotius [a]), at in numo Gallieni capricornum, si modo non fefellit Vaillantius, qui unus hunc numum vulgavit. Legio XXX. in numo Carausii sibi junxit Iovem, in numo Gallieni Neptunum; legio XI. Claudia in gemma altius producta lupam cum geminis, in numo Gallieni Neptunum. Cujus dissidii aliam causam non puto, nisi quod placuit monetariis, jam hujus, jam alterius cohortis imaginem legioni sociare, perinde ac paullo altius variantes in Gallieno imagines explicavimus.

Additum in his Gallieni numis VI. P. VI. F. legi solet ab antiquariis *sextum pia*, *sextum fidelis*, et *septimum*, cum scribitur VII. In unico legionis II. Parthicae, si fides Vaillantio, legitur V. P. V. F. Hujus formulae ratio nondum, quod sciam, expedita. Quam adfert Vaillantius [b]), haud dubie fallit. Ait, cusos anno imperii VI., cum legiones quolibet anno fidei sacramentum renovarent, alias vero dictas esse VII. pias et fideles, quod numi hac nota praediti anno VII. signati essent. Sin istud, mirum videatur, has legiones non occurrere etiam in moneta Valeriani, cum quo Gallienus non modo annum VI. et VII. exegit, sed verisimiliter etiam majorem partem anni VIII., praecipue cum uterque imperator, quamdiu una fuere, spectatis typis communem fere monetam habuerint. Sententiae aliae, quas propinavere Harduinus [c]), et Liebeus [d]), tam videntur infirmae, ut ne dignas quidem putem, quae memorentur. Si quis volet conjicere, numos similes signatos tantum fuisse eo tempore, quo signati sunt numi, inscripti VICTORIA. AVG. VI. et VII., opinari poterit etiam, ex hoc victoriarum numero legiones dictas *sextum vel septimum pias fideles*, eumque honorem captandae militaris gratiae causa ad legiones omnes extentum, etiam quae bello non interfuere. Quod si similis argumenti numos placuisset vel ante, vel post hoc tempus signare, haberemus forte etiam numos, qui legiones III. IIII. VIII. etc. *pias fideles* praedicarent. Tantum in re incerta, nam alias quoque additi numeri molesti sunt, ut in numo Valeriani: CONCORDIA. IIII. EXERCIT., vel Gallieni: CONCORDIA. EXERC.

---

a) Osserv. istor. b) Num. praest. T. II. p. 357. c) Opp. sell. p. 849. d) Goth. num. p. 344.

VIII., FIDES. EXERC. VIII., quin et in numis Severi et Domnae: AEQVITAS. II., quorum quidem rationem dare non ausim. At quod maxime conjecturae meae adversatur, est lapis Budensis, quem vidit, et descripsit ipse, et vulgavit cl. Schönwisnerus, vir eruditus sane, atque adcuratus [a]):

IMP. CAES. M. AVREL.
CLAVDIO. GERMANICO
P. F. INVICTO. AVG.
PONT. MAX. TRIB.
POTEST. III. COS. PRO
COS. P. P. LEG. II. ADI.
VI. P. VI. F. CONSTANS
CLAVDIANA. NVMINI. MA
IESTATIQVE
EIVS
DICATISSIMA

Quoniam haec *legio II. Adjutrix* adhuc sub successore Claudio se dicit VI. P. VI. F., hae siglae ad victoriam VI. Gallieni referri non possunt. Neque satis causae apparet, cur eadem haec legio, quae se in numis Gallieni, ut supra vidimus, etiam VII. P. VII. F. profitetur, sub Claudio ad VI. P. VI. F. rediverit. Adeo in re obvia adhaeremus. Ceterum rarum est videre in marmoribus numeros VI. vel VII. titulis *Piae Fidelis* adjectos. Sane in catalogo legionum apud Gruterum et Muratorium nullum ejus meriti reperire licuit. Idem vir eruditus aliud vulgavit marmor in Hungaria repertum, in quo Munatius quidam dicitur MILes LEGionis I. ADjutricis BIS. P*iae* FI*delis* [b]), qui numerus BIS singularis plane est, nullo adhuc alio praeter VI. et VII. et forte V. cognito.

Quae alia ad legionum numos, earum insignia etc. pertinent, vide Vol. VIII. in singulari tractatu de Legionibus.

IV. Numi reliqui.

Obvius in numorum Gallieni parte antica cultus est corona laureata, vel radiata, rarius spicea, qualis dabitur infra. Nonnunquam ejus caput leonis exuviis tegitur, ut in postremo hujus classis, et in numo max. mod. cum epigraphe MONETA. AVGVST. musei Caesarei. Singulare est: Protome Gallieni laureata cum caduceo supra humerum in numo max. mod., quem laudat Spanhemius ex museo reg. Gall. [c]) et in alio, quem ex Taninio dabimus infra sub lit. O. De Gallieno Mercurio vide infra in numo: DONA. AVG.

* * *

A. GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

ABVNDANTIA. AVG. *in imo:* S. P. Q. R. *Fluvius decumbens.* AR. (Baldini ad Vaill.)

Non inique censet Baldinius, hac aversa indicari procuratam iterum in urbe annonae abundantiam, postquam Aegyptus, quae typo Nili in numo satis notatur, oppresso Aemiliano ejus tyranno iterum vindicata fuit, de quo Trebellius [d]), nisi potius notetur Tiberis, per quem subvecta annona.

* * *

a) Iter per Pannon. P. II. p. 186. b) l. c. p. 277. c) Caess. Iuliani p. 92. d) Cap. 4.

B. IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. AVG. *Caput radiatum.*

AETERNITATI. AVGG. *Saturnus stans s. harpam.* AR. (Mus. Caes.)

Explicationem ex simili numo Valeriani pete.

C. IMP. GALLIENVS. AVG. CON. *Caput laureatum, pone Pegasus.*

ALACRITATI. *Pegasus.* AE. II. (Band.)

Fuisse a Romanis Alacritati constitutam aram, non memini. Credo, efferri in hoc numo alacritatem Gallieni, qua mox post aditum imperium, et in consulatu primo, quod tempus antica eloquitur, expeditionem in Gallias a Germanis vexatas paravit. Pegasi typus cum epigraphe belle conspirat.

Vt lit. A.

BONAE. FORTVNAE. *Fortuna stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

BON. EVENT. *Genius stans ante aram, d. pateram, s. spicas.* AE. III. (Mus. Caes.)

D. IMP. C. P. LICIN. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

COHORT. PRAEF. PRINCIPI. SVO. *intra lauream.* AE. I. (Vaill.)

Fuisse in militia vetere *praefectos cohortium*, passim ex monumentis cognitum. Vtrum vero hi in numo praesente notentur, ambigo, non tam, quod mirum videatur, hos, quorum auctoritas maxima non fuit, ex universa legione memorari, qui vota sua principi exponant, quam quod vox *praefectus* praecedere semper, non sequi solebat. Ita constanter seu in marmoribus, seu numis legitur: *praefectus classis et orae maritimae, praefectus urbis, praefectus praetorio, praefectus cohortis etc.* non inverse. Verisimile igitur, pro PRAEF. legendum PRAET., et habebimus *cohortes praetorianas principi suo* fidem, et obsequium voventes, quam sententiam confirmat numus, quem infra conspiciemus, inscriptus FID. PRAETORIANORVM.

Vt lit. A.

CONCORDIA. EXERC. VIII. *Mulier adversa stans utraque manu signis militaribus nixa.* AR. (Tanini.)

Vide, quae de additis similibus numeris supra ad numos legionum diximus.

Vt lit. A.

CONSERVAT. PIETAT. *Imperator stans d. extenta, s. hastam, ante eum parva figura flexo genu manus attollens.* AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

Auctorem pietatis sese in numis professus est Commodus, ejus *conservatorem* Gallienus. Ex typo puelli supplicis colligo, indicari hac aversa pietatem pueris alimentariis praestitam, cujus inde a Trajano copiosa exempla. Eandem aversam offert etiam numus Claudii sequentis.

Vt lit. A.

DONA. AVG. *Mercurius stans d. crumenam, s. caduceum, pro pedibus canis.* AR. (Vaill. Band.)

Antiquarii omnes, qui in hunc numum commentati sunt, aversam verbis Trebellii explicant, qui Gallienum oratione, poemate, omnibus artibus clarum dixit [a]), quorum auctor datorque habi-

a) in Gallienis c. 11.

tus Mercurius, ut in vulgus notum, unde tenemus causam, cur Gallienus in numo, quem infra sub lit. O. dabimus, Mercurii habitu sit propositus. Neque alia de causa sese Horatius *Mercurialem virum* dixit a). Exemplum ingenii, quo ad haec studia pollebat Gallienus, esto carmen, dignum sane Catullo ac Propertio tenerorum amorum lusoribus; nimirum cum suos ex fratribus nepotes matrimonio conjungeret, hoc eos epithalamio prosecutus fertur, quod Trebellius contractius b), sed plenius dedit Christ. Wernsdorfius c):

Ite, agite, o juvenes, et desudate medullis
Omnibus inter vos; non murmura vestra columbae,
Brachia non hederae, non vincant oscula conchae.
Ludite, sed vigiles nolite exstinguere lychnos;
Omnia nocte vident, nil cras meminere lucernae.

quo experimento ostendit sane, futurum fuisse dignum imperio, si ut carmina de coelo possunt deducere lunam, eadem et barbaros de imperii finibus potuissent deducere. Causam adpositi Mercurio canis dedimus alibi d).

* * *

Vt lit. A.

FECVNDITAS. AVG. *Mulier stans dexteram extendit super figuram adstantem, s. cornucopiae.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Fecunditas in numis tantum feminis, neque ulli ante ac post Gallienum Augusto tribui solita. Sunt in museo Caesareo denarii duo Alexandri Severi cum epigraphe FECVND. AVGVSTAE, sed dubium non est, hanc aversam ex moneta Mamaeae inique in monetam filii translatam. Quare verisimile quoque est, aversam hanc restituendam Saloninae uxori.

* * *

E. IMP. GALLIENVS. AVG. *Protome laureata d. hastam, s. clypeum, cui insculptus imperator eques.*

FIDES. EXERCITVS. *Imperator stans paludatus coronatur a Victoria retro stante, simul cum figura militari dexteram jungit, pone duo signa militaria, pro pedibus duo fluvii humi jacentes.* Argenti mixti max. mod. (Mus. com. de Vitzai.)

Vt lit. A.

FIDES. EXERC. VIII. *Mulier stans bina vexilla tenet.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Vidimus supra legiones VI. et VII. pias et *fideles*, at in praesente numo totus exercitus se *fidelem VIII.* profitetur.

F. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

FIDEI. EQVITVM. *intra lauream.* AV. (Band.)

Vt lit. A.

FID. PRAETORIANORVM. *Figura stans d. pateram, s. cornucopiae, pone aquila legionaria.* AR. (Band.)

Vt lit. A.

INDVLG. AVG. *Mulier gradiens d. florem, s. vestem attollit.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.) In aliis: *Ipsa sedens d. pa-*

a) Carm. L. II. ode 17. b) l. c. c) Poet. min. Tom. IV. part. post. p. 499. d) Vol. IV. p. 68.

teram, *s. hastam*. In aliis: *typus Providentiae.* Quin. AE. III. (Mus. Caes.)

Parum se in his numis indulgentem praestat Indulgentia ipsa, quae in typos, in quos Spei et Providentiae vetus jus, involavit.

Vt lit. A.

INVICTVS. *Sol stans d. elata*, *s. flagellum.* AR. (Band.)

In aliis numis, quos in classe numinum recitavimus, scribitur plenius SOLI. INVICTO.

Vt lit. A.

IVBENTVS. AVG. *Imperator paludatus stans d. Victoriolam*, *s. hastam*, *in imo* VIIC. AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

De *Iuventate*, *Iuventute*, *Iuventa imperii* egi in numis M. Aurelii adhuc Caesaris, et Caracallae, in quos sane magis quadrabat juventus, quam in Gallienum, qui saltem annos natus XXXIV. imperium auspicatus est, si verum est, quod refert Victor, eum aetatis anno L. decessisse, et Trebellius, qui eum nepotes ex fratribus jam matrimonio idoneos habuisse refert [a]). At enim et de Trajano, qui cum adoptatus est, saltem annum XLIV. egit, sic Plinius [b]): *Nerva tua juventa*, *tuo robore invaluit.* Ergo et nunc Gallienus cum sene Valeriano comparatus juvenis dici potuit. Quid quod eadem epigraphe est etiam in numo Claudii sequentis, et Gallieno senioris, quem vide.

Antica varia.

LIBERALITAS. AVGG. III. *Liberalitas stans.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

LIBERALITAS. AVG. IIII. *Liberalitas stans.* AV. (Mediob.)

Prior aversa in patris quoque numis occurrit. Sed liberalitatem IIII. ejus solius fuisse, scriptum AVG. comprobat.

* * *

G. GALLIENVM. AVG. P. R. *Protome laureata*, *d. hastam.*

OB. CONSERVATIONEM. PATRIAE. *Salus stans serpentem pascit.* AR. m. m. (Vaill.)

Eadem adversa.

OB. CONSERVATIONEM. SALVTIS. *Idem typus.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

OB. REDDIT. LIBERT. *Libertas stans d. pileum*, *s. hastam transversam.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Caput laureatum.

OB. LIBERT. REC. *Libertas stans d. palmam*, *s. hastam.* AR. (Vaill.)

H. GALLIENVM. AVG. SENATVS. *Caput laureatum.*

OB. LIBERTATEM. RECEPTAM. *Libertas stans d. pileum*, *s. hastam.* AE. II. (Vaill.)

Eadem adversa.

OB. REDDIT. LIBERT. *Libertas stans d. pileum*, *s. hastam transversam.* AE. II. (Theupoli.)

Numi propter molem et novam inscriptionis legem memorabiles. Ceterum turpis et mendax adulatio tam senatus, quam populi R. facile in oculos incurrit.

* * *

I. CONCORDIA. AVGG. *Capita*

---

a) in Gallien. c. 11. b) Paneg c. 8.

adversa, *Saloninae a dexteris*, *Gallieni laureatum a sinistris.*

PIETAS. FALERI. *Capra sub arbore cum duobus puellis*, *quorum alter lac sugit*, *alter humi considet*, *juxta aquila*, *in imo fulmen.* AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Singularis hujus numi imaginem jam stitit Khellius in sua ad Vaillantium Adpendicula, ejusque laudes copiose celebravit. Arduus tamen hujus typi explicatus, cum quo lubet contendere sequentem:

K. IMP. GALLIENVS. P. AVG. *Caput radiatum.*

PIET. SAECVLI. *Capra cum infante lactente.* AR. (Band.)

Facile est perspicere, adludi in his numis ad Iovem infantem a capra nutritum, quorsum etiam adludunt numi ejus aevi obvii inscripti IOVI. CRESCENTI typo *Iovis pueri caprae insidentis*, de quo jam egi in numis max. mod. Antonini Pii. At quorsum gemini infantes numi prioris? Iudice Khellio puellus unus Iovem, alter adsimilatum Iovi Saloninum refert, quae sententia vereor ut eruditis omnibus probetur. Fuit, qui hac saeculi pietate crederet indicari curam a Gallieno infantibus impensam exemplo Trajani et Antonini, sententia sane admodum verisimili; nam pietatis vocabulum saepe adstituitur mulieri puellos procuranti, in cujus locum συμβολικως nunc succedit capra eandem olim curam Iovi impendens, sed fuit etiam, cui judicium istud displiceret [a]). Observanda deinde vox FALERI. forte inique scripta pro VALERI., nam infra intuebimur numos inscriptos VIRTVS. VALERI. scriptum parcius pro VALERI*ana*. Valeriani nomen Gallieno fuit testibus numis Alexandrinis, magis tamen proprium patri, fratri, ac filio.

* * *

L. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput radiatum*, *vel ut lit. K.*

RESTIT. GALLIAR. *Imperator radiatus et paludatus stans mulierem genuflectentem*, *et s. cornucopiae gerentem sublevat.* AR. (Mus. Caes.)

Promeritus hoc nomen videri potest barbaris e Gallia adjutore Postumo submotis. Gallias fuisse plures, diximus ad numum Galbae: TRES. GALLIAE. Ceterum ferri potest Gallienus *Restitutor Galliarum*, at quis ferat, cum idem in numis dicitur: RESTITVT. GENER. HVMANI — RESTITVTOR. ORBIS — RESTITVTOR. ORIENTIS

* * *

Vt lit. A.

SAECVLARES. AVG. *Cervus stans*, *infra palmae ramus. In aliis scriptum*: SAECVLARHS. AR. (Mus. Caes.)

Cum non ita pridem imperantibus Philippis ludi saeculares acti essent, visum nonnullis, ex horum moneta praesentem aversam Gallieno temere fuisse adfictam. At certum est, eos falli; nam in Philipporum numis semper legitur AVGG., et in horum ima parte pro palmae ramo semper est nota numeralis, neque in his unquam legitur barbarum SAECVLARHS obvium in Gallieni numis. Fatendum igitur testibus numis, inter alia

a) Mem. Trevoux Iul. 1704.

insaniae argumenta, quibus Gallienus imperium suum insignivit, fuisse etiam ludos saeculares illegitimo tempore celebratos, nequaquam novo istud exemplo; nam a Claudio quoque anticipatum horum ludorum tempus vidimus. Teste Trebellio a) Gallienus audita Macriani morte coepit indulgere voluptati, et ludos omnis generis edere, quos inter verisimile est etiam saeculares hos ludos fuisse. Ad eosdem propius pertinet, quod narrat idem b): prementibus rempublicam imperante Gallieno gravissimis malis *pacem deorum quaesitam inspectis Sibyllae libris, factumque Iovi Salutari, ut praeceptum fuerat, sacrificium.* Sed de ludis his alieno tempore actis vide praecipue, quae copiosius disseremus in numis Maximiani Herculei inscriptis SAECVLARES. AVGG.

* * *

CONCORDIA. AVGG. *Capita duo, a dexteris Saloninae, a sinistris Gallieni laureatum.*

SALONINA. AVG. *Caput Saloninae.* AV. (Mus. com. de Vitzai.)

Similem adversam jam vidimus supra in numo PIETAS FALERI. Mirum in utroque, uxoris caput loco digniore stare contra perpetuum fere in similibus causis morem.

* * *

Vt lit. A.

SISCIA. AVG. *Mulier sedens d. hastam, s. cornucopiae, infra fluvius decumbens.* AR. (Vaill.) In alio: *Mulier sedens utraque manu expansa, infra fluvius emergens.* AR. (Mus. Caes.)

Siscia Pannoniae superioris oppidum nobile et colonia, hodie *Sissek*, ad Savi, qui in his numis fingitur, et Colapis confluentem, sed qui uterque fingitur in numo Probi inscripto: SISCIA. PROBI. AVG. Putat Vaillantius, cusum hunc numum, postquam Ingenuum Pannoniae tyrannum vicerat. Verum cum Sisciam praedicari etiam in moneta Probi videam, conjicio, eam urbem tum velut quoddam imperii propugnaculum habitam, et propter situs commoditatem, et quod natura munita esset, inter perpetua in eo tractu bella armorum sedem fuisse constitutam. In lapide prope Sabariam Pannoniae reperto legitur: COLONIA. SEPTIMIA. SISCIA. AVGVSTA c).

* * *

Vt lit. A.

S. P. Q. R. *Leo, cui insistit aquila, omnia intra lauream.* AV. (Mus. Caes.)

An, quod senatus Gallienum Iovi et Herculi inveterata adulatione aequiparaverit, utriusque numinis animal huc est advocatum? an quod, quemadmodum aquila et leo suo singuli generi imperitant, neque regno alteri decedunt, Gallienus fingitur supremam habere in omne mortalium genus potestatem, atque in ipsos tyrannos, qui ausi sunt invadere imperium? Arbitretur lector.

* * *

Vt lit. L.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes.)

M. IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

Eadem aversa. AE. I. (Mus. Caes.)

---

a) in Gallien. c. 3. b) Cap. 5. c) Schönwisner Ant. Sabar. p. 52.

Nobile hoc aversae epigramma Trajano primum ex merito delatum quam dispari nunc domino servire cogitur!

* * *

N. GALLIENAE. AVGVSTAE. *Caput Gallieni spicis coronatum.*
VBIQVE. PAX. *Victoria in bigis d. flagrum.* AV. (Vaill. ex mus. regis Gall. restitutus a Barthelemyo in Mem. B. L. Tom. XXVI. p. 551.)

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput Gallieni spicis coronatum.*
VBIQVE. PAX. *Victoria in bigis d. flagrum.* AR. (Mus. Caes.) *Alius similis, sed capite pro more radiato.* AV. (Band.)

GALLIENAE. AVGVSTAE. *Caput Gallieni spicis coronatum.*
VICTORIA. AVG. *Imperator paludatus stans d. globum, s. hastam transversam, quem stans a tergo Victoria coronat.* AV. (Barthelemy l. c.)

GALLIENVS. P. F. AVG. *Caput Gallieni spicis coronatum.*
VICTORIA. AVG. *Idem typus.* AV. (Barthelemy l. c.)

Numus ex his primus singularia plane, ac praeter morem continet. Quare in ejus explicatu eruditorum quoque sententiae variarunt. Hos inter censebat Vaillantius, eum a tyranno quopiam in Gallieni ludibrium esse percussum *Gallienam Augustam* eum appellando, tanquam nimirum vere habendus esset femina, qui ignave adeo summae rei praeesset. Sic et pro laurea spiceam gerere, tanquam abdomini potius, quam bello vacaret, agere bigas, quod victoriam in circo potius, quam foris quaereret, additam epigraphen VBIQVE. PAX, cum interim nulla esset provincia, quae bellis vacaret. Hactenus Vaillantius. Diversam ab hoc viam secutus Harduinus, cui vix unquam cum Vaillantio conveniebat, scriptum adfirmat GALLIENAE. AVGVSTAE pro GALLIENE. AVGVSTE, qui est vocandi casus, illo aevo orthographiae peccatis nequaquam inimico. Coronam gramineam (spiceam dixit Vaillantius) esse symbolum magnarum victoriarum, nam hac bellatores veteres teste Plinio redimiri consuevere. Neque vero numum hunc dicterium aculeatum in effeminatam Gallieni vitam continere, siquidem certum, in numis antiquis nullos occurrere jocos, scurrile nihil, nihil majestate Romanorum indignum. Ergo per omnia, quae de hoc principe nobis restant, agnosci debere, non fuisse in bellis fortiorem, non gratiorem populo R. Tamen is et hanc serius sententiam valere jussit, ex quo menti laudandae bellum ἄσπονδον indixit, placuitque bina vocabula GALLIENAE. AVGVSTAE in verba totidem resolvere, quot ea literas continent. Vide ejus Plinium [a]. Ab his diversus Vallemontius aliam maluit sequi viam, quia revera Gallienam reperit, in quam possit ea inscriptio quadrare. Auctore Trebellio [b]) dum Gallienus popinis balneisque immersus esset, Afri *Celsum imperatorem appellaverunt, peplo deae Coelestis ornatum. Hic privatus ex tribunis in Africa positus in agris suis vivebat, sed ea justitia et corporis magnitudine, ut dignus videretur*

a) ad L. X. §. 68. b) in Celso tyranno.

imperio. Quare creatus per quandam mulierem, GALLIENAM nomine, consobrinam Gallieni, septimo imperii die interemptus est. Ex his verbis arguit vir eruditus, non indignam fuisse hanc Gallienam, quae Augustae titulo ornaretur, caeso suis consiliis tyranno, et revocatis ad fidem Afris. Argumenta reliqua, quibus alias numi hujus difficultates mollire conatur, tam sunt infirma, ac taediosa, ut nulla jactura possim iis commemorandis abstinere. Vide totam hanc litem copiose disputatam in Electis Woltereckii pag. 68, cui adde sequentem proxime epistolam Gallandi super eodem argumento.

Postremus Barthelemyus omnium horum sententias in examen revocans [a]) negavit, numos, qui hinc GALLIENAE. AVGVSTAE, illinc VBIQVE. PAX inscribuntur, derivandae in Gallienum ignominiae causa signatos fuisse. Certe illam nequaquam probari inscriptione aversae VBIQVE. PAX. Nam etsi tyrannorum seditionibus turbatum ejus esset imperium, fuere tamen etiam pacis intervalla; quid quod nemini ignotum esse potest, inscriptiones persaepe ab una adulatione, nullo ignominiae consilio fuisse dictatas, multas nonnisi piorum votorum rationem habere. Manifestius istud, ait, apparere ex numo alio cum eadem aversa, in cujus tamen parte antica est solitum GALLIENVS, quem loco II. dedimus. Quinimo exstare numum, quem vide loco III., in cujus item antica legitur GALLIENAE. AVGVSTAE, cujus tamen aversa typum habet simplicem, tritumque Victoriae, qui certe in ignominiam trahi non potest. Concludit denique, potiorem sibi videri sententiam Vallemontii, autumantis, ea inscriptione significari feminam gentis Augustae. Et quidem praeter testimonium Trebellii, qui loco altius indicato diserte Gallienae Gallieni consobrinae meminit, argumentum illi validissimum praestat numus ejusdem, ut conjicere licet, feminae, qui exstat delineatus in opere MS. Goltzii in museum praesidentis de Cotte translato, cujusque nobis ipsam iconem exhibet. Est vero talis:

LICIN. GALLIENA. AVG. *Ejus caput lunae impositum.*

PIETAS. AVGVSTA. *Mulier superne ad medium usque corpus nuda stans ad aram suffimen arae ignitae imponit.* AE. II.

En tibi virorum illustrium de singularibus his numis judicia, quorum singula aliquid habent, quod morosius antiquariorum palatum jure possit fastidire. De Harduini sententia nullus amplius mihi sermo, qui ipse causam suam deseruit. Vallemontii doctrina eatenus saltem aliquam habet veri speciem, quatenus Trebellii testimonio, cujuscunque illud auctoritatis putemus, feminam Gallienam memorantis nititur. At enim cordatum quemvis perpetuo vellicabit, quod ejus nomen mulieris scriptum legitur juxta caput non suum, sed alienum Gallieni, cujus quidem instituti nullum putem ingenium verisimilem aliquam causam posse suppeditare. Neque profecto aliquam reperire potuit Barthelemyus, coactus confiteri, nullum quidem exemplum plane simile in moneta

a) Mem. B. L. T. XXVI. p. 551.

vetere exstare, istud igitur deinceps futurum primum, ad quod provocare licebit [a]), quo quidem quaesito velamine vir insignis magis mihi videtur molestum nodum velle obtegere, quam resolvere. Ad codicem MS. Goltzii quod attinet, de quo jam alibi mihi sermo fuit [b]), et cujus numum Barthelemyus potissimum ad confirmandam Gallienam advocavit, parum ego hac auctoritate moveor, qui Goltziana omnia, cum quid nobis eximium, insolensque nunciant, nisi aliorsum confirmari video, a commentariis meis procul habeo. Sane exspectari a singulari hoc viro potuit, ut, qui Celsi ex Trebellio sibi cogniti numum finxerat, etiam Gallienae, quae illum dejecit, numum secundis curis adinveniret.

Parum ergo ad persuadendum validis Harduini, Vallemontii, Barthelemyi rationibus aliquid iterum roboris accedit sententiae Vaillantii, conjicientis, in Gallieni contemptum in provincia quapiam numos inscriptos GALLIENAE. AVGVSTAE fuisse percussos. Feminam cum Gallienum dicunt, belle cum scriptoribus conspirant, qui hominem turpiter effeminatum prodidere, quos inter memorandus cumprimis Iulianus Caesar, qui Gallienum in deorum concilium ingressum refert *indutum stola et incessu usum molliore mulierum ritu*, eique veterem versum adplicat:

Ος και χρυσον έχων παντη, τρυφα ήύτε κυρη,
Qui et aurum gestat undique, et delicatus est instar puellae.

Adde Trebellium, qui super plura muliebrium ejus morum testimonia narrat etiam, matronas ab ipso ad consilium suum rogatas [c]). Et vero videri possit, eodem consilio signatos numos Gallieni inscriptos FECVNDITAS. AVG., quos supra recensui, cujusmodi nulla aetate nisi feminis dedicati fuere. Huc adde caput redimitum spicis, quod nunquam hactenus Augustis maribus, at feminis non raro fuit tributum. Hac corona ornatam in numis videmus Agrippinam juniorem, Sabinam, utramque monetae Romanae, Faustinam juniorem monetae Cyzicenae. Cum igitur corona mulieri Gallieno addenda fuerit, neganda certe fuit laurea, qua redimiri mulieres Augustae raro consuevere, et impertienda ejus generis, quae ex vetere usu eas decebat. At non occurrunt, ait Harduinus, in numis Romanis dicteria, joci, scurrilia. Verum istud, si generatim de moneta vetere judicium peragitur. At enim an usque adeo incredibile, fuisse in tanto numero eorum, qui sese contra Gallienum imperatores dixere, unum aliquem, qui, ut majorem ei apud suos contemptum pararet, monumento publico traducere effeminatum principem constituisset, cujus alioqui tantus jam erat despicatus, ut teste Trebellio ejus ne mentio quidem apud exercitum fieret?

Quid si homini inepto inter alia insaniae documenta, quae innumera enarrat Trebellius, venisset aliquando in mentem, ut ipse mulieris ritu, ac quidem Cereris observaretur? praecipue cum ejus deae meritum sibi posset arrogare,

a) l. c. p. 556. b) Vol. I. Proleg. p. CLII. c) in Gall. c. 16.

ex quo Aemilianum, qui in Aegypto imperium sumpsit, occupatisque horreis multa oppida fame pressit, e medio sustulit [a]). Praesto sunt Nero ac Commodus, quorum ille Apollo, hic Hercules non haberi solum, verum etiam utriusque attributis insignes in moneta publica proponi voluere. Si illum in numis habemus Apollinem, hunc Herculem, an incredibile, Gallienum pro pari sua insania non aversatum mulieris nomen, atque ipsam etiam *fecunditatis* laudem, qui omnia mulieris habuit, et mulieris ipse cultu publice processit? Novi exsistere, qui Gallienum fortem ac impigrum, et semper bello occupatum fuisse adserant, imbellem vero, ac omnibus flagitiis infamem dici a scriptoribus, quod hi adulati nimium fuere aevi sui principibus, qui a Claudio Gallieni successore se genus ducere sunt professi, nam multo diversum sisti Gallienum, si ejus ipsius numos audimus. In hac sententia fuisse Harduinum, supra vidimus, et serius idem sensit eruditus Brequignyus in sua Postumi vita [b]). Facile permisero, fuisse Gallieni vitia in pejus aucta, tamen difficile, tot historicorum, qui in effeminatis ejus moribus describendis consentiunt, velle fidem elevare, et his praeferre numos, qui principum vitia dissimulant, virtutes adfingunt. Non negavero etiam, Gallienum principio non vulgaria dedisse virtutis experimenta, subinde vero victis Ingenuo et Regaliano, rebusque supra vota cedentibus, ut perhibet Victor in Caesarib., factum solutiorem, et rem Romanam quasi naufragio dedisse; addo etiam, accidisse nonnunquam, ut urgentibus periculis excuteret veternum, et ad tempus veterem virtutem revocaret. Vtriusque exemplum multo ante dedit M. Antonius IIIvir.

Postremam hanc sententiam si malimus amplecti, possumus hos numos in moneta urbis putare, neque necesse erit, tyrannum quempiam similium numorum fabrum putare. Neque etiam necesse tum erit, partem quoque aversam ad muliebris in antica inscriptionis concordiam cogere, quod in explicanda inscriptione VBIQVE. PAX placuit Vaillantio. Si enim ferebat Gallienus, se tanquam novam Cererem muliebriter appellari, potuit cum ea inscriptione qualiscunque aversae typus consistere, v. c. in numo loci III. VICTORIA. AVG. Atqui et epigraphes VBIQVE. PAX seria esse potuit significatio, eaque sive vera, sive ficta vel adfectata, vera, si quando, ut supra innuimus, fuit aliquod pacis intervallum, ficta secundum ea, quae narrat Victor [c]): *at Romae Gallienus PACATA OMNIA ignaris publici mali improbe suadebat, crebro etiam, uti rebus ex voluntate gestis solet, ludos ac festa triumphorum, quo promptius simulata confirmarentur, exercens.* Ceterum ego huic meae sententiae non plus ponderis ipse tribuo, quam quantum conjecturae tribui vulgo consuevit, verumque esse existimo, quod de his numis edixit Barthelemyus, esse eos *l'ornement d'un Cabinet et le désespoir des Antiquaires.*

Commemorandum adhuc videtur, exstitisse nuper virum, qui se palam rei numismaticae praeceptorem ferebat,

a) Trebell. in Gall. c. 4. b) Mem. B. L. T. XXX. p. 351. c) in Caess.

Poinsinetum de Sivry, qui singularem hanc epigraphen: GALLIENAE. AVGVSTAE sic punctis distinguendam docet: GALLIEN. AE. AVGVST. AE., legendamque adeo: GALLIEN*us* AE*dilis*, AVGVST*a* AE*dilitas* [a]), qui mihi vir nunc prima, sed et summa Camoena dictus esto eum in finem, ne quis dolere possit, insignita ejus insomnia mihi in hunc usque diem fuisse ignota.

* * *

Vt lit. A.

VICTORIA. AET. *Victoria stans, in area* S. P. AR. (Mus. Caes.)

Hujus numi meminisse non attinebat, nisi notandus esset lapsus in eo describendo a Bandurio admissus [b]). Nam cum in vocabulo AET. litera A formata sit ut N, et arealis litera P fere medium locum inter E et T occupet, factum, ut is legendum putaret VICTORIA. NEPT*uni*, atque sic epigraphen ad navalem aliquam victoriam referret. Video, ad eundem quoque lapidem offendisse Taninium.

Vt lit. A.

VICTORIA. PART. *Victoria imperatori paludato adstanti coronam offert.* AR. (Band.)

Eadem aversae epigraphe habetur etiam in Valeriano, ad cujus victoriam de Parthis referendus hic quoque numus, nisi potius victorias Odenathi indicet, propter quas tanquam sibi proprias triumphavit etiam teste Trebellio [c]).

* * *

Vt lit. H.

VICTORIA. AVG. III. *Victoria gradiens.* AR. (Band.)

Vt lit. A.

VICTORIA. AVG. III. *in aliis:* VI. VII. VIII. VIIII. *Victoria gradiens.* AR. (Band.)

Probatur his numis, quod jam alias dixeram, Gallienum ita suas numerasse victorias, ut principes superiores ex numero victoriarum imperatoris titulum auxerunt. De quibus hostibus singulae hae victoriae relatae sint, definiri nequit.

* * *

Vt lit. A.

VICT. GAL. AVG. *Tres Victoriae stantes.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. E.

VICT. GAL. AVG. III. *Victoria gradiens.* AR. (Mus. Caes.)

Vterque numus tres indicat victorias, prior typo, alter ipso numero. Relatas de Gallis indicat epigraphe GAL., ergo de Postumo et Gallis ejus partes secutis. Inde factum, ut in numo, quem supra in numis expeditionis Germanicae recitavimus, diceretur RESTITVTOR. GALLIAR.

* * *

O. IMP. GALLIENVS. PIVS. FELIX. AVG. *Protome laureata d. caduceum super humero tenet.*

VIRTVS. GALLIENI. AVGVSTI. *Vir paludatus gradiens et respiciens utraque manu unum idemque vexillum gestat.* AV. m. m. (Tanini una cum icone.)

Numus insignis cum propter typum anticae, tum molem nobilis metalli. De Gallieno Mercurio egimus supra sub DONA. AVG. Cum hoc jungendus numus sequens:

---

a) Nouvelles recherches pag. 78. b) Pag. 183. c) Cap. 10.

P. IMP. GALLIENVS. PIVS. FEL. AVG. *Protome laureata cum hasta super humero, s. clypeum cum inserto Medusae capite.*

VIRTVS. AVGVSTORVM. *Gallienus paludatus thoraci insidens, et a Victoria pone stante coronatus dexteram porrigit adstanti militi, pone duo signa militaria.* AR. m. m. (Tanini una cum icone.)

Vt lit. A. Caput radiatum, in alio pelle leonis coopertum.

VIRTVS. VALERI. *Pharetra, exuviae leonis, clava, thorax, arcus.* AR. (Band.)

Gallienum utraque numi facies manifestum Herculem sistit sumpto hujus insaniae a Commodo exemplo. De addito VALERI. actum supra in PIETAS. FALERI.

Divus Gallienus.

Teste Victore Gallienum *subacti a Claudio patres, quod ejus arbitrio imperium accepisset, divum dixere*, quod utrum ope numorum probari possit, modo inquirendum.

DIVO. CAES. GALLIENO. *Caput laureatum.*

CONSECRATIO. *Aquila coelum respiciens.* AR. (Tanini.)

Hoc numo Gallieni consecrationem a Victore memoratam confirmari putat Taninius. Verum si genuinus est numus similis alter a Pembrockio vulgatus [a]), nisi quod in hoc epigraphe est: DIVO. CAES. Q. GALLIENO, multo est verisimilius, numum hunc una cum Taniniano esse Q. Iulii, qui fuit Gallieni filius, et de quo agam infra post Salonini numos. Etenim si essent Gallieni nostri, cur Caesar tantum diceretur, qui certus fuit Augustus? cur in Pembrockiano imberbis fingitur, qui in certis suis numis omnibus barbam promittit? Neglexit addere Taninius, quo cultu sit Gallienus numi sui, neque, quod tamen merebatur, ejus proposuit imaginem. Quod si in hoc quoque imberbis est, Gallieni Augusti is esse nequit, et erit haud dubie hic quoque Q. Iulii Gallieni, ut dicemus in hujus numis.

Mediobarbus argenteum ex indice Cavatortae citat: DIVO. GALLIENO. X CONSECRATIO. *Aquila fulmen unguibus tenens.* Vtrum is a nemine alio conspectus fidem promereatur, dubitem.

Numi Gallieno vulgo tributi.

GENIVS. P. R. *Caput radiatum imberbe cum modio supra caput.*

INT. VRB. S. C. *intra lauream.* AE. I. II. (Mus. Caes. Band.)

GENIO. S. P. Q. R. *Caput simile. Eadem aversa.* AE. I. (Band.)

Solae conjecturae hanc sedem his numis adsignant. Patinus Gallieno INT*ranti* VRB*em* dedicatos existimat. Nolo in re nimium ambigua immorari conjecturis. Harum alias qui volet, adeat Bandurium [b]).

Numi commatis peregrini.

Hujus generis copiosi adhuc exstant, ut docent catalogi omnes. Quod hi ad Gallieni historiam docent, suis locis inseruimus.

a) P. III. tab. 27. b) Pag. 192.

Nomina ac tituli.

Praeter nomina in numis obvia *P. Licinii*, tum et *Valeriani* ex numis Alexandrinis, inscripto A. K. Π. ΛΙ. OT. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. adsertum, nisi forte OT. significet *Verum*, si fides marmori Muratorii [a]), et *Gallieni*, quod verisimiliter a matre, ut mox dicetur, traxerit, aliud adhuc nomen

Egnatii produnt numi, sed Graeci, nam Romani hoc perpetuo abstinent. Ita legitur: Π. ΛΙΚ. ЄΓ. ЄΓΝ. ЄΓΝΑ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. Aliter hoc nomen enunciat marmor Gruteri [b]): ΠΟΠΛΙΟΝ. ΛΙΚΙΝΙΟΝ. ΙΓΝΑΤΙΟΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟΝ. ЄΤCЄΒΗ. ЄΤΤΤΧΗ. CЄΒΑCΤΟΝ. Egnatia gens Romae pridem cognita. Reinesius ex marmore, quod ipse vulgavit [c]), in quo legitur: IMP. EGNATI. PII. FEL. AVG. MAX. TRI. P. P. P. COS. II. P. novum nobis Valeriani filium Egnatium Gallienum a Gallieno nostro diversum conficit, quam sententiam amplexus quoque est Tillemontius [d]). Sed praeterquam quod invalidae omnino eorum sunt conjecturae, in quos, quaeso annos tribuent binos ejus consulatus, quos marmor praedicat? Suffectos datos illi, qui Augusti omnes honores jactat, verisimile non est; si autem fuere ordinarii, cur in fastis omnibus reticentur? Miror, hanc difficultatem non animadversam acutissimo Tillemontio. Ergo hic Egnatius Aug. marmoris Reinesiani alius non erit a Gallieno nostro. Nunc nemo jam est, qui Egnatii nomen huic ademptum velit. Vnde is illud traxerit, facilis, ut reor, conjectura. Dixi supra in uxoribus Valeriani, verisimile videri, matrem Gallieni, cujus nomen a scriptoribus est praeteritum, dictam fuisse Gallienam, a qua nomen filio factum. Adde huic nomen *Egnatiae*, habebis *Egnatiam Gallienam*, a qua filius dictus Egnatius Gallienus, ut a matre Cornelia Salonina filius Cornelius Saloninus. Haec conjectura utrum probabilis, arbitrentur eruditi.

Decii, in unis marmoribus Gruteri, quae continuo citabo.

Germanicus, addito saepe *Maximus*. De hoc titulo vide supra in classe II. numorum expeditionis Germanicae.

Dacicus Max. conjungitur cum titulo Germanici Max., tum trib. pot. III. cos. III. in marmoribus Gruteri [e]).

De trib. potestate et consulatibus.

De his agetur in tractatu singulari.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei . . . . R.
Argentei max. mod. . . . . RR.

a) Pag. 253. 6 b) Pag. 275. c) Syntagm. inscr. p. 316. d) Nota IV. in Valerian. e) Pag. 275. 3. 4.

Argentei ordinarii . . . . C.
Aenei omnis formae praecipue III. . . . . . C.
Commatis peregrini:
Numi triplicis hujus generis fere . . . . . . C.

CORN. SALONINA.

Ejus genus incertum. Istud constat, nuptam jam fuisse Gallieno fere decennio, antequam is imperator diceretur, nam Saloninus ejus filius, qui sexto circiter Gallieni imperantis anno caesus est, annum aetatis fere XVII. attigit, ut in hujus moneta dicetur. Durasse eam per totum mariti imperium, non modo numis Alexandrinis probatur, qui ei annum IЄ tribuunt, unicum duntaxat annum deinceps addente marito Gallieno, sed etiam quod teste Zonara maritum apud Mediolanum caesum ipsa coram conspexit, cui exitio tum ipsam involutam verisimile est. Male eam cum Pipara Attali Marcomannorum regis filia, Gallieni concubina, a Trebellio confundi jam docuit Tillemontius [a]), aliique.

Liberi. *Saloninus*, de quo in hujus moneta. Addit marmor Gruteri *Q. Iulium*, de quo infra post Saloninum, et filiam *Iuliam* [b]), quin et *Gallam* ex actis martyrum colligunt eruditi, de quibus lege prolixe disputantem Brequignyum [c]).

Numi:

A. SALONINA. AVG. *Ejus caput in AV. et Quin. Caput super luna in AR. et AE. III.*

B. CORN. (*rarius* COR.) SALONINA. AVG. *Caput ut lit. A.*

C. CORNELIA. SALONINA. AVG. *Ejus caput in AR. m. m. AE. m. m. AE. I. II.*

* * *

Vt lit. C.

ABVNDANTIA. TEMPORVM. *Salonina sedens accedentibus tribus puellis nudis numos ex cornucopiae effundit, adstat figura muliebris et militaris.* AE. m. m. (Baldini.)

Nova in numis epigraphe. Vide, quae proxime sub ANNONA notabuntur.

Vt lit. C.

AEQVITAS. PVBLICA. *Tres Monetae stantes solito cultu.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

ANNONA. AVG. *Mulier stans d. spicas, s. cornucopiae (in aliis ancoram) pro pedibus modius.* AR. AE. III. (Band.)

Advertit Bandurius, hanc aversam, etsi nunquam alias in Augustarum numis occurrat, posse tamen jure ad Saloninam pertinere, quoniam in hujus quoque moneta *abundantiam temporum*, et *deam Segetiam* habemus, quae utraque cum annona conjungitur.

Vt lit. A. vel B.

AVG. *vel* AVGVSTA. IN. PACE. *Mu-*

a) Nota VI. in Valerian. b) Pag. 275. 7. c) Mem. B. L. T. XXXII. p. 262.

lier sedens d. ramum oleae, s. hastam. AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Vt inusitata est haec epigraphe, ita nolim arbitrari cum Vaillantio, numos hos signatos esse a tyranno quopiam in Saloninae dedecus, perinde ac alium inscriptum VBIQVE. PAX in opprobrium Gallieni. Nam ut hic Gallieni numus rarissimus est, ita illi obvii, et potest haec epigraphe sensum commodum, neque Augustae honori injurium admittere.

* * *

Vt lit. A.

DEAE. SEGETIAE. *Templum quatuor columnarum, intra quod dea stans manus attollit.* AR. AE. III. (Mus. Caes.)

Segetiam Romanorum deam jam multo cum sale risit D. Augustinus [a]). Ejus etiam meminit Macrobius [b]). Ipsum nomen docet, fuisse praefectam segetibus. Eandem Plinius *Segestam* vocat [c]).

Vulgavit Harduinus in Plinio suo L. X. p. 570 numum Gallieni argenteum, eumque aeri incisum dedit tab. VIII., cujus is aversam sic describit: DEAE. SEGVSANO. *Dea stat expansis manibus intra triumphalem arcum.* Praesentes Saloninae numos cum Harduini iconismo conferentibus facile manifestum fiet, perperam ab erudito hoc viro lectum SEGVSANO pro SEGETIAE. Ex hoc tamen indicio istud intelligimus, hanc deam non tantum Saloninae numis, sed mariti etiam fuisse illatam, etsi in Gallieno rarissimos esse oporteat, cum ejus similem neque Bandurius, neque Taninius usquam conspexerint.

* * *

Vt lit. A.

IVNO. AVG. *Mulier sedens d. florem, s. infantem fasciis involutum.* AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

Vt lit. A.

IVNONI. CONS. AVG. *Cervus.* AR. AE. III. (Ibid.)

Typum numi praecedentis explicatum vide in moneta Lucillae. Cervi causa Iunoni adstituti altius est petenda. Vaillantius et Bandurius ad Tristani hac super re judicium appellant. Docet hic, propterea Iunonem cerva gaudere, quoniam teste Callimacho [d]) cum Diana cervas aliquando venaretur, harum unam Iuno ejus furori subduxit. Vix existimo, a causa parum cognita, et forte uni Callimacho memorata cervum Iunoni in hoc numo quaesitum. Eam potius ex notiore mythologia petendam puto, qua docente discimus, Iunonem eandem esse cum Diana, cum partus ministeria aguntur. Ita diserte Cicero [e]): *Luna a lucendo nominata; eadem est enim Lucina. Itaque ut apud Graecos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo invocant, quae eadem Diana annivaga dicitur.* Lege etiam, quae sequuntur. Quare cum in hoc numo Iuno dicatur *conservatrix Augustae*, eamque praecipue in partu sibi praesentem velit Salonina, placuit pro pavone adstituere cervum, ut non Iuno regina intelligeretur, sed Lucina, quae eadem cum Diana.

---

a) de civ. Dei L. IV. c. 8. b) Saturn. L. I. c. 16. c) L. XVIII. §. 2. d) Hymn. in Dian. v. 105. e) de Nat. deor. L. II. c. 27.

Numi reliqui typos in Augustarum moneta obvios continent.

Numi commatis peregrini.

Vt Gallienus, ita et uxor copiosos ostentat numos foris signatos, nihil tamen hi ad historiam memorandum continent praeter nomina, de quibus mox.

Nomina Saloninae.

Ex numis Latinis et marmoribus alia ejus nomina non habemus praeterquam *Corneliae Saloninae.* Alia adhuc memorant numi Graeci.

Iulia. Additum nomen istud legitur in nonnullis numis urbium Cariae, ut Antiochiae et Aphrodisiadis, sic: ΙΟΥ. ΚΟΡ. CΑΛΩΝΙΝΑ a). Inde a Iulia Domna multae Augustarum, etsi ex gente Iulia non fuere, Iuliae sibi nomen adscivere. Igitur filius Q. Iulius, et filia Iulia, quos supra in ejus liberis indicavi, a matre haec sua tenuere nomina.

P. Licinia. Legitur in numis Aphrodisiadis et Bargasae, Cariae item: ΠΟ. ΛΙΚ. ΚΟΡ. CΑΛΩΝΙΝΑ. (Pellerin.) Certum videtur, Saloninam pro ea ejus aetatis in adoptandis nominibus licentia haec nomina a marito Gallieno suscepisse.

Chrysogone. Nomen istud jam pridem ex numis Graecis cognitum: CΑΛΩΝ. ΧΡΥCΟΓΟΝΗ. CЄΒ. inscriptum compluribus numis urbium Ioniae ac Lydiae. Ex quo tamen non sequitur, quod censuere nonnulli, Saloninam forte stirpis Graecae fuisse. Verisimile est, ei aureum istud nomen a quibusdam adulantibus Graeculis fuisse adfixum.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	RRR.
Argentei max. mod.	RRR.
Argentei moduli ordinarii	C.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. et II. formae	R.
Aenei III. formae	C.
Commatis peregrini:	
Vrbium liberarum	R.
Coloniarum	RR.
Alexandrini	C.

a) Pellerin.

P. LIC. CORN. VALERIANVS SALONINVS.

Gallieni et Saloninae filius certus, quod praeter historicos ac numos diserte docet marmor Gruteri [a]), quod eum Valeriani nepotem, Gallieni et Saloninae filium praedicat. Avo et patre ad imperium evectis V. C. 1006, continuo dictus Caesar [b]) aliquot post annis a patre in Gallias, ubi is tum degebat, est avocatus. At Gallienus turbatae tum ab Ingenuo Pannoniae succurrere coactus interea filium Sylvani fidei credidit. Quod cum aegre ferret Postumus Galliarum tum praefectus, Saloninum quaesitis causis Coloniam Agrippinam compulit, eaque armis expugnata ad mortem adegit circiter V. C. 1012 annos natum fere XVII., ut haec omnia multo examine collegit eruditus Brequignyus [c]).

SALONINVS CAESAR.

A. P. COR. SAL. VALERIANVS. CAES. *Caput radiatum in AR.*

B. P. C. L. VALERIANVS. NOB. CAES. *Caput nudum in AV. AR. m. m. Q. AE. I. II., radiatum in AR.*

C. SALON. VALERIANVS. CAES. *Caput radiatum in AR.*

D. P. LIC. COR. VALERIANVS. CAES. *Caput radiatum in AR.*

E. LIC. COR. SAL. VALERIANVS. N. CAES. *Caput radiatum in AR.*, *nudum in AE. m. m. I. II.*

F. SALON. VALERIANVS. NOB. CAES. *Caput radiatum in AR.*

G. VALERIANVS. CAES. *vel* NOBIL. CAES. *Caput radiatum in AR.*

H. P. LIC. VALERIANVS. CAES. *Caput radiatum in AR.*

* * *

Vt lit. A.

DII. NVTRITORES. *Iuppiter stans s. hastam, d. Victoriolam porrigit imperatori paludato adstanti.* AR. (Mus. Caes.)

Deos Genitales in Crispina, *Auspices* in Severo, *Patrios* in Caracalla et Geta vidimus, *Nutritores* nondum hactenus. Eos Libanius θεȣς κȣροτροφȣς appellat. Tristanus adstantem Iovi figuram Gallienum ipsum facit, eumque una cum Iove dici *deum* et *nutritorem* filii adfirmat, credo propterea, quoniam epigraphe plures deos enunciat, quae adeo, nisi et alteram figuram complectatur, vera non erit. Haec sententia vera haud dubie est, quia laurea, qua adstantis caput ambitur, quaque Saloninus, quamdiu Caesar fuit, nunquam usus est, dubitare de Gallieno non sinit.

---

a) Pag. 275. 5. b) Trebell. Zosim. c) Mem. B. L. T. XXXII. p. 262. d) Tom. I. Declam. XLI. p. 879.

* * *

Vt lit. B. et G.

IOVI. CRESCENTI. *Iuppiter infans caprae insidet.* AR.

Typus obvius in moneta Salonini, et secundum alios etiam Valeriani iunioris. Reperitur etiam, sed rarius, in Gallieno. In ejus explicatu more suo abundat Tristanus. Proponitur Saloninus puer ritu Iovis pueri crescentis inter alimenta a capra praebita, quae nota est fabula. Re ipsa hoc typo involvitur spes de Salonini imperio concepta. Enimvero apud Gruterum juxta similem Iovis crescentis imaginem legitur BONAE. SPEI. AVG. VOT. [a]).

* * *

Vt lit. B. C. H.

PIETAS.AVGG. *Instrumenta pontificalia.* AV. AR. (Band.)

Aversa obvia in moneta Caesarum.

Antica varia.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Ipse paludatus stans cum variis attributis.* In omni metallo et forma.

Numi reliqui: FIDES. MILITVM. — SPES. PVBLICA — VICTORIA. GERMAN. — VICTORIA. PARTH. nempe victoriae patris et avi in Salonini moneta jactatae.

SALONINVS AVGVSTVS.

A. IMP. SALON. VALERIANVS. AVG. *Caput radiatum.*

SPES. PVBLICA. *Spes gradiens.* AR. (Pellerin Mel. I. p. 193.) AE. III. (Band.)

B. IMP. VALERIANVS. P.F. AVG. *in aliis sine* IMP. *Caput radiatum.*

AEQVITAS. AVG. — DEO. VOLKANO. — ORIENS. AVGG. — PAX. AVGG. PIETAS. AVGG. — VIRTVS. AVGG. (Band. sub Valeriano jun.)

C. IMP. C. P. LIC. VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Miles hastatus stans.* (Band. sub Valeriano jun.)

D. IMP. VALERIANVS. AVG. *Caput radiatum.*

SECVRIT. PERPET. *Mulier stans d. hastam, s. cippo innixa.* (Band. sub Valeriano jun.)

Vt lit. C.

VICTORIAE. AVGG. IT. GERM. *Victoria stans, pro pedibus captivus sedens.* AR. (Catal. raisonné p. 132.)

Numi sub Literis B. C. D. ab omnibus hactenus Valeriani jun. moneta habiti sunt. De titulo Augusti, quem numi hi praeferunt, agetur mox in singulari dissertatione.

DIVVS SALONINVS.

Saloninum in divorum numerum relatum, sequentes numi comprobant.

A. DIVO. CAES. VALERIANO. *vel:* DIVO. VALERIANO. CAES. *Caput radiatum in AR. AE. III.*

B. LIC. COR. SAL. VALERIANVS. N. CAES. *Caput radiatum in AR. AE. III.*

C. DIVO. CORN. SAL. VALERIANO. *Caput nudum in AE. I.*

D. DIVO. VALERIANO. *Caput nudum in AE. I.*

---

a) Peg. 1075.

* * *

Vt lit. A. B. C. D.

CONSECRATIO *vel* CONSACRATIO. *Ara ignita, vel aquila stans, vel haec Caesarem s. hastam tenentem sursum efferens.* AR. AE. III. (Mus. Caes.) *Rogus.* AE. I. (Band.)

Vt lit. A.

ORIENS. AVGG. *Sol stans d. elata, s. globum.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PIETAS. AVGG. *Instrumenta pontificalia.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PRINCIPI. IVVENT. *typo solito.* AR. (Band.)

Lubet et sequentem numum in hanc stationem inferre.

VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

CONSACRATIO. *Aquila volans imperatorem s. hastam tenentem sursum effert.* AR. (Baro Bimard ad Iobert. T. II. p. 103.)

Numi commatis peregrini.

Coloniarum numi desunt dempto Antiochiae Pisidiae, qui est in museo Caesareo. Alium coloniae Parianae Mediobarbus ex museo suo dedit, sed perperam Valeriano jun. adsignavit. Exstant tamen complures signati in urbibus Graecis, et in Aegypto, ex quibus, quae huc faciunt, in sequentibus animadversionibus excerpemus.

Nomina Salonini.

Ejus omnia nomina fuere: *P. Licinius Cornelius Saloninus Valerianus Gallienus.* Dempto postremo confirmantur omnia ab ipsis numis Romanis. *Gallieni* nomen teste Bandurio ostentat numus Perinthiorum, et alter Antiochiae Pisidiae ex museo Caesareo, et consentit Trebellius [a]) tum Zonaras [b]).

Egnatius. Hoc nomen praefert numus Samiorum apud Vaillantium, sed quem is perperam Valeriano jun. tribuit [c]), ut dicetur infra in diatriba II.

Cornelii Salonini nomina habuit a matre Cornelia Salonina, reliqua a patre et avo.

DIATRIBE I.

De titulo Augusti in Saloninum collato.

Saloninum Augustum faciunt numi sequentes:

Commatis Romani:

Eos paullo altius descriptos vide.

Commatis peregrini:

ΠΟΤ. ΛΙΚ. ΚΟΡ. ΟΤΑΛΕΡΙΑΝΟΝ. ΚΑΙ. CΕΒ. *Caput nudum*, Colybrassi Ciliciae. (Pellerin Rec. III. p. XXVII.)

ΠΟΤ. ΛΙΚ. ΚΟΡ. ΟΤΑΛΕΡΙΑΝΟΝ. CΕΒ. *Caput laureatum*, ejusdem urbis. (Pellerin Rec. III. p. 249.)

ΠΟΤ. ΛΙΚ. ΚΟΡ. ΟΤΑΛΕΡΙΑΝΟC. CA. ΚΑΙ. CΕΒ. *Caput nudum*, Sidetum Pamphyliae. (Mus. Caes.)

ΠΟΤ. ΛΙΚ. ΚΟΡ. ΟΤΑΛΕΡΙΑΝΟΝ. ΚΑΙC. C. *Caput nudum*, Laertes Ciliciae. (Pellerin Rec. III. p. 252.)

ΑΤΤ. ΟΤΑΛΕΡΙΑΝΟC. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. ΟΤΑΛΕΡΙΑΝΟC. CΕΒΒΒ. *Capita Valeriani et Gallieni laureata, in horum medio caput Salonini nudum*, Nicaeae Bithyniae. Sunt et similes Nicomediae, quos

a) in Valeriano jun., et in Salonino cap. 1. b) L. XII. c. 24. c) Num. Graec. p. 188.

collectos vide apud Bandurium p. 135 seq.

* * *

Alexandrini.

Π. ΛΙΚ. ΚΟΡ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. ΚΑΙC. CEB. *Caput nudum cum annis* Δ. Ε. Ϛ. Ζ. (Mem. B. L. T. XXXII. p. 268.)

Cum solo *imperatoris*, seu αὐτοκράτορος titulo:

IMP. C. L. VALERIANVS. NOB. CAES. *typo trium Monetarum.* AE. I. (Mus. Genovevae tab. XIX. n. 20.) Verum in simillimo musei Caesarei pro IMP. legitur simpliciter P.

IMP. CAES. P. LIC. CORN. GALLIENO. *Caput radiatum*, Antiochiae Pisidiae. (Mus. Caes.)

A. K. Π. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. *Caput laureatum*, Cymes Aeolidis, et Smyrnae. (Band.)

Ex catalogo numorum, qui Saloninum Augustum dicunt, eximendus is, quem Bandurius sic describit:

> SAL. VALERIANVS. AVG. *Caput Salonini corona ex lauro et gemmis ornatum.*

VENERI. VICTRICI. *Dea stans d. pomum, s. galeam, in area* S, *in imo* SM. TS. AE. II.

Numum hunc hausit Bandurius ex museo M. Ducis. Ea lectio cum mihi pridem suspecta visa esset, numum coram curate inspexi, at cum nonnihil exesae sint literae, aliud exsculpere non licuit, praeterquam: SAL. VALERIANVS, ut dixi in meis Num. vet. p. 314, quo loco fallacem hunc numum restitui. Serius obductum et Bandurio et mihi glaucoma adverti, cum reperirem casu, capitis epigraphen legendam: GAL. VALERIA. AVG., numumque esse obvium ac tritum Galeriae Valeriae uxoris Gal. Maximiani.

Commemoratis Salonini Augusti et imperatoris numis eruditorum de his judicia audienda.

Bandurius cum videret, Saloninum adhuc vivum in numis compluribus dici Augustum, at Caesarem tantum in ejus consecrati numis, tam gravem eam difficultatem edixit, ut nulla ingenii vi explicari posse testaretur [a]).

Audentior Brequignyus nodum solvere tentavit in sua dissertatione de familia Gallieni [b]), quod quidem tentamen sic instruxit.

Constat, Saloninum V. C. 1010 a patre Gallieno ex urbe in Gallias ad exercitum accitum, at cum pater paullo post turbantibus Pannoniis discedere inde cogeretur, filium reliquisse in Galliis, ubi deinde ea a Postumo passus est, quae diximus. Verisimile, Saloninum a patre antequam discederet, dictum Augustum, ut majore in Galliis polleret auctoritate. Quod si statuamus, delatum hunc filio honorem non fuisse a senatu ratum habitum, hoc uno conciliabuntur facile, quae nulla ratione conciliari posse videbuntur. Ex vetere more provinciae divisae erant inter imperatores et senatum. Ergo quae erant prioris generis, intellecta principis voluntate Saloninum agnovere Augustum, non item, quae a senatu pependere. Et agnovit Aegyptus Augustum, quoniam imperatoria ea fuit; unde tot ejus numi, qui CEBαστον eum appellant.

---

a) in praef. ad Tom. I. b) Mem. B. L. T. XXXII. p. 266.

Constat deinde, ad imperatorem pertinuisse jus signandi auri argentique, ad senatum aeris, unde in promptu ratio, cur exstet argenteus, qui Saloninum Augustum dicit. Certum denique, consecrationem juris senatorii fuisse, unde rationem rursum tenemus, cur Saloninus in consecrationis numis Caesar tantum nominetur. Quod vero in aliquibus numis, qui in provinciis signati sunt, quae senatus fuere, dicatur tamen *imperator* simpliciter, nequaquam mirum, nam ut quis agnosceretur Augustus, necesse erat accedere auctoritatem senatus, at imperatoris titulus adclamatione militari acquirebatur.

Atque hoc obtentu Brequignyus plana omnia spondet, quae impedita hactenus atque implexa videbantur. Quo minus continuo adsensum praestem, obstat

I. Auctore ipso Saloninus in numo argenteo dicitur Augustus, quoniam feriundi argenti jus ad principem pertinuit. Quaero, cur idem in argenteis consecrationis numis tanto numero superstitibus, constanter dicatur Caesar tantum, Augustus ex ejus sententia nunquam? An ut consecrationis decretum, ita et jus signandi aureos argenteosque consecrationis numos ad senatum pertinuerat? Sin istud, cur in omnium consecratorum principum numis nobilioris metalli abest nota S. C.? Novi eam exsistere in numis aureis argenteisque divi Vespasiani: verum tum scribitur EX. S. C., quo indicari, non hos numos senatus consulto fuisse cusos, sed Vespasianum ex S. C. consecratum, noverunt omnes.

II. Exstant Alexandrini Salonini numi cum titulo Augusti, annisque Δ. Z. Coepit annus Δ exeunte Augusto V. C. 1009 P. X. 256, et annus Z eodem mense V. C. 1012 P. X. 259, quo ipso eum anno subinde caesum diximus. Ergo Saloninus Augustus fuit annis solidis duobus, et saltem aliquot mensibus. Ex quo consequitur necessario, numos Salonini tantum Caesaris argenteos omnes, quorum ingens superest copia, quin et aureos omnes, quos habemus, signatos fuisse ante mensem Augustum dicti anni 1009, cum deinceps Augusti cum imagine proponi necesse fuerit. At cur monetarii, qui tam seduli fuere in dedicanda Salonino *Caesari* moneta, continuo remisere, ex quo is Augustus fuit? Certe ex moneta argentea Salonini Augusti intra biennii et amplius spatium signata numum unicum habemus superstitem. Si vera Brequignyi sententia, an non contrarium potius debuisse evenire ipsa ratio suadet? Adverte, me hic loqui in sententia Brequignyi, qui unicum tantum argenteum Salonini *Augusti* agnovit, reliquos aliorum exemplo Valeriano jun. adjudicavit.

III. Habemus argenteos Salonini numos inscriptos VICTORIA.PART., perinde ac patris Gallieni, et avi Valeriani. Omnium una est sententia, hos signatos occasione victoriae, quam hic sub initium expeditionis suae de Persis retulit. Relatam hanc chronologi statuunt V. C. 1012, qui Brequignyo ipso judice fuit postremus Salonini. Tamen is in hoc numo Caesar tantum dicitur, qui tum vel maxime Augustus dicendus fuerat.

IV. Recitat Muratorius insignem inscriptionem dedicatam Valeriano, Gal-

lieno, quorum utrique additur trib. potestas VII., et Salonino, qui dicitur: P. CORNELIVS. SALONINVS. VALERIANVS. NOBILISS. CAES. PONT. Currebat illorum tribunatus VII. cum anno V. C. 1012, Salonini, ut diximus, postremo, et tamen Caesar adhuc tantum appellatur. Lapis teste Muratorio [a]) repertus est in Italia. An et haec quoque regio ad senatum pertinuit?

V. Quin et ipsi numi, qui Saloninum Augustum pronunciant, plerique aliquid illi de Augusteo honore detrahunt. Ea aetate Augustorum capita in numis cujuscunque commatis nuda nunquam comparent. At Saloninus etsi Augusti titulo tumidus tamen in numis Aegypti, et plerarumque aliarum urbium, quo caput tegeret, non reperit. Eodem modo numi Aegyptii Philippum juniorem, quo tempore Caesar tantum erat, rite quidem capite nudo proponunt, et tamen Καισαρα CЄBαστον appellant.

VI. Denique cum numi omnes, qui hactenus Valeriano jun. ab antiquariis tribui consueverunt, haud dubie Salonino restituendi sint, ut sequente diatriba adcurate comprobabo, ex quo sequitur, nequaquam unicum tantum Salonini numum argenteum cum titulo Augusti agnoscendum, sed plures, eosque justo numero, Brequignyi sententia suapte corruit. Nam cum hi numi manifeste sint commatis Romani, et Saloninum, seu vivum seu defunctum, jam Caesarem jam Augustum promiscue dicant, titulus Augusti non jam ex varia mente provinciarum est explicandus, sed mirum hunc dissensum intra ipsam urbem stetisse agnoscimus. At enim idoneam ejus commemorare causam, hoc opus, hic labor. Tentabo tamen. Video in nonnullis monumentis Saloninum *imperatorem* nob. Caesarem absque titulo Augusti dici. Recitat Gruterus marmor inscriptum: IMP. CAES. P. LICINIO. CORNEL. VALERIANO. NOBILISS -- CES. PRINCIPI. IVVENTVTIS [b]). Si vera est lectio numi, quem supra ex museo Genovevae citavi, et qui est commatis Romani, in hoc quoque dicitur IMP. C. L. VALERIANVS. NOB. CAES., ut mittam numos plures Graecos, in quibus solum titulum αὐτοκράτορος, *imperatoris* praefert. Videri igitur possit, Saloninum, cum vice patris apud exercitum Gallicum subsisteret, ut majore polleret auctoritate, imperatoris titulo, sed militari tantum, fuisse ornatum. Quid quod eadem ratione paullo post numi non pauci Carini et Numeriani inscripti fuere: IMP. C. M. AVR. CARINVS. vel NVMERIANVS. NOB. C., cujus veram causam in utriusque numis ex Vopisco proponam. Praecipuum exemplum Iulianus apostata, in iisdem Galliis et Caesar tantum, et imperator. Si vera sunt Trebellii testimonia, etiam Valerianus jun. dictus erat imperator, quem tamen neque Caesarem, neque Augustum fuisse sequente diatriba luculente probabo. Non hic disputo, quid hac aetate, et in hac rerum omnium perturbatione in imperatoris vocabulo ejusque sensu potuerit immutari, etsi Titum, Trajanum, Antoninum Pium, Commodum, Caracallam jam viderimus imperatores, et tantum

a) Pag. 460. 5. b) Pag. 158. 8.

Caesares, si modo vetera majestatis Rom. exempla hujus aevi opprobriis possunt aequiparari. Quod huc facit, video Victorem in Caesarib. acerbe conqueri, Gallieno imperante non modo rerum vim, sed et nominum fuisse corruptam. Quid igitur mirum, in communi ea perversitate monetarios non paucos imperatoris titulo deceptos, cum eum plerumque alias cum Augusti nomine conjunctum viderent, eum revera Augustum dicendum fuisse arbitratos. Quod si ad istud stabiliendum requirimus exemplum, illustre, ac simillimum nobis suppeditant numi Macrini, in quorum aliis, etsi uno eodemque anno signatis, legitur: TR. P. II. COS. aliis: TR. P. II. COS. II., cujus causam jam tum in consulatus a monetariis varie numeratos contuleram. Paucis ut quaestionem totam absolvam, omissus in ipsis, ac fere omnibus consecrationis numis titulus Augusti tanti esse momenti mihi videtur, ut verisimile non sit, Saloninum certa quadam lege promulgatum Augustum, talemque per imperium agnitum.

DIATRIBE. II.

De numis Valeriano jun. hactenus adjudicatis.

Omnium antiquariorum judicio Valerianus junior senioris filius, Gallieni frater germanus suos habuit numos. Re maturius expensa visum, numos omnes, quos eruditi usque modo eidem proprios voluerunt, restituendos Salonino. Cum mihi hoc loco adversum inveteratam omnium sententiam, qui numos antiquos tanta cum gloria illustravere, pugnandum sit, necesse est, causam omnibus copiis, quas ars nostra suppeditat, instruere, ne temere ad evertendam opinionem tantis nixam auctoritatibus processisse videar, quod facile obtinebo, siquidem evicero, Valerianum hunc neque Caesarem, neque Augustum unquam fuisse; nam constat, nonnisi iis, qui hac dignitate praefulsere, dedicatam monetam fuisse. Omnium ergo primo sequens thesis probanda.

§. I.

Valerianus junior neque Caesar, neque Augustus probari ex veteribus monumentis potest.

Vetera monumenta dicimus I. historicos, II. fastos, III. marmora, IV. numos, quae omnia quam parum faveant Valeriano, seorsim contemplabimur.

I. *Historici.* Ex his unus Trebellius Pollio Valerianum aut Caesarem aut Augustum profitetur, at quam istud ambigue, ex ipso audiamus. Ait primum in ejus ipsius vita: *a patre absente Caesar est appellatus, a fratre, ut Celestinus dicit, Augustus.* Paullo post: *et quoniam scio, errare plerosque, qui Valeriani imperatoris titulum in sepulcro legentes illius Valeriani redditum putant corpus, qui a Persis est captus, ne ullus error obrepat, mittendum in literas censui, hunc Valerianum circa Mediolanum sepultum addito titulo Claudii jussu: VALERIANVS IMPERATOR.* Alio loco a): *ubi* (circa Mediolanum) *continuo et frater ejus Valerianus est interfectus, quem multi*

a) in Gallien. c. 14.

Augustum, *multi Caesarem*, *multi NEVTRVM fuisse dicunt*, *quod verisimile non est. Siquidem capto jam Valeriano scriptum invenimus in fastis*: *VALERIANO. IMPERATORE. COS. Quis igitur alius potuit esse Valerianus*, *nisi Gallieni frater? Constat de genere*, *non satis tamen constat de dignitate*, *vel ut coeperunt alii loqui*, *de majestate.* O praeclarum historicum! cum quo comparati Thucydides, Polybii, Taciti nihil sunt. Si scriberem ego: mortuus est anno post Christum MDCCXLV. Carolus elector Bavariae, quem multi Romanorum imperatorem, multi Bohemiae regem, multi neutrum fuisse dicunt, si inquam haec Vindobonae, ipsa imperii sede, ubi publica privataque testimonia praesto sunt, quo tempore innumeri adhuc sunt superstites, qui ipsi testes fuere rerum gestarum ejus principis ante annos nonnisi L. defuncti, eadem lege scriberem, narraremque, an non omnibus aut risum moverem, aut stomachum? Anni numerabantur non multo plures XL., qui inter Valeriani senioris fatum Persicum, et Constantini M. imperium, quo regnante Trebellius scripsit, intercessere, et nisi docuisset Celestinus nescio quis, Valerianum fuisse dictum a fratre Augustum, ignorasset rem maximi sane momenti, qui in urbis luce historiam aevi sui scripsit, eamque imperantibus dedicavit, qui Mediolano usque lapidem evocat, cujus fide fabulam de reddito a Persis Valeriani corpore abstergeret, perinde quasi rei ante annos non multos gestae, et ad memoriam insignis testes omnes quodam Deucalionis diluvio interiissent. At enim etsi ridicula haec fuere testimonia, certum tamen reddidere bonum Trebellium, Valerianum suum fuisse Augustum. At cur paullo post in eodem examine diffisus Celestino suo et lapidi Mediolanensi *verisimile* tantum ait, eum Augustum fuisse? Verum jam acrius crisin intendit. Ad fastos provocat, in quibus scriptum testatur: VALERIANO. IMPERATORE. COS., eorumque fide Valerianum imperatorem probat. Non recusamus horum judicium, iisque fasces libenter submittimus. Quis crederet, posse scriptorem tanto testimoniorum hiatu haec denique parturire: *constare quidem de Valeriani genere*, nimirum qui ejus majores, *non satis tamen constare de dignitate vel majestate*, nimirum fueritne Caesar vel Augustus. Totum igitur, quod nos operose docuit Trebellius, huc redit: constat, non constat. Nescio, operaene pretium sit, recitare alium adhuc Trebellii locum, qui huc pertinet [a]). Narrat, consularem Aurelium Fuscum Pisoni divinos honores decrevisse, addidisseque: *Gallienum et Valerianum et Saloninum imperatores nostros esse confido.* Memoratus hoc loco Valerianus, ajunt, nequit esse pater Gallieni, qui sane fuisset praeponendus, et qui tum in squalore Persico haesit, ergo frater Valerianus, atque hic ex hoc etiam testimonio imperator. Liceat bona eorum venia aliter sentire, atque istud quoque Trebellii oraculum aspernari. Nam Saloninum tanquam vivum appellat eo tempore, quo verisimiliter in vivis amplius non fuit. Quod si, ut aliqui hanc

a) in tyranno Pisone.

sententiam mitigant, hoc nomine intelligitur Q. Iulius alter Gallieni filius, petam mihi probari, eum et Saloninum fuisse dictum. Novi, istud a nonnullis duci ex numis, sed Goltzianis, tum et Trebellio, verum tota haec Trebellii oratio sensu caret, ut adeo jam Salmasio, tum et Pagio a), luxata, et egere ope medica visa fuerit. Atque haec ejus testimonia quantumcunque imbellia et futilia, unica tamen sunt, quae Valerianum Augustum profitentur, et hoc unico auctore nixi antiquarii, quem pridem Pagius ipsam, quam scripserat, historiam ignorasse arguit, de quo exstat ipsorum veterum judicium, eum *multa incuriose prodidisse* b) et qui palam profiteri non dubitavit, se hos de vita principum libellos non scribere, sed dictare, et dictare cum ea festinatione, ut respirandi non habeat facultatem c), hoc, inquam, nixi auctore tacentibus historicis reliquis non dubitabant Augustum proclamare.

II. *Fasti.* Ad hos, ut diximus, provocat Trebellius, cum in iis legeret VALERIANO. IMPERATORE. COS. Quos fastos ob oculos habuerit, nescio; quos hodie superstites habemus, hanc formulam ignorant, neque solum in hoc, sed in omnibus retro imperatoribus. Quid quod haec formula, saltem ut eam proponit, aperte fallit. Additum COS. simplex notare consulatum I., nemo erit, qui ambigat. Valeriani nostri consulatum I. fuisse suffectum, docent fasti. An habemus adhuc exemplum, illi, qui Augustus fuit, delatum fuisse suffectum, non ordinarium? Sed mittamus haec. Opponet aliquis, in Chronico Alexandrino annum post Christum 265 signari consulatu Ουαλεριανου Αυγουστου το Δ, id est: το δευτερον, *iterum*, et constat, eodem hoc anno Valerianum nostrum processisse consulem iterum. At quis non videt, Chronicon istud, ut omnia sus deque miscet, ita et hoc loco parachronismum admittere se dignum, nam *Valeriani Augusti* nomine non intelligit juniorem nostrum, sed seniorem hujus patrem. Ceterum mirari subit, Trebellium, cum Valerianum probare Augustum cupit, nullum proferre monumentum, quod eum revera Caesarem vel Augustum dicat, dum omnia, quae adfert, excluso quovis alio titulo eum imperatorem tantum faciunt. Quod si etiam demus, non fuisse deceptum Trebellium legendis his epigrammatis, tamen probatum nondum est, Valerianum propterea, quod imperator dicebatur, fuisse aut Caesarem, aut Augustum. Vidimus diatriba superiore, Saloninum et Carinum cum fratre, etiam cum Caesares tantum essent, dictos tamen imperatores; poterat ergo et Valerianus, ut olim Drusus senior dici imperator titulo nempe militari, etsi neque Caesar esset, neque Augustus. Vide, quae de hoc argumento in laudata diatriba ad numerum VI. plura commemoravi.

III. *Marmora.* Vnicum, quod equidem norim, marmor exstat, quod Valerianum nostrum prodat. Est apud Gruterum d) et insignis sane auctoritatis, nam inhaeret arcui portae urbis Vero-

a) Crit. Bar. ad V. C. 1013. §. 3. b) Vopiscus in Aureliano c. 2. c) in Censorino tyr. d) Pag. 166. 2.

nensis. Legitur in eo omissis reliquis: VALERIANO. II. ET. LVCILIO. CONS. et paucis interjectis: IVBENTE. SANCTISSIMO. GALLIENO. AVG. Vbi in hoc epigrammate, quod majorem Trebellianis omnibus fidem meretur, Valerianus noster vel Caesar, vel Augustus, vel imperator? In eodem Gallienus rite dicitur Augustus, nimirum quia talis fuit. Igitur cum idem titulus omittatur in Valeriano, patet, eum Augustum non fuisse.

IV. *Numi.* Ad hos potissima antiquariorum provocatio, nam horum nullus adhuc fuit, qui non suos Valeriano juniori numos esset largitus. Ergo quod sequitur, novere hujus numos ab aliorum imperatorum moneta secernere.

Tres modi horum criterium constituunt, I. lineamenta vultus, II. epigraphe capitis, III. variae in aversa peristases. At omnes tres modos in Valeriano esse fallaces, nullumque ex numis hactenus illi tributis, qui non aeque posset ad Saloninum referri, nunc comprobatum eo.

Lineamenta vultus. Haec in numis Valeriano huic tributis tam sunt ambigua, ut ex iis solis ipsi illi, quos artis nostrae principes magistros agnoscimus, arbitrari vereantur, sintne tribuendi Salonino, an hujus patruo Valeriano, coganturque propterea epigraphes modum suppetias vocare, ut mox sectione sequente intuebimur. Neque vero et mihi, ut ingenue fatear, inspectis tot hujus generis numis vel levissimum discrimen a lineamentis capere licuit. Et non mirum istud videatur, cum utriusque aetas justo intervallo distaret? Mortuus est Saloninus, cum annum ageret fere XVII., quam aetatem produnt etiam ejus numi. Demus, Valerianum annis XX. fuisse fratre Gallieno juniorem, cum hic anno aetatis L. caesus sit, necesse est, Valerianum egisse tum annum XXX. Fateor, artificum peritiam in fingendis vultibus jam tum deficere coepisse, at non usque eo prolapsam dicemus, ut peradolescentis, virique lineamenta confunderent, quae facile fuerat addita Valeriano barba distinguere, quam ejus aevi principes, cum primum natura dedit, promittere non neglexerunt. Inspice, quaeso, numos Augusti titulo insignes, quos tribuere hactenus Valeriano jun. consuevimus, an non in his omnibus genae perinde leves ac facies puerilis appareant, atque in iis omnibus, quos certo esse Salonini novimus.

Epigraphe capitis. Ad hanc recurri coeptum, cum prior ratio anceps esset, et in utramque partem fallax. Vt minoris subsellii praeceptores praeteream, de ea haec Vaillantius [a]): *Plurimi Salonini numi ei* (Valeriano juniori) *tribuuntur. Qui enim in epigraphe his literis COR. aut SAL. aut DIVI nomine gaudent, Valeriani junioris non sunt, sed Salonini.* Huic fere consona scribit Iobertus [b]): *Oportet nosse distinguere inter numos duorum Valerianorum, nimirum ejus qui fuit filius Gallieni et Saloninae, dictus* Cornelius Saloninus, *et ejus, qui fuit filius Valeriani et Marinianae, dictus* Licinius. *Cum nihil scribitur praeterquam VALERIANVS, difficile discrimen, at cum additur COR. vel SAL. vel DIVVS,*

a) Num. praest. T. I. p. 190. ed. Rom.

b) Tom. II. p. 28.

vel CONSECRATIO, *certissimum habemus Saloninae filium; Marinianae enim filius consecratus non est. Contra cum additur LIC., is tibi constanter Valeriani filius esto*, nempe Valerianus junior.

Regulam Vaillantii non valere ad omnes, de quibus controvertitur, numos, eam vero, quam dictavit Iobertus, esse falsam, facile demonstramus.

Nomina Salonini, quae vel ipsi numi Romani praeferunt, fuere P. LICINIVS. CORNELIVS. SALONINVS. VALERIANVS. Certum est, numos, in quibus Cornelii vel Salonini nomina adduntur, Valeriani jun. esse non posse, etsi hic suos, quod negamus, haberet numos, sed esse Salonini, qui ea a matre Corn. Salonina traxit, quae ad Valerianum nostrum non pertinuit. Certum est etiam, potuisse a monetariis ex pluribus his nominibus aliqua tantum adhiberi neglectis aliis, cujus exempla obvia per omnes fere Augustos habemus. Quin in eo conspirant omnes, etiam cum solum *Valeriani* nomen in numis est, nonnunquam haud dubie unum Saloninum indicari. Sic in plerisque ejus consecrati numis legitur tantum: DIVO.VALERIANO. CAES. In numis maximi moduli Nicaeae et Nicomediae signatis: ΑΤΤ. ΟΤΑΛЄΡΙΑΝΟϹ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. ΟΤΑΛЄΡΙΑΝΟϹ. ϹЄΒΒΒ. *Capita Valeriani sen. et Gallieni laureata, Salonini nudum* a). Verum quidem, non defuisse viros praestantes, qui altero hoc numorum Graecorum Valeriano intelligendum esse Valerianum juniorem sanxerunt, quos inter fuit Morellius b), quem secutus deinde est Bandurius c). Verum praeterquam quod satis ex hactenus dictis didicimus, Salonino perinde Valeriani nomen fuisse, jam suboluit pridem Pagio, male Morellium in his numis videre Valerianum juniorem, qui revera esset Saloninus d), Bandurium vero mentem mutasse, patet ex iis, quae ipse in praefatione ad tomum I. docuit. Ergo si jam solum Valeriani nomen suffecit ad indicandum Saloninum, sufficere etiam poterant sola nomina *P. Licinii Valeriani*, cum iisdem vere praeditus fuerit, etsi forte abessent nomina *Cornelii* vel *Salonini*, ut jam Bimardus adversum Iobertum advertit e).

At saltem de numis Valeriani, Augusti titulo insignibus, et juvenilius caput offerentibus dubitari non poterit, eos vere Valeriano juniori esse tribuendos. Istud modo inquirendum. Exstant numi copiosi argentei sic inscripti:

> VALERIANVS. P. F. AVG. in aliis:
>
> IMP. VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput juvenile radiatum.*

Habemus binos, quos supra in Salonino descripsi:

> IMP. SALON. VALERIANVS. AVG. *Caput juvenile radiatum.*

Posteriores nemo negat esse Salonini, illos antiquarii omnes Valeriano jun. tribuunt, quo persuasi argumento? an lineamentis? Haec, ut supra docui, discrimen non praebent. An titulo Valeriani? Sed nomine isto compellatus etiam fuit Saloninus. An nomine Augusti? Verum hoc, ut altius ex numis ipsis vidi-

a) Mus. Theup. Bandur. in praefat. b) in Specim. p. 117. edit. primae et p. 196. sec. c) Num. impp. Tom. I. p. 135. d) Crit. Bar. ad V. C. 1013. §. 17. e) ad Tom. II. p. 102.

mus, datum etiam fuit Salonino. Ergo nihil habet in his numis Valerianus, quod sibi prae nepote faveret. At memorat nobis Bimardus argenteum ex museo Rothelin [a]):

VALERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

CONSACRATIO. *Aquila imperatorem sursum effert.*

Numum hunc confidenter Valeriano jun. tribuit, aitque, ex eo intelligi, hunc quoque principem consecrationis honorem abstulisse. At enim secundum ea, quae diximus, nihil habet numus, quod non et suum profiteri posset Saloninus. Quid quod adduci non possum, ut credam, Valerianum juniorem, etsi Augustum fuisse demus, coelestes unquam honores sortitum. Narrat Victor in Caesaribus, coactum fuisse a Claudio senatum, ut Gallienum in divorum numerum referret, quam consecrationem in hominem spurcissimum collatam acerbe insectatur. An tacuisset tum, parem honorem impetratum etiam fratri eodem tempore ac loco una cum hoc interempti? Et an credibile, exstare consecrati hujus Valeriani numos, cum hactenus Gallienum, de cujus consecratione certi ex Victore sumus, ex numis consecratum ignoremus? Neque enim satis ad fidem idoneos puto aliquos ejus divis adscripti numos, quos supra in illius moneta recensui. Saloninum consecratum omnes novimus, eumque adhuc vivum jam Caesarem, jam Augustum dici. Cum variatum sit in vivo, cur variatum in mortuo incredibile videatur? Quid quod Bimardus sententiam suam suis ipsius armis evertit. Nam si hic consecrationis numus est Valeriani junioris, necesse est, eum esse signatum sub Claudio. Esse argenteum, profitetur ipse, et tamen alio ejusdem operis loco [b]) diserte adserit, inde a Claudio usque ad Diocletianum non reperiri amplius monetam argenteam.

Quae ad *aversae peristases* attinet, peragentur sectione sequente.

§. II.

Valeriannm juniorem neque Caesarem unquam fuisse, neque Augustum, numi plane persuadent.

Argumentis duobus, quorum unum ex moneta Romana, alterum ex Alexandrina peto, sententiam stabiliam.

I. Variae sunt eruditorum opiniones, quo anno Valerianus dictus Caesar videatur. Aliqui id factum non multo post susceptum a patre imperium putant, aliqui serius. Neque magis conveniunt in tempore collati tituli Augustei, tamen adserunt plerique, hunc illi honorem accessisse a Gallieno, postquam pater a Persis captus fuit. Mihi, qui Valerianum aut Caesarem, aut Augustum fuisse pernego, nullatenus de harum dignitatum epocha est laborandum, satisque ad meum institutum habeo, refellere illud, in quo conspirant omnes, Valerianum saltem extremis Gallieni annis fuisse fratris in imperio conlegam.

Esto, quod visum Brequignyo, quo nullus, quod sciam, copiosius Valeriani hujus historiam illustravit [c]), esto,

a) ad Iobert. T. II. p. 103. b) Pag. 404. c) Mem. B. L. T. XXXII p. 274. seq.

inquam, eum non a patre Valeriano, sed fratre Gallieno summos honores adsecutum, et quidem Caesaris circa annum P. X. 260, Augusti circa annum P. X. 264. Ergo totum tempus, quod sive Caesar, sive Augustus exegit, in Gallieni aetatem cadit. Haec si vera sunt, nemo erit, qui non ab ejus moneta ejusdem generis typos exigat, quibus insignes fuere numi Gallieni conlegae. Novimus, vetus fuisse institutum, ut imperatores typos suos cum conlegis Augustis, aut filiis Caesaribus communicarent, quod, quippe tironibus cognitum, exemplis stabilire supersedeo, quae obvia sunt ante et post Gallieni aevum. Novimus etiam, in universa Gallieni moneta esse, quantum in nullius imperatoris, miram, eamque non injucundam typorum varietatem, horumque multos adhuc incognitos novosque, propositos majorum gentium deos plerosque, legiones, virtutes etc. Quoniam id genus typi neque in numis Valeriani patris, neque Salonini filii comparent, indubitatum est, illos post utriusque miserum fatum adhiberi coeptos, nempe ab anno V. C. 1013 P. X. 260, id est ab eo tempore, a quo Gallienus fratrem Valerianum, ut ajunt, sibi sociavit. Ergo, inquies, verisimile est, fratrum typos fore communes. Falleris. Quantumcunque voles, totam Valeriani sive Caesaris, sive Augusti monetam lustrato, nullum ex his reperies etiam, qui non exstaret in moneta Valeriani patris, si *principis juventutis* numos demas. An non vel hoc uno manifestum fit, Valerianum non fuisse sociatum fratri, quoniam istud non cessarent praedicare numi intra annos omnino octo signati, et quod consequitur, mala fide, quae usucapionem non admittit, occupasse fundum nepoti Salonino inique ademptum. Addo hujus naturae argumentum aliud multo validissimum. Cum duo simul fuere Augusti, inde a Severo in omnibus aversis, siquidem hae utrique applicari potuere, scribi consuevit AVGG. pro AVG. Verum in numis omnibus Gallieni, ex quo pater Valerianus aut decessit, aut negligi coepit, constanter valuit simplex AVG., quin et in numis numinum omnibus Iuppiter, Hercules, Neptunus, aliique CONS*ervatores* AVG., certo indicio, nullum tum alium, praeterquam Gallienum, agnitum fuisse Augustum.

Non minus urget argumentum alterum a numis Alexandrinis petitum. Quam sedula hoc aevo Aegyptus fuerit in dedicanda principibus suis moneta, norunt musea omnia. Atque hic adfectus non ad solos tantum Augustos valuit, sed Caesares etiam, et ipsas Augustas. Obvii ergo sunt numi Valeriani senioris et Gallieni, quin et Saloninae per omnes fere annos XV., quibus imperavit maritus, continuatam habemus monetam. Salonini numi, ut vidimus, exstant quatuor variis annis insignes. Successoris Claudii numi in hac regione signati, etsi breve fuit ejus imperium, propter copiam vilescunt. Inter haec quis sibi non persuadebit, parabiles esse debere Valeriani junioris id genus numos, qui octo ipsos annos seu Caesar, seu Augustus summae rei praefuisse fertur? Contra accidit. Ereptis imperio primum Salonino, deinde Valeriano se-

niore sui Gallieno ac Saloninae signati numi, ejus frater Valerianus vel unum, quem exhibere posset, non habet.

* * *

Cum ergo Valerianum sive Caesarem, sive Augustum ignorent historici omnes dempto Trebellio, qui tamen et ipse dubitat, ignorent etiam fasti, marmora, et quod amplius est, ipsi numi tanta cum copia iis, qui Augusti vel Caesares fuere, signati, licebit et nobis ignorare Valerianum sive Caesarem, sive Augustum, ne plus nosse ipsis veterum monumentis videamur. Video enim vero, ab eruditis artis nostrae magistris non alia de causa ei tributos numos, quam quod Trebellii oraculo Augustum adserentis fidem habuere, quo admisso necesse sane fuit, ei de moneta sua providere, cum credibile nullo pacto esset, Augusti fratrem, ipsumque et Caesarem et Augustum, et annis adeo octo in eo honore conspicuum, agnitumque non modo per imperium, sed a senatu etiam populoque R. numis carere. Ergo ex iis, quae copiose modo disputavi, sequentia partim posse erui, partim adhuc ad ea animadverti existimo.

I. Numi omnes Valeriano jun. a nobis hactenus tributi Salonino sunt restituendi, neque solum ii, qui Caesaris nomen praeferunt, sed etiam, qui Augusti, quique propter juvenilia oris lineamenta Valeriano seniori tribui nequeunt. Ergo deinceps numi Salonini *Augusti* inter raros recensendi non erunt, etsi rarissimi sint, qui nomen SALON. addunt, et quorum testimonio constat, fuisse eum saltem ab aliquibus Augustum habitum, et quod sequitur, posse ei numos alios Augusto nomine insignes, etsi Salonini nomen absit, confidenter applicari.

II. In numis Graecis discrimen facile est inter numos Valeriani avi, et Valeriani Salonini nepotis cum ex lineamentis, tum quod hujus caput plerumque nudum est, isque Caesar tantum saepe dicitur, et ex additis nominibus aliis, ut *Cornelii*, *Salonini*, *Gallieni*, quae avum non tangunt. Vaillantius inter Graecos Valeriani jun. numos recitat numum Samiorum, in cujus antica legitur: IΓ. ΠΟ. ΛΙΚΙ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. Praefixum IΓ. *Egnatium* notat, pro quo Graeci scripsere IΓΝΑΤΙΟϹ, ut supra in nominibus Gallieni advertimus. Ex addito ipso hoc nomine satis docemur, numum hunc Valeriani jun. esse non posse, sed Salonini. Traxit hic nomen istud a patre Gallieno, qui, ut in ejus nominibus vidimus, Egnatii nomen non a patre Valeriano, sed matre habuit, quam verisimiliter dictam Egnatiam Gallienam diximus. At cum constet, Valerianum jun. ex alia matre natum, illi in haec nomina jus non fuit. Similem huic Nicaeensium numum in ejusdem Valeriani jun. moneta memorat Pellerinius, inscriptum: Γ. Π. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ [a]), ex quo sequeretur, duplex ei praenomen fuisse, *Caii*, et *Publii*. Vix credo exstare exemplum duplicis praenominis in uno eodemque monumento, si Getae numos Graecos demas. Quare suspicor, in hoc quoque legendum IΓ elemento I oculos fugiente.

---

a) Mel. II. p. 230.

III. Tillemontio verisimile non videtur, a Valeriano patre, cum primum imperium adiit, non continuo alterum quoque filium creatum Caesarem, cum istud hactenus imperatores negare prolibus non consueverint [a]). Arduum non est dubium istud expedire. Cum imperium arripuit Valerianus, non modo filium habuit aetatis jam maturae Gallienum, sed etiam ex hoc nepotem Saloninum jam succrescentem, ut adeo satis jam firmata videri potuerit domus Caesarea, neque expedire, multiplicandis Caesaribus multiplicari etiam dissidiorum semina, ut patuit in Caracalla et Geta. Eodem modo Constantius Chlorus unum Constantinum successorem designavit, reliquis tribus filiis testamento privatam agere vitam jussis. Cur deinde fratrem non extulerit Gallienus, causae multae esse poterant, quas ignoramus. Sed neque istud citra exemplum. Nam nec fratrem Getam Severus, nec Priscum Philippus, nec tres suos fratres Constantinus M. Caesares dixere, nimirum quod filios jam habuerant, ut et Gallienus etiam caeso Salonino Q. Iulium.

IV. Non imperium modo inique usurpavit hic Valerianus, sed conjugem etiam, quam plerique fuisse Corn. Superam opinati sunt. Quare ea, quae de hac Augusta, mihi Aemiliani uxore, disserui, hac disputatione plene confirmantur.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	RRR.
Argentei max. mod.	RRR.
Argentei ordinarii	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. et II. formae	RR.
Aenei III. formae	C.

Commatis peregrini:

Hujus generis omnes	RR.

Q. IVLIVS GALLIENVS.

Gallieno praeter Saloninum fuisse filium alterum, docet Victor in Epitome: *Gallienus quidem in locum Cornelii filii sui Saloninum alterum filium subrogavit.* Nomine *Cornelii* Victor intelligit Saloninum Postumi victimam, ut ex praecedentibus ejus narratis intelligitur. Teste ergo Victore Gallieno bini fuere filii nomine

a) Nota III. in Valerianum.

Salonini. Aliud nomen Gallieni filio impertit marmor Gruteri [a]: IMP. Q. IVLIO. FILIO. GALLIENI. AVG. ET. SALONINAE. AVG. Numus, quem continuo describam, nobis memorat *Q. Gallienum*, qui adeo, si modo cimelium istud certae est fidei, idem haud dubie est cum *Q. Iulio* laudati marmoris. De eo plus non constat. Nam quae Occo, Bandurius, Brequignyus de altero hoc Gallieni filio prodidere, quem *Q. Iulium Saloninum Gallienum* appellant, caesumque esse sive in Gallia, sive cum parentibus Mediolani, haec aut nullo auctore perhibentur, aut ex numis Goltzianis, et Trebellio in *duobus Gallienis*, sed cujus enarrationem aut Apollo intelligat, aut nemo. Interfectum Romae jubente senatu una cum patruo Valeriano tradidit Zonaras.

Numi:

DIVO. CAES. Q. GALLIENO. *Caput radiatum imberbe.*
CONSECRATIO. *Ara ignita.* (Pembrok P. III. tab. 27.)

Singularem hunc numum reprobare, quem ipse non vidi, nequeo. Sin probae est fidei, docemur, hunc Q. Gallienum mature mortuum, et a patre moesto consecratum. Memoratur et alius:

DIVO. CAES. GALLIENO. *Caput laureatum.*
CONSECRATIO. *Aquila coelum respiciens.* AR. (Tanini.)

Hunc numum Taninius ad consecrationem patris Gallieni refert, an juste, indagavimus supra in Gallieno consecrato.

VALERIANVS IVNIOR.

Valeriani senioris filius, Gallieni frater, sed ex alia matre, quae Mariniana fuisse creditur. Testibus Fastis consulatus duos gessit. Vna cum fratre apud Mediolanum caeditur V. C. 1021. Vide Trebellium, et Eutropium. Zonaras jussu senatus una cum superstite Gallieni filio Romae post Gallieni mortem necatum dixit.

Vxorem ei plerique antiquarii constituerunt Corneliam Superam, sed quam certius cum Aemiliano jungendam, in hoc diximus.

Numi:

Huic Valeriano viri eruditi hactenus omnes suos esse tribuendos numos sanxere. Verum in singulari diatriba, quam paullo altius post Salonini monetam proposui, evincere conatus sum, eum neque Caesarem, neque Augustum unquam fuisse, numosque omnes huic tributos restituendos Salonino.

---

a) Pag. 275. 5.

LICINIA GALLIENA.

Gallieni consobrina auctore Trebellio in Celso tyranno. De numo exiguae sane fidei cum epigraphe LICIN. GALLIENA. AVG., quem Barthelemyus huic largiendam putavit, vide, quae copiosius disserui ad numos Gallieni inscriptos VBIQVE. PAX. pag. 412. Fuere etiam, qui numos, in quorum antica est caput Gallieni cum epigraphe GALLIENAE. AVGVSTAE, eidem tribuendos putarent, quam sententiam eodem loco refutavi.

TYRANNI.

Horum triginta Gallieni adflixisse imperium tradit Trebellius, nimium certe aucto numero; verum, ut creditur, placuit homini sciolo inferre tyrannos triginta, quia a tyrannis totidem olim vexatas Athenas constat. Vt in imperium, ita in imperii quoque jura involasse, numi copiosi, qui eorum memoriam conservavere, testantur. Si Goltzio fidem habemus, eorum nullus est, quem ignoret scientia numismatica. At is in hac quoque serie infaustam nobis suam ubertatem obtrusit. Ejus nos mercem pro instituto nostro indicabimus tantum, non explicabimus.

Horum monetam tyrannorum a Postumo auspicabimur, quia Gallieni vitam copiosius illustrat, diuturniorque et reliquis insignior ejus fuit seditio.

M. CASSIANIVS LATINIVS POSTVMVS.

M. Cassianius Latinius Postumus, haec enim vera ejus fuere nomina, (V. infra in Nominib.) obscuro loco in Gallia natus propter singularem virtutem a Valeriano Galliae praefectus, ejusque limitis adversum Germanos custos constitutus est. Eo usus adjutore Gallienus primis imperii annis Germanos fortiter repressit. V. C. 1010 Gallienus adversus Ingenuum in Pannonia rebellantem proficisci coactus filium suum Saloninum Sylvani interea fidei credidit. Quem honorem cum sibi praereptum doleret Postumus, occasione militis adversus Sylvanum irritati commode usus imperatorem sese creari passus est, ac Saloninum una cum Sylvano Coloniae Agrippinae inclusit, quod factum suspicor V. C. 1011, ut dicetur infra sub trib. potestate.

V. C. 1011. P. X. 258.
TR. P. COS. DES. II. P. M. P. P.

Cum Augusti titulo honores omnes cum hoc connecti solitos adoptat. Saloninum Coloniae Agrippinae obsessum tenet.

A. IMP. C. POSTVMVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. COS. P. P. *Leo capite radiato ore fulmen gerit.* AV. (Band.)

De hoc typo egimus ad numum Caracallae V. C. 967.

B. IMP. CAES. M. CASS. LAT. POSTVMVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. COS. P. P. *Miles stans d. globum, s. hastam.* AE. I. (Band.)

V. C. 1012. P. X. 259.
TR. P. II. COS. II. DES. III. P. M. P. P.

Consul II. in Galliis procedit. Coacta ad deditionem Colonia Agrippina Saloninum neci dat.

C. IMP. CAES. POSTVMVS. P. F. AVG.

TR. P. II. P. P. *Miles stans d. globum, s. hastam.* AR. (Band.)

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. COS. II. P. P. *Idem typus.* AR. AE. I. (Mus. Caes.)

Numerus trib. potestatis non modo in numis, sed etiam marmoribus Postumo dicatis saepe omittitur.

V. C. 1013. P. X. 260.
TR. P. III. COS. III. P. M. P. P.

Bellum cum Gallieno, qui ejus ultum perfidiam cum magnis copiis advenerat, varia fortuna gerit [a]).

Vt lit. A. Caput radiatum.

COS. III. *Victoria stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. COS. III. P. P. *Miles stans d. globum, s. hastam.* AR. I. II. (Band. Mus. Caes.)

Vt lit. A.

P. M. TR. P. IMP. II. COS. III. P. P. *Sex figurae ante templum sacrificantes.* AV. (Tanini.)

Vt lit. A.

P. M. TR. P. III. COS. III. P. P. *Mars gradiens cum hasta et tropaeo.* AR. (Band.)

V. C. 1014. P. X. 261.
TR. P. IV. COS. III. P. M. P. P.

Inter haec haud dubie bella interna cum Gallieno, externa cum Germanis.

Vt lit. A. Caput radiatum.

P. M. TR. P. IIII. COS. III. P. P. *Mars gradiens cum hasta et tropaeo.* AR. (Mus. Caes.)

V. C. 1015. P. X. 262.
TR. P. V. COS. III. P. M. P. P.

Quinquennales celebrat. A victis Germanis *Germanicus Maximus* dicitur.

* * *

D. POSTVMVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum.*

QVINQVENNALES. POSTVMI. AVG. *Victoria stans clypeo inscribit* VOT. X. AV. (Band.)

Quoniam Postumus, ut videbimus, in tribunatu X. vota decennalia peregit, consequens est, eum in tribunatu V. solvisse quinquennalia, et suscepisse decennalia. Quinquennalia Augustorum adhuc in numis memorata non sunt.

a) Brequigny Mem. B. L. T. XXX. p. 349.

* * *

Vt lit. A. Caput radiatum.

P.M. TR. P.V.COS.V.P.P. *Imperator stans d. ramum, s. hastam.* AE. III. (Band.)

In hoc numo alteruter numerus fallit.

E. POSTVMVS. AVG. *Caput Postumi galeatum.*

VIC. GERM. P. M. TR. P. V. COS. III. P. P. *Imperator paludatus stans d. globum, s. hastam coronatur ab adstante Victoria.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Numus praesens per tribunatum V. Germanos hoc anno a Postumo caesos profitetur, et verisimile facit, sequentes quoque numos ad hunc annum pertinere.

Eadem adversa.

P. M. G. M. T. P. COS. III. P. P. *Tropaeum adsidentibus duobus captivis.* AV. (Band.)

Eundem hunc numum jam olim edidit Ioach. Mejerus addita dissertatione totam Postumi vitam complexa [a]). Singularem faciunt literae G. M. *Germanicus Maximus*, quem titulum haud dubie nunc ob victos Germanos, quod praecedens numus palam profitetur, adscivit. Eum apertius exhibet numus sequens:

* * *

Vt lit. B.

GERMANICVS. MAX. *in aliis:* MAX. V. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AE. II. (Band.)

Eadem aversa est etiam in numis Gallieni, quos descripsimus in numis *expeditionis Germanicae.* Docuimus ibi, additam literam V. indicare Germanos *quinquies* victos, et *Germanici Max.* titulum toties partum, quod numus sequens copiosius demonstrabit. Videtur Postumus hos numos opposuisse similibus Gallieni numis, cum non minus suae virtuti tribuendum esset, quod Galliae a perpetuis Germanorum incursionibus servatae essent.

* * *

Vt lit. D.

P. M. TR. P. IMP. V. COS. III. P. P. *Imperator sedens d. globum, s. sceptrum.* AV. (Band.)

En revocatum *imperatoris* ex victoriis titulum tot jam annis inde a Caracalla ex moneta exulem. Egregie conspirat titulus IMP. V. cum memorato mox GERMANICVS. MAX. V., quorsum pertinent et illa Gallieni: VICTORIA. AVG. VI. VII. VIII., ex quo apparet, varium fuisse hac aetate victorias numerandi modum. Ceterum etiam marmor, quod infra in nominibus Postumi citabo, eum in consulatu III. GER. MAX. appellat. Extremo ejus anno comparet etiam IMP. X.

V. C. 1016. P. X. 263.
TR. P. VI. COS. III. P. M. P. P.

Hujus anni et numi et facta incerta.

V. C. 1017. P. X. 264.
TR. P. VII. COS. III. DES. IV. P. M. P. P.

Incerta etiam hujus anni facta.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. VII. COS. III. P. P. *Mars gradiens.* AV. (Mediob.)

a) Wolterek Elect. p. 203.

Si numus verum eloquitur, Postumus consulatum IV. non inivit nisi anno sequente. Eum tamen non vidit Bandurius, etsi catalogum suum concinnavit in Gallia, quae Postumi moneta supra quam credibile est, abundat. Mediobarbi praeconia nimium intuta.

V. C. 1018. P. X. 265.
TR. P. VIII. COS. IV. P. M. P. P.

* * *

Hoc forte anno Postumus Victorinum sibi conlegam adsciscit.

Epigraphe varia.

P. M. TR. P. VIII. COS. IIII. P. P. *Arcus, clava, pharetra.* AR. (Band.)

V. C. 1019. P. X. 266.
TR. P. IX. COS. IV. DES. V. P. M. P. P.

Incerta hujus anni omnia.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. VIIII. COS. IIII. P. P. *Arcus, clava, pharetra.* AR. (Catal. d'Ennery.)

V. C. 1020. P. X. 267.
TR. P. X. COS. V. P. M. P. P.

Audito, Laelianum (aliis Lollianum) ducem suum arripuisse imperium, Moguntiacum, cui se incluserat, obsidet, capitque, at cum urbem diripi vetaret, militum conspiratione occiditur. (Eutropius aliique.)

Vna est scriptorum omnium sententia, ejus unius virtute servatas Gallias, ne Germanorum invasione perinde ac pleraeque aliae imperii provinciae perirent. Praeclarum Valeriani de ejus moribus ac vita judicium servavit Trebellius, et hoc teste fuere etiam, qui adfirmarent, nequaquam ejus jussu interfectum Saloninum, sed Gallorum conspiratione, qui ignavum Gallienum, ejusque filium urgentibus tum bellis externis, atque his patriae periculis imperatorem detrectabant. Eum Goltzius suo senatus consulto consecravit.

Vxor *Iunia Donata* ex aliquorum sententia, de qua, filioque Postumo infra.

* * *

Vt lit. A. Caput radiatum.

P. M. TR. P. X. COS. V. P. P. *Victoria stans clypeum tenet, cui inscriptum:* VO. XX. In aliis: *Imperator stans d. elata, s. sceptrum.* AR. (Band.)

A praeclaris his numis comprobatur, Postumum in annum X. prorogasse imperium, de quo copiosius agetur infra.

Eadem adversa.

IMP. X. COS. V. *Victoria stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Quem ante quinquennium vidimus imperatorem V., habemus modo imperatorem X. Adcreverint lauri cum a Germanis, tum Gallieno.

Numi vagi:

A. POSTVMVS. PIVS. FELIX. AVG. *Capita duo jugata laureata prolixe barbata, in AV. et AR.*

B. IMP. C. M. CASS. LAT. POSTVMVS. P. F. AVG. *Capita similia. AE. m. m. Caput radiatum in AE. I. II. etiam laureatum in AE. II.*

C. POSTVMVS. AVG. *Caput galeatum AV. AR.*

D. POSTVMVS. AVG. *Protome ra-*

diata d. clavam super humero et exuvias leonis in AR.

E. VIRTVS. POSTVMI. AVG. *Caput galeatum, in AV. AR. AE. I.*

F. VIRTVS. POSTVMI. AVG. *Protome galeata d. hastam, s. clypeum, in AE. I.*

G. IMP. POSTVMVS. AVG. *Caput radiatum in AR. AE. III.*

H. IMP. C. POSTVMVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AR. AE. III. laureatum in AE. I. II. etiam radiatum in AE. II.*

I. POSTVMVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV.*

Ad partes anticas nonnulla observanda. In numis sub lit. A et B exhibentur, ut dixi, capita duo jugata laureata barbata, quin eadem ipsa repetuntur in aversa numi aurei singularis musei Caesarei addito: COMITI. AVG. Quorum ea sint capita, dubitatum. Fuere non pauci, qui Postumorum, patris filiique ea esse edixerunt, quos falli patet cum eo, quod capitis utriusque indiscreta est similitudo, et aetas, tum vero iis, quae infra ad creditos junioris Postumi numos disseram. Alii caput Iovis Postumi capiti sociatum adseruerunt, melius alii me judice Herculis; nam infra ex numis *Herculis* patebit, quam impense huic numini devotus fuerit Postumus, et patet ex numis sub lit. D descriptis, voluisse Postumum tam factorum gloria, quam cultu Alcumenae filio aequiparari, eumque sibi perpetuum comitem adsciscere. Non multo post in moneta Probi videbimus, hunc Augustum eodem modo sibi junxisse caput Solis.

In numis E et F est caput Postumi galeatum, vel protome galeata d. hastam, s. clypeum; quin in aversa numi aurei apud Bandurium cum epigraphe VIRTVTI. AVG., duo item capita jugata visuntur, laureatum unum, galeatum alterum. Istud esse Martis, cultus ipse eloquitur, atque ut in prioribus probatur Postumus Hercules, ita idem in praesentibus Mavors.

* * *

Vt lit. H.

ADVENTVS. AVG. *in alio* AVGG. S. C. *Imperator eques d. elata, s. sceptrum.* AE. I. (Band.)

In numis Postumi omnia ex more Romano. Adventus Romae intelligi nequit, at cujus Galliae urbis, incertum. De vocabulo AVGG. agetur infra in creditis numis Postumi filii.

Vt lit. H.

CASTOR. *Ipse paludatus stans d. equum retinet, s. hastam.* AR. (Band.)

Eadem aversa est etiam in moneta Getae, et Gallieni.

Vt lit. A.

CLARITAS. AVG. *Capita jugata Solis et Lunae.* AV. (Liebe Goth. num. p. 65.)

Solem et Lunam aeternitatis esse symbola satis hactenus vidimus. In praesente numo aliam allegoriam constituunt, nimirum praeclaris suis factis inclarescere Postumum, et esse late conspicuum aeque ac solem et lunam astra lucentissima. Similis epigraphe est etiam in numis Diocletiani. Numus est singularis.

* * *

Vt lit. A. Capita duo jugata laureata barbata.

COMITI. AVG. *Eadem capita, quae in antica.* AV. (Mus. Caes.)

Numus propter eundem in utraque facie typum singularis, et ignotus Argo Bandurio. Quae de hoc dici possunt, jam occupavi paullo altius in animadversione ad partes anticas.

Vt lit. G.

CONCORD. EQVIT. *Mulier stans d. pateram, s. gubernaculum, pro pedibus prora navis.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Insolitum *Concordiae equestris* symbolum, et in conjecturas patens, quibus abstineo.

Vt lit. A. et H.

CONSERVATORES. AVG. *Capita jugata Martis et Victoriae.* AV. AE. III. (Band. Mus. Caes.) In alio: *Capita jugata Apollinis et Dianae.* AV. (Catal. d'Ennery.)

Vt lit. H.

DIANAE. REDVCI. *Diana d. cervum adprehenso cornu ducens, s. arcum.* AR. (Band.)

Aversam commendat novitas, sed ejus causa ignota.

Vt lit. B.

EXERCITVS. ISC. S. C. *Imperator eques d. elata, prae quo plures figurae militares.* AE. I. (Band.)

Vt lit. B.

EXERCITVS. VAC. S. C. *Idem typus.* AE. I. (Band.)

Horum typorum archetypon quaerendum in moneta Hadriani. Eruditi, qui hos numos illustravere, addita nomina ISC. et VAC. ad *Yscam* Britanniae urbem, et *Vaccaeos* Hispaniae populum vocaverunt. Aliquibus suspecta lectio visa, et subesse error monetarii, quorum ego judicia prioribus longe praefero. Vide ad hos animadversionem Bandurii.

Vt lit. A.

FELICITAS. AVG. *Protomae duae jugatae, quarum una Victoriam refert cum laurea et palmae ramo, altera Pacem cum ramo oleae.* AV. (Band.)

Vt lit. A.

FELICITAS. AVG. *Capita duo se respicientia laureata barbata.* AV. (Band.)

Vides eadem capita in aversa, quae jam stitit adversa, sed jugata. Postumorum ea esse a nonnullis creditum; sed horum alterum esse Herculis, dixi in animadversione supra proposita.

Vt lit. B.

FELICITAS. *inscriptum epistylio arcus triumphalis, infra* AVG. AE. I. (Mus. Caes.)

Numum

GERMANICVS. MAX. V. *descriptum vide in numis anni 1015.*

HERCVLES.

Diximus pagina praecedente, Postumum in numis suis frequenter caput suum cum Herculis capite jugasse. Iudicium istud confirmatur numis frequentibus, quos in ejus honorem variis nominibus feriri jussit, quo in proposito Gallis suis obsecutus haud dubie est, a quibus Herculem impense cultum constat, cumque studiose illi vultus sui tribueret lineamenta, consecuturum se inde speravit, ut sacrosanctus ipsi populo superstitioni mirum in modum addicto haberetur. En horum numorum seriem.

* * *

Vt lit. B. Capita jugata etc.

HERCVLI. COMITI. AVG. COS. III. *Hercules nudus stans cum clava et leonis exuviis, juxta imperator velatus super tripode sacrificans; adstat victimarius bovem attinens.* AE. m. m. (Morelli Specim. p. 41.)

Praemittendus huic fuerat Hercules ARGIVVS, sed cum hunc numum ex solo Goltzio apud Mediobarbum citari videam, injecit fraudis suspicionem. In numo praesente, quem integerrimum, et elegantissimae caelaturae profitetur Morellius, non modo capita anticae secundum lineamenta omnia sibi respondent, sed his etiam vultus Herculis et Postumi, quos aversa sistit, sunt simillimi. Ex quo verisimile visum ipsi quoque Morellio, capita obvia jugata, quae sunt in anticis numorum Postumi, non esse Postumorum, sed Postumi Herculisque.

* * *

Vt lit. A.

HERCVLI. CRETENSI. *Hercules taurum domans.* AV. (Band.)

Hercules cognomine *Cretensis* memoratus Diodoro. Cum hoc nomine pars aversa conjungit fabulam domiti ab Hercule tauri, quod peractum in Creta mythologia docet.

Vt lit. H.

HERC. DEVSONIENSI. *Hercules stans d. clavam, s. arcum et exuvias leonis.* In aliis: *Idem stans intra templum tetrastylum.* AR. AE. m. m. I. II. (Mus. Caes.)

Cognomen hoc inditum Herculi a loco, ubi colebatur, uti dubium non est, ita nondum satis exploratum, ubi situm *Deuso*, vel *Deuson.* Non improbabile visum Tristano post alios, hunc locum esse eundem, de quo Hieronymus in Chronico Eusebii: *caesi sunt Saxones Deusone in regione Francorum.* Conjicit Tristanus, Deusonem esse posse hodiernum *Duyz* Coloniae Agrippinae oppositum intermeante Rheno. Si adfinitate nominis pugnandum, necesse non est, Deusonem trans Rhenum petere; nam in ora citeriore hodieque occurrunt oppida varia *Duisburg* dicta, quae ex *Deuso* etymon trahere possunt. Herculem hunc eundem esse cum sequente *Magusano* censent auctores operis: *la religion des Gaulois* L. III. c. 8.

Vt lit. A.

HERCVLI. ERYMANTHINO. *Hercules aprum gestans, pro pedibus vas.* AV. (Band.)

Nota fabula apri Erymanthini, quem Hercules vivum Eurystheo stiterat. Vas adstitutum haud dubie est illud ipsum, in quod Eurystheus metu apri conspecti sese abdiderat, quod magis elucet ex numis Perinthi et Pergami similis argumenti, quos confer. Eadem aversa est etiam in moneta Probi.

Vt lit. A.

HERCVLI. IMMORTALI. *Hercules Cerberum catenis vinctum trahens.* AR. (Theupoli, Spanh. Caess. Iul. p. 13.)

Vt lit. A. et H.

HERCVLI. INVICTO. *Hercules clavam et exuvias leonis gestans figuram armatam humi jacentem pede calcat.* AR. (Mus. Caes. Band.)

Vt lit. A.

HERCVLI. LIBYCO. *Hercules sublatum Antaeum comprimens.* AV. (Morelli Specim. p. 78.)

Antaeum Terrae filium in Lybia ab Hercule interemptum in vulgus notum.

Vt lit. II.

HERCVLI. MAGVSANO. *Hercules stans d. femori admota, s. clavam cum exuviis leonis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes. Band.)

Vt de Hercule Deusoniensi, ita de Magusano disceptatur. Verisimile, Macusam, vel Magusam fuisse oppidum Herculis cultu celebratum. Bina hujus nominis Herculi dedicata marmora, repertaque in Belgio recitat Muratorius [a]). Varias de hoc conjecturas vide apud Tristanum, Muratorium [b]), et laudatos supra auctores operis *de la Religion des Gaulois.* Anonymus Ravennas inter urbes Moselae fluvio adsitas nominat *Mecusam* [c]), a qua forte Hercules nomen traxerit. Harduinum, qui sic dictum putat a Magusa Aethiopiae [d]), vix aliquis facile audiet. Keyslerus marmor vulgavit repertum Westcapellae, in quo legitur: HERCVLI. MAGVSANO --- TERTIVS. V. S. L. M. addita praeterea ejus imagine, quae sistit deum nudum stantem, qui d. delphinum, s. truncum bifidum tenet, pro ejus pedibus scorpius [e]), quae tamen attributa, quo pacto ad Herculem, qualis nobis cognitus est, pertineant, ignoro. Praesentium numorum typi nihil habent a Graecorum Hercule alienum.

* * *

Vt lit. A.

HERCVLI. NEMAEO. *Hercules leonem suffocans.* AV. (Catal. d'Ennery.)

Vt lit. H.

HERCVLI. PACIFERO. *Hercules stans d. ramum oleae, s. clavam et exuvias leonis.* AR. AE. I. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.

HERCVLI. ROMANO. AVG. *Arcus, clava, pharetra.* AR. (Band.)

Eadem epigraphe, et typus ex numis quoque Commodi sunt cogniti.

Vt lit. C.

HERCVLI. THRACIO. *Hercules equum domans.* AR. (Tanini.)

Noti equi Thracis Diomedis, quos hero per vim abstulit Hercules.

Ex universo hoc catalogo satis apparet, Postumum hoc Herculis obtentu voluisse significare, quemadmodum hic tyrannis ac monstris exstirpatis tranquillitatem orbi reddidit, ita et se submoto Gallieno et depulsis barbaris libertatis patriae fuisse vindicem.

* * *

Vt lit. I.

INDVLG. PIA. POSTVMI. AVG. *Imperator sedens dexteram porrigit mulieri genu flectenti.* AV. (Band.)

Aversae epigraphe propter novitatem commemoranda.

Vt lit. II.

I. O. M. SPONSORI. SAECVLI. AVG. *Iuppiter nudus stans s. hastam, juxta imperator sacrificans.* AE. II. (Band.)

Ait Bandurius, exstare numum Commodi cum eadem epigraphe, in quo fallitur; nam in eo legimus I. O. M. SPONSOR. SEC. AVG., quo loco SEC. non *saeculum*, sed *securitatem* notat. De Iove sponsore eodem loco egimus, atque ut Commodo jussus est spondere securitatem, ita nunc Postumo seu sae-

---

a) Pag. 64. n. 1. et 2. b) l. c. c) Geogr. L. IV. c. 26. d) ad Plin. L. VI. p. 344.
e) Antiq. septemtr. p. 200.

culum felix, seu longum aevum spondere jubetur.

* * *

Vt lit. H.

MERCVRIO. FELICI. *Mercurius cultu solito stans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. H.

MINER. FAVTR. *Dea gradiens d. ramum, s. hastam cum clypeo.* AR. (Mus. Caes.)

Mercurius Felix, et *Minerva Fautrix* nova in numis cognomina.

POSTVMVS. AVG. *Caput Postumi nudum adversum.*

POSTVMVS. AVG. *Caput Postumi galeatum.* AV. (Band.)

Numus hic propter singularem modum recitari meruit. In hujus numi aversa exhiberi Postumum Martem, patet ex iis, quae in animadversione ad vagos hos numos monui.

Vt lit. H.

SALVS. PROVINCIARVM. *Rhenus bicornis jacens d. ancoram, s. arundinem, et simul urnae innititur.* AV. (Band.) AR. (Mus. Caes.)

Elogium istud promeritus haud dubie Rhenus est, qui barbarorum in Romanas provincias incursiones aut arcuit, aut difficiles reddidit. Fingitur armatus duplice cornu, recte secundum Virgilium: *Rhenusque bicornis* a), quod et repetiit Ausonius b), et bicornem vocat etiam Eumenius c). Vt veteres omnibus passim fluviis cornua tribuerunt, ita magis idonee Rheno, quia per duo cornua in mare exivit. Vnde paullo infra idem Eumenius d): *alvei unius impatiens in sua cornua gestit excedere.*

* * *

Vt lit. A. Capita jugata etc.

VIRTVTI. AVG. *Capita duo barbata jugata, quorum unum laureatum, alterum galeatum.* AV. (Band.)

Offert unus idemque hic numus Postumum hinc cum Hercule, inde cum Marte jugatum, ut dixi altius in animadversione huic vagorum seriei praefixa.

IMP. C. POSTVMVS. P. F. AVG. *Caput Postumi laureatum.*

VIRTVS. POSTVMI. AVG. *Caput Postumi galeatum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum hunc secundum eandem animadversionem explica.

Animadversio ad numos Postumi.

Insignes in comitatu suo monetarios habuisse Postumum, probant ejus numi aurei, quorum complures ea arte elaborati sunt, quam neque altius imperatorum aevum fastidiret. Hac inferiores sunt argentei et aenei, atque ex aeneis non paucos esse fusos, certum est ex ipso testimonio Gallorum eruditorum e), quod magni esse momenti debet, cum ingens apud eos monetae Postumi copia reperiatur. Teste Brequignyo f) habentur etiam copiosi ejus numi, credo argentei, qui praecedentium imperatorum fuere, quos Postumus suo nomine et effigie recudit, quod saepe a tyrannis factum, observabimus infra in moneta Regaliani tyranni. Frequenter in aeneis observatur nota S. C., mani-

a) Aen. VIII. 727. b) Eidyll. X. p. 436. c) Paneg. Const. M. cap. XI. d) Cap. XIII. e) Beauvais T. III. p. 419. f) Mem. B. L. T. XXX. p. 347.

festo argumento, ut jam indicatum supra, Postumum, ut omnia ad morem Romanorum constituit, ita suum etiam in Gallia habuisse senatum.

Nomina Postumi.

Numi nihil plus offerunt praeter M. CAS. LAT. vel LATI. POSTVMVS, cumque ejus nomina apud Victorem legerentur *Cassius Labienus Postumus*, creditum ex hoc truncas numorum voces explendas legendo: *M. Cassius Latienus*, Victorisque testimonium ex numis corrigendum. Serius Fabrettus inscriptionem protulit in oppido Guadix repertam, in qua ejus nomina perscribuntur: IMP. CAES. M. CASSIANIVS. LATINIVS. POSTVMVS. PIVS. FEL. INVICTVS. AVG. GER. MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. COS. III. P. P. PROC [a]). Eam ipsam restituit Muratorius, testatus exstare Cordubae [b]), ut adeo ambigi non possit, ejus vera nomina fuisse: *M. Cassianius Latinius Postumus.* Ignavo Trebellio constanter dicitur *Posthumius.*

De trib. potestate, et initio imperii.

Trebellio teste imperavit Postumus annis VII. Cum Eutropio et Orosio ejus imperium annis X. definientibus magis conspirant monumenta certissima, numos intelligo, quorum non pauci tribunatum X., et quod amplius est, vota XX. suscepta memorant, ut supra in serie chronologica vidimus, ut adeo comparatum cum his Trebellii testimonium flocci faciendum sit. Ergo ex numorum praecepto altius est imperium Postumi ordiendum. Brequignyus, qui historiam Postumi, quantum inter has tenebras capi potest, adcuratius descripsit [c]), statuit, Postumum anno P. X. 257 adclamatum imperatorem, et ab hoc mox Coloniae clausum Saloninum, et biennio serius P. X. 259 expugnata urbe occisum, ipsum deinde Postumum anno 267 succubuisse. At mihi uno anno serius, nempe P. X. 258 ejus ordiendum imperium visum, quia verisimile non est voluisse Gallienum in alterum annum spectare obsessi filii pericula, quin illi quocunque pacto succurreret, quem quam impense dilexerit, patuit ex collato consecrationis honore, et tot numis ejus nomine post mortem feriri jussis. Atque etiam fixo ad annum P. X. 258 imperii exordio, quoniam in mea sententia principio anni sequentis mox tribunatum II. inchoavit, tamen tribunatus ejus X. in fixum a Brequignyo annum 267 incidit, quo anno serius caesus Postumus statui nequit; nam hunc Victorinus, Victorinum Marius, Marium Tetricus excepit vivo adhuc Gallieno, qui caesus demum est anno P. X. 268. At enim sententia haec, qua usus est Brequignyus, et ego quoque, tum tantum vera erit, cum fidem habebimus Trebellii testimonio, sub initium Claudii Gothici jam caesum fuisse Postumum, et tum Tetricum in Galliis tyrannum statuentis [d]). Verum Zosimus meminit Aureliani, qui paullo ante Gallieni mortem jussus erat cum copiis suis equestribus prohibere Postumum, ne in Italiam

a) Inscript. p. 686. 95. b) Pag. 460. 6. c) Mem. B. L. T. XXX. p. 338. d) in Claud.

transiret. Et secundum Zonaram Claudius ad imperium evectus edixit: *bellum Postumicum mea interest.* Ergo Postumus Gallieno superstes fuit, et secundum hos jus fuit eruditis serius Postumi imperium auspicandi. Quis decidat in his et dissidiis et tenebris?

Numus Coloniae Agrippinae.

Vide hunc in numis hujus coloniae in Gallia Belgica sitae in operis hujus volumine I.

PRETIVM.

Commatis Romani:

Aurei	R.
Argentei	C.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. II. III. formae	C.

IVNIA DONATA.

Hujus numum: IVNIA. DONATA. AVGVSTA. Ӿ SALVS. PROVINCIARVM. promulgavit Ioann. Iacobus Chiffletius ex codice MS. Goltzii in suis *Luminibus praerogativis* a nemine alio in haec usque tempora conspectum, et jam hodie a cordatis omnibus neglectum, contemptumque. Quare ut numus ipse, sic et Donata Postumi uxor, quam historicorum nullus prodidit, jam nemini creditur.

POSTVMVS FILIVS.

Vnus Trebellius filii Postumi patri cognominis meminit, quem pater post arreptam purpuram continuo Caesarem, mox Augustum dixit, deinde una cum patre apud Moguntiacum interemptum. Cum igitur Trebellii fide filium Augustum fuisse constet, nullo pacto verisimile visum, ei, qui in summo fastigio constitutus fuerat, negatos fuisse honores monetarios. At fuit difficile inter patris filiique numos reperire discrimen. Tamen obstaculum istud perrupit antiquariorum ingenium. Nam detexere denique, aut detegere sibi visi sunt certum discrimen in prolixiore barba, vel lineamentis narium, ut testatur Bandurius [a]). Serior crisis nullos novit Postumi junioris numos. Nam duo capita jugata in

a) Tom. I. p. 313.

Postumi moneta obvia, et quibus non pauci utrumque Postumum indicari opinati sunt, adeo sunt et lineamentis et aetatis indicio similia, ut unum ab altero nulla diligentia discreveris. An verisimile istud aetate usque adeo dispari, et in numis, quales sunt praecipue aurei Postumi, affabre factis, cum Tetricorum patris filiique numi tam facili negotio discernantur? Qui duos credunt in numis Postumos deprehendi, verba sunt Harduini [a]), eo quod nunc barba prolixa, nunc crispa cernitur, hi geminum quoque Albinum inducant, siquidem hac una ratione nitantur; nam et ille certe nunc crispa, nunc prolixa barba, ac propterea prorsus sui dissimilis pingitur, sed hoc discrimen effecit diversitas officinarum. Quod si, cum duo occurrunt capita, totidem diversi notarentur Augusti, addita epigraphe, ut in aliorum imperatorum numis factum, duos etiam Augustos enunciaret. Sed contra accidit. Ad numos alios quod attinet, Bandurius in tanta Postumi numorum eluvione binos tantum reperit, qui Augustos plures produnt, ambos aeneos I. formae, nimirum *Adventus* AVGG. et *Moneta* AVGG., qui ipsi aut sociatum Victorinum, aut uxorem Augustam indicare possunt, et in numo quidem *adventus* plane certum est intelligendam uxorem; nam si filium comprehenderet, duos numus Augustos equites sisteret, non unum. Quod si verum est testimonium Trebellii, filium continuo a patre ad imperium vocatum, mirum profecto videatur, nullum exstare numum certum filii, qui in decimum annum una cum patre imperavit, et nescio, an non hic ipse ejus numorum defectus certius probet adversus Trebellium contrarium adfirmantem, nullum fuisse Postumo filium, aut saltem neque Caesarem, neque Augustum. Auctorem toties mendacem etiam hoc loco nobis imposuisse nemini mirum videbitur.

VLP. CORN. LAELIANVS.

Teste Trebellio [b]) *Lollianus* quidam interempto Postumo imperium in Gallia invasit, vir strenuus, et provinciae adversum barbaros propugnator. Occisus deinde a Victorino conspirantibus militibus, quod in exigendis laboribus nimius esset. Lolliani quoque nomen eidem homini tribuit Victor in Caesaribus [c]), et Eutropius. At Paeanius, qui Eutropium Graece reddidit, eundem, nisi error irrepsit, vocat *L. Aelianum*, Victor in Epitome [d]) simpliciter *Aelianum*. Et tamen, ut ex iisdem scriptoribus diserte colligitur, omnia haec nomina unum eundemque, qui Postumi caesi causa exstitit, indicant. Vide de hoc dissidio plura apud Tillemontium [e]).

Exstant, aut saltem jactantur numi non solum *Lolliani* et *Aeliani* nomine, sed etiam *Laeliani*. Fuere tamen, qui

a) Hist. Aug. p. 856. b) in Lolliano tyr. c) Cap. 33. d) Cap. 46. e) Nota XII. in Gallien.

haec secuti indicia in numis inscriptis LAELIANVS elememento primo L pro praenomine Lucii accepto legendum censuere L. AELIANVS, eosque largiti sunt Aeliano cuipiam, qui auctore Eutropio serius, nimirum imperante Diocletiano, imperatorem se in Gallia dixit. Nos ducibus numis, quos continuo proferemus, *Laelianum* appellabimus, eique largiemur numos sequentes omnes, quod fabricam in iis eandem, quam in Postumi moneta, deprehendimus.

Numi:

IMP. C. LAELIANVS. P. F. AVG. *Caput laureatum barbatum.*
TEMPORVM. FELICITAS. *Mulier humi decumbens d. ramum oleae tenet, ad manum sinistram cuniculus.* AV. (Mus. Caes. Bandur.)

En redivivum in moneta cuniculum, vetus Hispaniae symbolum, ex quo apparet, his Galliae tyrannis etiam Hispaniam, aut certe ejus partem fuisse subjectam.

* * *

Eadem epigraphe, sed in aliis rarioribus.

IMP. C. VLP. COR. LAELIANVS. *Caput radiatum.*
VICTORIA. AVG. *Victoria gradiens.* AR. AE. III. (Bandur. Mem. Trev. in Mart. 1709.)

Ex inscriptione posteriore nobis de veris hujus tyranni nominibus constat.

PRETIVM.

Aurei	RRRR.
Argentei	RRR.
Aenei	RR.

LOLLIANVS.

Continuo diximus, Postumi percussorem aliis dictum *Lollianum*, aliis *Aelianum*, aut aliter. Antiquariorum nostrae aetatis judicio numi omnes, qui Lolliani nomine inscripti sunt, falsi putantur, quos inter etiam *Spur. Servilius Lollianus* Goltzii. Tamen nuper emersit unus, qui majoris fidei putatur:

IMP. C. LOLLIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*
ARA. PACIS. *Templum Iani clausum, ante quod ara accensa.* AE. III.

Singulare istud cimelium Taninius ex museo cels. principis de Waldeck vulgavit. Consultus a me vir nobilissimus adfirmavit, eum olim in sua fuisse potestate, sed sibi serius furto sublatum. Si ergo vere exstat numus nomine *Lolliani*, atque hic idem putandus, qui Postumum sustulit, cujus putabimus esse

numos, quos proxime *Laeliani* nomine dedimus? Adeo infelicis hujus aevi reliquiae ipsas etiam conjecturas difficiles reddunt.

Q. VALENS AELIANVS.

Video ab auctore musei Theupoli ad haec tempora revocari numum sequentem [a]):

IMP.C.Q.VALENS. AELIANVS. P. AVG. *Caput barbatum radiatum.*

IOVI. CONSER. AVGG. *Iuppiter stans d. fulmen, s. hastam, in imo* S. M. L. AE. III.

Hoc ergo testimonio habemus etiam Aelianum a Laeliano priorum numorum, ut indicant addita alia nomina, diversum. Diversum etiam esse a L. Aeliano Eutropii, praenomen *Quinti* indicat. Paeanius Eutropii metaphrastes Aelianum alium dedit, qui imperante Diocletiano seditionem in Gallia movit, quemque, sed ex numis suis, Goltzius *Aulum Pomponium Aelianum* vocat, sed eum ipsum Eutropius vocat Aemilianum. Equidem auctor essem, numum hunc in Diocletiani tempora differre, quo imperante moneta in infima sui parte copiosius literas solitarias, ac quidem etiam literas S. M. L. recepit. Trebellius in tyrannis *Valentes* duos memorat, unum Achaiae, alterum Illyrici tyrannos, sed temporibus diversis.

M. PIAVVONIVS VICTORINVS PATER.

Filius Victorinae vel Victoriae, quae tanta apud militem valebat auctoritate, ut Augusta, et Mater castrorum diceretur, cumque ipsa imperium adire non posset, caeso filio illud in Marium, deinde Tetricos transferret [b]). Ad eam Mahudelius refert marmor repertum apud Langones, et inscriptum [c]):

DIS. MANIBVS
L. VICTORINI. VICTORIA
PIISSIMA. VICTORINI. VXOR. etc.

A Postumo, cui adjutore in gravi adversus Gallienum bello opus fuit, conlega adscitus, atque illo, mox etiam Lolliano caesis solus aliquamdiu in Galliis imperavit, dum ab actuario, cujus uxori vim obtulit, caederetur. Eum Trebellius omnibus, qui praecessere, principibus virtute ac meritis comparat dempta libidine, qua tanta fuit, ut omnium judicio, quae passus fuerat, promeritus videretur. Vide etiam Victorem [d]), et Eutropium.

Quo anno adlectus a Postumo sit, non satis constat. Brequignyus id factum conjicit V. C. 1018 P. X. 265,

---

a) Pag. 278. b) Trebell. in Lolliano. c) Hist. B. L. Tom. IX. p. 146. d) in Caesarib. c. 33.

tamen neque repugnant anni priores. Istud certius, eum caesum V. C. 1020, eique successisse Marium brevis imperii, huic Tetricum, quo tyranno Gallias obtinente caesus Gallienus V. C. 1021, eique suffectus Claudius, ut in Postumo verisimile diximus. Sed haec omnia confundit Victor [a]), qui Victorinum nequaquam cum Postumo sociat, sed caeso Postumo Marium suffectum docet, et hoc primum sublato delectum Victorinum, qui et ipse post exactum imperii biennium interemptus est. Conciliet haec, qui volet.

Numi:

A. IMP. VICTORINVS. PIVS. AVG. *Capita jugata, Victorini laureatum, Martis galeatum, in AVreo singulari musei Caes.*

B. IMP. C. *vel* CAES. VICTORINVS. P. F. AVG. *Caput laureatum, vel ejus protome armata in AV. AR. AE. III.*

C. IMP. C. PI. *vel* PIAV. VICTORINVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AR. AE. III.*

D. IMP. C. M. PIAVVONIVS. VICTORINVS. P. F. AVG. *Caput radiatum in AR. AE. III.*

E. VICTORINVS. AVG. *Protome galeata cum hasta et clypeo.* AV.

Inscriptos M. AVR. VICTORINVS Bandurius ipse non vidit, sed ex solo Mediobarbo recitat. Igitur jure suspecti.

* * *

Vt lit. B.

ADIVTRIX. AVG. *Protome Dianae d. telum e pharetra depromentis, s. arcum.* AV. (Band. Pembrok P. III. tab. 35.) AR. (Tanini.)

Victorini in Dianam adfectum profitetur hic numus, ut et alius VOTA. AVGVSTI, de quo infra. Eadem epigraphe est etiam in numo Carausii.

Vt lit. B.

LEG. IIII. FLAVIA. P. F. *Duo leones ex adverso stantes, superne caput galeatum.* AV. (Band.) In alio: *superne caput muliebre elephanti exuviis tectum.* AV. (Pembrok.)

Eadem legio est etiam in numis Gallieni, sed unius tantum leonis typo. Ceterum quae ad legiones numis inscriptas pertinent, in volumine VIII. persequar.

Vt lit. B.

LEG. X. FRETENSIS. P. F. *Taurus.* AV. (Catal. d'Ennery.)

Hujus legionis frequens est mentio in marmoribus. An intelligendi milites in freto quopiam, v. c. Siculo lecti? Cicero mare Siculum appellat *Fretense* [b]), si modo sana lectio. Memorantur Ammiano *Decimani Fortenses* [c]), pro quo posset videri legendum *Fretenses*, nisi *Fortenses* legerentur aliquoties in Notitia imperii. Vide eruditos criticos ad hunc Ammiani locum.

Vt lit. B.

LEG. XX. VAL. VICTRIX. P. F. *Aper.* AV. (Catal. d'Ennery.)

In lamina aenea apud Buonarrotium [d]) legitur LEG. XX. V. V. adstituto item apro. In utroque monumento τὸ V vel

a) l. c. b) ad Attic. L. X. ep. 7. c) L. XVIII. c. 9. d) Osserv. istor.

VAL. legendum *Valeria* praeeunte Dione [a]): *όι ἐικοσοι, όι και Ουαλεϱειοι και Νικητοϱες ὠνομασμενοι, legio* XX., *quae et Valeria et Victrix appellata.* Vide, quae huc pertinentia ad numos gentis Valeriae Flaccorum dixi.

Vt lit. B.

LEG. XXII. PRIMIGENIE. *Vir nudus pallio in brachium rejecto stans d. clavam, s. arcum tenet, juxta capricornus.* AE. III.

Numum hunc Bandurius ex Harduino recitat, sed qui typum sic describit [b]): *Hercules stans arcum s. tenet, d. cervum ducit.* Bandurio favet numus Gallieni cum eadem legione XXII. et typo capricorni. Legio XXII. Primigenia saepe in marmoribus occurrit, eique in Germania praefectum fuisse Did. Iulianum postea Augustum, docet Spartianus.

Vt lit. B.

LEG. XXX. VLP. VICT. P. F. *in alio* VLPIA. P. F. *Iuppiter d. hastam, s. fulmen tenens capricornum respicit.* AV. (Band.)

Eandem legionem exhibet numus Gallieni, sed typo Neptuni.

Vt lit. B.

LEG. XXXVI. P. VICT. P. F. *Figura nuda stans d. hastam cum capricorno.* AV. (Mediob.)

Numus sic vulgatus a Mediobarbo, sed etiam solo. Dubium non videtur, esse eundem cum praecedente, et pro XXXVI. P. legendum XXX. VLP.

Vt lit. B.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator paludatus gradiens d. hastam, s. tropaeum.* AE. III. (Band.)

Vt lit. E.

P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. *Imperator sacrificans.* AV. (Band.)

Vt numi hi per tribunatus et consulatus numeros notas chronologicas offerunt, non docent tamen principium, ex quo eae pendent.

Vt lit. A. Capita jugata etc.

VICTORIA. AVG. *Protome Victoriae laureata d. lauream, s. palmam.* AV. (Mus. Caes.)

Eximius hic numus per capita jugata, quae in nullo Victorini numo reperit Bandurius, Postumi aetatem luculente profitetur. Ergo et Victorinus, perinde ac Postumus, Marti sese adsimilavit. Khellii conjecturam, qui caput alterum esse Victorini filii suspicatur [c]), infra in hoc refutabimus.

Vt lit. B.

VOTA. AVGVSTI. *Capita Martis et Dianae jugata.* In alio: *Capita adversa Apollinis et Dianae.* AV. (Band. Pembrock.)

Divus Victorinus.

DIVO. VICTORINO. PIO. *Caput radiatum.*

CONSACRATIO. *Aquila rostro coronam stringens, et insistens globo.* AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.) In alio:

PROVIDENTIA. AVG. *Providentia stans.* AE. III. (Mus. Caes.) In alio:

FIDES. MILIT. *Mulier stans utraque manu signum militare tenet.* AE. III. (Mem. Trev. Mart. 1709.)

Coelestes a Gallis honores agente matre Victorina inter hos praepotente, de qua supra egimus, obtinuisse dubium non est.

---

a) L. LV. §. 23. b) Hist. Aug. p. 869. c) Subpl. ad Vaill. p. 196.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei puri	RR.
Aenei I. et II. formae	O.
Aenei III. formae	C.

VICTORINVS FILIVS.

De hoc sequentia Trebellius [a]): fuisse Victorino filium cognominem, Victorinae nepotem, atque a patre sub eadem hora, qua interemptus Agrippinae a militibus est, et avia puerulum admodum Caesarem nuncupatum, et statim hunc quoque ab iisdem peremptum. Exstare denique apud Agrippinam humilia utriusque sepulcra inscripta: *Hic duo Victorini tyranni siti sunt.*

Ne frustra haec Trebellius dixisse videretur, sui huic quoque ab antiquariis quaesiti numi, horumque bene multos reperit ultra modum sedulus Mediobarbus. Moderatior Bandurius tres tantum secrevit, quos filio tribueret, qui nempe vultum a paterno omnino diversum ostentabant, et, ut ipsi visum, annorum triginta, omnesque esse inter se similes, nimirum: IMP. C. PI. VICTORINVS. AVG. X AEQVITAS. AVG. Mirum profecto judicium. Vt juveni huic Victorino suos possit numos tribuere, auctorem unum habet Trebellium, nam nemo alius ejus meminit, cujus tamen ipsa testimonia numis his aperte adversantur. Eum illi dicunt Augustum, Trebellius tantum Caesarem. Facies virum ostendit annorum XXX., Trebellius puerulum, cum caesus esset, appellat. Eodem teste occisus est eadem hora, qua Caesar nuncupatus, ergo necesse fuit, intra tantundem temporis hos feriri numos, quod utrum ullo pacto credibile? Verisimilius ergo, nullos hujus esse numos, omnesque, qui hactenus illi tributi fuere, restituendos patri, et si in aliquibus vultus apparet juvenilior, tribuendum istud potius artificum inscitiae, quam sane neque aevum, neque Gallia, in qua cusi sunt, diffitebitur.

VICTORINA.

Supra in Victorino seniore de hac ejus matre Victorina vel Victoria (nam utrumque nomen prodit Trebellius, posterius Victor) ejusque apud exercitum gratia egimus. Codex Palatinus e melioribus unus eam *Vitruviam* appellat. Huic sequens numus tribuitur:

---

a) in utroque Victorino.

IMP. VICTORIA. AVG. *Caput galeatum.*

II. *Aquila expansis alis.* AE. III.

Numum hunc Mediobarbus ex Strada, praeclaro scilicet teste, descripsit, sed et explosit Bandurius, cujus judicium etsi sanum justumque videretur, tamen commemorandum hunc numum censui, quia cum fidei indubitatae adservari in museo d'Ennery testatur cl. Beauvais [a]). Adde simillimum alium in museo Pembrock, nisi quod capitis inscriptio fertur: IMP. VICTORINA. AVG. [b]) de quibus adeo numis plane singularibus judicent ii, qui videre. Si verum est testimonium Trebellii narrantis in haec verba [c]): *cusi sunt ejus numi aerei, aurei, et argentei, quorum hodieque forma exstat apud Treviros*, non desperandum de aliis ejus numis, quos olim proferat tempus, tametsi mirum, ejus vix unum alterumve circumferri, et quem major pars vix genuinum credet, cum tamen aliorum ejus aevi Galliae tyrannorum abundent numi.

M. AVR. MARIVS.

Olim faber ferrarius, atque ad istud opificium propter incredibile membrorum robur magis a natura factus, quam ad imperium, quod non corporis, sed animi viribus regitur. Tamen caeso Victorino Augustus dictus favente palam Victorina saepe nobis memorata [d]). Paullo post caesus est a milite ejus quondam in fabrili officina operario, addito per contemptum: *hic est gladius, quem ipse fecisti.* Arripuit ergo imperium et cum vita amisit V. C. 1020. Haec Trebellius [e]), et Victor [f]). Triduum imperii ei largitur Trebellius, Victor et Eutropius nonnisi biduum. Verum an credibile intra biduum vel triduum tot potuisse feriri Marii numos, qui etsi obvii non sunt, tamen justo numero exstant, iique non modo parte antica, sed etiam aversa varii? Accedit, quod idem Victor alibi Marium hunc, etsi ortu humillimum, tamen in imperio *superbia atque ambitione immodicum* fuisse adseruit [g]), quae quidem vitia ut praedicari de quopiam cum ratione possint, pluribus experimentis opus est, quam quae biduum capere possit. Certum igitur praecipientibus istud numis quovis historicorum testimonio valentioribus, unum alterumve saltem mensem Marii imperio adjiciendum.

* * *

IMP. C. MARIVS. *vel:* IMP. C. M. AVR. MARIVS. P. F. AVG. *Caput laureatum in AV., radiatum in AR. et AE. III.*

CONCORDIA. MILITVM. *Duae dexterae junctae.*

FELICITAS. AVG.

FIDES. MILITVM. *Mulier stans cum signis militaribus.* AV. (Tanini.)

---

a) Hist. abr. T. II. p. 65. b) P. III. tab. 28. c) in Tyranno XXX. d) Trebell. in Lolliano. e) in ejus vita. f) in Caess. sub Gallieno. g) in Caess. sub Dioclet.

PACATOR. ORBIS. *Caput solis radiatum.* AE. III. (Band.)

SAECVLI. FELICITAS. *in omni metallo.*
VICTORIA. AVG. — VIRTVS. AVG.

PRETIVM.

Aurei	RRRR.
Argentei impuri et AE. III.	R.

C. PESVVIVS TETRICVS PATER.

Etsi in ipsum Aureliani imperium duravit, tamen historiae causa a praecedentibus Galliae tyrannis, ex quibus postremus fuit, separari nolui. Ejus historiam ex auctoribus veteribus adcurate congessit de Boze [a]), ex qua praeclara messe pauca excerpo.

Victorino et Mario caesis famigerata Victorina, rerumque, ut diximus, tum in Gallia potens effecit, ut imperator adclamaretur Tetricus vir ordinis senatorii, consularis, et jam Valeriano probatus, quique tum utrique Aquitaniae praesedit, ei praeterea feminae adfinitate conjunctus. Factum istud oportuit exeunte anno V. C. 1020. P. X. 267, aut principio sequentis. Nam quo tempore Claudius caeso Gallieno imperium adivit, scilicet mense Martio anni P. X. 268, jam constabat Romae, Tetricum in Galliis imperatorem agnitum, ut discimus ex Trebellio [b]). Claudio imperante non modo quiete tenuit Gallias Hispaniamque, sed et apparebant non obscura constitutae inter utrumque concordiae argumenta, ut ex ipsis numis patebit, neque infracta ea est Aureliano ad imperium evecto. At enim irrequietum suorum ingenium ac seditiones pertaesus Gallias Aureliano restituendi cepit consilium, eoque clam invitato, ut per speciem belli in Galliam veniret, cum ambo exercitus in conspectu essent, transitione facta ipsum etiam exercitum duce destitutum ejus sese arbitrio subjicere coegit. Si vera referunt scriptores, non satis famae suae consuluit Aurelianus, cum sponte dedititium in triumpho, quem de Zenobia egit, captivum duci passus est, quanquam deinceps non cessaret omnibus eum officiis ornare, sic ut conlegam saepe, saepe imperatorem appellaret, ac denique Italiae totius correctorem constitueret, suis etiam honoribus in filium Tetricum, antea Caesarem, collatis, de quo infra. Quo imperante hic insignis famae vir diem obiverit, proditum non est. Diutissime adhuc vixisse privatum tradit Eutropius. Ergo imperium Tetrici circumscribitur anno V. C. 1020 P. X. 267, quo illud adiit, et V. C. 1026 P. X. 273, quo actum ab Aureliano triumphum dicemus.

---

a) Mem. B. L. T. XXVI. p. 504. b) in Claudio.

Numi:

A. IMP. C. TETRICVS. P. F. AVG. *Caput laureatum in AV., radiatum in AR. AE. III.*

B. IMP. TETRICVS. PIVS. AVG. *Caput laureatum in AV. AR.*

C. IMP. C. C. PESV. TETRICVS. AVG. *Caput laureatum in AV. radiatum in AE. III.*

D. IMP. TETRICVS. AVG. *Protome laureata d. ramum, s. scipionem cum aquila, in AVreo max. mod.* (B. L. Tom. XXVI. p. 504.) *Caput radiatum in AR. AE. III.*

E. IMPP. TETRICI. AVGG. *in aliis* PII. AVGG. *Capita Tetricorum, patris laureatum, filii nudum, in AR. AE. III.* (Band.)

F. IMPP. TETRICIS. AVGG. *Capita jugata Tetricorum, patris laureatum, filii nudum, in AR.* (Band.)

G. IMPP. INVICTI. PII. AVGG. *Capita jugata Tetricorum, patris laureatum, filii nudum, in AV.* (Pellerin. Mel. I. p. 167.)

* * *

IMP. TETRICVS. -- AVG. *Caput laureatum.*

ABVNDANTIA. *Vas monotum.* AE. III. (Mus. Caes.)

In numis aliis cornucopiae, vel dona Cereris cum hac inscriptione plerumque junguntur, at in praesente vel dona Bacchi, vel Minervae.

Vt lit. A.

ADVENTVS. AVG. *Imperator eques pacificatoris ritu.* AV. (Band.)

Vt in Postumo, sic in Tetrico quoque ignoramus, cujus adventus urbis intelligatur. Absentem ab exercitu adclamatum imperatorem, et Burdigalae sumpsisse purpuram, tradit Eutropius.

Vt lit. A. Capita Tetricorum, ut in aliis.

AETERNITAS. AVGG. *Mulier stans d. globum, cui impositus phoenix.* AV. (Band.)

Numum commendat pars antica. De phoenice aeternitatis symbolo actum alibi.

Vt lit. A.

COMES. AVG. *Victoria stans.* AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

Eadem aversa reperitur etiam in numis Victorini.

Vt lit. G.

HILARITAS. AVGG. *Mulier stans d. oblongum palmae ramum, s. cornucopiae, adstant duo parvuli.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 167.)

Numum descripsi propter singularem partem anticam, quam supra dedi.

Vt lit. D.

IMP. C. CLAVDIVS. AVG. *Caput Claudii Gothici radiatum.* AE. III. (Band.)

Praeclarus hic numus confirmat, quae de concordia inter utrumque imperatorem supra insinuavimus, facile nimirum permittente Claudio, ut vir tantae virtutis ac moderationis praeesset Galliae, qui Germanorum incursiones arceret, dum ipse bellum cum Gothis gereret, neque eodem tempore et pugnare cum his, et Tetricum revocare ad obsequium posset.

Vt lit. A.

NEPTVNO. CONS. AVG. *Equus marinus.* AE. III. (Band.)

Eadem omnino aversa exstat etiam in numis Gallieni, quos vide.

Vt lit. A.

NOBILITAS. AVGG. *Mulier stans d. hastam, s. globum.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 167.)

Haec aversa hactenus ex filii tantum numo fuit cognita. Poterat suam Tetricus jactare nobilitatem; nam ante imperium non senator modo et consul fuit, sed et ortus familia nobili teste Victore in Caess.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator togatus stans vel sedens cum variis attributis.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

P. M. TR. P. II. COS. P. P. *Imperator stans cum hasta et globo.* AV. (Band.)

Vt lit. A. et B.

P. M. TR. P. III. COS. P. P. *Mulier stans d. signum militare, s. hastam.* AV. AR. (Band. Mus. Caes.)

Vt lit. E.

P. M. TR. P. COS. III. P. P. VOTA. *Vterque princeps sacrificans, quorum unum Victoria adstans coronat.* AE. III. (Band.)

Vt lit. A.

PRINC. IVVENT. *Imperator paludatus stans d. baculum trifidum tenet, hastae adnititur sinistra.* AE. III. (Band.) In alio: *Imperator ad aram sacrificat, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

VOTA. etc. vide paullo altius sub P. M. etc.

IMP. TETRICVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

IMP. C. VICTORINVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.* AE. III. (Tanini.)

Nisi permutatae sunt matrices, Tetricus hoc numo singulari Victorini memoriam restituit.

Tetrici an divi?

Mediobarbus numos in medium protulit, qui utrumque Tetricum superis adscriptum testantur. Istud eximio Bandurio crucem fixit, cum difficile sit credere, eos, qui in vita privata decessere, in superos relatos, et eorum nomine auctoritate publica signatam monetam. Praestitisset me judice, horum numorum fidem in dubium vocare, quod mihi semper permissum puto in numis singularibus, et insolentibus, cum horum fides solo Mediobarbi praeconio nititur. Post haec binos vidi a Taninio promulgatos numos:

IMP. C. TETRICVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

CONSACRATIO. *Mulier stans ad aram d. sceptrum, s. hastam.* AE. III. (ex mus. d'Ennery.)

IIVIDC. TETRI. - - DV. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Ara.* AE. III. (ex mus. Com. Verità.)

Numus prior nihil habet consecrationis praeter vocabulum CONSACRATIO, non epithetum DIVI, non solitum typum aversae. Ergo non temere hanc discordiam imputabimus monetarii sive ruditati, sive negligentiae ex Tetrici numis satis cognitae. Deinde dubitari potest, utrum alterius numi epigraphe luxata justum argumentum suppeditet. Nondum igitur satis causae apparet, cur privatum Tetricum in superos relatum liceat existimare.

Animadversio in numos Tetricorum.

Quod ad Postumi monetam observa-

vimus, hujus numos aureos non vulgaris esse elegantiae, ad aureos etiam Tetricorum valere debet. Vltimam vero barbariem redolent plerique eorum numi aenei, sic ut non in provincia aliqua pridem exculta, sed Sarmatas inter Gothosque, quibus ipsa Romanorum lingua peregrina fuit, percussi videri possint. Suspicari igitur licet, monetam eorum auream in ipsa Galliae luce, et sede principis advocata peritiore manu fuisse elaboratam, dum vilior pecunia artificibus provincialibus tam artis quam linguae rudibus relicta fuit.

Nomina Tetricorum.

Tetrici senioris nomina in numis leguntur: C. PESV. TETRICVS. Marmor repertum Rothomagi nomen curtatum explet: C. PESVBIO. TETRICO. NOBILISSIMO. CAES. P. F. AVG. L. I. [a]). Verum ergo gentis nomen fuit *Pesubius*, vel *Pesuvius*, si modo tuto stari potest auctoritate hujus marmoris admodum mutili, quod multo adcuratius, quam Sponius praestitit, proponitur in Memoriis Inscr. Parisinis Tom. III. hist. p. 235 et T. XIV. hist. p. 154. Contra filius plerumque in argenteis et aeneis dicitur: C. PIVESV., rarius PIVESVS., tamen in aureis et aliquot aeneis etiam PES., quod cum nomine paterno congruit, probatque, eum quoque *Pesuvii* nomine in numis suis usum. At cujus generis nomen alterum filii *Pivesus*? Crederem, ab inscitis monetariis intrusum, sed vetat numorum conspirantium copia. Quare verisimile, filio id nomen accessisse a matre, ut saepe alias, cui *Pivesae* forte nomen fuerit. Viros eruditos, qui Tetrico seniori praenomen *Publii* adfinxere, decepit oraculum Goltzii, nam numi, et laudatum marmor Rothomagense eum *Caium* constanter appellant. Cl. Beauvais adfirmat, in aliquibus legi praenomen G, nempe *Gnéi* [b]). Verum *Caius* et *Gaius* perinde olim scribebatur.

PRETIVM.

Aurei . . . . RRRR.
Aureum praegrandis moduli ex museo regis Galliarum edidit cl. de Boze. (Mem. B. L. T. XXVI. p. 504.)
Argentei impuri . . . . RR.
Aenei III. formae . . . . C.

a) Spon Miscell. p. 274. b) Hist. abrég. T. II. p. 94.

TETRICVS FILIVS.

C. Pesuvius Pivesus Tetricus, quae filio fuisse nomina supra in patre diximus, hoc ad imperium promoto Caesar appellatus est machinis famigeratae Victoriae, ut docet Trebellius, et Victor. Ab Aureliano una cum patre ductus in triumphum deinceps victoris indulgentia ad omnes senatorios honores admissus non apud hunc modo, sed alios etiam principes successores gratia valuit. Fueritne antehac a patre dictus Augustus, infra expendetur.

Numi:

A. C. PES. TETRICVS. CAES. *Caput nudum in AV., raro in AE. III.*
B. C. PIVESV. TETRICVS. CAES. *Caput radiatum in AR. et AE. III.*
C. PIVESVS. TETRICVS. CAES. *Caput radiatum in AE. III.*
D. C. TETRICVS. CAES. *Caput radiatum in AE. III.*
E. IMP. CS. TETRICVS. C. *Caput radiatum in AE. III.*
F. IMPE. TET. PIVES. *Caput radiatum in AE. III.* (Band.)

Omitto numos, in quibus ejus caput sociatur cum capite patris, quos vide in patre; item inscriptiones capitis mire varias, sed cujus una causa monetariorum ruditas, literis turpiter disjectis, saepe nullo sensu, ut jam in patre monui.

* * *

Vt lit. E.

ABVNDANT. AVG. *Vas ansatum.* AE. III. (Band.)

Similem aversam jam ostendimus in moneta patris.

Vt lit. B.

IMP. TETRICVS. P. F. AVG. *Caput Tetrici patris radiatum.* AE. III. (Band.)

Numus vel in ipsa Gallia rarissimus.

Vt lit. B.

SECVLVM. *Ara luculenta.* AE. III. (Band.)

Nova aversae epigraphe et additus huic typus sensum recondit, quem explicare non tento.

C. PIV. TETRICVS. A. *Caput radiatum.*

SOLI. CONSER. *Centaurus arcum tenens.* AE. III. (Band.)

Vide, quae ad numum similem Gallieni cum epigraphe APOLLINI. CONS. AVG. notavi.

Vtrum Augustus?

Tetricum filium fuisse Augustum, probat Bandurius

I. ex numis inscriptis: IMPP. TETRICI. AVGG., aut similiter, quos recitatos vide in numis patris.

II. ex titulo IMP. ejus nominibus in binis numis praefixo.

III. ex numo ejus postremo mox producto, in cujus antica sub finem additur A., quod ait notare Augustum.

Addo ego his fortius argumentum aliud ex numo musei Caesarei:

- - - TETRICVS. AVG. *Caput radiatum puerile.*

SALVS. AVG. *Salus stans.* AE. III.

Addo denique testimonium Vopisci, eum a patre in Gallia nuncupatum imperatorem adserentis [a]).

Argumenta haec ut valida in speciem videri possunt, tamen collatum Augusti titulum non satis evincunt. Nam I. in numis aureis, quorum praeconium propter operis nitorem, et quia haud dubie in ipsa principis sede, atque adcuratius cusi sunt, solum est audiendum, Augustus nunquam dicitur, nisi in consortio patris. At vidimus alias, non raro manifestos Caesares per causam praesentis Augusti patris participasse honorem Augusteum sibi indebitum, cujus exempla dedimus in Maximino et Maximo, et alibi. II. Si vere Augustus fuit, cur in iisdem his numis ejus caput constanter est nudum, cum tamen patris constanter sit laureatum? Sane hoc aevo caput nudum indubitatum est Caesaris indicium. III. Obvii sunt Tetrici jun. numi, in quorum antica is Caesar tantúm dicitur, at in aversa scriptum SALVS. AVGG. — SPES. AVGG. — NOBILITAS. AVGG. etc. ut ergo his in numis *το* AVGG. Tetricum jun. nequaquam Augustum probat, etsi illum quoque complectatur, ita neque in aliis. IV. Titulum *imperatoris* non semper probare etiam Augustum, satis supra in moneta Salonini disserui. Quod si revera Augustus dicitur in aeneis, iisque paucissimis, et explicate in unico tantum, facile istud tribui potest monetarii ignorantiae titulorum vim non satis percipientis, praecipue cum operis ruditas, quae plerosque Tetricorum aeneos inter barbaros jure ablegat, abunde doceat, ab imperitissima eos manu fuisse elaboratos. Denique Trebellius et Victor, qui utramque ejus fortunam prodidere, eum Augustum nunquam, quod memorare certe non neglexissent, sed Caesarem solum appellant.

PRETIVM.

Aurei	RRRR.
Argentei impuri	RR.
Aenei III. formae	C.

PISO FRVGI.

A veteribus illis Calpurniis creditus genus ducere, propter justitiae et integritatis commendationem apud summos juxta ac infimos gratiosus. A Macriano ad interficiendum Valentem missus, cum exsequi mandata non posset, in

a) in Aureliano c. 34.

Thessaliam abiit, imperiumque ibi paucis consentientibus sumpsit, dictus propterea *Thessalicus*, paullo post missis a Valente percussoribus e medio tollitur. Vide Trebellium in Tyranno XX.

Numi:

Ejus numum Latinum, in cujus aversa THESSAL. AVGVS. dicitur, alterum Alexandrinum Bandurius ex uno Mediobarbo hausit, sed de quorum fide nunc vulgo dubitatur.

VALENS.

Achaiae proconsul a Gallieno constitutus a Macriano insidiis petitur, quas ut declinaret, imperium arripit, sed brevi a militibus interimitur. Vide Trebellium in Tyranno XVIII.

Numum ejus Alexandrinum Bandurius ex uno Occone novit; nunc nemine illum alio vindicante contemnitur.

BALISTA.

A Valeriano ad maximas dignitates, et ipsam praetorii praefecturam promotus, eumque ad bellum Persicum adsectatus, illo a Persis capto Macriano ad sumendam purpuram auctor fuit, quam et ipse serius arripuisse fertur, etsi, utrum vere imperaverit, adserere non audeat Trebellius [a]). In Oriente dum versatur, Odenathi insidiis occubuisse creditur. Vide Tillemontium sub Valeriano et Gallieno.

Hujus tyranni numum Latinum hausit Mediobarbus ex Occone. Alexandrinum addidit Goltzius. Neutri fides habetur.

REGALIANVS.

Regillianum vocant Trebellius, et Victor in Epitome, et ex hoc nomine Goltzius *Q. Nonium Regillianum* suae auctoritatis est fabricatus. *Regallianum* dixit Victor in Caesaribus [b]), at numi genuini, quos mox producam, *P. C. Regalianum*, incerto adeo gentis suae nomine, cum το C varie accipi possit. Fuit natione Dacus, et credebatur sanguinem a Decebalo ducere. Cum Gallienus Ingenuum, qui audito Valeriani fato tyrannidem in Illyrico arripuerat, apud Mursiam devicisset, et inhumana barbarie in illos, qui ab eo steterant, saeviisset, veritus exercitus Moesiacus, ne idem ab irato victore pateretur, Regalianum Augustum dixit, sed eundem postea succedente a Gallieno

a) in Tyranno XVII. b) sub Gallieno.

metu interemit etiam. Haec Trebellius, et uterque Victor. Si vera narrat Trebellius [a]), imperavit eo tempore, quo Gallienus decennium suum celebravit, quod factum constituimus V. C. 1016 P. X. 263.

Numos *Regiliani* nomine, et in aversa *consecrationis* protulere Tristanus, Strada, Fulv. Vrsinus. Verum cum ab horum aetate numi similes reperti non essent, jure de eorum fide dubitari coeptum. Tamen eorum tres ex solis museis Austriacis lectori objicio, fidei integerrimae, quantam unquam veteri cimelio possumus tribuere. Omnium eorum fabrica barbara, nimirum qualem praestare poterat Moesia, argentum ejus indolis, cujus sunt numi Caracallae, cujus ratio ex iis, quae mox dicam, facile patebit.

* * *

IMP. C. P. C. REGALIANVS. AVG. *Caput radiatum.*

LIBERALITAS. AVGGG. *Mulier stans d. crumenam, s. hastam.* AR. (Mus. Caes.)

Nunc primum occurrit AVGGG. obvium in numis infimi aevi. Non tento evincere, qui fuerint tres hi Augusti. Forte hoc nomine uxorem, filiumque Caesarem intelligi voluit.

IMP. C. P. C. REGALIA - - - *Caput radiatum.*

ORIENS. AVG. *Sol capite radiato stans d. elata, s. flagellum.* AR. (Olim Vindob. in museo de France.)

Qui sequitur, non vulgaris est meriti, quem, ut est, adcurate describo.

- - C. P. C. REGALIANVTORI. *Caput radiatum.*

- - - CON - - - *Figura stans d. - - - s. hastam, in reliqua peripheria:* ANTONINVS. PIV - - *et aperta vestigia capitis laureati Caracallae.* AR. (Mus. Caes.)

Praeclare comprobat hic numus, tyrannos, cum eos deficeret argentum, et tamen vellent suo nomine signare pecuniam, quod summae potestatis argumentum fuit, veterem monetam ad incudem revocasse, atque ut praesentis numi testimonio careremus, ejus generis copiosos exstare Postumi, in quibus veteris matricis rudera aperte tralucent, testatur Brequignyus [b]). Instituto examine cum numo, de quo ago, adverti continuo, ante metamorphosin fuisse numum obvium Caracallae, in cujus antica est: ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Caput laureatum,* in aversa: MARTI. PACATORI, ex qua gemina epigraphe malleum recentioris manus evaserunt: ANTONINVS. PIV. et TORI.

* * *

IMP. C. P. C. REGALIANVS. - - *Caput radiatum.*

VICTORIA - - *Victoria stans.* AR. (Tanini.)

Praeter citatos hos numos Regaliani alium non novi. Cum in ipsis nostris terris, in quibus reperiuntur, sint rarissimi, causam tenemus, cur nobilissima aliarum provinciarum musea iis careant.

---

a) in Gallieno. b) Mem. B. L. T. XXX. p. 347.

PRETIVM.

Argentei tantum cogniti, iique . . . . . . RRRR.

SVLPICIA DRYANTILLA.

Hujus Augustae numi Vindobonae primum coepere innotescere. Horum unus repertus in Austria ab aratore opus faciente Iosepho comiti Ariosto oblatus fuit anno circiter 1760. Motus is rei novitate varios per Europam viros eruditos consuluit, cujus thalamo ignotam hactenus Augustam sociandam putarent. Tacentibus reliquis, quod nihil occurrerat ad causam opportunum, vocem exstulit Eduardus Corsinus, atque edita Liburni anno 1761 prolixa dissertatione illustrare argumentum aggressus est, re ipsa aliud nihil attulit praeter conjecturas plane infirmas, quibus nihilo plus profecit, quam qui tacuere. Ariostianum istud cimelium lucem adfudit alteri simili, qui, sed minus integer, pridem in museo Caesareo servabatur, et nomine KYANTILLA a Froelichio in Cimelio Caes. Vindob. pag. CLXIV. editus est. Ab hoc tempore reperti plures, ac compertum mihi, eorum exempla singula exstare aut exstitisse in museis ill. com. Vitzai, Rev. Klimo olim episcopi Quinque ecclesiensis in Hungaria, et cl. Neumanni nostri. Alius nuper repertus, et hic quoque in Austria, ubi Hungariae contermina est, in cujus antica legitur: SA AVG YANTILLA - - - X: PVVNONI. REDIN., qui nunc est in museo ill. Alexandri Bar. de Seckendorf. Denique alium citari video a Froelichio, sed ipsi sibi tum ignotum [a]), in cujus parte adversa legitur: PIETASACILL - - in aversa: IVLIANIREDIN. Fuit is Vindobonae in museo Garelliano. Eundem hunc numum serius mihi inspicere licuit, sed in cujus antica luculentam vidi epigraphen PIETASNTIL - - nimirum το PIETAS restat ex matrice vetere, το NTIL - ad *Drya*NTIL*lam* pertinet. Satis apparet, utrumque hunc numum esse recusum, et antea alterius Augustae, et Seckendorfianum quidem fuisse *Mae*SA*e* AVG. cum aversa PV*dicitiae*, alterum Garellianum cujuscunque IVLIA*e* cum aversa PIETAS, quod arguunt residuae literae prioris matricis mixtae cum literis matricis noviciae. Alium hujus Augustae in exterorum museorum catalogis nondum memorari vidi.

Eam me judice non posse opportunius sociari, quam Regaliano, sequentia videntur persuadere. I. Ejus hactenus numi in sola Hungaria, et contiguis provinciis reperti sunt, quo palam docemur fuisse uxorem unius ex tyrannis, qui imperium sibi in hoc tractu per vim extorsere, qualis erat Regalianus. II. Fabrica, ac literarum forma tam

a) IV. Tentam. p. 438.

in Regaliani, quam Dryantillae numis omnino est eadem, quo solo argumento absterritus sum, quo minus, quod aliquando tenuiter suspicabar, Pacatiani uxorem, hujus quoque tractus tyranni, statuerem, quod in hujus numis plus artis, multo majorem characterum elegantiam perspicue animadverteram. III. Vtriusque numi idem habent volumen, idem fere pondus, ejusdem rationis argentum, quod bonitate multum praestat argento, ex quo cusi sunt numi Gallieni, aliorumve ejus aevi tyrannorum. Pronunciare isthaec confidenter possum, qui utriusque numos prae manibus habeo, ac fere omnes eos, qui nunc alibi sunt, ipse inspexi. IV. Fuisse Regaliano uxorem, dubitare non sinit ejus numus supra laudatus: LIBERALITAS. AVGGG., qua formula comprehensam etiam Augustam uxorem dubitari vix potest. V. Quemadmodum numum Regaliani ex numo Caracallae formatum vidimus, sic idem factum videmus in numis Dryantillae. Sane nullum hujus Augustae numum conspexi, in quo non exstarent luculenta prioris cujuspiam matricis indicia. Commemoravi argumenta, justa sint, nec ne, lector eruditus arbitretur.

* * *

SVLP. DRYANTILLA. AVG. *Ejus caput super luna.*

IVNONI. REDINE. (sic) *Dea stans d. porrecta - - - s. hastam.* AR. (in Mus. Caes. aliisque supra laudatis.)

Cum typo diverso nullus alter mihi cognitus. Ejus iconismum rite expressum habes in Khellii Subplemento ad Vaillantium p. 190, nisi quod in nomine Dryantillae ponitur V pro Y.

PRETIVM.

Argentei tantum, iique . . . . RRRR.

AVREOLVS.

Dacus natione, et si fides Zonarae, olim opilio, deinde ducendo exercitui a Valeriano praefectus, serius a Gallieno defecit, adclamatus imperator a legionibus secundum hos Illyrici, secundum illos Rhaetiae, at quando, in tantis auctorum dissidiis, quae enarrat Tillemontius [a]), plane incertum. Quin probata jam ejus perfidia, cum victo aemulo Macriano crevisset viribus, eum Gallienus belli adversus Postumum gerendi socium adhibuit. Rupta concordia Gallienus victum Aureolum Mediolani obsidione premit, sed qui discrimen caeso inter haec Gallieno evadit. Novissime a Claudio victus tyrannidem cum vita posuit V. C. 1021. P. X. 261.

* * *

a) Nota VI. in Gallien.

IMP. AVREOLVS. AVG. *Caput radiatum.*

CONCORD. EQVIT. *Mulier stans d. pede prorae navis imposito, s. gubernaculum gerit.* AE. III. (Band.)

IMP. C. AVREOLVS. AVG. *Caput radiatum.*

CONCORD. IIMC. *Duae dexterae junctae.* AE. III. (Band.)

Addidit his binos Pembrockius, sed attritos. (Part. III. tab. 28.)

Duos, qui sequuntur, Bandurius ex uno Tristano produxit, sed cuperem ab aliis quoque conspectos, adprobatosque.

IMP. AVREOLVS -- *Caput radiatum.*

L. I. MIN. RESTITVTA. *Minerva et Aureolus stantes dexteras jungunt.* Incerti moduli.

Numus praeclarus, si modo certae fidei.

IMP. M. ACIL. AVREOLVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

PROVIDENTIA. AVG. *Typus Providentiae.* AV.

Marci, vel *Manii Acilii* nomina jam Goltzius ex numo suo promulgavit haud dubie conficto.

PRETIVM.

Aurei, si modo genuini	. . . .	RRRR.
Argentei	. . . .	O.
Aenei	. . . .	RRRR.

SVLP. ANTONINVS.

Antoninum Zosimus inter hujus aetatis tyrannos nominat, cui ab eruditis nonnullis numi bini Graeci inscripti: ΑΤΤΟΚ.ϹΟΤΛΠ.ΑΝΤωΝΙΝΟϹ.ϹЄΒ. tribuuntur, quos una conjunxi et explicavi in numo Sulp. Vranii Antonini post numos Mamaeae.

MACRIANVS PATER ET FILIVS.

Macrianus a Valeriano inter exercitus duces adlectus coluisse artes magicas ferebatur, et fuisse auctor princeps ejus odii, quo Valerianus Christianos prosecutus est, de quo vide Tillemontium in hoc argumento more suo abundantem. Ei Valerianus suscepto in Persas bello, malo, ut eventus docuit, consilio rei summam credidit; nam perfide principem in ea dicitur loca deduxisse, unde exire amplius non dabatur, et fuisse adeo causa praecipua ejus capti, et

in miseram servitutem abstracti. Vtut erit, collectis exercitus reliquiis, quod supra modum dives esset, ac rei militaris cumprimis gnarus, etsi per aetatem ac morbos jam parum validus agente Balista adversus Gallienum imperator dicitur filiis Macriano et Quieto conlegis additis. Rebus in Oriente ordinatis, relictoque ibi Quieto, una cum altero filio in Occidentem movet hunc quoque sibi subjecturus, jamque in Illyricum pervenerat, quod tum Aureolo paruit, verum collatis cum hoc signis inferior ipse cum filio interficitur V. C. 1015 P. X. 262.

Numi Macrianorum.

Ait Bandurius [a]), nullum adhuc in oculos suos incurrisse Macriani nomine insignitum numum, qui ad filium non pertineret, idemque sibi accidisse testari plerosque alios antiquarios. Revera numi Macriani usque modo cogniti vultum juvenilem exhibent, qui adeo patris esse non possunt, quem senio gravem prodidere historici. Et vero ipso hoc ejus numorum defectu potest videri verisimile, quod refert Zonaras [b]), Macrianum propter adfecti pedis incommoda detrectasse purpuram, eamque utrique filio largitum, cum quo fere conspirat Dionysius Alexandrinus apud Eusebium [c]). Narrat quin etiam Trebellius, Macrianum, cum ad imperium peteretur, excusasse senectutem, morbos, curandi corporis necessitatem, neque antea consensisse, quam ad eundem honorem vocatus esset uterque filius. Quare cum nulli ejus habeantur numi, etsi supersint copiosi filiorum, non obscure colligimus, Macrianum patrem, utut imperium acceptaverit, id forte magis filiorum causa fecisse, et quos a se amolitus est honores publicos, unis his permisisse. Tamen si unus tantum exstat in numis Macrianus, mirum, cur hic unus varia in illis praeferat nomina. In numis Alexandrinis aliis dicitur: Τ. Φ. ΙΟΥΝ. ΜΑΚΡΙΑΝΟϹ, *Titus Fulvius Iunius Macrianus*, in aliis: Μ. vel ΜΑ. ΦΟΥ. ΜΑΚΡΙΑΝΟϹ, *M. Fulvius Macrianus.* An unus idemque eodem tempore praenomen habuit *Titi* et *Marci?* Quod si audiamus testimonium cl. Sestinii, vidit is numum Macriani, quem infra describemus, in quo Macrianus capite barbato exhibetur. Quare existimat, Macrianum barbatum existimandum patrem, imberbem filium [d]). Sed haec adhuc admodum incerta, ut continuo dicetur, et exspectandae aliorum suppetiae numorum, qui veritatem certius edoceant. Observari etiam meretur, a Zonara loco supra indicato tantum filium dici *Macrianum*, patrem constanter *Macrinum*. Numi ergo Macriani nomine inscripti sunt sequentes:

Macrianus Caesar.

MACRIANVS. NOBIL. CAES. *Caput radiatum.*
FIDES. MILITVM. *Tria signa militaria.* AR. (Haym. T. I. tab. 29. n. 7.)

Macrianus Augustus.

IMP. C. FVL. MACRIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

---

a) Pag. 271. b) L. XII. c. 24. c) H. E. L. VII. c. 10. d) Lettere T. IV. p. 132.

APOLLINI. CONSERVA. — ROMAE. AETERNAE. - SOLI. INVICTO. — VICTORIA. AVGG. etc. *typis congruis.*

Numi Alexandrini.

A. K. T. Φ. ΙΟΥΝ. ΜΑΚΡΙΑ-ΝΟϹ. Є. *vel* ЄΤϹ. ϹЄΒ. *Caput laureatum.*

L. A. *variis typis Aquilae*, *Victoriae*, *Spei etc.* AE. II. (Band. Mus. Caes.)

In nonnullis catalogis legitur ΙΟΥΛ. pro certiore ΙΟΥΝ.

A. K. ΜΑ.ΦΟΥ.ΜΑΚΡΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. *Caput laureatum.*

L. B. *Roma sedens.* AE. III. (Band.)

A. K. M. ΦΟΥ. ΜΑΚΡΙΑΝΟϹ. ЄΥ. ЄΤϹ. *Caput laureatum barbatum.*

L. B. *Aquila stans.* Potin II. (Sestini l. c.) Adverte in hoc numo ad tautologiam ЄΥ. ЄΤϹ., nisi forte erravit monetarius, aut in describendo calamus. Ceterum hunc ipsum Sestinii numum video eodem loco ambiri ab aliis, quos variis hujus operis locis non dubitavi spuriis, aut certe valde suspectis accensere.

Numi hi invicte docent, Macrianum in Aegypto imperatorem pro Gallieno fuisse agnitum, et opportune hoc loco Bandurius ex Dionysio Alexandrino observat, Gallienum septennali circulo jam finito nonum imperii annum tunc egisse, cum ad ejus auctoritatem Aegyptus se iterum adplicuit, omisso scilicet anno VIII., quod Macrianorum partes haec regio interea secuta esset. Et vero etsi obvii sunt Gallieni numi Alexandriae signati, rarissimi tamen sunt cum anno H, seu VIII., ut diximus in horum numorum classe. Coepit hic exeunte Augusto V. C. 1013 P. X. 260, et constat, paullo post Valerianum a Persis captum, ac tum Macrianos Orientem sibi subjecisse. Illo igitur jam inchoato Macrianus in Aegypto agnitus est imperator, duravitque eius imperium saltem usque ad exeuntem Augustum anni sequentis, quo cusus fuit numus L. B.

Numi Nicaeensium.

Exstant numi ab his Macriano, tum et fratri Quieto, quos dabimus infra, signati, ex quo apparet, eorum in Asia quoque agnitum fuisse imperium.

ΤΙ. ΦΟΥΛ. ΙΟΥ. ΜΑΚΡΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. *Caput juvenile imberbe radiatum.*

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Castra praetoria.* AE. II. (Haym. T. II. p. 393. Pellerin Mel. II. p. 231. Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei	O.
Argentei impuri	RR.
Aenei III formae	RR.
Signati Nicaeae	RRRR.
Alexandrini	RR.

QVIETVS.

C. Fulvius Quietus alter Macriani filius eo modo, quo diximus, donatus purpura, patre ac fratre ab Aurelio superatis caesisque ab Odenatho Palmyrae principe Emesae, quorsum confugerat, obsessus, eaque expugnata interemptus est. Vide Trebellium variis locis.

* * *

IMP. C. FVL. QVIETVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

Aversae eaedem, quae in numis fratris Macriani, cum typis obviis; sunt praeterea eodem fere numero, fabrica, raritate.

Numi Nicaeensium.

Fratris numos ab his signatos proxime recitavimus. En alios Quieti:

- - - ΦΟΥΛ. ΚΥΗΤΟϹ. ϹЄΒ. *Caput radiatum.*

ΝΙΚΑΙЄΩ. *Castra praetoria.* AE.II. (Pellerin Mel. II. p. 232. Arigoni.)

Numi Alexandrini.

Α. Κ. Γ. ΦΟΥΛ. ΚΟΥΗΤΟϹ. Є. ϹЄΒ. *Caput laureatum.*

L. A. *Aquila.* (Mus. Theup. Band.)

Numus Theupolianus nos de praenomine *Caii* instruit.

PRETIVM.

Aurei	O.
Argentei impuri	RR.
Aenei II. formae (Mus. Caes.)	RRRR.
Signati Nicaeae	RRRR.
Alexandrini	RRR.

ALEXANDER AEMILIANVS.

Alexander Aemilianus Aegypti sub Gallieno praefectus, ut Alexandrinorum adversus se conspirantium furorem evaderet, consentiente exercitu imperium sumpsit. Eum Gallienus misso Theodoto duce vivum cepit, et ad se adductum in carcere strangulari jussit [a]).

De numis Latinis hactenus editis, sintne genuini, dubitat Bandurius ipse, ac peritiores omnes. Alexandrinum pridem vulgavit Occo, aut verius Goltzius, cujus fidem utrum satis idonee confirmet numus sequens, inquirendum.

* * *

Α. Ι. ΤΙΒ. ΚЄϹΤ. ΑΛЄΞΑΝΔ. ΑΙΜΙΛΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. *Caput diadematum.*

a) Trebell. in Tyranno XXI.

L. A. *Aquila*. AE. II. (Pellerin Additions p. 7.)

Diadema caput ambiens res est hac adhuc aetate insolens, et si numus genuinus est, ejus certe pictura, qualis a Pellerinio proponitur, fallere videtur. Nimirum suspectum A. I. pro A. K., deinde forma literarum E. Ξ pro Є. Ξ praesens aevum non sapiunt. Suspectum etiam, quod epigraphe tota cum illa conspirat, quam promulgavit Goltzius, qui tyrannorum nomina et praenomina pro libitu confinxit, ut adeo verisimile sit, falsarium, si modo numus spurius est, capitis inscriptionem ad autographum Goltzianum conformasse. Sane *Tib. Cestii* nomina auctorum veterum nemo huic Aemiliano praefixit. Pellerinii auctoritas in numo suo adprobando propterea minus valet, quoniam, quo tempore numum hunc protulit, oculorum usum jam amisit. Sed desino diutius altercari; nam video, huic geminum ab erudito Beauvais ex museo suo laudari, nisi forte unus idemque est, eumque hic Pellerinio petenti cesserit. Mihi certe omnes hi Aemiliani numi parum probantur.

TREBELLIANVS.

In Isauria sub Gallieno sua sponte imperatorem se appellavit; sed misso exercitu victus in praelio occubuit [a]).

Cum de eo Trebellius diserte dixerit: *Monetam etiam cudi jussit*, defuisset partibus suis Goltzius, nisi et ejus aliquem numum quaesivisset, reperissetque. Ex hoc ergo fonte habemus IMP. C. C. ANN. TREBELLIANVS., nemini adhuc alteri visum. Neque majoris facio alium cum consecrationis nota, qui auctorem habet Tristanum virum, ut insigniter eruditum, sic ad parandam numis fidem parum idoneum.

CELSVS.

Vir justus, ac integer, cum privatus in Africa agros suos coleret, a partibus ad acceptandum contra Gallienum imperium adigitur, deficiente vero purpura peplo deae Coelestis ornatur. Idem septimo imperii die occiditur, tanto in eum vulgi furore, ut, cum corporis ejus nihil superesset, quia objectum canibus fuit, ejus saltem imago novo injuriae genere in crucem tolleretur, tanquam patibulo ipse Celsus videretur adfixus [b]).

Numos Graecos et Latinos cum nominibus *T. Cornelii Celsi* praeter Goltzium nemo vidit.

---

a) Trebellius in Tyranno XXV.

b) Trebellius in Tyranno XXVIII.

SATVRNINVS I.

Incertum, qua in regione imperatorem se aliquamdiu tulerit. Vide Trebellium [a]).

Bini tyranni Saturnini produntur, unus sub Gallieno auctore Trebellio [b]), alter sub Probo teste Vopisco. Vtriusque numos protulit Goltzius; prior illi est *Sex. Iul. Saturninus* [c]), alter *P. Semp. Saturninus* [d]), quam ego distributionem parum moror, cum utrosque esse confictos non dubitem. De Saturnino quodam tertio, et jactato ejus numo agemus post monetam Constantis.

CYRIADES.

Saporem Persam ad inferendum Romanis bellum hortatus, arrepta deinde purpura Orientem graviter adflixit, mox imminente ad bellum Persicum Valeriano a suis occiditur [e]).

Numum Latinum et Graecum vulgavit Goltzius [f]), neque majorem fidem meretur is, quem ex Fulvio Vrsino hausit Mediobarbus.

INGENVVS.

Imperante Gallieno Pannoniarum rector a Moesiacis legionibus imperator adclamatur, sed ab adcurrente Gallieno vincitur, et e medio tollitur [g]).

Ejus numos dedit Goltzius, alium Mediobarbus ex schedis Faeschianis, ejusdem sane cum priore fidei.

CLAVDIVS GOTHICVS.

M. Aurelius Claudius obscuro genere ex Dardania aut Illyrico ortus, quos postea adeptus est honores, virtuti bellicae, quae tum fere sola tenuem fortunam evexit, acceptos tulit. Ejus nomen inde a Decio militiae laude clarum usque eo sub consequentibus Augustis invaluit, ut eum Gallienus, quod propter virtutem necessarius videretur, in pretio haberet, at simul propter populorum adfectum reformidaret. Ab hoc, cum bellum in Aureolum moveret, in Italiam accitus est V. C. 1021 commissa Ticini custodia, caesoque paul-

---

a) in Tyranno XXII. b) l. c. c) Thes. p. 116. d) Ibid. p. 119. e) Trebellius in Tyranno I. f) Thes. p. 115. g) Trebell. in Tyranno VIII.

lo post ducum conspiratione Gallieno, cujus eum saltem fuisse conscium ne ii quidem, qui ejus res gestas omnes ad coelum extulere, audent plane inficiari, ab universo exercitu imperator adclamatur, omni senatu ejus arbitrium die XXIV. Martii, quo Romam perlatus nuncius, communibus studiis comprobante.

V. C. 1021. P. X. 268.
TR. P. COS. DES. P. M. P. P.
Paterno II., Mariniano cos.

Gallienum in superos refert. Aureolus praelio inferior victoris se arbitrio permittit, sed ab iratis militibus caeditur. Alamannos irruentes prope lacum Benacum internecione caedit [a]).

Certi anni hujus numi desunt.

V. C. 1022. P. X. 269.
TR. P. II. COS. P. M. P. P.
Claudio Aug. II., Paterno cos.

Gothi paratis ad Tyrae ostia bis mille navibus (sex millia tradit Zosimus) impositisque trecentis viginti millibus hominum Tomos, Marcianopolin, Cyzicum tentant. Vbique oppidanorum virtute rejecti per freti angustias in Aegaeum enixi Macedoniae urbes oppugnant. Verum Claudio cum magno exercitu adventanti obviam progressi atroci praelio in Moesia superiore vincuntur magna superstitum parte fame, frigore, morbis hausta. Claudio propterea honorificum *Gothici* nomen accedit.

IMP. C. CLAVDIVS. AVG. *Caput radiatum.*
P. M. TR. P. II. COS. P. P. *typis variis obviis.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

V. C. 1023. P. X. 270.
TR. P. III. COS. P. M. P. P.
Antiochiano, Orfito cos.

Gothos intra Haemi latebras internecione delet, dedititiis partim in exercitum adlectis, partim ad opus ruri faciendum adactis. Peste tum late grassante correptus ipse Claudius apud Sirmium Pannoniae exstinguitur incertum quo mense.

Ex unanimi historicorum consensu propter morum integritatem, justitiam, frugalitatem, virtutem bellicam inter laudatissimos principes eximium locum est promeritus. In majus auxisse ejus famam per adulationem videri possent, quod eorum plerique sub Constantii progenie scripsere, cujus ipse, ut mox videbimus, in majoribus fuit habitus, quos inter Trebellius laudatorem magis, quam historicum agit; verum easdem laudes recitat Zosimus testis vel ideo sincerus, quod Constantinum scriptis suis acerbe ubique persequitur.

De uxore non constat. Fratres habuit *Quintillum*, qui in imperio successit, et *Crispum* patrem Claudiae, quae denupta Eutropio filium habuit Constantium Chlorum subinde Augustum.

Hujus quoque anni numi incerti.

Numi vagi:

A. IMP. C. CLAVDIVS. AVG. *vel* IMP. CLAVDIVS. AVG. *vel ad-*

a) Victor in Epit.

dito P. *vel* P. F. AVG. *Caput laureatum in AV. AE. I. II. radiatum in AE. III.*

B. IMP. C. M. AVR. CLAVDIVS. AVG. *Caput radiatum in AE. III.*

C. IMP. CAES. CLAVDIVS. PIVS. FELIX. AVG. *Caput laureatum in AE. m. m.*

D. IMP. C. M. AVR. CLAVDIVS. GER. GOTHICVS. *Caput laureatum in AV.* (Tristan.) Additum GER. suspectum, ut dicetur infra in nominibus Claudii.

E. IMP. CLAVDIVS. CAES. AVG. *Caput radiatum in AE. III.*

F. IMP. CLAVDIVS. A. *Caput radiatum in AE. IV.* (Mus. Caes.)

* * *

Vt lit. A.

CONSERVAT. PIETAT. *Imperator paludatus stans dexteram porrigit figurae genu flectenti, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numus rarissimus, sed cujus aversa jam ex Gallieni numo cognita, quo loco vide, quae notavi.

Vt lit. A.

DEO. CABIRO. *Cabirus pileatus alte cinctus d. malleum, s. forcipem.* AE. III. (Band.)

In solo hoc numo commatis Romani, atque hoc rarissimo Cabirus occurrit, cujus frequens mentio in moneta Thessalonicensium, quorum eum fuisse tutelarem in eorum moneta diximus. Recte igitur advertit Bandurius, deum hunc grati animi causa a Claudio monetae insertum, tanquam ejus numine Gothi Thessalonicae obsidione, quam ab iis fuisse tentatam narrant Zosimus, et Trebellius [a]), depulsi essent.

* * *

Vt lit. A.

IOVI. FVLGERAT. *Iuppiter gradiens fulmen vibrat.* AE. III. (Tanini.)

Vt lit. A.

IVNO. REGINA. *Dea stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus pavo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Commemorandus hic numus videbatur, quoniam haec aversa hactenus in Augustarum tantum numis fuit observata.

Vt lit. A.

IVVENTAS. AVG. *in aliis* IVVENTVS. AVG. *Hercules stans d. clavam, s. globum et exuvias leonis.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Eadem epigraphe exstat in numo Gallieni, ut praeteream numos Aurelii Caesaris inscriptos IVVENTAS vel IVVENTVS, quo loco abunde egi de dea Iuventate a Romanis culta. In utriusque numis causam hujus epigraphes constituimus juventutem seu veram, seu comparatam, sed quae in Claudium quadrare nequit, qui et solus Augustus fuit saltem Romae agnitus, et si fides Chronicis Alexandrino, et Eusebii, cum obiit, annum egit LVI. Videtur ergo hac aversa celebrari Claudii etsi senioris vigor juvenilis, quo velut alter Hercules ingruentia in imperium monstra debellavit, perinde ac de Charonte Maro [b]):

Iam senior, sed cruda deo, viridisque senectus.

Qui ingeniosas in numis adlusiones optat, habet in hoc numo Iuventatem

a) Cap. 9. b) Aen. VI. 304.

Graecis Heben, cum Hercule matrimonio junctam, ut docet mythologia.

* * *

Vt lit. A.

NEPTVNO. AVG. *Neptunus stans d. delphinum, s. tridentem.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hoc numo Claudius Neptuno acceptam refert cladem, quam barbarorum classis in Propontide passa est navibus aquarum moli in his angustiis coartatae resistere non valentibus et violente collisis, ut refert Zosimus. Eadem de causa in numis Claudii Alexandrinis hujus anni Neptunus comparet.

* * *

Vt lit. A.

REGI. ARTIS. *Vulcanus stans d. malleum, s. forcipem.* AE. III. (Mus. Caes. Spanheim Caess. Iul. p. 96.)

Habemus numos Valeriani et Gallieni inscriptos DEO. VOLKANO cum simili Vulcani stantis typo, quanquam non alienum videtur, hunc *regem artis* esse eundem cum *deo Cabiro* in superiore numo memorato, qui, ut vidimus, Claudio beneficus est creditus, quique *rex artis* perinde dici potuit, ut ejus numi typus, et doctrina de Cabiris persuadent. Quidquid erit, certe Plutarchus apposite ad hunc numum Vulcanum appellat ἀρχηγον των τεχνων, *ducem artium* a), et aliquoties Homerus κλυτοτεχνην, *arte celebrem* b). Propius Nonnus Panopolites c), qui Vulcanum κοιρανον τεχνης vocat, id est: *regem artis*, quo modo Himerius sophista Hermogenem procos. Graeciae βασιλεα της τεχνης, nempe ejus, quam exercent Musae d). Quod inter deos mares fuit Vulcanus, illud inter alterius sexus deos habita Minerva, mille operum inventrix, ac propterea epitheto Εργανης, ornata, atque ob eandem causam sociata cum Vulcano in eximia urna operis anaglyphi, quam vulgavit Gorius e). Vide et numum Antonini Pii pag. 34. hujus voluminis. Si risum appetis, lege modum, quo Harduino numi hujus epigraphen et imaginem explicare placuit f).

* * *

Vt lit. A.

SALVS. AVG. *Hygia stans.* In aliis: *Aesculapius.* In aliis: *Apollo d. ramum, s. lyram.* In aliis: *Isis stans d. sistrum, s. situlam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Non injucunda varietas deorum, quos salutis suae sponsores sibi Claudius delegit.

Vt lit. A.

SOL. AVG. *Sol stans d. elata, s. flagellum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Alius similis, sed scriptum: SOLVS. AVG. (Pellerin Supplem. II. p. 99.)

Haec aversae epigraphe in solis Claudii numis habetur. Pellerinius scriptum in numo suo SOLVS. AVG. non sine certa ratione conjicit; innui nempe, Claudium *solum* exclusis Tetrico et Zenobia imperii principem agnoscendum. Acute!

a) Comparat. aquae et ign. T. II. p. 958. b) Il. A. v. 571. c) Dionys. L XXX. v. 66. d) Orat. XIV. §. 6. e) Inscr. T. III. tab. XXX. f) Mem. Trev. Avril 1707. Iobert. T. II. p. 34.

Verum cum reliqua omnia cum numo praecedente conspirent, dubium non est, vocabulum SOLVS augere catalogum mendorum, quae negligentes monetarii persaepe intrusere.

* * *

Vt lit. B.

VENVS. AVG. *Dea stans d. globum*, *s. hastam*, *clypeum humi attinet.* AE. III. (Band.)

Idem de hac aversa sentiendum, quod supra de numo IVNO. REGINA diximus.

Vt lit. A. et B.

VICTOR. GERMAN. *vel:* VICTORIA. GERMANICA. *Tropaeum inter duos captivos.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VICTORIA. G. M. *Victoria stans inter duos captivos humi sedentes d. clypeum*, *s. palmam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hanc *victoriam Germanicam maximam* dissimulatam Trebellio, etsi in Claudio abundanti, testatam reliquit Victor in Epitome. *Exstincto*, ait, *a suis Aureolo receptis legionibus adversum aciem Alamannorum haud procul a lacu Benaco dimicans tantam multitudinem fudit*, *ut aegre pars dimidia superfuerit.* De collato propterea *Germanici* titulo agetur infra in nominibus.

* * *

Vt lit. A.

VICTORIAE. GOTHIC. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AE. III. (Mus. Caes.)

En praecipuum Claudii decus a scriptoribus omnibus, ac praecipue Trebellio copiose celebratum, *Victoriam Gothicam.* Adpellatum propterea *Gothicum*, dicetur infra in nominibus.

Divus Claudius.

Tot exstant Claudii consecrati numi, quot nullius alterius Augusti. Quo incorrupto post mortem testimonio docemur, veras esse laudes, quibus eum scriptores omnes exornavere, et sinceram esse orationem, qua ejus vitam finit Trebellius: *illum et senatus et populus ante imperium sic dilexit*, *ut satis constet*, *neque Trajanum*, *neque Antoninos*, *neque quemquam alium principem sic amatum.* Sed Eumenius rhetor his illi verbis parentavit: *Vtinam diuturnior recreator hominum*, *quam maturior deorum comes!* a) Quanquam non solis numis postumi ejus honores stetere; nam statuas aureas, clypeumque ex eodem metallo publice positum tradidere Victor et Trebellius.

* * *

DIVO. CLAVDIO, *addito in aliis, sed perraris* GOTHICO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *vel* CONSACRATIO. *Aquila*, *vel Ara ignita*, *rarius Rogus.* AE. I. III. (Band. Mus. Caes.)

DIVO. CLAVD. OPT. IMP. *Caput laureatum*, *et velatum.*

MEMORIAE. AETERNAE. *Aquila.* AE. III. (Mus. Caes.) In alio: *Leo*, *superne clava.* AE. III. (Band.)

Nova epigraphe in consecrationis numis, quam a nonnullis sequentium imperatorum restitutam videbimus. Novus etiam in his numis typus leo cum clava. Nimirum Claudius Herculea sua vir-

---

a) Panegyr. Constantini c. 2.

tute, qua barbarorum prodigia evertit, *memoriam aeternam* adsecutus.

DIVO. CLAVDIO. OPTIMO. IMP. *Caput laureatum et velatum.*

REQVIES. OPT. MER. *vel* OPTIMOR. MERIT. *Imperator velatus, sedens d. elata, s. sceptrum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Haec item aversa novae formae, sed quam Maximianus, et Constantius Chlorus resuscitabunt.

DIVO. CLAVDIO. *Caput radiatum.*

AEQVITAS. AVG. — APOLLINI. CONS. — LAETITIA. AVG. — LIBERT. AVG. — PAX. AVG. — PIETAS. AVG. — PROVIDENT. AVG. *cum suis typis.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Animadversio

in numos Romanos argenteos inde a Claudio signatos.

Placet huc referre judicium Baldinii, quod legere est in ejus Vaillantio Romae restituto a): *In Claudio Gothico,* ait, *desinunt numi argentei Augustorum. Quos enim numographi in catalogo argenteorum recensent, sunt ex aere puro superinducta tenui pellicula stanni, unde candor et splendor conciliaretur. Frustra itaque quaeras a Claudio usque ad Diocletianum numos ex argento quantumvis impuro, quales Gallienus, Postumus, et modo usque recensiti imperatores cuderunt. Diocletianus purum postea argentum revocavit, ita tamen, ut cudendi etiam in aere pelliculato monetariis facultatem, quae tamen sub Constantino penitus sublata est, non abstulerit.* Etiam Bimardus ab hoc tempore argentum usque ad Diocletianum plane deficere contendit b). Haec regula ut generatim valere potest, tamen exceptione non caret. Nam vidi in variis museis, neque desunt in Caesareo, numos Aureliani, Probi, aliorumque, eosque vere antiquos, qui argenti probitate praecedentium proxime Augustorum numos etiam superant, quanquam verum sit, horum numerum esse perexiguum. Sed hoc jam argumentum tractavi fusius Vol. I. in Proleg. gen. p. XXVII.

Numi commatis peregrini.

Hujus classis numi fere eidem cum Claudio tumulo sunt illati; nam deinceps numum in Graecia, si Alexandrinos demas, aut colonia signatum vix reperias. Facile etiam Claudii id genus numos numeraveris. Praeter Cyzicenum a Vaillantio oblatum reliqui omnes sunt urbium Pisidiae, nempe coloniae Antiochiae, cujus numi editi sunt ex museo Caesareo, et a Pellerinio, et urbium liberarum Sagalassi et Seleuciae. Cur una haec regio cessantibus fere penitus aliis in vetere suo instituto permanserit, vix adsequare. Forte istud factum grati animi causa; nam a Claudio domitos Isauros, qui finitimos, inter quos fuere et Pisidae, incursionibus vexabant, refert Trebellius c).

Priorum defectum sarciunt numi Alexandrini, quorum ingens superest copia cum annis A. B. Γ. Valuit annus A. a Martio usque ad exeuntem Augustum

a) Tom. III. p. 24. b) ad Iobert. T. II. p. 404. c) in Trebelliano tyr.

V. C. 1021, exinde B usque ad idem tempus anni 1022, quo coepit annus Γ, atque hoc labente mortuus est anno Iuliano 1023. Norisius cum videret legem a Claudio subscriptam ex ante diem VIII. Kal. Novembres postremi hujus anni, arguit contra Petavium aliosque, Claudium exeunte Octobri ejus anni adhuc vixisse [a]). Verum praeterquam quod exigua harum subscriptionum est fides, mirum videretur, in tanta numorum Alexandrinorum copia cum Claudii capite percussorum nullum certum reperiri cum anno Δ, cujus solidos duos menses, nempe a fine Augusti usque ad finem Octobris vivendo exegisset. Refert quidem numum cum hoc anno Bandurius [b]), tum et Arigonius [c]), at constat, saepe falli oculos in judicio elementorum A et Δ. Istud certe de numo suo non diffitetur Bandurius [d]). Quam vero incerta sit fides ectyporum Arigonii, omnes novimus. Quam absurda dictaverit Mazzolenus, quod utrique numo fidem habuit, in Aureliano persequemur. Pridem haec scripseram, cum serius vidi a cl. Zoega produci unum cum L. Δ., alterum cum L. Є., verum cum neutrum is ipse viderit, sed ex aliorum fide recitet, possumus aeque jactatam lectionem in dubium vocare.

Nomina ac tituli.

Flavius. Istud nomen Claudio tribuit Trebellius [e]), et Vopiscus [f]). Adde marmor, quod Gruterus ex Panvinio hausit [g]), sed quod jam pridem suspectum visum est Tristano [h]), ut generatim marmoribus Panvinianis perparum fidei impertimur. Ex his testimoniis, qualiacumque ea sint, conjiciunt plerique, ab hoc Constantium, qui Claudii generis proles dicitur Trebellio, Flavii appellationem traxisse, de quo vide disputantem Salmasium [i]). Quod vero idem ex Panvinio memorat, eum in numis passim dici *Fl. Claudium*, istud falsum, nullo mihi cognito ejus numo sic inscripto.

Valerius. Etiam sic obiter nominatur a Trebellio, et solo [k]). Et constat, Valerii quoque nomen fuisse eidem Constantio, de quo vide plura apud eundem Salmasium [l]).

Germanicus. A Claudio victos Germanos supra ex numis VICTOR. GERMAN., et laudato ejus occasione Victore vidimus. Tamen dubium videtur, utrum Germanici titulum ex hac victoria abstulerit. Eum dissimulant marmora Claudii omnia. Numum cum hoc elogio obtulit Tristanus addito nimirum in antica GER. GOTHICVS [m]); istud tamen mirum, nomen GER. omitti in addito iconismo, et tantum comparere in numi descriptione. Ergo aut erravit chalcographus, aut auctor. Etiam Mediobarbus aliquos cum hoc *Germanici* honore commemorat, sed cujus pleraque suspecta putanda.

Gothicus. Hujus nominis causa cognita, illudque adstruunt ejus consecrati numi. Singularis est inscriptio super arcu triumphali, quam refert Reinesius [n]):

a) de Vot. decenn. c. 6. b) Tom. I. p. 353. c) in Alexandrin. tab. XXIX. d) in Praefat. e) Cap. 7. f) in Aureliano c. 17. g) Pag. 275. 9. h) Comm. hist. T. III. p. 193. i) in Trebell. 330. k) Cap. 18. l) l. c. m) Tom. III. p. 193. n) Inscr. ant. T. I. p. 318.

DIVO. CLAVDIO. GOTHICO
MAXIMO. PIO. FELICI. VICTORI. AC
TRIVMPH - - SEMPER. AVGVSTO
MVNICIPI. - - - VATORI
AMPLIFICATORIQ.
OB. ILLVSTRIA. IPSIVS. GESTA
ET. AMOREM. IVXTA. CIVES
ORDO. INTERAMNATIVM
ARCVM. TRIVMPHIS. INSI - - -
DEDICA - -
M. CLAVD. TACIT - -
PATRO - -

Optimus. Habetur in numis consecrationis tantum propter merita exemplo Trajani delatum.

PRETIVM.

Commatis Romani:	
Aurei	RRR.
Argentei	O.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. et II. formae	RR.
Aenei III. formae	C.
Commatis peregrini:	
Vrbium liberarum et coloniarum	RR.
Alexandrini	C.

CENSORINVS.

Functus muneribus omnibus, et gemino consulatu, et uno pede claudicans ex vulnere, quod bello Valeriani Persico acceperat, cum in agro suo degeret, factus est imperator, paullo post ab iis ipsis, qui fecere, interemptus. Vide Trebellium.

Latinum dedit Goltzius, Alexandrinum Tristanus, utrumque aut confictum, aut male lectum.

M. *AVREL. QVINTILLVS.*

Claudii superioris frater, quo defuncto ab exercitu, cu apud Aquileiam praefuit, imperator est adclamatus consentiente facile propter virtutis opinio-

nem senatu. Verum cum interea milites, qui Sirmii stetere, Aurelianum imperatorem elegissent, desertus a suis, quibus disciplinae rigor invisus erat, venas sibi ipse exsolvit, propter moderationem et integritatem vitae imperio habitus dignissimus.

Plerique scriptores veteres eum dies decem ac septem praefuisse imperio tradidere; verum cum insignis suppetat ejus numorum copia, iique typis insigniter variis, quorum opus plus temporis postulat, mallem sententiam Zosimi praeferre, saltem paucis mensibus ejus imperium definientis.

V. C. 1023. P. X. 270.
TR. P. COS. P. M. P. P.
Antiochiano, Orfito cos.

IMP. QVINTILLVS. AVG.
IMP. C. M. AVR. QVINTILLVS. AVG.
IMP. C. M. AVR. CL. QVINTILLVS. AVG. *Caput in omnibus radiatum.*

P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator paludatus stans d. hastam, s. globum.* AE. III. (Harduin.)

Si verus est hic numus uni Harduino visus, Quintillum nostrum etiam consularem habemus. Fuit ergo suffectus, nam ordinarium ignorant fasti.

Numi ejus reliqui aversas obvias ac pridem cognitas habent, quas adeo commemorare inutile.

Numi commatis peregrini.

Vna Alexandria Aegypti id genus numos suppeditat:

A. K. M. ATP. KΛ. KTINTIΛΛOC. CЄB. *Caput laureatum.*
L. A. *Aquila.* (Band. Theup.)

PRETIVM.

Aurei . . . . RRRR.

Horum numum certae fidei sibi cognitum testatur Beauvais [a]), eumque citat catalogus musei d'Ennery inscriptum FIDES. MILITVM. Haud ita pridem alium insignem ex nobili hoc metallo, et sine dubio sincerum museo Caesareo acquisivi: IMP. C. M. AVR. CL. QVINTILL - - - *Caput radiatum.* X FIDES. MILIT. *Mulier stans d. et s. signum militare tenet.*

Argentei . . . . O.
Aenei I. et II. formae . . . . O.
Aenei III. formae . . . . C.
Alexandrini . . . . RRR.

a) Hist. abr. T. II. p. 79.

L. DOMITIVS AVRELIANVS.

Obscuro genere Sirmii vel in Dacia Ripensi natus, sed tanto illustrior virtute bellica et disciplina militari omni rigore exacta. Atque tantae laudis opinione adeptus est, ut mortuo Sirmii Claudio praesens ipse imperator ab exercitu appellaretur, Quintillo, qui fratri Claudio etiam senatus suffragiis adjutus successerat, resistere non auso, sed fortioris Aureliani metu vitam cum morte commutante. Incertus est natalis imperii, ut dicetur infra.

V. C. 1023. P. X. 270.
TR. P. COS. DES. P. M. P. P.
Antiochiano, Orfito cos.

Rebus Romae prospere dispositis in Pannoniam adversus Gothos proficiscitur, iisque redire ad sua coactis altero Alemannorum bello excipitur, quos primum in Vindelicia vincit, at vicem rependerunt acri apud Vincentiam praelio victores. In tanto urbis ipsius periculo Aurelianus resumptis animis barbaros denuo aggressus caesis fere omnibus Vmbriam, quorsum jam enisi fuere, ac Italiam omnem terrore liberat. Vide haec adcurate collecta apud Tillemontium.

Paucissimi sunt Aureliani numi, qui tribunatus et consulatus inscriptos offerunt, et qui istud praestant, chronologiam magis impediunt, quam adjuvant. Quare ab his per annales digerendis abstinebo, omnesque ejus numos, qui dignum quidpiam offerent, promiscue recitabo.

* * *

V. C. 1024. P. X. 271.
TR. P. II. COS. P. M. P. P.
Aureliano Aug., Ceionio Virio Basso II. cos.

Hoc anno creditur Aurelianus inchoasse murum, qui hodieque superstes urbis ambitum definit, ipsis jam imperii propugnaculis ad urbis principis defensionem invalidis. (Tillemont.)

V. C. 1025. P. X. 272.
TR. P. III. COS. P. M. P. P.
Quieto, Voldumiano cos.

Bellum in Zenobiam Orientis reginam movet. Per iter Gothos in Thracia atterit, et Asiam minorem sibi iterum subjicit. Zenobiam victam Palmyrae obsidet.

V. C. 1026. P. X. 273.
TR. P. IV. COS. DES. II. P. M. P. P.
M. Claudio Tacito, Placidiano cos.

Zenobiam rebus desperatis Palmyra elapsam ex fuga retrahit, urbemque ipsam deditione accipit. Comperto in Thracia, Palmyrenos iterum defecisse, continuo reversus urbem eorum exscindit, motis deinde in Aegyptum castris, in qua Firmus tyrannidem arripuit. Eo victo, et mori coacto tranquillitatem restituit. In Occidentem redux Tetricos inde ab anno V. C. 1020 Galliarum tyrannos seu vincit, seu volentes in fidem recipit, magnifico demum acto triumpho, quem Zenobia Tetricique vinctis

post tergum manibus comitantur. Haec Tillemontius. Verum an facta tanti momenti, ac tanta cum ipso exercitu itinera unius possunt anni finibus circumscribi? Numi hujus aetatis, malum! ad chronologiam nihil conferunt, reliqua crisis ad meum institutum non pertinet.

V. C. 1027. P. X. 274.
TR. P. V. COS. II. DES. III. P. M. P. P.
Aureliano Aug., C. Iulio Capitolino cos.

Magnificum Soli templum aedificat. In Moesiam proficiscitur, ibique Daciam novam constituit. (V. infra in numo *Dacia felix.*) In urbe bellum cum monetariis vitiatae pecuniae causa, et postquam id compertum, poenae metu seditiosis, aucto eorum ad VII. millia numero, quos victos in Caelio monte Aurelianus atrocibus poenis castigat [a]).

V. C. 1028. P. X. 275.
TR. P. VI. COS. III. P. M. P. P.
Aureliano Aug. III., T. Nonio Marcellino cos.

Bellum in Persas moliens insidiis Mnesthei liberti apud Coenophrurium Byzantium inter et Perinthum interficitur circiter medio Martio [b]).

Vir fuit neque in malis principibus numerandus, quia virtute sua per omnes fere provincias probata imperium imminente exitio eripuit, neque in bonis propter crudelitatem, qua in viros nobilissimos ac praestantissimos etiam oblata tenui suspicione animadvertit, sic ut neque sanguini proprio, sororis filio parceret. Magis igitur imperio necessarius, quam amabilis est habitus, atque haec una causa fuit, cur eum caesum graviter ferret orbis, et divorum numero insereret. Memorandum, quod narrat Victor [c]), eum primum apud Romanos capiti diadema innexuisse, quod tamen numi ipsi non confirmant, quo de argumento agetur alibi.

Vxor *Severina*, de qua infra.

Numi:

A. IMP. AVRELIANVS. AVG. *Caput vel laureatum, vel radiatum in AV., laureatum in AE. II., radiatum in AE. III.*

B. IMP. C. L. DOM. AVRELIANVS. AVG. *Caput laureatum, vel radiatum in AV., radiatum in AE. III.*

C. IMP. C. AVRELIANVS. AVG. *Caput laureatum, vel radiatum in AV., radiatum in AE. III.*

D. IMP. C. L. D. AVRELIANVS. *Caput radiatum in AE. III.*

E. IMP. C. DOM. AVRELIANVS. AVG. *Caput radiatum in AE. III.*

F. AVRELIANVS. AVG. *Caput radiatum in AE. III.*

G. IMP. C. L. DOM. AVRELIANVS. P. F. AVG. *Caput laureatum in AV.*

H. IMP. CAE. *vel* CAES. CL. DOM. AVRELIANVS. AVG. *Caput radiatum in AE. III.* (Band.)

I. DEO. ET. DOMINO *etc. Vide infra sub* RESTITVT. ORBIS.

a) Eutrop. Victor, Vopiscus cap. 38. b) Tillemont nota XII. in Aurelian. c) in Epitome.

* * *

Vt lit. C.

CONS. PRINC. AVG. *Imperator stans dexteram tropaeo adplicat, s. hastam.* AR. (Band.)

Aversae epigraphe insolens, cujus sensum mihi ignotum profiteor, et abstineo conjecturis. Ejus etiam explicatum nobis invidit praeco Bandurius.

Vt lit. A

DACIA. FELIX. *Mulier stans d. hastam asini capite praefixam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Similem Daciae typum jam in moneta Decii vidimus, unde explicationem pete. Quod ad praesens aevum pertinet, constat ex Eutropio et Vopisco, Aurelianum abjecta spe retineri posse Daciam, Gothis aucto etiam per clades numero incursantibus, milites inde incolasque omnis sexus et aetatis abduxisse, hosque cis Danubium locasse distributis inter duas Moesias agris, atque addita huic tractui Daciae appellatione.

Vt lit. B. et A.

GENIVS. ILLVR. *Genius stans d. pateram, s. cornucopiae, juxta signum militare.* AV. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

Similem quoque aversam in Decii moneta vidimus. Aurelianus in hoc tractu, et ab ejus legionibus primum agnitus imperator, et rebus in eo ex longo gestis insignis hujus typi causam praebuit.

Vt lit. C.

PANNONIAE. *Mulier stans d. extenta, s. signum militare.* (Band. Mus. Caes.)

Ex causis similibus lecta haec aversa. Pannoniarum jam meminere numi Aelii Caesaris et Decii. Verum et hac aetate in Pannoniis magna pars potentiae Romanae sita fuit. Non multo post Aureliani imperium dixit Mamertinus ad Maximianum Herculeum a): *Quis enim dubitat, quin multis jam saeculis, ex quo vires illius* (Pannoniae) *ad Romanum nomen accesserint, Italia quidem sit gentium domina gloriae vetustate, sed Pannonia virtute?*

Vt lit. G.

P. M. TR. P. COS. P. P. *Leo capite radiato in aliis gradiens, in aliis currens, fulmen ore gestat.* AV. (Mus. Caes.)

De aversae epigraphe mox infra. Typi explicationem pete ex numo simili Caracallae V. C. 967.

Vt lit. A.

P. M. TR. P. P. P. COS. *Neptunus dextro pede rupi insistens d. delphinum, s. tridentem.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit. C.

P. M. TR. P. VI. COS. II. P. P. *Sol stans d. elata, s. globum, pro pedibus captivus sedens.* AV. (Band.)

Vt lit. C.

P. M. TR. P. VII COS. II. P. P. *Mars gradiens d. hastam, s. tropaeum super humero.* AV. (Mus. Caes. Band.) Similem item aureum citat Occo, sed inscriptum: COS. III.

En numos Aureliani omnes usque modo cognitos notis chronologicis insignes, sed quas praestaret prorsus abesse, nam tum chronologiam etsi non juvarent, non turbarent tamen. Sane quo anno tribun. potestatem VI. inivit,

---

a) Paneg. ad Maximian. c. 2.

saltem jam fuit COS. III., tribunatum autem VII. in nulla quorumcunque sententia potuit attingere. Nolo cum Bandurio ad eorum lapsum, qui numos descripsere, confugere, cum numum postremum, unumque omnium maxime mendacem prae oculis ipse habeam. Verius sic statuemus, inde a Gallieno omnibus his notis aut nullam, aut perexiguam fidem habendam. Ceterum quae ad terminos imperii Aurelianei pertinent, infra tractabuntur.

* * *

DEO. ET. DOMINO. NATO. AVRELIANO. AVG. *Caput radiatum.*

RESTITVT. ORBIS. *Mulier stans imperatori paludato coronam porrigit.* AE. II. (Spanheim T. II. p. 491. Band.)

DEO. ET. DOMINO. NOSTRO. AVRELIANO. AVG. *Caput radiatum.*

RESTITVT. ORBIS. *Mulier adstanti imperatori paludato coronam offert.* AE. III. (Mus. Genov. Tab. XXI. n. 11.)

Spanhemius in numum priorem commentatus a) ingeniose animadvertit, Aurelianum in hoc numo dici *deum et dominum NATVM*, ut sese distingueret a Sole, qui est ex numero deorum ἀγεννήτων, *ingenitorum* et aeternorum, quemque mox infra dictum *dominum imperii Romani* videbimus. Quae mihi sententia prae altera Bandurii multo videtur probabilior, existimantis, numum hunc mortuo demum Aureliano fuisse signatum. En insigne argumentum ultimae arrogantiae, quae cadere in mortalem potest. Iam domini nomen superbius hactenus visum, ac propterea a moneta Romana usque nunc extorre, etsi illud imperatoribus in salutationibus officiosis, ac sermonibus jam pridem tribueretur, de quo agemus plura in tractatu ad hunc titulum. Nunc vero propalam illud Aurelianus in moneta profitetur, neque eo contentus, orbis dominatum sese invidioso hoc titulo complexum, in coelestia jura temere involat, et vivus adhuc homuncio deum sese monumentis publicis inscribi patitur, quo minus idem deinceps in Caro mirum videbitur, quem utroque serius titulo gloriatum videbimus. Dei et domini titulos Domitiano non modo in operibus figlinis datos vidit Passerius b), sed a stolido hoc homine adpetitos refert Suetonius c), unde et de eodem Martialis d): *Edictum domini deique nostri*, sed vivente adhuc; nam idem, quod turpium assentatorum proprium est, ejus defuncti culpavit arrogantiam e):

Dicturus dominum deumque (Trajanum)
non sum.
Non est hic dominus, sed imperator,
Sed justissimus omnium senator - - -
Hoc sub principe, si sapis, caveto,
Verbis Roma prioribus loquare.

* * *

AVRELIANVS. AVG. CONS. *Imperator togatus stans ad aram d. pateram, s. scipionem.*

SOL. DOM. IMP. ROMANI. *Caput*

---

a) l. c. b) Lucern. Tom. I. tab. 74. Tom. III. tab. 26. 38. c) in Domit. c. 13. d) L. V. epigr. 8. e) L. X. epigr. 72.

Solis radiatum, prae quo quatuor ejus equi. AE. II. (Mus. Caes.)

AVRELIANVS. AVG. CONS.

Idem typus.

SOL. DOMINVS. IMPERI. ROMANI. *Caput Solis nudum absque radiis.* AE. max. mod. (Mus. Pisani) AE. II. (Band.)

Ad eximios hos numos distuli mentionem cultus, quem Aurelianus testibus numis et historicis singularem, et plus omnibus hactenus principibus Soli impendit, quem a matre habuisse hereditarium, ex Callicrate docet Vopiscus referente, fuisse eam sacerdotem ejus astri in eo vico, in quo habitabant parentes [a]). Crevit haec principis in Solem observantia, quando bellum sibi sumpsit adversus Zenobiam gerendum in Oriente, quem Solis arbitrio subesse olim creditum; quare et Solis caput comparet in numis Trajani, quin et M. Antonii IIIviri, qui nempe bellis Orientis distinebantur. Quod quidem Solis in Orientem imperium non primi agnovere Romani, sed jam priscis temporibus ipsi Graeci. Etenim teste Pausania pridem Troezenii aram erexere Ηλιȣ Ελευθεριȣ, *Solis Liberatoris*, quod ejus, ut putabant, ope a metu Xerxis et Medorum liberati essent. Ergo et Aurelianus fausto usus ejus belli exordio Elagabalo Emeseno, qui idem cum Sole fuit, cujusque sibi opem per eam expeditionem adfuisse rebatur, vota persolvit, templumque fundavit [b]). Eosdem etiam honores Soli Palmyrae constituit, quae urbs ejus astri numini enixe devota fuit [c]). At praecipuum tanti adfectus argumentum fuit templum immensis sumptibus Romae ejus honori erectum, cujus omnes fere scriptores veteres meminere. Inde factum, ut major numorum Aureliani pars Solis cultum jactet, et aut solus aversae typum constituat, aut ejus saltem caput in numi area defixum sit. Ejus generis sunt: ORIENS. AVG. *Sol stans*, quorum incredibilis est copia. PACATOR. ORBIS. *Sol stans.* PROVIDEN. DEOR. *Sol, et mulier bina signa militaria gestans stantes.* RESTITVTOR. ORIENTIS. *Sol stans.* SOLI. INVICTO. *Sol captivum pede calcans*, de quo titulo egi in numis Emesae Syriae. MARS. INVICTVS. *Sol globum adstanti viro militari tradens.* In numis duobus, in quibus nunc versamur, magis apparent honores in Solem collati, quippe qui eum *dominum imperii Romani* salutant, quod illi decus imperator quoque Iulianus tota ea oratione, quam in regem Solem scripsit, liberaliter detulit, eo usque adulatus serviliter, ut non dubitaret mox in exordio profiteri: *καὶ γαρ ἐιμι τȣ βασιλεως ὀπαδος* Ηλιȣ, *sum enim regis Solis servus adsectator.* Tanta in Solem hoc aevo obsequia non mirabitur, qui attonitum ad ejus sideris potentiam Plinium, sibique illud fere unicum numen creditum noverit [d]).

Typus prior propter additas Solis quadrigas illustrior; in altero numo, nisi juvaret inscriptio, Solis caput intelligi non posset.

Vt lit. B.

VICTORIA. AVG. *Victoria gradiens.* AV. (Mus. abb. Caccia Cremonae.)

---

a) in Aurelian. c. 4. b) Vopiscus. c) Ibid. d) H. N. L. II. §. 4.

Vt lit. A.
VICTORIA. GERM. *Victoria gradiens.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.
VICTORIA. GOTHIC. *Tropaeum inter duos captivos.* AE. III. (Tanini.)

Numus alter rarissimus memorat relatam de Marcomannis, aliisque Germaniae populis victoriam, cujus supra ad annum V. C. 1073 memini. Dictum ab his victoriis *Germanicum Maximum*, et *Gothicum Maximum*, in ejus titulis videbimus.

Vt lit. A.
VIRTVS. ILLYRICI. *Mars gradiens, pro pedibus captivus.* AE. III. (Tanini.)

Divus Aurelianus.

Audita ejus nece continuo ex sententia Taciti tum adhuc privati decreti honores divini [a]). Sed desunt numi, qui istud stabilirent. Neque ex marmoribus plus lucis. Tamen *divus* appellatur in catalogo natalium Caesarum, quem post Bucherium restituit Marinius [b]).

Numi commatis peregrini.

Numum Graecum Aureliano a Pergensibus Pamphyliae dedicatum ex schedis Vaillantii recitat Bandurius [c]). Sed nescio quomodo, odisse plerumque soleo jactatas has virorum eruditorum schedas, seu numos spectes, seu marmora. Proditus item est urbis incertae alter Graecus, in cujus aversa est caput uxoris Severinae, quem describam infra in numis hujus Augustae. Sed et hunc in suspectis habeo.

Alexandrini exstant copiosi cum annis Α — ϛ, de quibus agetur mox infra.

Nomina ac tituli.

Valerius, *Valerianus*. Illud Aureliano tribuit Claudius Aug. in epistola, quam recitat Vopiscus [d]). Vtrumque eidem tribuitur in nonnullis fastis, et marmoribus, ut videre est apud Relandum [e]), et Reinesium [f]). Numis haec non confirmantur.

Claudius. Bandurius binos numos laudat inscriptos: IMP. CAE. CL. DOMIT. etc. [g]).

Germanicus Max. Gothicus Max. Parth. Max., quin et *Arabicus Max. Palmyr. Max.* nobis offerunt marmora apud Gruterum et Muratorium, si modo, praecipue, quae posteriores duos titulos continent, certae sunt fidei. In numis horum nullus reperitur. De aliis ejus titulis vide Vopiscum [h]).

De terminis imperii.

Scriptores veteres Aureliano annos sex, plerique alii quinque cum dimidio permisere, quorum testimonia collecta vide apud Tillemontium [i]), et Mazzolenum [k]). Certum est, jam etiam posteriorem limitem nimium exspatiari. Nam cum Aurelianus processerit consul

---

a) Vopiscus c. 41. b) Frat. arv. p. 387. c) Tom. I. post pag. 544 in Addend. d) in Aurelian. c. 17. e) Fast. cons. ad ann. P. X. 271. f) Syntag. inscript. T. I. p. 384. g) Pag. 274. h) Cap. 30. i) Nota III. in Aurel. k) de trib. pot. p. 193.

anno V. C. 1024, factus est Augustus anno praecedente 1023, cumque successor ejus Tacitus processerit consul anno V. C. 1029, factus is est Augustus anno proxime superiore 1028, nimirum ex instituto vetere, quo is, qui imperium suscepit, proximis Kalendis Ianuar. consul semper processit. Ex quo efficitur, imperasse eum annis solidis quatuor, quibus addenda pars anni 1023, quo dictus est Augustus, et pars anni 1028, quo decessit, ex quo tamen anno posteriore eximendi adhuc sunt sex menses interregni ejus mortem consecuti, de quo vide Tacitum successorem, et pars reliqua, quae Tacito Aug. debetur. Videndum jam, quid ad hoc examen conferant numi.

Eos, qui sunt commatis Romani, nihil conferre opis, quin chronologiam turbare potius, jam supra ad numos P. M. TR. P. etc. memoravi. Simile judicium de marmoribus, quae offerunt Gruterus et Muratorius, in quibus praeter lapsus eorum, qui ea vulgavere, metuas etiam fidem, quod Panviniana pleraque sunt, aut Hispaniensia. Vnicum subsidium a numis Alexandrinis. Exstant id genus Aureliani numi a L. A. usque L. ς, seu ab anno I. usque ad VI. Certum est, numos inscriptos L. A. fuisse signatos ante exitum Augusti V. C. 1023. Nam esto, eos post hoc tempus esse percussos, ex cognito Alexandrinorum calculo annus ς, seu VI. inciperet exeunte Augusto V. C. 1028, et quod sequitur, hoc adhuc tempore vixisset Aurelianus. Verum si istud, qua ratione huic adhuc anno inseremus interregnum VI. mensium, quod inter Aureliani mortem, et Taciti electionem intercessisse referunt Vopiscus et uterque Victor? Ergo si verum est horum testimonium, necesse est etiam, annum A pertinere ad tempus diem XXIX. mensis Augusti anni V. C. 1023 praecedens, coepisse tum annum B, ac demum annum ς initium ducere ab eodem die anni 1027, quo labente, sed anno Iuliano 1028 caesus est Aurelianus. Quare numi Alexandrini cum historicorum testimoniis recte conspirant. Etenim caesus est Aurelianus circiter medio Martio V. C. 1028, quo tempore fluxit Alexandrinorum annus VI., inde interregnum VI. mensium, quo exacto electus Tacitus die XXV. Septembris, ut dicetur, ac tum hujus numi Alexandriae signari coepere cum anno A. Ex quo aperte liquet, quod jam in Claudio Gothico innui, numos Alexandrinos Claudii cum anno Δ locum habere non posse, ac denique annos VI. imperii, quos varii scriptores Aureliano tribuunt, admitti non posse, nisi, quod ignoramus, Claudius mox ineunte anno V. C. 1023 mortuus statuatur, et ipsum etiam interregnum sex mensium, quod visum nonnullis eruditis, adhuc a scriptoribus sub Aureliani imperio comprehensum est, quanquam vel tum sexennium istud nonnisi incompletum intelligendum erit.

At enim descriptum hic ordinem urget difficultas non levis, nempe Severinae, quae certa fuit Aureliani uxor, numi Alexandrini, iique obvii cum anno Z seu VII., ex quo sequeretur, quoniam annus Z duci non potuit, nisi ab exeunte Augusto anni V. C. 1028, neque Augustarum numi nisi vivo marito feriri consuevere, Aurelianum saltem usque ad dictum Augusti diem fuisse su-

perstitem. Non inficior objecti nodi molestiam, neque eum declino, sed cum res ipsa postulet, reperiundum est aliquid, quod ejus ambages resolvat. Animadvertendum cumprimis, nullum omnino hactenus cognitum esse Aureliani numum cum anno Z. An vero credibile, si die XXIX. Augusti ejus anni imperavit adhuc, aut nullos deinceps numos cum ejus capite fuisse percussos, aut horum nullum ad nos pervenisse, cum tamen tot cum uxoris capite supersint, et aetatem tulerint? Ipse hic ejus numorum defectus, qui tamen superesse deberent, cum obvii sint uxoris numi, satis nos admonet, Aurelianum dictum terminum non attigisse, et adsertum ab historicis interregnum stabilit potius. At, inquies, num cusos putabimus numos uxoris nomine mortuo etiam marito? Ajo, neque istud nullo exemplo. Liviae Augusti, et Domnae Severi habemus numos mortuis maritis per provincias signatos. At harum superstites fuere filii imperantes. Esto: nihil enim plus istud probat, quam fuisse rationem dedicandae utrique etiam post maritorum mortem monetae. Ergo, etsi non eadem, tamen esse aliqua ratio potuit, propter quam placuerit, Severinae monetam etiam post Aureliani excessum continuare, qualis esse poterat vel adfectus in defunctum, vel quoniam haec una tum superfuit Augusto nomine insignita, et quod consequitur, nemo tunc alius fuit praesto, cujus nomine Alexandriae pecunia in usus quotidianos cudenda insigniretur. Adverto praeterea, nullum adhuc proditum Severinae numum Alexandrinum praeterquam cum annis ϛ et Z, id est VI. et VII., si Arigonii numos demas cum annis A [a]), et B [b]), sed cujus iconismis jure diffidimus. Quod suspicari facit, Severinae nonnisi caeso marito numos Alexandriae dedicari coeptos, idque factum necessario, nullo tum alio vivente, ut dixi.

Haec doctrina ut violenta non est, ita et statutum ab historicis interregnum plurimum adjuvat. Aliorsum abit Mazzolenus, qui ductus auctoritate numorum Latinorum, qui trib. potestatem VII. inscribunt, et Alexandrinorum Severinae cum anno Z, statuit, Aurelianum dictum fuisse Augustum circa initium Decembris V. C. 1023, mox proximo IV. idus iterasse trib. potestatem, ac demum eodem die anni 1028 inivisse tribunatum VII., et secundum eandem legem explicandos etiam Alexandrinos Severinae, quoniam anni his inscripti ex ejus sententia non ab exeunte Augusto deducuntur, sed tribunatuum numerum sequuntur. At cum adversari sibi videat Vopiscum adserentem, Tacitum jam VII. Kal. Octobr. anni V. C. 1028 electum imperatorem, atque iterum Vopiscum et utrumque Victorem auctores anarchiae VI. vel VII. mensium, ab his se molestiis continuo liberat inficiando omnium horum testimoniorum veritatem [c]). Necesse non puto, hanc ejus sententiam, cui vix eruditorum quispiam facile subscribet, multis refutare. Ajo tantum, in hac ejus doctrina non potuisse signari numos Aureliani cum anno A, quorum tamen complures in museis exstant, non ante diem IV. idus

a) Num. Alex. tab. XXIX. b) Numi alii Alex. tab. IX. c) de trib. pot. p. 193. seq.

Decembres, quia nuncius Aureliani ad imperium admoti tum nondum pervenire in Aegyptum potuit, cum nonnisi initio Decembris adclamatum Augustum ipse statuat, item quia hoc ipso tempore in Aegypto numi cum anno Δ. Claudii signabantur, ut ipse Mazzolenus alibi diserte docet [a]). Non post, quoniam tum jam coepit currere annus B. De reliquis ejus sententiae adversantibus arbitretur lector.

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	RRRR.
Aenei I. formae	RRR.
Aenei II. formae	R.
Aenei III. formae	C.
Alexandrini	C.

VLPIA SEVERINA.

Certa Aureliani uxor cum ex numis, tum marmore Muratorii [b]):

VLPIAE. SEVERINAE. AVG. COIVGI
D. N. INVICT. AVRELIANI. AVG.

De ea vix quidquam compertum. Superstitem fuisse marito, docent numi Alexandrini.

Filiam natam Aureliano tradit Vopiscus, cujus posteri sua adhuc aetate Romae fuere [c]).

Numi:

SEVERINA. AVG. *in aliis:* SEVERINAE. AVG. *Caput super luna bicorni, sed quae abest in aeneis minimi voluminis.*

CONCORDIAE. MILITVM. *Mulier stans d. et s. signum militare tenet.* AV. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

IMP. AVRELIANVS. AVG. *Caput radiatum.* AE. I. (Mus. Caes.)

Hic numus Severinam certam Aureliani uxorem facit. Numi reliqui obvios Augustarum typos offerunt.

Numi commatis peregrini.

ΘΕΑ. CΕΟΤΗΡΙΝΑ. CΕΒΑC. *Caput velatum.*

ΑΥΤΟΚ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟC. CΕΒΑC. *Caput laureatum.* AE. (Pembrock P. III. tab. 45.)

Numum hunc proponere placuit, quod hac aetate rarissimi sunt numi

a) de trib. pot. p. 190. b) Pag. 1994. 3. c) in Aureliano c. 42.

Graece inscripti demptis Alexandrinis, quos continuo indicabimus. Potest tamen de hujus numi fide dubitari. Nam doceret, Severinam, quia in hoc numo consecrata dicitur, ante Aurelianum fuisse mortuam, cum tamen numi Alexandrini contrarium doceant.

ΟΥΛΠ. CΕΟΥΗΡΙΝΑ. CΕΒ. *Ejus caput.*
L. S. *vel* Z *variis typis.* AE. II. III.

Ex his numis Severinae gentem *Vlpiam* tenemus, ex quo suspicio, fuisse eam filiam Vlpii Criniti, qui Aurelianum adoptavit, qua de adoptione copiose agit Vopiscus. De annis VI. et VII. quos hi numi sistunt, vide, quae in Aureliani moneta adverti, quo loco monui etiam, non haberi certos Severinae numos cum annis aliis.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	O.
Aenei I.	RRR.
Aenei II.	R.
Aenei III.	C.
Alexandrini	R.

PRINCIPES PALMYRAE.

Gallieno imperante vidit Oriens principes, qui non aliorum ejus aetatis more per scelus imperium invasere, sed primum Roma ipsa approbante, mox etiam connivente Augusti titulum jure tenuere. Eorum sedes Palmyrae fuit regionis cognominis urbe principe versus Euphratem sitae. Magnam eorum fuisse potentiam, argumento est, quod Persiam ipsam terrore complevere, ac deinde cum Romanis ipsis congressi nonnisi aegre victi sunt. Eorum vero opes domesticas ac magnificentiam colligimus ex Vopisco, reportatam victa Zenobia avitam praedam copiose describente [a]), tum ex substructionum Palmyrenarum hodieque superstitum stupendis reliquiis, quas delineatas vide ab eruditis Anglis Dawkins et Wood ante annos circiter L. huc profectis.

Eorum res gestas descripsere ex veteribus Zosimus [b]), Trebellius [c]), Vopiscus [d]), Zonaras [e]), minoresque alii, sed sueto hujus aevi scriptoribus dissensu, quo factum, ut multum negotii facesserent eruditis, cum eorum testimonia cum numis horum principum contenderent. Vt remotiores Tristanum, Spanhemium, Harduinum, Bandurium, Vaillantium [f]), Santinellum [g]) taceam,

a) in Aureliano. b) L. I. c) in Gallienis, Tyrannis, Claudio. d) in Aureliano. e) in Annalib. f) Mem. B. L. T. II. p. 534. g) Raccolta di Calogera T. IX. p. 95

qui eos primi examini subjecere, ante annos non multos trium insignium virorum lucubrationes ad hos explicandos numos uno fere tempore editas vidimus, I. Erasmi Froelichii *de familia Vabalathi numis illustrata opusculum*, quod in illustris ejus viri schedis repertum quatuor post annis, ex quo is diem obiit, Khellius typis vulgandum curavit Vindobonae 1762. II. Eduardi Corsinii *epistolam de Hermiae Vabalathi numis, imperio, atque aetate. Liburni 1761.* III. Pellerinii *Reges Palmyrae*, in opere: *Recueil des médailles de Rois pag. 157* edito Parisiis 1762. Horum commentarii non modo in pretio habendi propterea, quod remoto a partium studiis animo scripti sunt, nam eorum nemini de alterius conatibus constabat, sed etiam quod nos abunde instruunt, quoniam ad illustrandam hanc monetam omnem contentionem attulere, et tamen plerumque confugere ad conjecturas coacti sunt, de illustrando amplius hoc argumento desperandum nobis esse, nisi dies olim certioribus nos praesidiis instruat. Quare satis habebo, horum varias opiniones, additis, ubi necesse duxero, meis observatis, paucis commemorare, neglectis tamen plerumque inanibus sententiis, quas veteres artis nostrae magistri ex iniqua inscriptionum lectione, aut quod Goltzii commenta aliquid esse putabant, attulere, quae qui volet, poterit ex laudata Corsinii epistola capere.

* * *

ODENATHVS. Secundum Zosimum illustri Palmyrae loco natus, secundum Procopium princeps Saracenorum, qui Euphratem adcolebant, capto V. C. 1014 P. X. 261 a Persis Valeriano, eorumque rege Sapore toti Orienti infesto, inito cum Balista praefecto praetorio foedere Saporem trans Euphratem fugat, eum continuo transgressus Ctesiphontem ipsam capit, imperiumque in Oriente Sapore multis cladibus attrito restituit. Gallienus acto Romae de Persis aliena virtute domitis triumpho, ut hominem de se tam praeclare meritum digno praemio adficeret, participato imperio Augustum appellat. Paucis post annis a Maeonio consobrino e medio tollitur V. C. 1019 P. X. 266, vel sequente, ut colligitur ex numis Vabalathi.

Ad hunc Odenathum verisimiliter pertinet marmor repertum Palmyrae, et post alios editum a Renaudotio [a]): ΤΟ. ΜΝΗΜΕΙΟΝ. ΤΟΥ. ΤΑΦΕΩΝΟϹ. ΕΚΤΙϹΕΝ.ΕΞ. ΙΔΙΩΝ. ϹΕΠΤΙΜΙΟϹ.ΟΔΑΙΝΑΘΟϹ. Ο. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟϹ. ϹΥΝΚΛΗΤΙΚΟϹ.Ο.ΑΙΡΑΝΟΥ.ΤΟΥ.ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟΥ. *Hoc monumentum sepulcrale fecit de sua pecunia Septimius Odaenathus vir clarissimus ex ordine senatorio Aeranis filius, Vaballathi nepos.* Illustre hoc marmor complura egregie docet, ac I. quidem, orthographiam nominis ΟΔΑΙΝΑΘΟϹ, pro quo Eutropius Ὀδεναθος, Zosimus Ὀδαναθος, Procopius Ὀδοναθης [b]), Trebellius *Odenatus*. Item ΟΥΑΒΑΛΛΑΘΟϹ conspirantibus cum hac scriptura numis Graecis, cum tamen aliam teneant Latini, ut videbimus. II. Additum nomen Romanum *Septimii*, ex quo mirum videri non debet, uxorem quoque Zeno-

a) Mem. B. L. T. II. p. 539. b) Bell. Pers. L. II. c. 5.

biam dictam fuisse Septimiam, ut docent numi, de cujus nominis causa conjecturas admodum leves contulerunt antiquarii. Enimvero praeclare ex marmoribus probat Renaudotius, Septimii nomen apud Palmyrenos multum valuisse. III. Odenathi quoque patrem Aeranem, avum Vaballathum prodit. Ex avi deinde nomine filius quoque dictus Vaballathus, cujus copiosos habemus numos.

SEPTIMIA ZENOBIA, Odenathi uxor altera, a Cleopatra, quin et Didone et Semiramide ducere genus credita [a]), ingentis spiritus, ac consilii supra feminam, literarum etiam studiis impense dedita, praeceptore usa Longino, cujus insignem περὶ ὕψους commentarium tanto magis miramur, quod tantum ingenium inculta haec aetas tulit. Caeso marito filiorum nomine administravit imperium, et Gallieni stupore in rem suam usa majoribus se copiis instruxit, et attentavit provincias imperii Romani ne marito quidem a Gallieno concessas, connivente ad haec ipso Claudio, propioribus per Occidentem curis occupato. Si Zosimo fides, hoc imperante invasit Aegyptum, variaque usa fortuna eam sibi denique adseruit. Sed orationis fidem elevant numi; nam Claudium ab Alexandrinis constanter fuisse agnitum imperatorem horum numi toto ejus imperii tempore, ac incredibili quidem numero signati testantur. Neque magis verisimile, quod idem refert, eam sub Aureliano regni sui fines per Asiam minorem in Galatiam usque prolatasse. Tamen primo ejus imperantis anno Aegyptum a Palmyrenis quadam imperii cum Aureliano communione fuisse possessam, ex Vaballathi numis patebit. Verum Aurelianus rebus in Occidente compositis bellum mulieri successibus elatae indicit, contractisque in Orientem imperii viribus aliquoties victricem Palmyrae suae includit, inde desperatis rebus elapsam ex fuga retrahit, aureisque catenis vinctam suum Romae triumphum sequi jubet V. C. 1026 P. X. 273. Vivere tamen ei concessum, egitque deinceps vitam more matronae Romanae liberaliter a victore habita teste Trebellio.

Liberi ab historicis produntur

HERODES, Odenathi ex priore uxore filius, et imperator cum patre appellatus. Propter vitam delicatiorem omnibus invisus, agente, ut fertur Zenobia, quae inique ferebat, filios suos privigno postponi, una cum patre interimitur [b]). Laudatus supra Renaudotius aliud marmor Palmyrenum recitat, ex quo habemus CEΠTIMION OΥPΩΔHN.

HERENNIANVS et TIMOLAVS Zenobiae filii. Eorum nomine mater remp. obtinuit, purpuratosque imperatoris habitu incedere jussit. Quis fuerit eorum exitus, ignoravit ipse, qui utriusque historiam scripsit, Trebellius, et, quod prodigio simile, idem synchronus.

Diversum a Trebellio refert Vopiscus, a quo Zenobiae filius proditur

VABALATHVS, sed quem is *Balbatum* vocat, aut, ut habet codex Pala-

a) Trebell. in Zenob. et Herenniano. b) Trebell. in Herode et Maeonio.

tinus, *Babalatum* teste Salmasio a): de quo ille sic: *Hoc quoque ad rem pertinere arbitror*, Balbati *filii nomine Zenobiam*, *non Timolai et Herenniani imperium tenuisse* b). Vopisco suffragantur numi veri, qui hos ignorant, illum agnoscunt.

Commemoratis historicorum testimoniis ad numos ipsos transeamus.

Numi Odenathi.

Ejus numi uni Goltzio cogniti, quibus si quis volet habere fidem, adeat fontem. Teste Trebellio c) Gallienus Odenathi monetam, qua Persas captos traheret, cudi jussit, sed cujus generis numus sese adhuc nemini, et ne ipsi quidem Goltzio obtulit.

Numi:

Herodis, *Herenniani*, *Timolai*, *Maeonii.*

Singulorum monetam reperit Goltzius, eamque recoxere Occo, Mediobarbus, Bandurius. Maeonii tamen numum recitat quoque auctor musei Pembrock d):

IMP. C. MAEONIVS. *Caput radiatum.*

VENVS. *Dea seminuda stans d. --- s. hastam.* AE.

Sed quem equidem numum non multum praestare Goltzianis existimo.

Quin et Timolai numum nuper vulgatum reperio:

Protome regis capite tiara tecto, pone A.

ΒΑΣΙΛΕV - ΜΙΓΑΛ° - ΤΙΜΗΛΑ° - *Victoria in citis bigis*, *infra quas* H. AE. III.

Eum ex locuplete museo Hunteri dedit cl. Pinkertonus, et Timolao *Zenobiae* filio tribuit e). Ad explorandam cimelii tam rari, atque insolentis fidem omnes artis nostrae machinae sunt adhibendae. Atque utinam illud minus in suspiciones pateret. Iam primum mirum videtur capitis tegmen, tiara nempe Armeniacae similis, cum tamen Palmyreni principes omnes cultum in numis Romanum adfectaverint, ut continuo patebit, atque etiam mater Zenobia filios Herennianum et Timolaum habitu imperatorio, ut paullo altius diximus, non regio barbarico apparere voluerit. Ex qua ipsa causa non facile dabimus, Timolaum dici βασιλεα, quando Vabalathus et Zenobia sese in moneta dixere Augustos. Deinde an ferendum, rectum ΒΑΣΙΛΕVΣ conjungi cum obliquo ΜΕΓΑΛΟΥ? Non magnopere nitor testimoniis scriptorum veterum, qui eum constanter *Timolaum*, non *Timelaum* appellant, quia exiguam ab adcuratione laudem sunt promeriti. Tamen quia vocabulum illud manifeste ex τιμη et λαος componitur, τιμη autem in compositione semper η in ο convertit, ut Τιμοθεος, Τιμοκρατης etc., necessario etiam scribendum Τιμολαος. Denique et literarum forma suspectum copiose numum facit. Sigma formatum ut Σ pro C non modo

a) in Vopiscum p. 380. b) in Aureliano c. 38. c) in Gallieno c. 12. d) P. III. ab. 28. e) Essay on medals Vol. I. p. 301.

in numis hujus aetatis, sed etiam quibuscunque monumentis aliis mihi incompertum, hac jam pridem antiquata forma. O in eadem scriptura aliis literis contractius non nisi optimae Graecorum aetati, ac nonnisi illi, quae Alexandro M. utrinque vicina fuit, convenit. Novi, in quibusdam Parthorum numis I pro E valuisse, at cur in hoc uno eodemque numo I et E variant? Viderint eruditi Britanni, utrum tot ac tanta objecta dubia amoveri, aut excusari commode possint, aut si numus vere est antiquus, an non sit vetustioris cujuspiam Timelai, nobisque incogniti; nam omnes numi hujus peristases remotius mihi haud dubie aevum videntur postulare.

Numi Vabalathi.

A. VABALATHVS. VCRIMDR. *Caput laureatum.*

IMP. C. AVRELIANVS. AVG. *Caput radiatum*, *infra:* B. Γ. Δ. E. S. Z. H. AR. III. admixto aere. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

B. IMP. C. VHABALATHVS. AVG. *Caput radiatum.*

AEQVITAS. AVG. — IOVI. STATORI. — VICTORIA. — VIRTVS. AVG. *cum suis typis.* AE. III. (Band. Pellerin.) Insignis alius: AETERNITAS. AVG. *Sol stans d. elata*, *s. globum*, *in area astrum.* AR. III. mixto aere. (Mus. princ. de Waldeck.)

C. ΑΤΤ. CΡΩΙΑC. ΟΤΑΒΑΛΛΑΘΟC. ΑΘΗΝΟΤ. *Caput laureatum et diadematum puerile*, *juxta:* L. Δ. vel:

D. Α. CΡΙΑC. ΟΤΑΒΑΛΛΑΘΟC. ΑΘΗΝΤ. *Caput laureatum et diadematum puerile*, *juxta* L. Δ.

ΑΤΤ. Κ. Λ. Δ. ΑΤΡΗΛΙΑΝΟC. CЄΒ. *Caput laureatum*, *juxta* L. Α. AE. II. (Pellerin, Mus. Caes.) Similis musei Borgiani fertur argenteus. (Zoega.)

E. *Eadem adversa*, *juxta* L. Є. *Eadem aversa*, *juxta* L. B.

F. *Eadem adversa*, *juxta* L. Є. *Eadem aversa*, *juxta* L. Γ. (Banduri p. 397.) Numi hujus epigraphe valde suspecta; aut enim pro Є reponendum ς, aut pro Γ ponendum B.

G. *Eadem adversa*, *juxta* L. ς. *Eadem aversa*, *juxta* L. Γ. (Vaill. Mem. B. L. T. II. p. 539)

H. *Eadem adversa*, *juxta* L. Z. *Eadem aversa*, *juxta* L. Δ. (Vaill. l. c. p. 540.)

I. ΑΤΤ. Κ. ΟΤΑΒΑΛΛΑΘΟC. ΑΘΗΝΟ. CЄΒ. *Caput laureatum barbatum.*

L. Є. *Caput Solis*, vel: *Mulier stans d. coronam offert*, *s. duplex cornucopiae.* AE. II. (Pellerin.) Sunt RRRR.

Numi Athenodori.

K. ΑΤΡΗΛΙΑΝΟC. ΑΘΗΝΟΔΩΡΟC. *Capita adversa laureata*, *Aureliani barbatum*, *Athenodori imberbe puerile.* (Ita Pellerinius, at Froelichio utrumque caput est imberbe, tamen virilis aetatis. Fam. Vabal. p. 40.)

L. A. L. Δ. *intra lauream.* AE. II. (Froelich. l. c. p. 28 et 40. Pellerin Rois tab. XVI.) Sunt RRRR.

Numi Zenobiae.

L. ϹЄΠΤΙΜΙΑ. ΖΗΝΟΒΙΑ. ϹЄΒ. *Ejus caput.*
ΑΥΤ. Κ. Λ. Δ. ΑΥΡΗΛΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. *Caput laureatum.* AE. (Mus. Theup.) Est unicus, modo certae fidei.

M. *Eadem adversa.*
L. Δ. *Providentia stans d. elata, s. cornucopiae.* AR. (Zoega ex mus. d'Ennery.)

N. *Eadem adversa.*
L. Є. *variis typis.* AE. III. (Band. Mus. Caes.)

O. *Eadem adversa.*
L. Ζ. ΠΑΛ. *Palma.*

Numum hunc Harduinus citat ex Sellero Anglo, atque in eum copiose commentatur a). Si Philippum Stoschium audias, adhaerebit numo nonnulla fraudis suspicio, cum similem sibi conspectum, at manifeste adulterinum testetur apud Froelichium in opusculo laudato pag. 38. Verum illustre hoc cimelium absolvitur testimonio Vaillantii, qui illud vidit, et repertum ab Anglis inter Palmyrae rudera testatur b). Numus per epigraphen ΠΑΛ. et typum palmae sese Palmyrae, ubi et repertus, signatum profitetur.

P. ϹЄΠΤ. ΖΗΝΟΒΙΑ. ϹЄΒ. *Hujus caput.*
ΑΠΟΛ. Γ- - - *Duo pilei Dioscurorum.* AE. II. (Pembrock. P. III. tab. 29.)

Numus singularis, si modo certae fidei, qua suspicione laborant numi nonnulli musei Pembrockiani, etsi in paucis eximii.

Q. ZENOBIA. AVG. *Ejus caput super luna bicorni.*
PIETAS. AVGG. *Mulier stans adstanti puello dexteram porrigit.* AE. III.

Cum alii Zenobiae numi omnes Graece inscribantur, hunc unum Latinum sponsore Nob. Iacobo Gradenigo Veneto protulit Taninius.

* * *

Proposito numorum Orientalis hujus imperii catalogo reliquam materiam in tres articulos tribuimus, quorum I. continebit observata in descriptos hic numos, II. aget de Vabalatho et Athenodoro, III. de horum numorum patria et aetate.

§. I.

Observata in numos hic descriptos.

Numi sub A. In his Vabalathi nomen consequuntur literae VCRIMDR, ut exhibent numi quique integerrimi. Pro his Occo legit VCRIMPP., Goltzius et Harduinus VCRIMPR., alii plerique VCRIMOR. Horum singuli sensum extudere, quem creditae literae verisimilem fecerunt, sed qualiscunque is, et quantumcunque ingeniosus, reprobandus certe semper, quia ex falsa lectione derivatus. Froelichius in laudato opusculo pag. 34 sic eas literas explet: *V*ice *C*aesaris *R*omani *I*mperii *D*estinatus *R*ector. At Corsinius in Epistola sua pag. 97, cum non improbabile sibi visum esset, Vabalathum ab Aureliano novae Daciae a se constitutae fuisse rectorem impositum, sic legendum conjicit: *V*ir *C*onsularis *R*omanorum *I*n *M*editerranea

a) Hist. Aug. p. 864. b) Mem. B. L. T. II. p. 524.

Dacia Rector. Parum, ut videtur, prospere. Istud certum, nihil ad hoc tempus idoneum fuisse adlatum, ejusque dubii enodationem relinquendam tempori.

Iidem numi infra protomen Aureliani notas Graecas arithmeticas a B usque H exhibent. Ad eas jam observavit Froelichius pag. 35, pro annis imperii non esse habendas, quia neque Aurelianus, neque Vabalathus annum imperii VIII. inivere. Sunt ergo certae monetariorum notae.

Numi sub B. Observanda in his addita Vabalathi nomini aspirata H sic: VHABALATHVS, quo modo illud non scribitur in numis cum literis VCRIMDR. Ceterum rarissimi sunt numi hoc loco descripti.

Numi sub C. Vetus Bandurii aliorumque passim antiquariorum est error, qui alterum horum numorum vocabulum legerunt ЄΡΜΙΑC. Magis fallit Goltzii ΑΡΜΕΝΙΑC. Massonius legendum contendit ΑΤΤ. ЄѠΙΑC, intruso perperam P, sic ut sensus sit: ΑΤΤ*οκρατωρ* ЄѠΙΑC. id est: *imperator Orientis.* Vide de hoc plura in dissertatione anonymi, quae est in Miscell. observationib. crit. Amstelaed. Vol. VIII. p. 141. Has ejus viri conjecturas evertit controversi vocabuli vera ac constans lectio CPѠΙΑC, ut probavit Pellerinius ex numis suis, et quae est in similibus aliis, qui sunt in museo Caesareo. In Pelleriniano uno, tum et binis musei Borgiani apud cl. Zoegam est CPΙΑC suppresso Ѡ. Censet Pellerinius, quoniam vox Graeca a CP incipere non potest, his literis vocabulum unum non constitui, sed singulas seorsim capiendas, et forte sensum facere analogum literis VCRIMDR numorum Latinorum. Quod tamen vix verisimile, cum Graeca ea vox in numis Graecis praeponatur, Latina in Latinis consequatur. Ad haec si, ut videtur, ea vox est Syriaca, nequaquam ad linguae Graecae naturam exigi debet, eamque artifices Graeci reddidere, ut auditu perceperant.

ΑΘΗΝΤ. vel ΑΘΗΝΟΤ. constanter his numis inscriptum. Antiquarii priores plerique *Athenam* quemdam hoc nomine indicari censuere, qui fuisset pater Vabalathi, sic ut epigraphes sensus esset: *Vabalathus Athenae*, id est, *filius.* At Froelichius [a] dividendum vocabulum censet, legendumque: ΑΘΗΝ*οδωρȣ*, vel ΑΘΗΝΟ*δωρȣ* Υ*ιος* ex pluribus causis, I. quod ΑΘΗΝΑΣ, vel ΑΘΗΝΗΣ, vel ΑΘΗΝΟΣ, ex quibus genitivus ΑΘΗΝΟΤ formari posset, nomen esset nequaquam moris Graeci. II. Vt istud valere posset de voce ΑΘΗΝΟΤ, non tamen de voce ΑΘΗΝΤ, quae scribendi ratio cum toties in numis reperiatur, monetarii errori tribui nequit. III. Quod in numis ejusdem tractus et aetatis, quos sub litera K descripsi, memoratur ΑΘΗΝΟΔѠΡΟC, qui si Vabalathi pater statuatur, de quo agetur continuo, facilem habebimus hujus epigraphes explicatum, nempe ΑΘΗΝΟ*δωρου* Υ*ιος*. Haec Froelichius. Atque eodem modo Pellerinius quoque aenigma istud explicare adlaboravit, etsi Froelichii mentem compertam non haberet.

a) l. c. p. 39.

§. II.

De Vabalatho et Athenodoro.

Froelichius et Pellerinius, cum viderent Vabalathum numis his inscriptum in aliis dici *Vabalathum Athenodorum*, (Lit. I.) in aliis *Vabalathum Athenodori F.*, item in aliis ATT. K. CEB., in aliis tantum ATT., rursum in aliis proponi facie puerili, in aliis barbata, in his capite laureato, in illis laureato simul et diademato, suspicari coepere, duos statuendos Vabalathos, inter quos dividendi essent numi Vabalathi nomine inscripti. Conjicit igitur Froelichius, horum unum fuisse *Vabalathum Athenodorum* Odenathi filium Zenobiae privignum, cujus nomine Zenobiam sumpsisse imperium refert Vopiscus, et quem offerunt numi sub I. descripti, et alium hujus filium, quem vocant numi *Hermiam* (potius *Sroiam*), *Vabalathum Athenodori F.* patri in imperio sociatum, quocunque id auctore factum. Patri adeo tribuendos numos, in quibus provectior aetas indicatur, filio, in quibus puerilis. Cum Froelichio fere consentit Pellerinius. Atque haec pauca ex fusioribus utriusque commentariis excepisse sufficiat, quin animus mihi sit opponendi, quae multa adversum ea, quibus sententiam suam stabilire nituntur, possent opponi. Mihi sane in his tenebris, quibus hujus aetatis historia scriptorum vitio laborat, quasque reperti hactenus Palmyrenorum principum numi non satis dispellunt, omnis nimium sedula inquisitio temporis et chartae jactura habetur. Eodem loco putanda est conjectura Corsinii, qui censuerat, fuisse Vabalathum filium Athenae et Zenobiae, quae nempe illo defuncto alteris nuptiis Odenatho adhaeserit [a]). Istud unum ex his certum tenemus, Athenodorum ac Vabalathum Palmyrenos fuisse principes, et ex Odenathi familia.

§. III.

De numorum horum patria et aetate.

Numos hujus generis, qui Graece sunt inscripti, esse Alexandriae, certe in Aegypto percussos, multa docent, et primum quidem fabrica, quae in Alexandrinis nunquam fallit, deinde quod anni imperii adduntur praefixo L more inde ab Augusto in ea regione recepto, denique quod Aureliano imperante nulli jam amplius numi Graeci praeterquam in Aegypto signati sunt. Vabalathi numos Latinos, qui comma Romanum imitantur, verisimile est signatos fuisse Antiochiae, quam stetisse in Zenobiae potestate ex Zosimo discimus.

Eorum aetatem inscripti duplices anni imperii tam Aureliani, quam Vabalathi produnt. Vidimus in his, annum Aureliani A conjungi anno Athenodori et Vabalathi Δ, et annum Aureliani B cum anno Vabalathi Є, et sic Γ cum ϛ, et Δ cum Z. Dubium non est, etiam annos imperii Vabalathi ad morem Aegyptiorum fuisse exactos, sic ut hi die XXIX. Augusti iterarentur. Ergo quoniam Aureliani annus A, ut suo loco diximus, currebat ante dictum diem anni V. C. 1023 P. X. 270, necesse est, eodem quoque tempore fluxisse Vabalathi annum Δ,

a) l. c. p. 83.

et quod consequitur, ingruente eodem die coepisse annum Aureliani B, et annum cum Vabalathi, tum Zenobiae Є. Praeterea quoniam indubitatum videtur, Zenobiam et Vabalathum suos sive regni, sive imperii annos a morte Odenathi mariti patrisque computasse, ejus caedes, illorumque regnandi initium, seu annus A figendus inde a die XXIX. Augusti V. C. 1019 P. X. 266 usque ad recurrentem eundem diem anni sequentis.

Aliud etiam ad historiam opportunum docent hi numi. Narrat Zosimus, Zenobiam imperante Claudio, et turbis Gothicis distento hostili animo Aegyptum ingressam, eamque post varias Martis vices sibi subjecisse. Contrarium potius docent numi; nam non modo nulli exstant Vabalathi et Zenobiae numi cum annis B et Γ, qui in Claudii imperium caderent, sed etiam, ut jam supra dixi, omnium annorum habemus Claudii numos in Aegypto signatos; ex quo patet, eum ibi constanter imperatorem fuisse agnitum. Quare si vera est Zosimi oratio, dicendum, Zenobiam subjectam sibi Aegyptum principio Claudii nomine administrasse, hoc deinde mortuo plus ausam, atque filium Vabalathum collegae modo cum Aureliano in moneta conjunxisse, sic tamen, ut etiam tum non prohiberet in Aegypto numos cum solo Aureliani capite signare, ut patet ex hujus numis cum annis A. B. Γ. Δ.

En finitam molestam disputationem, quae in enucleandis variis monetae hujus Palmyrenae causis versatur, cuique qualescunque virorum praestantissimorum conatus nondum desideratam lucem attulere.

M. FIRMVS.

Zenobiae amicus ac socius Alexandriam imperante Aureliano invasit quidem, sed ab hoc brevi eversus est, ut refert Vopiscus in ejus tyranni vita, qui et addit, ab eo Augusti nomine percussam fuisse monetam.

Ejus numum, contempto Goltziano, jam indicavi in Vol. IV. pag. 94. ex museo Pembrockiano.

ΑΥΤ. Μ. ΦΙΡΜΙCC. ЄΥΓC..

Caput laureatum.

L. A. *Mulier sedens d. spicas, s. cornucopiae.*

Quantam fidem mereatur cimelium istud, meum non est definire.

M. CLAVDIVS TACITVS.

Aureliano circiter medio Martio V. C. 1028 interfecto, cum milites rara moderatione imperatoris deligendi honorem senatui permitterent, atque hic rursum militibus, factum, ut per amicam hanc altercationem sex mensibus imperium capite careret. Tandem ejus anni die XXV. Septembris electus Tacitus vir consularis, aetatis jam provectae, et morum integritate eximius,

tum et literarum studiis clarus, quem traxisse genus a Tacito historico refert Vopiscus. Si Gothos victos demas, de quibus agam in numis, propter imperii brevitatem nihil memoria dignum gessit; nam sexto mense post aut morbo, aut factione militum exstinctus est vel Tarsi, vel Tyanis Cappadociae circiter mense Aprili V. C. 1029.

V. C. 1028. 1029. P. X. 275. 276.

Aureliano Aug. III. T. Nonio Marcellino cos.

Tacito Aug. II. Aemiliano cos.

* * *

IMP. C. M. CL. *vel* CLA. TACITVS. AVG.

IMP. C. TACITVS. INVICTVS. AVG.

Reliquae capitis inscriptiones sunt modico discrimine.

Caput laureatum in AV. AE. m. m. et AE. II., in nonnullis protome laureata cum hasta et clypeo, vel sceptro consulari. Caput laureatum in AE. III.

* * *

Epigraphe ut supra. Caput laureatum.

ADVENTVS. AVG. *Imperator eques praecedente Victoria sequentibus militibus.* AE. m. m. (Band.)

Quis hic adventus? an in urbem? sed in hac fuit, cum imperator est renunciatus, et cum semel egressus est, non amplius redivit. An ad exercitum, aut aliam quampiam urbem? Sed animadvertendum, ut superiore aetate haec epigraphe semper indicavit, Augustum advenisse Romam, ita hanc rationem fuisse immutatam, ex quo pecunia in provinciis cudi coepit, atque deinceps hac inscriptione saepe intelligendum adventum ejus provinciae vel urbis, in qua signati numi. Vide de his plura in numis Diocletiani sub: FEL. ADVENT.

* * *

Epigraphe ut supra. Caput laureatum.

CONSERVATOR. AVG. *Dioscurorum unus stans d. equum retinet, s. hastam.* AV. (Mus. olim de France Vindob.)

Vide, quae de hoc typo monebo mox infra sub VICTORIA. PONTICA.

Epigraphe ut supra. Caput laureatum.

P. M. TR. P. CONSVL. *Imperator sedens d. globum, s. hastam.* AV. (Ibidem.)

Vnicus hic certus est numus cum notis chronologicis. Si non omissi sunt numeri, quod hac aetate frequenter in numis factum, numus est anni V. C. 1028; nam anno sequente processit consul iterum. Testatur B. Bimardus [a]), exstitisse in museo Rothelin nummum Taciti inscriptum: IMP. C. M. CL. TACITVS. AVG. COS. III. Cum non constet, Tacitum processisse consulem III., auctior hic consulatus numerus tribuendus haud dubie est imperitiae monetarii, nisi velimus statuere adnumeratos consulatus suffectos.

* * *

Epigraphe ut supra. Caput radiatum.

TRANQVILLITAS. AVG. *Mulier stans d. draconem, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numus ipsi Bandurio ignotus, sed

a) ad Iobert. T. I. p. 203.

ejus aversa jam ex numis Philippi senioris nota, quorsum lectorem remitto.

Epigraphe ut supra. Caput radiatum.

VICTORIA. GOTHI. *in aliis.* GOTTHI. *Victoria stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Scythas ex palude Maeotide profectos diripuisse Asiae provincias, sed Taciti virtute attritos referunt Zosimus et Vopiscus. Quos historici Scythas, numi Gothos appellant.

Epigraphe ut supra. Caput radiatum.

VICTORIA. PONTICA. AVG. *Victoria stans imperatori paludato adstanti lauream offert, in medio astrum, in imo* KAΔ. AE. III. (Mus. princ. de Waldeck.)

In singulari hoc, et quod hactenus norim, numo unico, quemque ipse vidi, literae VICTORIA. PO manifestae sunt, reliquae minus luculentae, quin tamen dubitari possit, eas explendas legendo PONTICA, neque etiam dubitari, hanc *victoriam Ponticam* eandem esse cum ea, quae in numis praecedentibus *Gothica* dicitur, cum vicinam Ponto partem insederint Gothi. Neque alia existimo de causa Castorum unus in numo supra laudato dicitur CONSERVATOR. AVG., quam quod Dioscuri, in quorum tutela fuisse regiones Ponto adsitas in numis urbium Ponti diximus, visi fuerint Tacito, sibi in Gothico hoc bello opem tulisse.

* * *

Epigraphe ut supra. Protome laureata cum hasta et aegide.

VOTIS. X. ET. XX. *Victoria sedens clypeum tenet, cui inscriptum* VOTIS. XX.; *adstant imperator paludatus, et miles.* AE. II. (Banduri.)

Audax prolepsis, dum is, cui nonnisi in vota decennalia jus fuit, vicennalia ipsa praecipit. Verum plus Tacito ausum fuisse Probum, aliosque, suis locis videbimus.

Numi commatis peregrini.

Rem insolentem narrat Bimardus, exsistere in museo Abbatis Rothelinii numum Taciti signatum apud Pergam Pamphyliae [a]).

Alexandrini habentur non pauci:

A. K. KΛ. TAKITOC. CEB. *Caput laureatum.*

ЄTOYC. A. *typis variis.* AE. II. III. (Zoega, Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei vilioris metalli	RRR.
Aenei max. moduli	RRR.
Aenei I. formae	O.
Aenei II. formae	RRR.
Aenei III. formae	C.
Alexandrini	RR.

a) ad Iobert. T. II. p. 100.

M. ANNIVS FLORIANVS.

Taciti frater, quo caeso purpuram induit, agnitus a senatu omnibusque provinciis dempta Syria, cujus exercitus Probum suum imperatorem dixit. Orto inde bello civili Florianus apud Tarsum a suis ipsius militibus caesus est, cum imperium in tertium fere mensem tenuisset.

V. C. 1029. P. X. 276.
Tacito Aug. II. Aemiliano cos.

A. IMP. C. M. ANNIVS. FLORIANVS. AVG. *Caput laureatum in AV.* (Mus. Caes.)

B. IMP. FLORIANVS. AVG. *vel* IMP. C. FLORIANVS. AVG. *Caput radiatum in AE. III.*

C. IMP. C. M. AN. *vel* ANN. FLORIANVS. AVG. *vel* P. AVG. *vel* P. F. AVG. *Caput laureatum in AE. m. m., radiatum in AE. III.*

D. VIRTVS. FLORIANI. AVG. *Protome laureata d. hastam super humero, s. clypeum in AV.*

* * *

Vt lit. A.
CONSERVATOR. AVG. *Sol in quadrigis.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. D.
PERPETVITATE. AVG. *Mulier stans d. globum, s. hastam, simul columnae innixa.* AV. (Mus. Caes.) AR. (Catal. d'Ennery.)

Nova epigraphes ratio, sed quae in Caro quoque recurrit. In numis Alexandri Severi legitur PERPETVITATI. AVG. cum simili typo, quos vide.

Vt lit. C.
PRINCIPI. IVVENTVT. *Imperator stans d. globum, s. hastam.* (Tanini.)

Vt lit. C.
REDITVS. AVG. *Roma sedens accedenti imperatori radiato et togato globum offert.* AE. III. (Tanini.)

Obvium est in numis legere ADVENTVS. AVG., aut cum imperator in urbem reversus est, FORTVNAE. REDVCI, sed REDITVS. AVG. in solo hoc numo legitur. Nemo non videt, hac inscriptione intelligendum reditum optatum quidem, sed qui effectu caruit Floriano ad mortem adacto.

Reliqui Floriani numi triti argumenti.

Numi commatis peregrini.

Alexandrinus hujus Augusti nondum est compertus. Quo confirmatur, quod refert Zosimus, fuisse Aegyptum in Probi aemuli potestate. Quare Floriani nomine feriri pecunia non potuit.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei vilioris metalli	RR.

Aurei max. mod.	RR.
Aenei I. formae	O.
Aenei II. formae, forte potius tertiae tribuendi	R.
Aenei III. formae	C.
Alexandrini	O.

M. AVRELIVS PROBVS.

Natus Sirmii in Pannonia fortuna mediocri, dato militiae nomine per morum praestantiam, fidem, virtutem militarem et castrensem rigorem omnium, qui proxime praecessere, principum amorem sibi emeruit. Et erat magnum ejus clarumque toto imperio nomen; nam nulla fere fuit, qua imperium patuit, provincia, in qua non virtutis suae reliquisset impressa vestigia, aut quam non a barbarorum incursionibus vindicasset. V. C. 1029, quo mortuus est Tacitus, ejusque frater Florianus in imperium involavit, ipse Orientis praefectus a suis militibus, qui aegre ferebant, Florianum sponte, ac velut hereditario jure debitam arripuisse purpuram, invitus imperator adclamatur. Orto igitur civili bello ipse non quidem copiis, at utriusque exercitus opinione superior, sublato a propriis militibus apud Tarsum aemulo, orbis totius consensu unus agnoscitur Augustus ejus anni mense incerto.

V. C. 1029. P. X. 276.
TR. P. COS. DES. P. M. P. P.
Tacito Aug. II. Aemiliano cos.

Ex Oriente in Europam revertitur. Desunt anni hujus numi certi.

V. C. 1030. P. X. 277.
TR. P. II. COS. DES. II. P. M.
Probo Aug., M. Aurelio Paullino cos.

Francos aliosque barbaros in Galliam transgressos ad quadringenta millia variis praeliis caedit. (Tillemont.)

* * *

IMP. C. M. AVR. PROBVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator paludatus stans inter duo signa militaria, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

V. C. 1031. P. X. 278.
TR. P. III. COS. II. DES. III. P. M. P. P.
Probo Aug. II., Lupo cos.

Illyricum et Thraciam pacat. (Tillemont.)

IMP. C. PROBVS. AVG. *aut similiter.*

P. M. TR. P. COS. II. P. P. *Leo gradiens, prae quo caput bovis.* In aliis: *Figura militaris stans d. globum, s. hastam cum clypeo, pro pedibus captivus sedens.* AE. III. (Mus. Caes.)

IMP. C. PROBVS. AVG. COS. II. *Protome radiata d. sceptrum cum aquila.*

CONSERVAT. AVG. *Sol stans.*

HERCVLI. PACIF. *Hercules stans.*
VIRTVS. AVG. *Mars gradiens, vel: Miles stans d. Victoriolam.* Sunt omnes AE. III. (Mus. Caes.)

V. C. 1032. P. X. 279.
TR. P. IV. COS. III. P. M. P. P.
Probo Aug. III., Paterno cos.

Isauros praedones, et Blemmyes barbaros Aegypto infestos domat. Facta cum Persis pace Romam proficiscitur, et de victis hactenus barbaris triumphat. (Tillemont.)

* * *

VIRTVS. PROBI. AVG. *Protome galeata.*
P. M. TRI. P. COS. III. *Imperator in quadrigis triumphalibus, vel processu consulari s. sceptrum cum aquila.* AV. (Mus. Caes.)
SOL. COMES. PROBI. AVG. *Capita jugata Solis radiatum, Probi galeatum.*
P. M. TR. P. COS. III. *Sol gradiens, in imo* SERD. AE. III. (Tanini.)
IMP. C. M. AVR. PROBVS. P. F. AVG. *Protome radiata.*
P. M. TRI. P. COS. III. P. P. *Leo gradiens fulmen ore gestat.* AE. III. (Mus. Caes.)
IMP. C. M. AVR. PROBVS. AVG. CONS. III. *Protome radiata d. sceptrum cum aquila.*
PAX. AVGVSTI. — PROVIDENT. AVG. — SALVS. AVG. — VIRTVS. AVG. *cum suis typis.* AE. III. (Mus. Caes.)
IMP. C. PROBVS. AVG. CONS. III. *Idem typus.*
VOTIS. X. ET. XX. FEL. *intra coronam.* AE. III. (Mus. olim de France Vindob.)

De aversa agetur infra in vagis cum eadem inscriptione.

V. C. 1033. P. X. 280.
TR. P. V. COS. III. DES. IV. P. M. P. P.
Messala, Grato cos.

Circum haec tempora Saturninum in Oriente, Proculum et Bonosum in Gallia rebelles compescit. (Tillemont.)
Incerti hujus anni numi.

V. C. 1034. P. X. 281.
TR. P. VI. COS. IV. DES. V. P. M. P. P.
Probo Aug. IV., Tiberiano cos.

Varia per imperium ordinat.

* * *

IMP. PROBVS. P. F. AVG. *Protome Probi.*
PROBVS. P. F. AVG. COS. IIII. *Quadriga, in qua stans imperator a Victoria coronatur; currum comitantur tres figurae cum palmis, alia praecedente, et equos ducente.* AE. max mod. ex duplice metallo. (Mus. Albani.)
Singularem hunc numum faciunt repetita Probi nomina ac tituli. Typus ad quartum ejus processum consularem adludit.
IMP. C. PROBVS. AVG. COS. IIII., *aut similiter. Protome radiata.*
MARTI. PACIF. — SALVS. AVG. *cum suis typis.* AE. III. (Mus. Caes.)

V. C. 1035. P. X. 282.
TR. P. VII. COS. V. P. M. P. P.
Probo Aug. V., Victorino cos.

Bellum in Persas meditans a militibus Sirmii occiditur circiter exeunte Augusto. (Vide, quae dicemus infra in Terminis ejus imperii.)

Principis optimi occidendi causae fuere secundum Vopiscum, quod pacato jam sua virtute orbe terrarum dixisse ferebatur: *brevi milites necessarios non habebimus*, deinde quod nimia pertinacia militem ad siccandas Sirmii paludes, aliaque opera agrestia, quibus procurare fertilitatem patriae optaverat, adegit. Quare eum Silenus quoque in Caesaribus Iuliani acrius objurgavit, quod in omni vita asperior severiorque nihil hominum gratiae ac voluntati tribueret. Quo uno dempto nihil erat laudum ac praeconiorum, quod non promeritus scriptorum omnium consensu videretur, adeo, ut in hoc uno omnia ea, quae Trajanum, Antoninos, Alexandrum Mamaeae immortalitati consecrarunt, collecta crederentur, et imperii Romani gloria post eum nihil amplius posse capere incrementi existimaretur.

Divum appellat Eumenius in panegyrico Constantii cap. XVIII., et divus dicitur in indice natalium Caesarum, fixo ejus natali ad diem XIV. Kal. Sept. quem memorat etiam Kalendarium Dionysii Philocali. Sed desunt ejus consecrati numi.

Numi:

INVICTVS. PROBVS. P. F. AVG. *Protome laureata s. globum cum Victoriola.*

GLORIA. ORBIS. COS V. *Sexiga obversa, in qua imperator d. extenta volumen coronatur a Victoria retro stante, circa currum quatuor pedites elatis palmae ramis, extimos equos ducunt duo milites hastati.* AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Numum hunc tam argenti probitate, quam pondere, quo drachmas quinque, grana viginti tria aequat, insignem olim Khellius ex museo com. Ariosti, nunc Caesareo pictum stitit [a]). Hujus quoque aversae typus processum consularem quintum haud dubie celebrat, in cujus facti memoriam numi similes, qui cum reliqua Probi moneta nihil habent commune, usitata in his solennibus munificentia in vulgus videntur erogati. Similem maximae formae, sed aeneum ex duplice metallo, stitit Buonarrotus ex museo Carpineo.

IMP. C. PROBVS. AVG. CONS. V. *Protome radiata d. sceptrum consulare.*

SECVRIT. PERP. *Mulier stans dextera capiti admota, s. columnae innixa, in area astrum et* I., *in imo* VIXXI. AE. III. (Mus. Com. de Vitzai.)

Numi vagi.

Tantus est numorum Probi in aere III. formae numerus, et tanta varietas, ut essent nonnulli, quos haec delectant, qui ejus generis ad duo millia, omnes inter se diversos congessere. At enim hac una voluptate dempta totum istud agmen plus taedii illis, qui haec studia obeunt, quam veri emolumenti adfert. Etenim non varietas typorum, sed igno-

a) Subplem. ad Vaill. p. 206.

biles peristases, quales sunt: epigraphe capitis jam liberalior; jam parcior, capitis cultus, aut literae per aversam solitariae et inutiles, prodigiosum eorum numerum constituunt. Quare ut utilioribus locum faciam, negligam varietates omnes, quae in iis observantur, commemoratis tantum iis, quae facere operae pretium videbuntur.

* * *

A. IMP. PROBVS. AVG. *vel* IMP. C. PROBVS. AVG. *vel* P. F. AVG.

B. IMP. C. M. AVR. PROBVS. AVG. *vel* P. AVG. *vel* P. F. AVG. *vel* PIVS. AVG.

C. VIRTVS. PROBI. AVG. — VIRTVS. PROBI. INVICTI. AVG.

D. IMP. C. M. AVR. PROBVS. P. F. INVICTVS. AVG.

E. IMP. PROBVS. INV. INVIC. INVICT. AVG.

F. PERPETVO. IMP. PROBO. AVG.

G. BONO. IMP. PROBO. INVICT. AVG. (Theupoli.)

H. BONO. IMP. C. M. AVR. PROBVS. (sic) AVG. (B. L. Tom. XII. hist. p. 272.) Quoniam in hac inscriptione *το* BONO cum PROBVS consistere non potest, abbas Geinoz comminiscitur explicationem, qua perlecta ipsae nauseent inficetiae. Esse monetarii errore scriptum PROBVS pro PROBO, sequens inscriptio evincit.

I. BONO. IMP. C. PROBO. P. F. INVICT. AVG. (Mus. com. Vitzai.)

Caput laureatum fere tantum est in nonnullis aureis, et in omnibus aeneis II. formae, et in iis, qui volumine quinariorum formam obtinent. Radiatum obvium in aeneis III. formae, raro laureatum. At perfrequens protome laureata, vel radiata, vel galeata, galea saepe lauro vel radiis incincta, saepe manu d. hastam, s. clypeum praeferens, aut pro his sceptrum consulare aquila praefixum, aut globum, cui insistit Victoria etc. nonnunquam jugatum, ut videbimus in numis ipsis. In rarissimis musei Albani ejus caput leonis exuviis tegitur, ut olim Commodi et Gallieni.

* * *

Vt lit. B. Protome Probi.

ADLOCVTIO. AVG. *Imperator stans in suggestu s. hastam, stante retro figura paludata, duos milites cum signis militaribus adstantes adloquitur.* Argenti purissimi. (Mus. Caes.)

Numus eximius non modo spectata argenti probitate, sed etiam fabricae nitore, utroque merito hac aetate raro.

Vt lit. C. Protome Probi.

ADLOCVTIO. AVG. *Imperator eodem modo in suggestu, adstant a dexteris tres milites cum equo et signo militari captivum nudum et barbatum manibus revinctis ad suggestum sistentes; a sinistris duo milites alii cum equo et signis militaribus captivum nudum et imberbem eodem producentes, superne milites alii quinque.* AR. (Band.)

Iudice Bandurio exhibentur in hoc Semno Logionum rex, filiusque, quos victos supplicesque factos in fidem recepit, post dimisit teste Zosimo.

Vt lit. A. Protome Probi.

ADLOCVTIO. MILITVM. *Imperator*

stans in suggestu cum altera figura militari decem milites adloquitur. AE. max. mod. (Band.)

Typus tritus, at epigraphe nova.

Antica varia.

AETERNITAS. AVG. *Sol stans*, in aliis: *Lupa gemellos lactans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Solem aeternitatis imaginem jam alias vidimus, at nondum hactenus lupam gemellorum nutricem, a quibus condita ROMA, in tot numis dicta AETERNA, quae deinde Augustis subjecta in Aeternitatem Augustam jus habuit. Idem typus est in numo ORIGINI. AVG., quem vide infra.

Vt lit. B.

CALLIOPE. AVG. *Calliope stans lyra columellae imposita canit, s. pede hujus basi imposito.* AE. III. (Tanini.)

Numus omnino singularis. Musarum chorum habemus in numis gentis Pomponiae, sed harum nulla nomen suum eloquitur. Lectus fuerit hic Calliopes typus, ut laudes illa Probi virtuti debitas celebraret.

Antica varia.

COMES. AVG. *vel* COMITI. PROBI. AVG. *Pallas, vel Hercules stantes.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit B. Protome Probi.

EXERCITVS. PERS. *Imperator paludatus in suggestu stans adloquitur cohortes; has inter unus commilitonum equum capistro tenens.* AE. max. mod. (Vaill.)

Exercitus hic alius esse nequit, quam qui in Oriente ad observandos Persas stetit, ac propterea *Persicus* dictus est, quemque imperator ad virtutem cohortans in hoc numo fingitur.

Vt lit. A. Protomae jugatae Probi et Orientis (ut visum Bandurio.)

FELICIA. TEMPORA. *Quatuor puelli anni tempora designantes.* Quin. (Band.)

Vt lit. A.

FIDES. MAXIMA. *Mulier stans, et s. inversum gubernaculum tenens globum adstanti imperatori tradit.* AE. max. mod. (Band.)

Epigraphe insolens, et necdum ex numis cognita. Ceterum Fortuna cum imperium Probo traderet, *fidem maximam* sese habere in eo repositam ostendit.

Vt lit. B.

HERCVLI. ERYMANTHIO. *Hercules aprum Erymanthium gestans.* AV. (Phil. Venuti duoden. nomism. exposit.)

Aversam similem jam dedimus in moneta Postumi.

Vt lit. A. Caput laureatum.

HERCVLI. ROMANO. AVG. *Hercules stans dexteram tropaeo imponit, s. clavam et exuvias leonis.* AV. (Band.)

Eandem epigraphen jam vidimus in Commodo et Postumo. Herculis elogium, si quis alius, promeritus est Probus, qui non ut Commodus feras in amphitheatris et venatibus, non ut Postumus barbaros in unis Galliis, sed per totum imperium revocata in omnes provincias pace prostravit. Iure igitur ei in senatu adclamatum: *tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus, tu Parthicus, tu omnia*, et quae plura alia huc pertinentia commemorat Vopiscus. Quae causa est, cur ejus caput in numo max. formae musei Albani leonis pelle obtegatur.

IMP. C. PROBVS. INVICT. P. F. AVG. *Protomae jugatae Probi et conjugis.*

MONETA. AVG. *Tres Monetae stantes.* AE. max. mod. (Band.)

Aversa haec in Probo non admodum rara. Ei pretium constituit antica ob additum mulieris caput, quod esse ejus uxoris, de cujus nomine non constat, existimat Bandurius. Supra in numo: FELICIA. TEMPORA ab eo caput jugatum pro capite Orientis habitum vidimus. Res admodum incerta.

Antica varia.

ORIGINI. AVG. *Lupa gemellos lactans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nova aversa, atque ex solis Probi numis cognita. Videtur ea indicari, Probum Romano sanguine fuisse oriundum, quod verum esse potuit, etsi in Pannonia natus adfirmetur. Apud Livium a) milites conspecto lupo exclamant: *hinc victor Martius lupus gentis nos Martiae, et conditoris nostri admonuit.*

Vt lit. A. Caput laureatum.

PRINCIPIS. IVVENTVTI. (sic) *Imperator paludatus stans d. hastam, s. globum.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 167.) AE. III. (Mus. Caes.)

Confirmatur iterum, quod jam alias devexo imperio vidimus, ipsos etiam Augustos non raro dictos *principes juventutis*, atque etiam eos, qui velut Probus, simul Caesares, simul Augusti fuere. Observandum, utrumque hunc numum, aureum aeneumque, adeo perfecte utraque sui parte esse similem, ut etiam in errore monetarii, cum scribendum esset PRINCIPI. IVVENTVTIS, conspirent.

Antica varia.

RESTITVT. SEC. *vel* SAEC. *vel* SAECVLI. *Imperator paludatus stans d. globum, s. hastam coronatur ab adstante victoria.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Vt lit. A.

SAECVLI. FELICITAS. *Quatuor pueruli cum suis attributis.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Vt lit. B.

SISCIA. PROBI. AVG. *Mulier sedens coronam solutam tenet, hinc et illinc fluvius procumbens cum urna, ex qua aqua profluit.* AE. III. (Mus. Caes.)

Aversae hujus explicatum pete ex numo fere simili Gallieni.

Vt lit. A.

VICTORIOSO. SEMPER. *Imperatori stanti d. elata sceptrum gerenti figurae quatuor supplicant, duae de genibus, duae stantes, in imo corona.* AV. (Mus. olim de France Vindob. Spanheim Caess. Iul. p. 101.)

Aversa illustris ex perpetuo Probi victoriarum cursu facile explicatur.

Vt lit. B. Caput laureatum.

VICTORIAE. AVGG. (sic) *Victoria in citis bigis.* AV. (Mus. Caes.)

Cum Probus conlegam imperii non habuerit, Augustae vero uxori typus Victoriae non competat, maluit Khellius, qui numum hunc edidit, in eo vitium monetarii, aut matricem temere permutatam suspicari. Posterior ratio si valet, matrix capta erit ex moneta Valeriani, in qua haec aversa observatur quoque.

Vt lit. A. Capita jugata Probi laureatum, et Herculis.

VICTORIA. AVG. *Victoria stans inter*

---

a) L. X. c. 27.

duos captivos humi sedentes. Quin. aeneus. (Mus. Caes.).

Numum commendat antica, cui similes multos in Postumo vidimus. Probum Herculi adsimilatum vidimus supra in HERCVLI.

Antica varia.

VICTORIA. GERM. *typis Victoriae variis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit. B. Protome Probi.

VICTORIA. GOTHIC. *Victoria gradiens, pro pedibus captivus humi sedens.* AV. (Band.)

A victa utraque gente, ut diximus in annalibus, appellatae hae victoriae.

Antica varia.

VICTORIAE. AVGVSTI. *Duae Victoriae tenentes clypeum, in quo* VOT. X. in alio: VOT. XXX. MVLTIS. XXXX. AV. (Band.)

Antica varia.

VOTIS. X. ET. XX. FEL. *vel:* VOTIS. X. PROBI. AVG. ET. XX. *intra coronam.* AE. III. (Band. Beger Thes. Brand. T. III. p. 165.) VOTA. SOLVTA. X. AE. max. mod. (Tanini.)

Videmus ex his numis, Probum vota non decennalia modo, sed et XX. XXX. XXXX. suscepisse, qui nonnisi sex annis, et paullo amplius imperavit. Quam parum ergo horum mentio serviat chronologiae, vel ex uno hoc exemplo perspicimus, et patebit amplius ex iis, quae volumine sequente in tractatu singulari de votorum numis disseremus.

De numis Alexandrinis, et terminis imperii.

Numi commatis peregrini praeter Alexandrinos alii jam non exstant. In his anni ab A usque Z pridem cogniti. Alios subinde cum anno H edidere Baro Bimardus [a]), Pellerinius [b]), atque ego ex museo M. Ducis [c]), et serius geminum ex museo Caesareo. Quot annis imperaverit Probus, scriptores veteres multum, ut fere semper, dissident. Maxima Iuliani Caesaris auctoritas, qui imperasse eum ἐδε ὁλοις ἐνιαυτοις ἑπτα, *neque annis plenis septem* scribit. Inchoatum saltem annum septimum Tillemontius variis argumentis confecit [d]). Atque istud egregie confirmant numi Alexandrini. Nam cum hi annos VIII. exhibeant, necesse est, annum VII. saltem fuisse inchoatum. Ergo si annus ejus A coepit circiter in Aprili, vel Majo V. C. 1029, quo adversus Florianum in Syria et vicina Aegypto agnitus est Augustus, et mox proximo die XXIX. Augusti annus B, necessario annus H incipiet eodem die XXIX. Augusti V. C. 1035. Cum vero tam pauci exstent Alexandrini cum anno H, verisimile est, paullo post dictum Augusti diem intellectam in Aegypto Probi mortem, et tum ejus nomine feriri monetam desitam. Quare ex numis Alexandrinis Probo saltem pleni sex anni debentur cum aliquo excessu. Lege de hoc argumento copiose disserentem Bimardum loco indicato.

a) Mem. B. L. T. XIII. p. 437. b) Mel. I. p. 234. c) Num. vet. p. 302. d) Nota I. et IX. in Probum.

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei ex metallo puro	RRR.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. formae	O.
Aenei II. formae	RR.
Aenei III. formae	C.
Alexandrini	C.

BONOSVS.

Arrepta in Rhaetia purpura paullo post a Probo victus suspendio vitam finit. (Vopiscus.)

Ejus numi uni tantum Goltzio cogniti, et jure suspecti. Non tamen dissimulavero numum huic tyranno serius tributum, utcumque de eo eruditi arbitrabuntur.

MP. BONSVOSI. *Caput diadematum d. hastam, s. clypeum.*
VIRTVS. MICIT. *Labarum, in quo* VOT. XX., *ad cujus pedem duo captivi, in area* ƎS, *in imo* T. S. Δ. AE. III. (Mus. Theup.)

SATVRNINVS II.

Natione Gallus ab Aureliano limitis Orientalis dux constitutus, ab Alexandrinis Augustus dicitur, etsi flens, ac plane invitus imperium deprecaretur. Obsessus in castro a militum manu, quam Probus miserat, et ad deditionem coactus jugulatur invito Probo, qui insontem novit. (Vopiscus.)

Ejus numum ex solo Goltzio esse cognitum, dixi altius in Saturnino I., qui imperante Gallieno tyrannus ex triginta unus fuit. Saturninum III. vide post numos Constantis Constantini M. filii.

PROCVLVS.

Natus in Albigaunis, Alpium maritimarum populo, vir fortis, sed libidinis portentum. Apud Lugdunum Galliae per ludum primo, ac jocum dictus imperator, deinde serio agnitus a Probo dejicitur. (Vopiscus.)

Numum dedit Goltzius, alterumque non melioris fidei ex Chiffletio Mediobarbus.

M. AVRELIVS CARVS.

Natus Narbone Galliae [a]). Vopisco vera ejus patria et genus non satis fuit perspectum. Propter rei militaris scientiam a Probo praefectus praetorio dictus, cum hic exeunte circiter Augusto V. C. 1035 a militibus apud Sirmium caederetur unanimi exercitus sententia appellatus est imperator, summumque adeo fastigium nemine propter virtutis opinionem repugnante pacifice tenuit. Continuo filiis Carino et Numeriano appellatis Caesaribus, et vindicato insigni victoria a Sarmatis Illyrico, comite Numeriano (nam Carinum se absente Occidenti praefecerat) adversum Persas profectus, pulsis omnibus, qui restitere, Ctesiphontem ipsam cepit, at in medio victoriarum cursu fulmine ictus periit V. C. 1036 mense incerto, ut dicetur infra.

Iudice Vopisco vir medius, inter bonos magis quam malos principes collocandus, et longe melior, si Carinum non habuisset heredem. Chronologiam Cari et filiorum expedire conatus est Baro Bimardus in prolixa dissertatione, quae est in Memor. B. L. Tom. XIII. p. 437.

Vxor credita *Magnia Vrbica*, quam tamen verisimilius fuisse junctam Carino, infra disputabimus.

V. C. 1035. 1036. P. X. 282. 283.
Probo Aug. V., Victorino cos.
Caro Aug. II., Carino Caes. cos.

A. IMP. CARVS. P. F. AVG. *vel* IMP. CARVS. AVG.
B. IMP. C. M. AVR. CARVS. *in aliis* KARVS. AVG.
C. VIRTVS. CARI. AVG.

Inscriptiones quasdam singulares vide in ipsis numis.

In numis *aureis* fere constans caput laureatum, ut et in *aeneis*, qui quinariorum modum habent; *in aeneis max. mod.* frequentibus ejus protome; *in aeneis III. formae* est caput radiatum, aut etiam ejus protome.

Vt lit. B. Caput laureatum.

ADVENTVS. CARI. AVG. *Imperator eques d. elata, s. hastam.* AV. (Band.)

Carum revera Romam ex Pannonia petiisse, antequam in Persiam abiret, ex hoc numo nonnulli verisimile putant. Sed dixi supra in moneta Taciti, hac aetate mentione adventus non semper indicari adventum in urbem.

* * *

DEO. ET. DOMINO. CARO. AVG. *Duo capita radiata adversa.*

FELICITATI. PVBLICAE. *Mulier stans d. pateram, s. hastam, et simul columnae innixa.* AE. II. (Band.)

DEO. ET. DOMINO. CARO. INVIC. AVG. *Eadem capita.*

FELICITAS. REIPVBLICAE. *Mulier stans d. caduceum, s. hastam, et simul columnae innixa.* AE. III. (Band.)

DEO. ET. DOMINO. CARO. AVG. *Caput Cari laureatum.*

---

a) Victor in Caesarib. sub Dioclet.

VICTORIA. AVG. *Victoria globo insistens.* AV. (Band.)

Iam Aurelianum vidimus vocari in numis *Deum et Dominum natum*, nunc Carum quoque *Deum et Dominum* habemus. Vtriusque numos Bandurius post mortem signatos censet. Contra Spanhemius, cui sane adsentiendum censeo, ut jam in numis Aureliani observavi. Enimvero partes aversae nihil offerunt, quod posset ad mortuum referri, et tanta fuit jam pridem nonnullorum imperatorum arrogantia, ut vivi etiam divinos honores appeterent. Videri posset in his Cari numis DEI nomine indicari Solem, et DOMINI nomine imperatorem; verum obstat numus tertio loco descriptus, in quo solum Cari caput proponitur, nullo adeo ad Solem, cujus caput abest, respectu.

IMP. C M. AVR. KARVS. AVG. *Caput laureatum.*

KARINVS. NOBIL. CAES. *Caput laureatum.* AV. (Bandur.)

Vt lit. B.

PERPETVITATE. AVG. *Mulier stans d. globum, s. hastam, et simul columnae innixa.* AE. III. (Mus. Caes.)

Vide numum similem in moneta Floriani.

IMP. C. M. AVR. CARVS. P. F. AVG. COS. *Protome Cari.*

MONETA. AVGG. *Tres Monetae stantes cum attributis.* AE. max. mod. (Vaill.)

Vnicus hic numus est, qui Cari consulatum commemorat. Si non omissus est consulatus numerus, quod hac aetate saepe factum, numus est anni V. C. 1035, nam anno sequente processit consul II. conlega Carino.

CARVS. ET. CARINVS. AVG. *Vtriusque caput jugatum radiatum.*

SAECVLI. FELICITAS. *Imperator stans d. hastam, s. globum tenet.* AE. III. In alio: VICTORIA. AVG. AE. II. (Band.)

IMP. CARO. AVG. ET. CARINO. N. CAES. *Capita utriusque adversa laureata.*

SAECVLI. FELICITAS. *Quatuor pueruli cum attributis.* AE. max. mod. (Vaill. de Camps.)

Vide, quae ad similem typum in numo Annii Veri diximus.

Antica varia.

VIRTVS. AVGG. *vel* AVGGG. *variis typis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Postremos hos numos descripsi, quoniam ea, quae ad Carinum pertinent, illustrabunt.

Divus Carus.

DIVO. CARO. *addito in aliis* AVG. *vel* PIO, *vel:* DIVO. CARO. PERS. *in aliis* PARTHICO. *Caput radiatum.* In aureo Bandurii: *caput laureatum.*

CONSECRATIO, *vel:* CONECRATIO. AVG. *rarius pleno* AVGVSTI. *Aquila, vel ara luculenta.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΘΕΩ. ΚΑΡΩ. СΕΒ. *Caput laureatum.*

ΑΦΙΕΡΩCIC. *Ara, vel aquila.* AE. III. (Mus. Caes.)

Carum consecratum tacuere scriptores veteres omnes, at numi hi tam commatis Romani, quam Alexandrini eorum silentium abunde supplent. *Persicus*, ac *Parthicus* dicitur. Priorem titulum ipse Vopiscus confirmat, qui cum ejus in bello Persico res gestas enarrasset,

addit: ex iis illum *imperatoris Persici nomen* emeruisse. Eodem pertinet titulus *Parthici;* nam illa aetate ejus tractus gentem jam Parthos, jam Persas dixere, etsi hi victores, illi victi essent, perinde ac nobis hodie Britanni, et Angli idem populus sunt. Eadem ratione et Probus *Parthicus* dictus est, etsi Persarum fuisse victor perhibeatur. Vide de variis his nominibus *Persarum*, *Parthorum*, *Medorum*, *Assyriorum* eidem genti datis Spanhemium [a]). ΑΦΙΕΡΩCIC, *Consecratio*, in laudatis numis Alexandrinis, solo hactenus exemplo dedicatae mortuis principibus in Aegypto monetae consecrationis nomine.

De numis Alexandrinis, et terminis imperii.

Non exstant usque modo numi Alexandrini nisi cum anno A, reliqui cum epigraphe ΑΦΙΕΡΩCIC anni mentione abstinent. Quare ex his, quanto tempore imperaverit Carus, non colligimus. Ex numis Latinis nihil subsidii. Tillemontius ex tribunatu II., quem in marmore Gruteriano notatum reperit, inchoatum saltem a Caro annum imperii alterum arguit. Sed istud in ea solum sententia verum est, quae tribuniciae potestatis iterationem die natali imperii peractam adserit. Cumque mense Decembri ejusdem anni adhuc reperiatur lex ejus nomine inscripta, existimat, si modo fallaci harum inscriptionum regulae habenda fides, eum usque ad dictum mensem prorogasse imperium. At enim cur non reperiuntur Alexandrini cum anno B, si a die XXIX. Augusti anni V. C. 1036 usque in Decembrem duravit, cum tamen copiosi habeantur cum anno A? Quare ex Aegypti numis verisimile fit, Carum, qui ut mihi visum, exeunte Augusto anni 1035 imperare occoepit, haud multo post circumactum annum, et forte Septembri mense vivere desivisse, sic ut forte pauci tantum numi cum anno B signari potuerint, quorum adeo nullus ad nos pervenerit. Sed haec ex sola numorum doctrina, de quibus vide plura in moneta Carini.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei puri	RRR.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. formae	O.
Aenei II. formae	RR.
Aenei III. formae	C.
Alexandrini	R.

a) ad Iuliani orat. I. p. 122.

M. AVRELIVS NVMERIANVS.

Cari filius natu minor, sed in serie historica praeponitur fratri Carino, quoniam ante hunc vivere desiit. Eum bina marmora Muratorii *M. Numerium Numerianum* appellant [a]), sed numi *M. Aurelium.* A patre imperium adepto mox cum fratre Caesar dicitur.

V. C. 1035. P. X. 282.
CAESAR. PRINC. IVVENT.

Victis in Occidente Sarmatis patrem in Orientem adversus Persas comitatur.

M. AVR. NVMERIANVS. C. *in aliis:* NOB. C. *Caput laureatum in AV. radiatum in AE. III.*

MARS. VICTOR. — PRINCIPI. IVVENT. — VIRTVS. AVGG. — *cum suis typis.*

V. C. 1036. P. X. 283.
IMPERATOR. CAESAR.

A patre *imperator* appellatur.

IMP. C. M. AVR. NVMERIANVS. NOB. C. *Caput radiatum.*

VIRTVS. AVGGG. *Duae figurae paludatae, quarum una hastam tenet, stantes Victoriolam, cui superne astrum imminet, una sustinent.* AE. III. (Mus. Caes.)

De titulo *imperatoris*, et triplice AVGGG. agetur infra in Carino.

Eodem anno mortuo patre
AVGVSTVS. COS. DES.

Numos cum titulo Augusti, qui ad hunc annum pertinent, ad annum sequentem describam.

V. C. 1037. P. X. 284.
AVGVSTVS. COS.
Carino Aug. II. Numeriano Aug. II. cos.

Teste Vopisco cum propter nimium fletum, quem patris defuncti dolor expresserat, dolerent oculi, dum in lectica gestatur, factione Arii Apri soceri, qui invadere conabatur imperium, occisus est. Facinus per plures dies lecticae tenebris occultatum, tandem corporis tabescentis foetore proditum perdidit auctorem milite ultionem palam postulante. Factum istud refert Victor [b]), cum exercitum ex Persia reduceret, secundum numos, ut dicetur infra, mense Septembri.

Numerianum egregie moratum, et vere dignum imperio, tum vero eloquentiae et poeseos studiis adeo excelluisse, ut aevi sui praestantissimos facile vicerit, ac denique dissimilem sese plane moribus fratris perversis probavisse, tradit Vopiscus.

Vxor, filia Arii Apri praefecti praetorio, cujus et nomen, et numos, si quos habuit, ignoramus, Apro Numeriani socero ex uno Vopisco cognito.

* * *

A. IMP. C. NVMERIANVS. P. F. AVG. COS. *Protome laureata d. sceptrum cum aquila, s. globum cum Victoriola.*

a) Pag 256. 7. et 461. 5. b) in Caesarib.

ADLOCVTIO. AVGG. *Duo imperatores paludati stantes in suggestu, adstante pone figura togata milites adloquuntur.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Ad numi similis explicatum planissime adhaeret Bandurius. Ex addito COS. ad hunc annum pertinet. At qui deinde duo Augusti una e suggestu adloquentes? an horum alter pater Carus? at hunc anno praecedente mortuum diximus; aut si, quod nonnullis non improbabile visum, anni hujus principio vixit adhuc, an Numerianus vivo adhuc patre dictus jam est Augustus? An Carinum horum alterum statuemus, et quod sequitur, fratres immensis terrarum mariumque intervallis distantes in eodem suggestu sociabimus? Istud certum, insignes hos numos et mole et fabrica conspicuos non fallere, at desperandam esse eorum explicationem in hac scriptorum et ignorantia et perversitate. Quanquam videri possit, monetarios proponendo hoc typo unam spectasse adlocutionem ab unoquoque fratre ad suum exercitum peractam, nulla habita distantiae ratione. Sed non unicus est hic lapis, ad quem in Numeriani et Carini moneta cogimur offendere, ut patebit.

* * *

B. IMP. NVMERIANVS. INVICT. AVG. *Caput radiatum.*

ORIENS. AVG. *Sol gradiens d. elata, s. flagellum.* AE. III.

Opportune Bandurius ad numum similem versus Nemesiani ejus aevi poetae laudat, sic Carino accinentis [a]):

utque intima frater
Persidos et veteres Babylonis ceperit arces
Altas, Romulei violata cacumina regni.

Ergo ex auctoris synchroni testimonio certum nobis est, Numerianum in Oriente abfuisse.

* * *

C. IMP. NVMERIANVS. AVG. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. COS. P. P. *Imperator in quadrigis.* AE. III. (Tanini.)

* * *

D. IMP. NVMERIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

PRINCIPI. IVVENTVT. *Imperator paludatus stans d. bacillum, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

En post tot exempla Numerianus quoque Augustus, et princeps juventutis.

Vt lit. A.

TRIVMPHVS. QVADORVM. *Duo imperatores in quadrigis triumphalibus praeeunte Victoria; adsunt duae figurae in vertice, et duae aliae infra cum spoliis.* AE. max. mod. (Banduri.) Taninius in suo ait legi: TRIVNFV. QVADOR.

Quadorum sedem ad numum Antonini Pii: REX. QVADIS. DATVS, definivimus. At quid Numeriano cum Quadis? aut quando tandem eos devicit, cum teste Vopisco post Sarmatas victos statim in Orientem cum patre abiverit, et antea caesus sit, antequam in Occidentem reverti contigisset? An quos numi Quados, eosdem historicus dixit Sarmatas? Et vero ubi actus triumphus a duobus imperatoribus? Sane propter additum COS erat triumphus anni praesen-

a) Cyneg. v. 71.

tis, et necesse est intelligi utrumque fratrem, sed hi distabant, ut supra diximus. En tenebras Cimmeriis spissiores, quas Bandurius quoque desperavit posse illustrare in suo ad hunc numum commentario.

* * *

IMP. NVMERIANVS. AVG. *Caput radiatum.*

VNDIQVE. VICTORES. *Imperator paludatus stans d. globum, s. hastam; in aliis praeterea duo captivi adsidentes.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nimirum Carinus et Numerianus, hic in Oriente, ille in Occidente hostium victor.

Divus Numerianus.

DIVO. NVMERIANO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila, vel ara ignita.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numi Alexandrini.

A. K. M. A. NOTMEPIANOC. K. *Caput laureatum.* ☧ L. A. (Mus. Caes. Band.)

A. K. M. A. NOTMEPIANOC. CEB. *Caput laureatum.* ☧ L. B. *vel:* ETOTC. Γ. *vel:* ΛEΓ. B. TPAI. L. Γ. (Mus. Caes.)

Quae ex his numis ad definiendos imperii Numeriani utrinque terminos, et titulos possunt colligi, ut et de *legione II. Trajana* his inscripta, in Carinum differam, cujus moneta Alexandrina eandem rationem sequitur.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei puri	RRR.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. formae	O.
Aenei II. formae	RRRR.
Aenei III. formae	C.
Alexandrini	R.

M. AVRELIVS CARINVS.

Cari filius natu major a patre ad imperium evecto pro more Caesar appellatur.

V. C. 1035. P. X. 282.

CAESAR. PRINC. IVVENT. COS. DES.

Probo Aug. V. Victorino cos.

A. CARINVS. NOBIL. CAES.

B. M. AVR. CARINVS. CAES.

C. M. AVR. CARINVS. *vel* KARINVS. NOB. C. *vel* CAES.

D. M. AVR. CARINVS. P. F. NOB. CAES. *in numis tribus Bandurii.*

et aliis, quos citat Bimardus. (ad Iobert T. I. p. 270.)
Caput laureatum in AV. et AE. max. mod., radiatum in AE. III.

* * *

Antica varia.

PRINCIPI. IVVENT. *Caesar paludatus stans d. bacillum, vel globum, vel signum militare, s. hastam.* AV. AE. III.
Vt lit. C. Protome Carini d. hastam tenens, s. capistro equum retinens.

TRAIECTVS. AVGG. *Navis praetoria cum remigantibus in cujus puppi imperator gubernaculum regit adstantibus tribus praetorianis.* AE. max. mod. (Vaill.)

Trajectus hic ad Carinum pertinere nequit, quia duo Augusti in numo notantur, ergo ad patrem Carum, et fratrem Numerianum, quorum adeo trajectum honoris causa Carinus aeternitati commendavit. Putat Bandurius, indicari trajectum Euphratis aut Tigris, at ego Hellesponti mallem secundum ea, quae ad numum Gordiani Pii similiter inscriptum anni V. C. 955 disserui.

V. C. 1036. P. X. 283.
IMPERATOR. CAESAR. COS.
Caro Aug. II., Carino Caes. cos.

Pater in Orientem contra Persas profectus Carino totum Occidentem Augusti potestate gubernandum committit. Hinc titulus *imperatoris.* (Vide infra in titulis.)

* * *

IMP. C. M. AVR. CARINVS. NOB. C. *Caput radiatum.*

VIRTVS. AVGG. *in aliis:* AVGGG. *Imperator paludatus stans s. hastam, d. Victoriolam, cui adversus stat alter imperator paludatus dexteram porrigens, s. sceptrum.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Numos similes in Numeriano quoque vidimus. De iis pluribus agetur infra in titulis.

Eodem anno mortuo patre
AVGVSTVS. COS. DES. II.

Numos cum nomine Augusteo ad hunc annum pertinentes in annum sequentem differo.

V. C. 1037. P. X. 284.
AVGVSTVS. COS. II.
Carino Aug. II., Numeriano Aug. II.

Caeso in Oriente fratre, et Diocletiano in ejus locum a militibus suffecto ipse e Galliis egressus per iter Iulianum Venetiarum correctorem, qui imperium arripuerat, submovet, collatis deinde apud Margum Moesiae superioris cum Diocletiano signis victor primum, at dum victis inconsultius instat, a suis, quorum uxoribus insidiabatur, occiditur, quod factum chronologi in annum sequentem plerique differunt.

Fuisse hominem omnium contaminatissimum, adulterum, corruptorem juventutis, crudelem, voluptatibus totum immersum refert Vopiscus, sic ut doleret pater Carus, non eam esse aetatem Numeriano, ut credere illi Gallicanum imperium posset, cui necessitate compulsus eum praefecerat, et denique crescentibus ejus vitiis Caesareum ei honorem abrogare secum constitue-

ret [a]). Sed reipublicae bono evenit, ut in ejus exitium diuturna haec pestis non esset.

Vxor verisimilis *Magnia Vrbica*, de qua infra, una ex novem illis, quas duxisse et repudiavisse pulsis plerisque praegnantibus narrat Vopiscus.

* * *

IMP. CARINVS. P. F. AVG. *vel:* IMP. M. AVR. CARINVS. P. F. AVG. *aut similiter.*

Caput laureatum in AV. et AE. max. mod. Radiatum in AE. III. Nonnunquam ejus protome in omnis generis numis.

* * *

Epigraphe solita. Caput laureatum.

P. M. TRI. P. COS. P. P. *Vir laureatus seminudus cum pallio stans in quadriga, d. elata tenet ramusculum.* AV. (Beger Thes. Brand.)

Si omissi utrinque non sunt numeri, numus erit anni V. C. 1036, quo Carinus consul I. fuit, et mortuo patre pontificatum maximum una cum trib. potestate accepit.

Antica solita.

PRINCIPI. IVVENTVT. *Imperator paludatus stans d. globum, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Etiam fratrem Numerianum simul Augustum, simul principem juventutis vidimus.

Antica solita.

VENERI. VICTRICI. *Venus stans d. Victoriolam, s. malum.* AV. (Mus. Caes.)

Aureum similem, sed fratris Numeriani, dedit Bandurius. Aversa haec ut obvia in numis Augustarum, sic in numis Augustorum rarior.

CARINVS. ET. NVMERIANVS. AVGG. *Vtriusque capita laureata jugata.*

VICTORIA. AVGG. *Victoria gradiens.* AE. III. (Band.)

Pars antica numum hunc singularem facit.

Epigraphe solita. Caput laureatum.

VIRTVS. AVGVSTOR. *Duo imperatores paludati jungunt dexteras, Hercules uni, Apollo alteri lauream imponit.* AE. max. mod. (Band.)

Numi Alexandrini.

A. K. M. A. KAPINOC. K. *Caput laureatum.* ✕ L. A.

Hic numus obvius est, sed unum profert etiam Bandurius:

ATT. K. M. A. KAPINOC. CЄB. *Caput laureatum.* ✕ L. A.

A. K. M. A. KAPINOC. CЄB. *Caput laureatum.* ✕ L. A. *vel:* ЄTOTC. Γ. *vel:* ΛЄΓ. B. TPAI. L. Γ. (Band.)

In uno legitur sic:

A. K. M. A. KAPINOC. K. *Caput laureatum.* ✕ ЄTOTC. Γ. (Band.)

Numi Alexandrini Numeriani et Carini, quod ad annos, typos, et fere etiam titulos attinet, plene conspirant.

Ex anno Γ, qui utriusque numis inscribitur, docemur, imperium se aliquamdiu ultra diem XXIX. Augusti V. C. 1037

a) Vopiscus in Caro.

porrigere, ac vel inde confirmatur sententia eorum, qui Diocletianum die XVII. Septembris ejus anni Chalcedone imperatorem adclamatum dixere. (Vide Tillemontii notam I. in Dioclet.) Ex quo videmus, necesse non esse, ut statuamus cum Belleyo, a Carino et Numeriano continuatos patris Cari annos fuisse, ut istud factum a Commodo videmus [a]). Alioqui tota hujus imperii chronologia admodum est perturbata.

ΛΕΓ. Β. ΤΡΑΙ. *Legio II. Trajana*, inscriptum utriusque fratris numis. Numos hos explicat Dio Cassius, qui quo loco de constitutis varia aetate legionibus disserit, sic ait [b]): *Τραιανος το δευτερον το Αιγύπτιον, και το τριακοςον το Γερμανικον, ἁ και ἀφ' ἑαυτȣ ἐπωνομασεν. Trajanus* legionem *II. Aegyptiam, et trigesimam Germanicam* constituit, *quibus a suo nomine nomen imposuit.* Comprobant ergo hi numi, eam legionem hac adhuc aetate veterem suam stationem obtinuisse.

De titulis Caesaris, imperatoris, Augusti Carino et Numeriano delatis.

Caesares a patre mox post aditum imperium fuisse dictos, scriptores hujus aevi fere omnes testantur, atque istud vidimus confirmari numis. At res insolens repetitus in utriusque numis tam Latinis, quam Alexandrinis *Caesaris* titulus, ut vidimus in inscriptionibus capitum, cujus neque antea, neque post habemus exemplum. Non audeo explicare hoc rei numismaticae prodigium. Qui conjecturas amat, adeat Spanhemium [c]), et Froelichium [d]).

Imperator uterque in numis addito solo NOB. CAES. et absque titulo *Augusti* dicitur in numis Romanis, et in Alexandrinis ΑΥΤ. Κ. absque CEB. Insolens istud, non tamen citra exemplum, ut ostendi copiose in moneta Salonini Gallieni F. Collati hujus tituli causam luculentam suggerit Vopiscus, quo teste Carus in Orientem profectus natu majorem Carinum in Occidente reliquit decretis illi Galliis, Italia, Illyrico, Hispaniis, Britannia, Africa, *imperio*, ut ait, *Caesariano, ea lege, ut omnia faceret, quae Augusti faciunt.* Ergo Carus filium, ut olim Gallienus Saloninum, imperatoris et nomine et potestate ornavit, ut majore in tanto imperio polleret auctoritate, qua quoque de causa permissa ei adhuc Caesari *Pii Felicis* nomina suspicor. Imperatoris titulum a patre delatum quoque Numeriano non quidem historici, sed numi aperte docent.

Augustus. Vt certum est, fuisse hoc honore donatos, ita variant sententiae, quando hunc illis tributum titulum existimandum sit. Censent alii, factum istud patre vivo, alii nonnisi hoc defuncto. Pagio, qui priorem sententiam amplexus est [e]), fortissimum argumentum visi numi seu Carini, seu Numeriani, inscripti: VIRTVS AVGGG., ergo, ajebat, tres una fuere Augusti, nempe pater cum filiis duobus, item numi alii: CARVS. ET. CARINVS. AVGG., quae testimonia invicta visa sunt ipsi Tille-

a) B. L. Tom. XXI. Mem. p. 483. b) L. LV. §. 23. c) Tom. II. p. 355. d) IV. Tent. p. 430. e) Crit. Baron. ad an. Ch. 283. §. 5.

montio [a]). At enim argumenta haec parum sunt valida. Nam numos AVGG. vel AVGGG. in hac familia non probare duos vel tres Augustos, facile probamus ex numis ipsis Carini et Numeriani.

M. AVR. CARINVS. *vel* NVMERIANVS. NOB. C.
MONETA. AVGG. *vel* VIRTVS. AVGG. *etc.*

Secundum Pagium *το* AVGG. partis aversae indicat Carum et Carinum, vel Carum et Numerianum Augustos. At si istud, cur Carinus et Numerianus in parte numi antica, seu nobiliore, quae omnes utriusque titulos complectitur, *Caesares* tantum appellantur? Si ergo in his *το* AVGG. certe non probat, utrumque fuisse Augustum, non probabit etiam in iis, quos Pagius citat. Augusti ergo dicuntur in numis, non quod revera tales essent, sed quod illis hic honos per consortium cum patre habebatur, cujus exempla vidimus in Salonino, Tetrico juniore, aliisque, et quo modo Pagius ipse variis Criticae suae locis ambigua illa AVGG. vel AVGGG. explicavit. Atque eodem modo explicandae sunt subscriptiones legum, in quibus Carus, Carinus, Numerianus *Auggg.* appellantur, ut adeo nulla ratio sit adserendi, filios ante patris mortem Augusteo honore fuisse condecoratos, sed appareat satis, primum a patre creatos fuisse Caesares, mox imperatores, atque illo tandem mortuo Augustos dictos, ut numi statuunt. Numorum Latinorum legem sequuntur et numi Alexandrini paucis demptis, qui facilem explicationem admittunt, nisi potius a monetariis peccata haberi debeant.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei puri	RRR.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. formae	O.
Aenei II. formae	RRR.
Aenei III. formae	C.
Alexandrini	R.

MAGNIA VRBICA.

Ex solis numis, iisque copiosis cognita, varia tempora ac thalamos eruditorum scito experta est. Plerique eam in Maxentii aetatem dimovere, sed con-

a) Nota II. in Carum.

jecturis infirmis, quin huic denupsit etiam conciliante nuptias Carolo Patino a). Contra Genebrierus edita ineunte hoc saeculo dissertatione Parisiis, quam alteris typis vulgatam habemus in Electis Woltereckii, Cari eam uxorem promulgavit adprobante ejus judicium Bandurio, eruditisque aliis.

Novo hoc Cari consortio multis annis tranquille usam turbare coepit Philippus Stoschius reperto numo aeneo III. formae:

IMP. CARINVS. AVG. *Protome Carini galeata laureata d. equum capistro retinet, s. clypeum.*

MAGNIA. VRBICA. AVG. *Caput Magn. Vrbicae.*

Hujus numi auctoritate motus sancire non dubitavit, decisam tandem veterem litem, et Vrbicam indubitatam Carini uxorem habendam, ut videre est in ejus epistola edita Florentiae anno 1755.

Non satisfecit haec sententia Belleyo, eaque rursum in examen vocata commentarium scripsit, qui insertus est operi: Mem. des B. L. Tom. XXVII. p. 154, cujus summa capita haec sunt: praeeunte hoc numo dubitari quidem jam non posse, Vrbicam ad Cari familiam pertinere, non tamen certo posse argui, Carini eam uxorem fuisse. Non posse negari, saepius in moneta Romana mariti et uxoris capita sociari, at verum esse etiam, hunc honorem aliis quoque feminis habitum, quae uxores non fuere. Vrbicam vero non fuisse uxorem Carini sed Cari, his conatur rationibus persuadere: I. Copiosos habemus numos, in quibus mater cum filio jungitur, poterat ergo in praesente numo mater quoque Carini jungi cum filio. II. Repugnare ait moribus Carini Vrbicam conjugem, qui teste Vopisco *uxores ducendo ac rejiciendo novem duxit, pulsis plerisque praegnantibus.* At vero Vrbicam non modo fuisse praegnantem, sed insuper duas enixam proles, patere ex ejus numis cum epigraphe PVDICITIA. AVG., et typo mulieris sedentis, juxta quam stant duo puelli induti toga virili. Ex quo arguit, Carinum, qui non tulit uxores praegnantes, multo minus laturum fuisse bis fecundam, neque juvenis Carini uxori eam esse potuisse aetatem, ut filios jam haberet togae virili idoneos. Fuisse ergo Vrbicam Cari uxorem, et binas aversae proles Carinum et Numerianum.

Huic Belleyi crisi judicium suum opposuit Khellius in dissertatione edita Vindobonae 1767, cui titulus: *Epicrisis observationum cl. Belley in numum Magniae Vrbicae Aug.*, qua confirmare sententiam Stoschii, et diluere objecta Belleyi dubia magna verborum copia adnititur.

Ponderatis utriusque argumentis etsi decidere litem verear, mallem tamen pro Carini, quam Cari uxore stare. Esto, quod narrat Vopiscus, fuisse Carinum in ducendo ac repudiando praecipitem, an non eodem vitio laboravit quoque Elagabalus, cujus, etsi ne quatuor quidem annis solidis imperasset, uxores certas tres habemus, easque omnes numis insignes? At magno suo

---

a) Num. Impp.

malo gestavit uterum Vrbica, atque iterato quidem. Vnde istud probat Belleyus? ex binis, ait, puellis Pudicitiae sedenti adstitutis. Verum si hi Vrbicam bis fecundam arguunt, etiam necesse erit, Plautillam Caracallae dicere fecundam, quoniam in hujus numo inscripto PIETAS. AVGG. proponitur mulier infantem in sinu gestans, aut Otaciliam Philippi quater fecundam, quoniam in ejus numo PIETAS. AVGVSTAE quatuor puellae mulierem circumstant. Idem arguit similis numus Sabinae Hadriani, quam certe nunquam fuisse gravidam constat. Si ergo in his numis adstantia minuta signa nequaquam numerum prolium, sed Pietatis symbola constituunt, dici etiam poterit, illa in numo Pudicitiae symbola constituere. Sed demus etiam Belleyo, his signis indicari Vrbicae liberos, cur propterea non potuerit esse Carini uxor, non satis video. Praeferunt togam virilem, qua aetate liberos illa habere non potuit. Verum an satis probaverit, togam, qua ii induti comparent, revera esse virilem? Quod si hi, ut existimat, certi sunt Carinus et Numerianus, an satis horum consultum honori, dum ii, qui, quo tempore signatus fuit hic Pudicitiae numus, jam Caesares, imperatores, consulesque fuerunt, sola amicti toga virili, nullo alio indicio a privati modo distinguuntur? Atqui si Vopisci verbis pertinacius sententiam suam tuetur, iisdem et meam tuebor; non ait, pulsas a Carino *omnes* praegnantes, sed *plerasque*, ergo passus tamen est aliquas, in quarum numero Vrbica haec nostra, ejusque postrema uxor esse potuit, quae se plus mariti ingenio adcommodaverit, sed forte haec quoque repudianda paullo post, nisi Diocletianus repudiis finem fecisset. Denique non praetermittendum, quod advertit Khellius, juniorem eam in numis proponi, quam ut Carini, qui jam ad justam aetatem pervenerat, mater haberi posset. Atque haec argumenta etsi non evincunt, verisimile tamen faciunt, Vrbicam Carini uxorem potius, quam matrem exstitisse.

Ceterum Stoschianus hic numus perperam ad judicium vocatur, si verum est, quod vir quidam in historia numismatica praeclare eruditus mihi adseveravit, eum ipsa Stoschii aetate Florentiae ex fraudatoris mala officina prodiisse.

Numi:

MAGN. *vel* MAGNIA. VRBICA AVG.
MAGNIAE. VRBICAE. AVG.

Praeter ejus numum supra laudatum una cum capite Carini, si modo genuinus putandus, memorandi adhuc:

Antica solita.

PVDICITIA. AVG. *Mulier sedens d. velum capiti obducit.* AV. (Mus. Caes.) *In aliis adstant praeterea duo puelli, pone Felicitas sedili innixa d. caduceum, s. cornucopiae.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

De his numis actum continuo supra.

Numi reliqui continent obvios Augustarum typos.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei puri	RRR.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. formae	O.
Aenei II. formae	RRR.
Aenei III. formae	R.

NIGRINIANVS.

Vt praecedens Magnia Vrbica, ita Nigrinianus quoque sui memoriam solis numis debet. Cl. Genebrier, qui de his amplum commentarium scripsit, hunc quoque Electis Woltereckii insertum, de hoc sive Caesare, sive Augusto praeter conjecturas aliud adferre non potuit. Inserendum vero huic aetati censuit propter inscriptas infra literas KAA, quas in nullis alterius aetatis numis se reperisse testatur. Ceterum, nisi ejus consecrati numi non exstant. Tristanus eum Alexandri Africae tyranni filium fuisse existimat, quem et sequitur Mediobarbus a).

Divus Nigrinianus.

DIVO. NIGRINIANO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila, vel ara luculenta.* AE. III. (Mus. Caes.) Bandurio etiam AR. et AE. II.

Alius, sed *caput nudum, et rogus*, in AV. singulari. (Liebe Gotha num.)

* * *

Addendus hic numus, quem cl. Pinkertonus ex museo Hunteri vulgavit b).

DIVO. NIGRIANO. *Caput radiatum.*

CONSECRATIO. *Aquila super ara, in area* OF. II. *in imo* KAVO.

Causa capitis magis senilis hunc Nigrianum diversum a Nigriniano existimat. Discrimen istud haud facile admittendum videtur.

PRETIVM.

Aurei	RRRR.
Argentei, si qui sunt	RRRR.
Aenei III. formae	RR.

a) Pag. 445. b) Essay on medals Vol. I. p. 274.

M. AVRELIVS IVLIANVS.

Victori in Epitome dictus *Sabinus Iulianus*, Venetorum corrector, audita Cari morte imperium invasit tractis in partes Pannoniis, ut numi docent. Eum Carinus, cum adversus Diocletianum in Illyricum tenderet, in campis Veronensibus aggressus vicit et interfecit [a]). Alterius adhuc Iuliani meminit Victor in Epitome sub Diocletiano, qui factus imperator in Italia poenae instantis metu acto per costas pugione in ignem se abjecit. Alium eodem nomine sub Diocletiano in Africa turbasse refert Victor in Caess. Vide Anonymi dissertationem in hujus tyranni numos in Memor. Trevolt. in Majo 1706.

* * *

IMP. C. IVLIANVS. P. F. AVG.
IMP. C. M. AVR. IVLIANVS. P. F. AVG.

Caput laureatum in AV., radiatum in reliquis.

Antica, ut dictum.

PANNONIAE. AVG. *Duae mulieres stantes, quarum una dexteram extendit, altera signum militare tenet.* AE. III. (Mus. Caes.)

Eandem fere aversam vidimus in moneta Decii. Numi hi argumento sunt, Pannonias in hac seditione a Iuliano stetisse.

Numi reliqui: FELICITAS. TEMPORVM. AE. III. — LIBERTAS. PVBLICA. AV. AR. — VICTORIA. AVG. AE. III. Sunt omnes in museo Caesareo.

PRETIVM.

Aurei	RRRR.
Argentei puri	RRRR.
Aenei III. formae	RR.

FINIS VOLVMINIS VII.

a) Victor uterque.

VINDOBONAE 1828.
TYPIS HAEREDIS VAN GHELEN.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM, ET REI ANTIQVARIAE IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE PRAEFECTO.

PARS II.

DE MONETA ROMANORVM

VOLVMEN VIII. ET POSTREMVM

CONTINENS

NVMOS IMPERATORIOS, QVI SVPERSVNT, PSEVDOMONETAM

OBSERVATA GENERALIA IN PARTEM II.

ET

INDICES IN VOLVMINA VI. VII. VIII.

EDITIO SECVNDA.

VINDOBONAE

SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE

MDCCCXXVIII.

CONSPECTVS VOLVMINIS VIII.

C. Valerius Diocletianus . . . . Pag. 1
M. Aur. Valerius Maximianus . . — 15
Eutropia . . . . — 27
Achilleus . . . . — 28
Fl. Val. Constantius I. *vulgo* Chlorus — 28
Helena Chlori . . . . — 33
Fl. Maximiana Theodora . . . . . — 33
Gal. Val. Maximianus . . . . . . — 34
Gal. Valeria . . . . — 40
Amandus . . . . — 40
A. Pomponius Aelianus . . . . . . — 41
L. Domitius Domitianus . . . . . — 41
Carausius . . . . — 42
Allectus . . . . — 49
Fl. Val. Severus . . . . — 50
Gal. Val. Maximinus *vulgo* Daza . . — 51
M. Aur. Val. Maxentius . . . . . — 55
Romulus . . . . — 59
Alexander tyrannus . . . . — 60
Val. Licinianus Licinius pater . . — 61
Val. Licinianus Licinius filius . . — 68
Aurelius Valerius Valens . . . . . — 70
Martinianus . . . . — 70
Constantinus I. Magnus . . . . . . — 71
Constantinopolis. Roma. . . . . — 95
Fl. Max. Fausta . . . . — 98
Fl. Iulius Crispus. . . . . . . Pag. 100
Helena Crispi . . . . — 102
Fl. Iul. Delmatius . . . . . . — 103
Fl. Hanniballianus . . . . . . — 104
Fl. Cl. Constantinus II. junior . — 105
Fl. Iul. Constans I. . . . . . . — 109
Saturninus III. . . . . — 113
Fl. Iul. Constantius II. . . . . — 113
Fausta . . . . — 118
Fl. Pop. Nepotianus . . . . . — 119
Vetranio . . . . — 119
Nonius . . . . — 120
Fl. Mag. Magnentius . . . . . — 121
Mag. Decentius . . . . — 123
Fl. Cl. Constantius Gallus . . . — 124
Constantina . . . . — 126
Sylvanus . . . . — 127
Fl. Cl. Iulianus . . . . — 127
Fl. Iul. Helena Iuliani . . . . — 142
Iovianus . . . . — 147
Valentinianus I. . . . . — 149
Valens . . . . — 152
Procopius . . . . — 156
Gratianus . . . . — 157
Valentinianus II. junior . . . . — 160
Theodosius I. Magnus . . . . . — 162

Aelia Flaccilla . . . . Pag. 164
Magnus Maximus . . . . — 165
Fl. Victor . . . . — 166
Eugenius . . . . — 167
Arcadius . . . . — 168
Ael. Eudocia . . . . — 170
Honorius . . . . — 171
Constantius III. Patricius . . . — 175
Galla Placidia . . . . — 175
Constantinus III. tyrannus . . . — 176
Constans II. tyrannus . . . . . — 177
Maximus tyrannus . . . . — 178
Iovinus . . . . — 179
Sebastianus . . . . — 179
Priscus Attalus . . . . — 180
Theodosius II. . . . . — 180
Ael. Eudoxia . . . . — 184
Iohannes . . . . — 185
Placidius Valentinianus III. . . — 186
Licinia Eudoxia . . . . — 188
Iusta Grata Honoria . . . . . — 189
Attilla . . . . — 190
Petronius Maximus . . . . . . — 190
Marcianus . . . . — 191
Pulcheria . . . . — 192
M. Maecil. Avitus . . . . — 193
Leo I. . . . . — 194
Ael. Verina . . . . — 195
Iul. Majorianus . . . . — 195
Libius Severus III. . . . . . . — 196
Procop. Anthemius . . . . . . — 196
Ael. Marc. Euphemia . . . . . — 197
Anicius Olybrius . . . . — 198
Glycerius . . . . — 198
Leo II. . . . . — 199
Zeno . . . . — 199
Leontius I. . . . . — 201
Iul. Nepos . . . . — 202
Romulus Aug. . . . . — 203
Basiliscus, Marcus . . . . . . Pag. 204
Ael Zenonis . . . . — 204
Anastasius . . . . — 205
Iustinus I. . . . . — 206
Vitalianus . . . . — 207
Iustinianus I. . . . . — 208
Theodoricus . . . . — 211
Baduila incertus . . . . — 212
Theia vel Thela incertus . . . . — 212
Athalaricus . . . . — 213
Theodahatus . . . . — 213
Vitiges . . . . — 214
Baduila alter . . . . — 214
Theias . . . . — 215
Iustinus II. . . . . — 216
Sophia . . . . — 217
Tiberius II. Constantinus . . . — 218
Mauricius . . . . — 219
Phocas . . . . — 221
Heraclius I. . . . . — 222
Heraclius II. Constantinus . . . — 224
Constans II. qui et Constantinus . — 225
Constantinus IV. Pogonatus . . — 226
Iustinianus II. Rhinotmetus . . — 227
Tiberius IV. . . . . — 228
Leontius II. . . . . — 228
Tiberius V. Absimarus . . . . . — 229
Filepicus Bardanes . . . . . . — 229
Artemius Anastasius II. . . . . — 230
Theodosius III. Adramytenus . . — 230
Leo III. Isaurus . . . . — 231
Constantinus V. Copronymus . . — 232
Artavasdus et filius Nicephorus I. — 233
Leo IV. Chazarus . . . . — 234
Irene . . . . — 235
Constantinus VI. . . . . — 236
Nicephorus II. Logotheta . . . — 237
Stauracius . . . . — 237
Michael I. Rhangabe et Curopalata — 237

Leo V. Armenius . . . . Pag. 238
Michael II. Balbus . . . . — 239
Theophilus . . . . — 240
Theodora Theoph. cum fil. Thecla — 241
Michael III. . . . . — 241
Basilius I. Macedo . . . . — 242
Constantinus VIII. . . . . . . — 243
Leo VI. Sapiens . . . . — 243
Alexander . . . . — 244
Romanus I. Lecapenus . . . . — 245
Christophorus . . . . — 245
Stephanus . . . . — 245
Constantinus IX. . . . . — 245
Constantinus X. Porphyrogenitus — 246
Zoe Carbonopsina . . . . . — 248
Romanus II. . . . . — 248
Theophano . . . . — 248
Nicephorus II. Phocas . . . . — 249
Ioannes I. Zimisces . . . . . — 250
Basilius II. . . . . — 252
Constantinus XI. . . . . — 253
Romanus III. Argyrus . . . . — 254
Michael IV. Paphlago . . . . — 254
Michael V. Calaphates . . . . — 254
Constantinus XII. Monomachus . — 254
Zoe . . . . — 255
Theodora . . . . — 255
Michael VI. Stratioticus . . . — 256
Isaacius Comnenus . . . . . — 256
Constantinus XIII. Ducas . . . — 256
Eudocia . . . . — 257
Romanus IV. Diogenes . . . . — 257
Michael VII. Ducas et Maria . . — 258
Nicephorus III. Botaniates . . . — 260
Alexius I. Comnenus . . . . . . Pag. 260
Ioannes II. Comnenus Porphyrog. — 261
Manuel I. Comnenus Porph. Ducas — 261
Alexius II. Comnenus . . . . — 262
Andronicus I. Comnenus . . . — 263
Isaacius II. Angelus . . . . . — 263
Alexius III. Angelus . . . . . — 264
Alexius IV. Angelus . . . . . — 264
Alexius V. Ducas Murzuphlus . — 264
Imperatores Latini . . . . . — 264
Theodorus I. Lascaris . . . . . — 265
Theodorus II. Angelus . . . . — 265
Ioannes III. Vatatzes . . . . . — 265
Theodorus III. Lascaris . . . . — 265
Ioannes IV. Lascaris . . . . . — 265
Michael VIII. Palaeologus . . . — 267
Andronicus II. Palaeologus . . — 268
Michael IX. Palaeologus . . . — 269
Andronicus III. Palaeologus . . — 269
Ioannes V. Palaeologus . . . . — 270
Ioannes VI. Cantacuzenus . . . — 270
Matthaeus Cantacuzenus . . . — 271
Andronicus Palaeologus . . . — 271
Manuel II. Palaeologus . . . . — 271
Ioannes VII. Palaeologus . . . — 271
Ioannes VIII. Palaeologus . . . — 271
Constantinus XIV. Palaeologus . — 272

Pseudomoneta.

De numis Contorniatis . . . . — 277
De numis Tesseris, Spintriis, aliisque varii argumenti . . . — 314
De numis plumbeis . . . . . — 317

Observata Generalia ad partem II. hujus operis.

CAP. I. De consulibus Caesaribus. Pag. 325
CAP. II. De proconsulibus Caesaribus — 338
CAP. III. De nomine imperatoris. Pag. 343
CAP. IV. De nomine Augusti . . — 354

CAP. V. De cultu capitis Augustorum, Caesarum, Augustarum . . . . Pag. 360
CAP. VI. De titulo *Dominus noster*, et Βασιλευς Augustis Caesaribusque dato . . . — 364
CAP. VII. De nomine Caesaris . . — 367
CAP. VIII. De principe juventutis . — 371
CAP. IX. De pontificatu maximo, et Sacerdotiis Augustorum et Caesarum . . . . . . — 380
CAP. X. De tribunicia potestate . — 391
CAP. XI. De nominibus *Patris* et *Matris* in Augustis . . Pag. 450
CAP. XII. De nominibus *Pius* et *Felix*, tum a victis populis — 453
CAP. XIII. De numis consecrationum — 456
CAP. XIV. De numis Votorum . . — 473
CAP. XV. De legionibus et cohortibus, earumque signis . — 488
CAP. XVI. De numis inferioris aevi — 499

* * *

Indices III. in volumina VI. VII. VIII. — 527

MONETAE ROMANORVM

PARS II.

COMPLECTENS

NVMOS AVGVSTORVM, CAESARVM, TYRANNORVM.

C. VALERIVS DIOCLETIANVS.

Humili genere in Dalmatia ortus, etsi idem Claudium Gothicum non rara tum quoque vanitate parentem suum palam jactavit. Propter scientiae militaris laudem honores omnes pervasit, functus etiam consulatu suffecto. Carum ad bellum Persicum prosecutus, hoc mortuo adhaesit Numeriano. Postquam hic V. C. 1037. P. X. 284 exeunte fere Septembre Arrii Apri praefecti praetorio insidiis, ut dictum, occubuit, cum quaereretur, qui dignus esset imperio, et optimi principis parricidium ulcisceretur, ipse apud Chalcedonem imperator eligitur [a]).

a) Tillemont. nota I. in Dioclet.

V. C. 1037. P. X. 284.
TR. P. COS. DES. II. P. M. P. P.
M. Aur. Carino Aug. II. M. Aur. Numeriano II. cos.

Aprum Numeriani percussorem ante tribunal protractum propria manu interficit, et vaticinium implet, quod praesagiebat, eum tum imperaturum, cum *aprum* occideret [a]). Bellum in Carinum parat. Ab hoc anno incipit celebris aera Diocletiani, quae et *aera martyrum* dicitur [b]).

Incerti hujus anni numi.

V. C. 1038. P. X. 285.
TR. P. II. COS. II. P. M. P. P.
Diocletiano Aug. II., Aristobulo cos.

Commisso apud Murgum Moesiae superioris prope Viminacium cum Carino praelio victus primum, mox hoc a suis caeso victor imperium solus obtinet. Maximianum Caesarem creat. Anno inclinante in Orientem proficiscitur.

Desunt anni hujus numi certi.

V. C. 1039. P. X. 286.
TR. P. III. COS. II. DES. III. P. M. P. P.
M. Iunio Maximo II., Vettio Aquilino cos.

Nicomediae Maximianum imperii collegam cum Augusti titulo sibi jungit. Hic Gallias auctoribus seditionis Aeliano et Amando turbatas componit. Diocletiani in Oriente gesta minus certa.

Et hujus anni numi ignoti.

V. C 1040. P. X. 287.
TR. P. IV. COS. III. P. M. P. P.
Diocletiano Aug. III., Val. Maximiano Aug. cos.

Consul III. cum Maximiano consule I. procedit. (Vide numum sequentem.) Maximianus iterum ac saepius Alemannos aliosque barbaros, qui Gallias invasere, acie superat.

Numus:

IMPP. DIOCLETIANO. ET. MAXIMIANO. AVGG. *Protomae duae laureatae utriusque imperatoris et consularibus trabeis indutae, manu sceptrum cum aquila praeferentes.*

IMPP. DIOCLETIANO. III. ET. MAXIMIANO. COSS. *Currus junctis quatuor elephantis cum rectoribus palmigeris; ei insistit uterque imperator et his altior Victoria.* AV. max. mod. (Mus. M. Ducis.) AE. max. mod. (Theupoli.)

In hunc numum metallo, mole, elegantia in paucis conspicuum Norisius dissertationem bene longam scripserat, qua anni hujus consules, Diocletianum III., et Maximianum I. discordibus ad hunc annum fastis recte constituit. Cetera, quae in ea persequitur, nimirum quadrigas triumphales elephantorum designare Diocletiani victorias Persicas, minus sunt certa, aut historiae congrua, ut jam observavit Bandurius. Mihi verisimilius videtur, indicari utriusque Augusti processum consularem, ut magis

a) Vopiscus in Numeriano. b) Tillemont l. c.

patebit infra ex numo Maxentii cum typo simili, et ex iis, quae trademus infra in tractatu de consulibus Caesaribus.

V. C. 1041. P. X. 288.
TR. P. V. COS. III. P. M. P. P.
Val. Maximiano Aug. II., Pomponio Ianuario cos.

Maximianus bellum adversum Alemannos prospere prosequitur, alterum in Carausium, qui Augustum sese in Britannia dixerat, adparat.

V. C. 1042. P. X. 289.
TR. P. VI. COS. III. DES. IV. P. M. P. P.
Basso II., Quinctiano cos.

Carausium Britanniae marisque dominum frustra tentat Maximianus. Desperato successu eidem Britannia Augustorum consensu permittitur. (Vide infra in Carausio.)

Ignorantur numi.

V. C. 1043. P. X. 290.
TR. P. VII. COS. IV. P. M. P. P.
Diocletiano Aug. IV., Val. Maximiano Aug. III. cos.

Consul IV. conlega Maximiano consule III. procedit. Vterque imperator colloquii causa Mediolanum proficiscitur. (Tillemont.)

* * *

DIOCLETIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

COS. IIII. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AV. (Mus. olim de France Vindob.)

In alio:

CONSVL. IIII. P. P. PROCOS. *Imperator togatus stans d. globum, s. parazonium.* AV. (Mus. Caes.)

Nunc et proconsulatus in numis memorari incipit, quod frequens in marmoribus, in moneta usque modo incompertum. Vide infra tractatum de Caesaribus proconsulibus.

V. C. 1044. P. X. 291.
TR. P. VIII. COS. IV. P. M. P. P.
Tiberiano, Cassio Dione cos.

Diocletianus Orientis, Maximianus Occidentis res procurant.

* * *

DIOCLETIANVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. VIII. COS. IIII. P. P. *Leo capite radiato gradiens fulmen ore gestat.* AE. III. (Bandur. juxta correctionem in praefatione. Liebe p. 346.)

Eundem typum vidimus quoque in moneta Caracallae ad annum V. C. 967, ubi vide mea observata.

V. C. 1045. P. X. 292.
TR. P. IX. COS. IV. DES. V. P. M. P. P.
Hannibaliano, Asclepiodoto cos.

Ad veterem a barbaris metum cum nova accederent pericula in Oriente a Persis, in Africa a rebellibus Quinquegentianis, et forte jam tum imperium in Aegypto usurpante Achilleo, Diocletianus Kalendis Martiis anni hujus, ut

contra alios opinatur Tillemontius [a]), Constantium Chlorum et Galerium Maximianum Caesares Nicomediae dixit, sic ut Diocletianus Orientem, Maximianus Herculius Italiam Africamque cum insulis, Galerius Thraciam cum Illyrico, Constantius Gallias, Hispaniam, Mauritaniam regerent.

Desunt numi certi.

V. C. 1046. P. X. 293.
TR. P. X. COS. V. P. M. P. P.
Diocletiano Aug. V., Val. Maximiano Aug. IV. cos.

Consul V. cum Maximiano Herculeo consule IV. Varia Augustorum et Caesarum adversus imperii hostes bella.

Numi incerti.

V. C. 1047. 1048. P. X. 294. 295.
TR. P. XI. XII. COS. V. P. M. P. P.
Fl. Constantio Caes., Gal. Maximiano Caes. cos.
Tusco, Anulino cos.

Incerta utriusque anni facta et numi.

V. C. 1049. P. X. 296.
TR. P. XIII. COS. VI. P. M. P. P.
Diocletiano Aug. VI., Fl. Constantio Caes. II. cos.

Hoc anno victus creditur Allectus, qui in Britannia caeso Carausio pro imperatore se gessit, et haec provincia ad obsequium revocata.

Incerti numi.

V. C. 1050. P. X. 297.
TR. P. XIV. COS. VI. P. M. P. P.
Val. Maximiano Aug. V., Gal. Maximiano Caes. II. cos.

Adversus Narsen Persarum regem missus a Diocletiano Gal. Maximianus primum victus, mox victor bellum magna imperii Romani gloria finit. Val. Maximianus Mauros Quinquegentianos subigit. (Tillemont.)

Numi certi desiderantur.

V. C. 1051. P. X. 298.
TR. P. XV. COS. VI. DES. VII. P. M. P. P.
Anicio Fausto II., Severo Gallo cos.

Nihil ad hunc annum memorabile, et incerti numi.

V. C. 1052. P. X. 299.
TR. P. XVI. COS. VII. P. M. P. P.
Diocletiano Aug. VII., Maximiano Aug. VI. cos.

Marcomanni debellantur. (Tillemont.)

* * *

DIOCLETIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

CONSVL. VII. P. P. PROCOS. *Imperator togatus stans d. globum, s. parazonium, in imo* ALE. AV. (Mus. olim de France Vindob.)

V. C. 1053. 1055. P. X. 300. 302.
TR. P. XVII. — XIX. COS. VII. P. M. P. P.

---

a) Nota XI. in Dioclet.

Fl. Constantio Caes. III., Gal. Maximiano Caes. III. cos.
Titiano II., Nepotiano cos.
Fl. Constantio Caes. IV., Gal. Maximiano Caes. IV. cos.

Nihil his annis ad memoriam illustre.

V. C. 1056. P. X. 303.
TR. P. XX. COS. VIII. DES. IX. P. M. P. P.
Diocletiano Aug. VIII., Val. Maximiano Aug. VII. cos.

Initio anni impulsore Gal. Maximiano famigeratam Christianorum persecutionem Nicomediae edicit. Romam profectus insignem triumphum una cum Herculio de victis inde ab adito imperio hostibus agit. (Tillemont.)

Deficiunt item numi certi.

V. C. 1057. P. X. 304.
TR. P. XXI. COS. IX. P. M. P. P.
Diocletiano Aug. IX. Maximiano Aug. VIII. cos.

Consulatum IX. Ravennae init. Aeger cum animo, tum corpore Nicomediam revertitur.

Numis certis caremus.

Numi vagi
ab anno V. C. 1037. P. X. 284. usque ad V. C. 1057. P. X. 304.

A. DIOCLETIANVS AVG. *vel* AVGVSTVS *addito etiam* P. F.
B. IMP. DIOCLETIANVS. AVG. *addito in aliis* P. F.
C. IMP. C. C. VAL. DIOCLETIANVS. P. F. AVG.
D. VIRTVS. DIOCLETIANI. AVG.
E. IOVIO. DIOCLETIANO. AVG.

Caput laureatum in AV. AR. AE. m. m. et AE. II. Radiatum in AE. III. Protome laureata d. sceptrum cum aquila frequenter in AE. m. m. Rarius cum corona ex lauro et gemmis in AV. apud Bandurium.

* * *

Vt lit. A.

AETERNITAS. AVGG. *Elephas cum rectore.* AE. III. (Bandur.)

Aversa ex numis Philippi sen. cognita.

* * *

Vt lit. A.

AVSPIC. FEL. *Dea stans d. tesseram, s. caduceum, pro pedibus parva figura manus attollens.* AE. III. (Bandur.)

Bandurius typum aversae, qui novus est, et tantum ex utriusque hujus Augusti moneta cognitus, ad utriusque initia imperii refert, quae commendari volebant liberalitate, et inter quae procurare felicitatem susceptis publice votis.

* * *

Vt lit. A.

COMITATVS. AVGG. *Duo equites citato cursu d. elata, s. hastam.* AV. (Mus. de France olim Vindob.)

Numum hunc Khellius in suo ad Vaillantium Subplemento, aliumque aureum cum simili aversa Bandurius in numis Constantii Chlori descripsere quidem, tamen, etsi epigraphen novam, neque hactenus in moneta conspicuam profiterentur ipsi, nihil de sensu epigraphes plane obscuro monuere. Si duo equites, quos aversa exhibet, imperatores sunt, ut visum utrique, ubinam

eorum *comitatus*, quem epigraphe enunciat? Si quid conjectura valeo, equites duo sunt Augustus ac Caesar, quorum hic illum ad bellum euntem comitatur, sic ut in numo praesente habeamus Gal. Maximianum Diocletiani *comitem*, in altero Constantii Constantium Maximiani Herc. *comitem*. Non obest, in numo legi AVGG., tanquam uterque esset Augustus, nam saepius hactenus vidimus, Caesarem in consortio cum Augusto dici Augustum. Ad haec uterque Augustus suum habuit comitem Caesarem.

* * *

Vt lit. C.

FATIS. VICTRICIBVS. *Tres mulieres stantes, quarum singulae s. cornu copiae tenent, et earum una seorsim d. gubernaculum, reliquae duae dextera simul unum idemque gubernaculum tenent.* AV. (Mus. Caes. et M. Ducis.)

Numi rarissimi, quorum partes aversae tantum ex Diocletiani et conlegae moneta cognitae sunt. Eos late explicuere Spanhemius, et ex eo Bandurius. Ex veteribus egregie operam suam commodat Procopius [a]): *habet vero* (Ianus) *templum in foro ante curiam paullo super TRIA FATA. Sic Romani Parcas vocare instituerunt.* Eadem cum Parcis componit etiam inscriptio metrica apud Maffeium [b]):

Telephus hac sede jucunda Pothusque quiescent,
Debita cum Fatis *venerit hora* tribus.

Tria fata praedicant etiam Fulgentius [c]), Gellius [d]), Ausonius [e]), et Apuleius [f]). Eadem ex natura sua in numo vocantur VICTRICIA, quo illa epitheto ornat etiam Claudianus [g]), justo sane, quando non in homines modo, sed superos quoque, quin et ipsum Iovem gravia exercent imperia, religione ut antiquissima, sic summis etiam ingeniis parum intellecta, nimirum *esse fata*, ut ait Lactantius [h]), *quibus dii omnes et ipse Iuppiter pareat. Si Parcarum tanta vis est, ut plus possint, quam coelestes universi, quamque ipse rector ac dominus, cur non illae potius regnare dicantur, quarum legibus ac statutis parere omnes deos necessitas cogit?* Hanc tamen earum feritatem serior aetas coercuit, quae Iovem ausa est Μοιραγετην, *Fatorum*, seu *Parcarum ducem* appellare [i]), aut, ut legitur in antiquo lapide, qui est apud nos Vindobonae, DIVINARVM. HVMANARVMQVE. RERVM. RECTOREM. FATORVMQVE. ARBITRVM [k]).

Signa Fatis in hoc numo addita dixi esse *gubernaculum* et *cornu copiae*, capta ex numo nitidissimo musei Caesarei. Monere istud necesse putavi, quia video, illud, quod Fata dextera tenent, male a Vaillantio et Bandurio taedam, a Froelichio in Cimelio Vindob. fusum appellari. Vtrumque hoc signum cum Fortuna cujuscunque nominis, Parcis, et Nemesi fuisse commune, innumera vetustatis monumenta docent. Atqui Fata, Parcas, Fortunam, Nemesin veteres aut esse easdem putavere, aut

---

a) Bell. Goth. L. I. c. 25. b) Mus. Veron. p. CLXX. 3. c) Mythologi L. I. d) L. III. c. 16. e) Eidyll. XI. 19. f) in Herm. Trismeg. g) in II. cons. Stilich. h) Instit. L. I. c. 11. i) Pausan. L. V. c. 15. k) Maffei Mus. Veron. p. 248.

nonnisi subtiliter, et secundum certos modos discrevere. Fata et Parcas plerumque nonnisi nomine differre, ex modo dictis tenemus. Tamen Ovidius sorores Parcas Fati esse dominas dixit [a]). Fato et Fortunae communes fuisse partes, passim creditum, de quo vide, quae plura adferemus infra ad numum Gal. Maximiani inscriptum FORTI. FORTVNAE. Elegans inter utrumque discrimen dedit Pythagoras, si ejus incerto biographo habenda fides [b]): *διαφερει δε της Τυχης ἡ Ειμαρμενη, ὁτι ἡ μεν ἑιρμον ἐχει, και ταξιν, και ἀκολουθιαν, ἡ δε Τυχη το ἀυτοματον, και το ὡς ἐτυχεν, ὁιον, το ἐκ του παιδος ἐις μειρακιον ἐλθειν, και τας καθ' ἑξης ἡλικιας ὀικειως διελθειν, τουτο ἑνος τροπου της Ειμαρμενης.* *Sic differt a Fortuna Fatum, quod hoc serie quadam, ordinate, et stato progressu fit, at in Fortuna inest motus spontaneus, et inconsultus, v. c. ex puero fieri adolescentem, et sic reliquas aetates ex lege pervadere, unius Fati modus est.* At enim de Fortuna varia fuere veterum respectu Fati judicia. Teste Ioanne Lydo [c]) idem Romanis Fatum fuit, atque Fortuna. At ex mente Senecae [d]): *Sic hunc* (deum) *Naturam voca, Fatum, Fortunam; omnia ejusdem dei nomina sunt, varie vtentis sua potestate.* Pausanias auctoritate Pindari unam Parcarum dixit esse Fortunam [e]).

At lubet etiam conjicere, quam ob causam istud Augustorum par Fata, et Victricia quidem, in monetae suae argumentum legerit. Noverunt hercle ipsi, si ambire imperium vellent, obstare sibi generis ignobilitatem, ac nascendi conditione esse se tales,

Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari [f]).

Fuere quidem omni aevo, quos merita, ac potissimum bellica turbulentis his temporibus, rei summae propius admoverunt, tamen et sic in tanto potentium aemulorum numero necesse illis fuit *Sidus et occulti miranda potentia fati* [g]), cujus adeo tanti beneficii memores has Fatis publice grates rependerunt. Idem, sed aliis verbis, dixere Augusti alii, cum se PROVIDENTIAE DEORVM debere imperium in numis professi sunt.

* * *

Vt lit. A.

F. *in aliis plenius* FEL. ADVENT. AVGG. NN. *Mulier stans capite leonis exuviis tecto d., vexillum, s. dentem elephanti, pro pedibus leo.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

FELIX. ADVENT. AVGG. NN. *Idem typus, sed humi praeter leonem taurus quoque.* AE. II. (Mus. Caes.)

Frequens est haec aversa in numis non Diocletiani modo, et Maximiani, sed et Constantii et Galerii Caesarum. Fuere, qui his numis Augustorum et Caesarum in urbem Romam adventum significari censerent, sed quid Romae cum exuviis elephanti, leone, tauro?

---

a) Trist. L. V. el. III. v. 17. b) ap. Photium cod. 259. c) περι Μηνων sub Ianuar. d) de Benefic. L. IV. c. 8. e) L. VII. c. 26. f) Iuvenal. Sat. III. 39. g) ibid. Sat. VII. 200.

Ad haec, ut jam in Tacito Aug. advertimus, hac aetate inscripto ADVENTVS. AVG. non semper adventus in urbem orbis principem intelligebatur. Alio igitur consilio Vaillantius et Bandurius Maximiani Herculei in Africam trajectum notari adseruere, qua in expeditione Mauros Quinquagentianos ad obsequium revocavit. Nam certum est, typum hunc totum esse Africanum, ut patet ex numo Val. Maximiani Aug. post resumptum ab hoc imperium signato, inscriptoque: CONSERVATOR. AFRICAE. SVAE. Verum quid adventus in Africam ad Diocletianum, quin et Constantium et Galerium, qui Maximianum ad hoc bellum comitati non sunt? Respondet Bandurius, tantam fuisse Diocletianum inter et Maximianum concordiam, ut in singulis majestas omnis imperii in solidum residere videretur, et quod ab uno horum factum esset, duceretur ad laudem etiam alterius pertinere [a]). Demus, mutuae benevolentiae causa communicatum fuisse honorem victoriae, cultum deorum, aliaque, quorum exempla jam etiam in M. Aurelio et L. Vero, in familia Severi, aliisque vidimus, verum qua ratione potuit dici Diocletianus venisse in Africam, qui eo pedem nunquam intulit? Paucioribus se expedit Vaillantius, promiscua, ait, esse emblemata horum imperatorum vel ob mutuam concordiam, vel quia sic monetariis videbatur [b]). Non impugno hoc viri praestantis judicium, quoniam revera communes omnibus frequenter fuere partes aversae, ut continuo videre licebit, at tum profiteri etiam cogetur, hujus imperii monetam ad singulorum historiam parum aut nihil conferre, et quod sequitur, inutiles cecidisse conatus, quibus a viris eruditis de uniuscujusque votis decennalibus aliisque factis chronologiae aut historiae causa pugnatum est.

* * *

Vt lit. B.

FORTVNAE. REDVCI. CAES. NN. *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae, pro pedibus rota, in aliis globus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Non aliud habemus exemplum insignitius promiscuae tum inter Augustos et Caesares monetae. Enimvero ut in his numis, qui sunt ipsius Augusti, aversa Caesaribus inscribitur, sic alii habentur numi Constantii et Galerii Maximiani Caesarum, in quorum aversa: FORTVNAE. REDVCI. AVGG. NN., quae aversa ad unos Augustos pertinet. Connectenda haec animadversio cum iis, quae modo continuo disputavi. Rotam, quae proprium fuit Nemesis signum, hic commodari Fortunae, non mirabitur, qui utramque deam unius fere fuisse naturae habitam novit. Vide, quae diximus alibi [c]), et dicemus infra in numis Gal. Maximiani.

* * *

Antica varia.

GENIO. POPVLI. ROMANI. *Genius virilis nudus cum modio supra caput stans d. pateram, s. cornucopiae.* AE. II.

Nihil his numis imperante Diocletiano tritum magis. *Genium populi Romani* jam saepe in moneta, et varie pictum vidimus, ut in numis gentis Cor-

a) Pag. 57. not. 3. b) Num. praest. T. III. p. 62. c) Vol. II. p. 552.

neliae, Augusti, quos descripsi in ejus moneta ad annum V. C. 734, Galbae, Vitellii, quos vide. Genium P. R. aureum in regione VIII. memorat Victor in descriptione urbis Romae. Vide, quae huc pertinentia observabo in moneta Iuliani II. ad numum GENIO. ANTIOXENI.

* * *

IOVIO. DIOCLETIANO. AVG. *Protome laureata d. hastam.*

HERCVLIO. MAXIMIANO. AVG. *Maximianus paludatus sedens s. globum, cui a sinistris adsidet Hercules; retro Victoria volans utrumque coronat, in imo* ROM. AE. max. mod. (Mus. reg. Gall.)

DIOCLETIANVS. ET. MAXIMIANVS. AVGG. *Vtriusque caput laureatum adversum.*

IOVIO. ET. HERCVLIO. *Imperatores duo laureati pateram super tripodem effundunt, superne Iovis et Herculis icunculae altari impositae, in imo* SMT. AV. max. mod. (Banduri.)

Vt lit. A.

IOVI. CONSER. IOVII. CONS. *Iuppiter stans d. fulmen, s. hastam, in imo* ANTS. AE. II. (Tanini.)

Ad horum intelligentiam numorum audiatur Victor a): *Huic* (Maximiano) *postea cultu numinis HERCVLEI cognomentum accessit, uti Valerio* (Diocletiano) *IOVIVM; unde etiam militaribus auxiliis longe in exercitum praestantibus nomen impositum.* Prior orationis hujus pars ipsis his numis, altera, ut jam advertit Bandurius, confirmatur eo, quod passim in Notitia imperii occurrunt *ala Iovia, legio Iovia, ala Herculia, auxilia Herculia, Herculiana, Herculensia etc.* Horum adhuc meminit Claudianus imperante Honorio b):

Herculeam suus Alcides, Ioviamque cohortem
Rex ducit superum.

Etiam narrat Sozomenus, agens de imperio Iuliani c), Iovianos hos et Herculianos numeros in exercitu R. nobilissimos fuisse, et imperatorem praesidii causa proxime secutos. Vide de hac Iovii Diocletiani, et Herculii Maximiani insania plura apud Spanhemium d), et Bandurium e), et infra ad numum Constantii I. inscriptum VIRTVS. HERCVLI. CAESARIS.

Hic Diocletiani in Iovem adfectus immensum numorum agmen parturivit cum ejus dei variis nominibus et effigie, ut: IOVI. AVGG. — IOVI. CONSERVATORI. — IOVI. FVLGERATORI. *Iuppiter fulmen in Gigantem vibrans.* AV. (Mus. Caes.) IOVI. PROPVGNATORI. — IOVI. TVTATORI. — IOVI. VICTORI.

* * *

DIOCLETIANVS. ET. MAXIMIANVS. AVGG. *Protome utriusque imperatoris laureata cum trabea, in utriusque dextera sceptrum cum aquila.*

MONETA. IOVI. ET. HERCVLI. AVGG. *Moneta stans d. bilancem, s. cornucopiae,*

---

a) in Caesarib. b) de bello Gild. v. 418. c) L. VI. c. 6. d) Tom. II. pag. 494. e) Pag. 13. not. 4.

ad ejus pedes massa metalli, *cui ad dexteram adstat Iuppiter*, *ad sinistram Hercules*. AE. max. mod. (Mus. Caes.)

Obvii utriusque imperatoris numi aenei maximae formae simpliciter inscripti: MONETA. AVGG. typo solito trium Monetarum. Praesens illustrior ob titulos *Iovii* et *Herculii*, de quibus ad numos praecedentes actum.

* * *

Antica varia.

M. SACRA. in aliis: MONETA. S. *in aliis:* SACRA. MONET. AVGG. ET. CAESS. NOSTR. *in aliis:* SACRA. MON. VRB. AVGG. ET. CAESS. NN. *Mulier stans d. bilancem*, *s. cornucopiae.* AE. II.

Numi per hoc imperium frequentes. Moneta, quam privata quidem cupiditas omni aevo, at nunquam ante publica Romanorum consecravit designatis aris templisque more aliorum numinum allegoricorum, teste ipso Iuvenali [a]):

etsi funesta pecunia templo
Nondum habitas, *nullas numorum ereximus aras*,

nunc tandem SACRA dicitur, scilicet propter ingentia emolumenta, quae in genus humanum confert, quo cavetur, ne seu adulterando, seu pondus minuendo violetur, habeaturque sacrosancta constitutis tanquam in sacrilegos poenis, ut constitutae fuere in eos, qui tribunorum pl. corpora violare ausi sunt. Vide, quae ad hoc argumentum plura commemorat Spanhemius [b]). *Sacra moneta urbis* deinceps etiam frequentius obvia, memoratur quoque in marmore Muratorii [c]), in cujus fine, sed juxta veram cel. Marinii emendationem [d]), legitur: CVRANTE. VAL. PELAGIO. V*iro* E*gregio* PROC*uratore* S*acrae* M*onetae* V*rbis* VNA. CVM. PP. *(praepositis)* ET. OFFICINATORIBVS. Iam multo ante Antiochenses MON*etam* VRB*is* numis suis inscripsere, ut suo loco vidimus.

* * *

Vt lit. A.

PROVIDENTIA. AVG. *vel* AVGG. *Castra praetoria*, *prae quibus quatuor figurae paludatae super tripode sacrificant.* AR. Obvii.

Ad monumenta castrorum, quae in extremis imperii finibus ubique construi jussit Diocletianus, hunc typum jure refert Bandurius, quam in hoc imperatore laudem praedicat Zosimus. Quatuor figurae sacrificantes haud dubie sunt Augusti duo ac totidem Caesares. Similis typus est etiam in numis VIRTVS. MILITVM. - VICTORIA. AVGG. aliisque.

Ejusdem generis numi exstant etiam in moneta Maximiani conlegae. Horum unum omnino geminum cum capite Maximiani edidit Scipio Maffeius [e]), sed pro solitis inscriptionibus, quas modo commemoravi, circum castra praetoria legitur: VERONA. NPRITE. COND., quam epigraphen eruditus auctor sic explicat: VERONA. N*ova* P*orta* RITE COND*ita*. Difficile est praebere adsensum, praecipue cum auctoritatem, qua conditam a Maximiano novam portam confirmaret, non repe-

a) Sat. I. 112. b) Tom. I. p. 29. c) Pag. 260, 3. d) Frat. arv. p. 470.
e) Verona ill. P. I. p. 147.

rerit, satisque in praesens habeat adfirmare, non modo talem, qualem diximus, esse numi, qui nunc est in museo suo, epigraphen, sed et similem alium exstare Venetiis in museo Capello. Ad haec mirum etiam videatur, jactatam hanc Veronae portam omnino similem esse castris praetoriis, quae in obviis Diocletiani, Maximiani, et coaevorum Caesarum numis exhibentur. Denique mirum etiam, novae portae beneficium tanti rem momenti visum, quod in publica tanti imperii moneta memoretur. Addo, non satis mihi videri probe Latine dici: *portam condere.* Nihil ausim probabile de mira hac epigraphe adfirmare.

* * *

Vt lit. B.

SALVIS. AVGG. ET. CAESS. AVCTA. KART. *in aliis:* FEL. KART. *Mulier stans utraque manu expansa ramum, vel fructus quosdam tenet.* AE. II. Numi obvii.

Obvia aversa in conlegarum quoque numis. Eam explicat Victor a): *ac mirum in modum novis adhuc, cultisque moenibus Romana culmina, et ceterae urbes ornatae, maxime Carthago, Mediolanum, Nicomedia. Auctam* ergo Carthaginem, nimirum superiorum beneficio Augustorum, cujus exempla aliquot dedi in moneta Severi anni V. C. 956 ad numum: INDVLGENTIA. AVGG. IN. CARTH., *felicemque* adeo hi praedicant numi. Sane urbis hujus excellentiam, qualis suo aevo constitit, his verbis extollit Herodianus b): *ἡ γȣν πολις ἐκεινη και δυναμει χρηματων, και πληθει των κατοικȣντων, και μεγεθει μονης Ρωμης ἀπολειπεται, φιλονεικȣσα προς την ἐν Αιγυπτῳ Αλεξανδρȣ πολιν περι δευτερειων. Etenim haec urbs, sive facultates spectes, sive incolarum frequentiam, sive ambitum, uni Romae cedit, quin cum ipsa etiam Aegypti Alexandria de loco secundo certat.* At pluribus post annis novam doluit exsistere urbem rivalem Constantinopolin, quam contentionem ingeniose describit Ausonius c):

Constantinopoli adsurgit Carthago priori,
Non toto cessura gradu, quia tertia dici
Fastidit, non ausa locum sperare secundum,
Qui fuit ambarum. Vetus hanc opulentia praefert,
Hanc fortuna recens. Fuit haec, subit ista, novisque
Excellens meritis veterem praestringit honorem,
Et Constantino concedere cogit Elisam.
Accusat Carthago deos jam plena pudoris etc.

Quod mulier manu tenet, sitne corolla, an ramus, spicae, uva, non satis apparet, neque qua ratione typus cum inscriptione connectatur. Epigraphe aversae est quaedam adclamationis formula. Lego in marmore Donii d): SALVO. AVG. FELIX. MATERNVS. CVM. FILIIS. Item e): ΣΑΛΒΩ. ΚΟΜΜΟΔΩ. ΦΗΛΙΞ. ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ.

* * *

a) in Caesarib. b) Hist. L. VII. sub Maximino. c) Carm. 286. d) Inscr. Cl. I. n. 146. e) ibid. Cl. II. n. 158.

Vt lit. A.

VICTORIAE. SARMATICAE. *Castra praetoria, prae quibus quatuor figurae paludatae super tripode sacrificant.* In aliis: *Porta castrorum valvis apertis.* AR. Numi obvii.

Sarmatas a Diocletiano fuisse internecione victos narrant Eutropius, et Eumenius in Panegyrico, et *Sarmaticus Maximus* una cum Maximiano dicitur in marmore Gruteri a). Eadem aversa frequens quoque in numis conlegae et Caesarum.

* * *

Vt lit. B.

PRIMIS. X. MVLTIS. XX. *Duae Victoriae clypeum palmae adpendunt, cui inscriptum*: VOT. X. FEL. AV. (Olim musei de France Vindob.)

Vt lit. A.

VIRTVS. ILLYRICI. *Imperator eques, in imo navis cum quatuor vectoribus, et* TR. AV. (Tanini.)

Vt lit. A.

VOT. X. MVLT. XX. *Victoria globo insistens.* AE. III. (Bandur.)

Vt lit. A.

PRIMI. XX. IOVI. AVGVSTI. *Iuppiter sedens d. fulmen, s. hastam.* AV. (Banduri.)

Vt lit. A.

VOT. XX. *addito in aliis*: SIC. XXX. *intra lauream.* AV. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VOTIS. ROMANORVM. *Duae Victoriae ex adverso stantes clypeum tenent, in quo*: SIC. XX. SIC. XXX. *in imo* AQ. AV. (Tanini.)

De his Votorum numis distincte agetur infra in tractatu de Votis Augustorum.

* * *

Vt lit. A.

VCVI. *inferne* T. *In aliis*: XCVIAQ. *In aliis*: XCVIIT. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes. Band.)

Quidquid hactenus ad solvenda haec aenigmata ab eruditis adlatum est, male cecidit fatente etiam Bimardo b). Vide, quae de his plura notabimus infra in tractatu de numis inf. aevi. Aversae similes sunt in moneta conlegae et Caesarum.

V. C. 1058. P. X. 305.
TR. P. XXII. COS. IX. P. M. P. P.
Fl. Constantio Caes. V., Gal. Maximiano Caes. V. cos.

Gal. Maximiano Caesare seu hortante, seu cogente, accedente etiam causa valetudinis curarum taedio purpuram Nicomediae Kalendis Majis ponit, ut visum Tillemontio contra Petavium c). Conlegae exemplum eodem die Val. Maximianus sequitur Mediolani. Gal. Maximianus, et Constantius Chlorus Augusti, Severus et Maximianus Caesares appellantur, ipse privatus Salonam Dalmatiae locum suum natalem petit.

Fuisse spectatum magnis virtutibus summo fastigio dignis, scientia militari, vigilantia, mente excelsa, consilio in adversis prompto, tum etiam literarum studiis, comitate, moderatione, neque diffitentur ii ipsi, quorum intererat ejus omnibus in rebus auctoritatem et nominis existimationem elevari. Quod

a) Pag. 165. 7. b) ad Iobert. T. II. p. 154. c) in Dioclet. nota XIX.

primum Maximianum conlegam, deinde duos Caesares sibi adscivit distributis quadrifariam imperii provinciis, varie acceptum, et abunde in jus vocatum ab iis, qui πολιτικα scripsere. Verum justa reprehensione non caruere incredibiles sumptus in insanas substructiones facti, quibus provincias exhausit, ut praeter urbes alias Carthaginem, Nicomediam, Romam exornaret, quorum operum stupendas reliquias ostentat Roma in Thermis ab auctore Diocletianeis dictis, et Dalmatiae urbs Spalatro veteri Salonae adsita, structo illic sibi palatio, cujus magnificentiam ac immensum ambitum jam ex veteribus indicavit Constantinus Porphyrogenetus [a]), et quae supersunt rudera depinxit, et praeclaro sumptuosoque volumine vulgavit Robertus Adam Anglus [b]). Ejus etiam fastus intolerabilis visus, cum primus omnium post Caligulam ac Domitianum se palam Dominum dici, et adorari appellarique ut deum passus est, (verba sunt Victoris in Caesarib.) et regiae consuetudinis formam magis, quam Romanae libertatis in imperium invexit [c]). Atque idem ille, qui tot annis tanta cum gravitate rexit imperium, ut non modo conlegam Augustum, sed adlectos etiam Caesares concordes haberet, et in officio contineret, postremis tamen vitae annis Gal. Maximianum, quem ipse extulit, tyrannum passus nonnisi ex hujus arbitrio imperare coactus est, sic ut hujus voluntati in persequendis Christianis, ac denique abdicando imperio subscribere cogeretur, quanquam in hac hominis privati fortuna adeo sibi beatus videbatur, ut Herculio atque Galerio ad recuperandum imperium hortantibus respondere non dubitaret: utinam Salonae possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam istud tentandum judicaretis. Tamen Victor, qui haec memorat [d]), morte voluntaria per formidinem consumptum addit, Constantini et Licinii suspiciones et minaces literas veritum. Mortuus est ex Tillemontii sententia anno post Christum 313 [e]), cujus res gestae et eventus hoc etiam fuere singulares, quod nullo hactenus exemplo imperium in plures est partitus, illud sponte abdicavit, et privatus in superos tamen relatus est, si fides Eutropio, etsi istud numis non confirmatur.

Vxor nominis incerti [f]), ex qua nata filia *Galeria Valeria* nupta Gal. Maximiano, de qua agetur infra in ejus numis.

Numi Diocletiani
post abdicatum imperium.

Diocletiano et Maximiano etsi posita purpura servatum tamen *Augustorum* nomen, sed *Seniorum* titulo adjecto non marmora modo testantur, sed et numi obvii, quos posito imperio fuisse signatos ipsae aversae affatim docent. Eccos:

---

a) de administr. imp. ad Romanum fil. b) Ruins of the palace of Diocletian at Spalatro. c) Eutrop. d) in Epitome. e) Nota XX. in Dioclet. f) Tillemont. in Dioclet. p. 5.

A. D. N. DIOCLETIANO. BEATISS. *vel* BEATISSIMO. *vel* BAEATISSIMO. *(sic) vel* FELICISSIMO. SEN. AVG. *Protome laureata d. volumen.* In aliis: *d. ramum lauri, s. volumen.*

B. D. N. DIOCLETIANO. P. F. S. AVG. *Similis protome.*

C. D. N. DIOCLETIANO. AETER. AVG. *Caput laureatum.* (Band.)

D. DIOCLETIANO. SEN. AVG. *Caput radiatum.* (Band.)

E. D. N. DIOCLETIANO. B. S. AVG. *Protome laureata d. lauri ramum, s. duo folia.* (Olim in mus. Neumann.)

* * *

Advertendum in his inscriptionibus ad titulum *Dominus Noster*, quem nunc primum numi praeferunt, etsi *Deum et Dominum* conjunctis titulis jam viderimus Aurelianum et Carum. Si Norisium audimus, Diocletianus in numis primus omnium passim *Domini* titulum usurpavit, cujus exemplum successores imitati sunt, additque mox, usurpari eum a Diocletiano coepisse post annum Christi 287 debellatis undique hostibus a). Perperam. Nam etsi, ut supra ex Victore docuimus, appellari se dominum ac deum voluit, tamen titulus *Domini Nostri*, quamdiu imperium tenuit, ejus monetam non invasit, sed insertus primum est a successoribus Augustis in eos numos, quos reverentiae causa senioribus Augustis cudi fecere. Et abstinuerunt invidiosa hac appellatione ipsi etiam, qui proxime successere, Gal. Maximianus, et Constantius Chlorus, sed his decedentibus continuo invaluit, ut dicetur. *Beatissimi*, et *Felicissimi* nomina in his numis obvia sunt, et jam his ipsis vocabulis usum video Eumenium oratorem, cum sic de Diocletiano nunc privato loquitur b): *FELIX BEATVSQVE vere, quem vestra tantorum principum colunt obsequia PRIVATVM.* In unico tantum *Aeternus* dicitur, quanquam postremum istud ei, cum rerum adhuc potiretur, datum est, ut testantur aliquot marmora Gruteriana. Notandum etiam, numos omnes utrique Augusto privato dedicatos in dandi casu efferri. In numo E literas B. S. legendas *Beatissimo Seniori*, ex praecedentibus patet.

* * *

Vt lit. A.

PROVIDENTIA. DEORVM. QVIES. AVG. *vel* AVGG. *Duae mulieres stantes, quarum dexterior dexteram attollit, altera d. ramum, s. hastam.* AE. m. m. AE. II. (Band.)

Vt lit. E.

PROVID. DEORVM. QVIES. AVGG. *Idem typus, in area* A, *in imo* SM. SD. AR. III. (Olim musei Neumann.)

Numi similis rationis in utroque Augusto sunt obvii. Typus ipse *Providentiae*, et *Quietis* imagines praebet.

* * *

Vt lit. B.

QVIES. AVGVSTORVM. *vel* AVGG. *Mulier stans d. ramum, s. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Habes in hoc numo praecedentium

---

a) Dissert. in num. Diocl. p. 4. b) Paneg. Constantin. c. 15.

argumentum divisum. Etiam auctor incertus panegyrici Maximiano et Constantino dicti hanc utriusque abdicationem *Quietem* appellat [a]).

* * *

Vt lit. A.

VOTA. PVBLICA. *Navis, in qua Serapis sedens d. gubernaculum tractat, s. velum tenet, ante ipsum Victoria stat utraque manu alterum velum tenens.* AE. m. m. In alio: *Navis cum duobus velis Iside stante ad gubernaculum et altera figura prorae velum contrahente.* AE. (Band.)

Deinceps in numis sic inscriptis varia numinum, praecipue Aegyptiorum, simulacra comparere incipiunt, quibus facta *vota publica* pro principum incolumitate. Quae Aegyptia sunt, in his numis plerumque navigiis feruntur ex superstitione ejus gentis, de qua plura testimonia collegit Buonarrotus [b]).

* * *

Numi hujus classis cum aliis aversis perrari, neque hi memorabiles.

Numi Alexandrini.

Perfrequentes sunt hujus generis numi cum capite Diocletiani, sed et hoc imperante exspirant, et cum his numi imperatorii commatis peregrini plene desinunt. Ejus annos in numis his legimus a L. Ā. usque L. IG. Reliqua huc pertinentia vide Vol. IV. in ipsis Alexandrinis.

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	vix R.
Aenei max. moduli	RR.
Aenei I. formae	O.
Aenei II. et III. formae	C.
Alexandrini	C.

M. AVR. VALERIVS MAXIMIANVS.

Parentibus modicis natus apud Sirmium Pannoniae armorum commendatione viam sibi ad illustrissimos quosque honores aperuit, qua una opinione factum, ut cum Diocletianus ad ferenda imperii onera adjutorem circumspiceret, eum sibi, etsi inculto asperoque esset ingenio, conlegam designaret.

V. C. 1038. P. X. 285.
CAESAR.

Maximianum non statim Augustum,

a) Cap. XI. b) Observ. istor. p. 424.

sed Caesarem principio fuisse, diserte adserunt Eutropius et Orosius. Vide ad hoc argumentum plura apud Pagium [a]), et Tillemontium [b]), cujus causa proferendus hoc loco numus sequens:

VAL. MAXIMIANVS. NOB. CAES. *Caput laureatum.*

MONETA. AVGG. *Tres monetae stantes.* AE. max. mod. (Band.)

Si numus hic hujus est Maximiani, Eutropii et Orosii sententiam insigniter confirmat. Eum Bandurius ex museo Magni ducis recitat. At vero turbat non parum, quod inter numos max. mod. Musei Florentini non memoràtur, deinde quod forte est Galerii Maximiani, qui et *Caesar* fuit, et *Valerii* etiam nomen habuit.

V. C. 1039. P. X. 286.
AVGVSTVS. TR. P. COS. DES. P. M. P. P.

Kalendis April. Nicomediae a Diocletiano Augustus et *Herculius* dicitur. (Tillemont.) Reliqua vide in Diocletiano.

* * *

MAXIMIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

P. M. TR. P. P. P. *Imperator paludatus stans d. et s. signum militare, tribus aliis retro defixis.* AV. (Mus. Caes.)

V. C. 1040. P. X. 287.
TR. P. II. COS. P. M. P. P.

Vide annales in Diocletiano.

IMPP. DIOCLETIANO. ET. MAXIMIANO. AVGG.

IMPP. DIOCLETIANO. III. ET. MAXIMIANO. COSS. Aureum hunc numum max. mod. vide uberius descriptum in Diocletiano.

IMP. MAXIMIANVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

CONSVL. AVGG. NN. *Imperator togatus stans d. globum, s. parazonium, in area* Z. *infra* SM. SD. AV. (Mus. Caes.)

V. C. 1041. P. X. 288.
TR. P. III. COS. II. P. M. P. P.

Vide annales ibidem.

MAXIMIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

COS. II. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AV. (Mus. Caes.)

V. C. 1043. P. X. 290.
TR. P. V. COS. III. P. M. P. P.

Vide annales ibidem.

MAXIMIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

COS. III. *vel:* COS. III. P. P. PROCOS. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AV. (Khell. Subplem. ad Vaill. Tanini)

V. C. 1046. P. X. 293.
TR. P. VIII. COS. IV. P. M. P. P.

Vide annales ibidem.

MAXIMIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

---

a) Dissert. hypat. cap. VII. §. 7. b) Nota V. in Dioclet.

CONSVL. IIII. P. P. PROCOS. *Imperator togatus et laureatus stans d. orbem Rom. gerit, s. togam colligit, et volumen tenet.* AV. (Bandur.)

* * *

IMP. MAXIMIANVS. AVG. *Caput radiatum.*

P. M. TR. P. VIII. COS. IIII. P. P. *Leo radiatus gradiens fulmen ore gerit.* AE. III. (Band.)

Bandurius, qui antea in hoc numo legerat COS. III. a), serius deceptum se professus est, legendumque COS. IIII. b). Exstat numus Diocletiani simillimus cum eadem omnino aversa, seu inscriptionem, seu typum spectes, quem descripsimus ad annum V. C. 1044. Vtriusque indiscreta ac perfecta similitudo persuasit primum Harduino, deinde Bandurio, numum utrumque non modo in una eademque officina, sed eodem etiam anno fuisse signatum non obstante diversa trib. potestatis ratione, quae inter utrumque imperantem intercessit c). Ejus conjecturae princeps causa fuit, quod haec aversa propter additum P. M. minus convenire Maximiano videretur, ne eodem tempore duo pontifices maximi statuantur. At enim licebit viro erudito esse securo, quoniam et Balbinum et Pupienum, tum non multo post utrumque Philippum, postea alios eodem tempore pontifices max. vidimus, ut in singulis observavimus. Quid quod idem Maximianus in numo aureo, quem supra ad annum V. C. 1039 proposui, sed qui ignotus fuit Bandurio, P. M. dicitur. Ceterum si revera utrique communes aversae fuere, quam parum utriusque numi chronologiae et singulorum historiae serviant, nemo non videt, ut jam supra ad Diocletiani numum FELIX. ADVENT. observavi.

Ad explicandum aversae typum recole, quae ad similem Caracallae numum anni V. C. 967 indicavi.

V. C. 1047. P. X. 294.
TR. P. IX. COS. IV. P. M. P. P.

IMP. MAXIMIANVS. AVG. COS. IIII. *Caput Maximiani Herc. leonis pelle amictum.*

MAXIMIANVS. NOB. CAES. ET. CONSVL. *Caput laureatum Gal. Maximiani.* AE. max. mod. (Band.)

Nonnisi hoc anno Gal. Maximianus processit consul primum. Quare numus hic ad annum praecedentem referri non potest.

V. C. 1052. P. X. 299.
TR. P. XIV. COS. VI. P. M. P. P.

MAXIMIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

CONSVL. VI. P. P. PROCOS. *Imperator togatus stans d. globum, s. parazonium, infra* SMAT. AV. (Mus. olim de France.)

V. C. 1056. P. X. 303.
TR. P. XVIII. COS. VII. P. M. P. P.

MAXIMIANVS. AVG. *Caput laureatum.*

a) Pag. 75. b) in praef. ad Tom. II. c) Band. in praefat.

CONSVL. VII. P. P. PROCOS. *Imperator togatus stans d. globum, s. parazonium, in imo* SIS. *vel* SMAT. *vel aliter.* (Mus. Caes.)

V. C. 1057. P. X. 304.
TR. P. XIX. COS. VIII. P. M. P. P.

MAXIMIANVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*
CONSVL. VIII. P. P. PROCOS. *Idem typus.* AV. (Bandur.)

NVMI VAGI
ab anno V. C. 1039. P. X. 286. usque V. C. 1057. P. X. 304.

A. MAXIMIANVS. AVG. *vel* AVGVSTVS, *addito etiam* P. F.
B. IMP. MAXIMIANVS. AVG. *addito etiam* P. F. *vel* P. *solo.*
C. IMP. C. M. A. MAXIMIANVS. AVG.
D. IMP. C. M. A. V. MAXIMIANVS. P. F. AVG.
E. IMP. C. M. A. VAL. MAXIMIANVS. P. F. AVG.
F. IMP. C. M. AVR. *vel* AVREL. VAL. MAXIMIANVS. P. F. AVG.
G. VIRTVS. MAXIMIANI. AVG. (Band.)
H. HERCVLIO. MAXIMIANO. AVG. (Vide infra in IOVIO.)
I. MAXIMIANVS. P. F. AVG.

Capitis cultus fere idem, qui in Diocletiano. Nonnunquam leonis exuviis tegitur, ut dicetur.

* * *

Praemonendum ad numos Herculii, communes fere utrique imperatori fuisse partes aversas, quas cum in Diocletiano jam recitaverimus, hic revocare supervacaneum. In hoc igitur quaerendi numi:

AVSPIC. FEL. — FATIS. VICTRICIBVS. — FEL. ADVENT. AVGG. NN. — GENIO. POPVLI. ROMANI. — MONETA. S. etc. — PROVIDENTIA. AVGG. — SALVIS -- AVCTA. *vel* FEL. KART. — VICTORIAE. SARMATICAE. — VTILITAS. PVBLICA.

* * *

Vt lit. I.

CONCORDIA. AVGG. ET. CAESS. NNNN. *Mulier sedens d. pateram, s. duplex cornucopiae.* AV. (Mus. Caes.)

Bandurio numus hic ex solo Occone cognitus fuit. Singulare est N quater positum, nimirum pro numero principum utriusque fastigii tum imperantium, cujus exemplum aliud in Diocletiani et Maximiani moneta vix reperias, cum in horum numis aliis legas tantum NN. vel NOSTR.

* * *

Vt lit. I.

FELIX. CARTHAGO. *Mulier adversa stans brachiis expansis quosdam fructus tenet.* AV. (Tanini.)

Eadem aversa est etiam in numo Maxentii filii.

* * *

Vt lit. A. Caput laureatum.

GAVDETE. ROMANI. *Duae Victoriae tenentes tabulam, cui inscriptum:* SIC. XX. SIC. XXX. *in imo* AQ. Quin. AV. (Mus. Caes.)

Insignem hunc numulum aureum, ac perelegantem jam vulgavit Morellius ex gaza Caesarea, sed Oenipontana, in

qua tum fuit, ante annos aliquot Vindobonam translatus [a]). Epigraphe aversae faustam adclamationem continet, nimirum *gauderent Romani* ob soluta vota XX. et suscepta XXX.

* * *

Vt lit. A. Caput laureatum.

GAVDIVM. ROMANORVM. *Captiva tropaeo adsidens puerulo mammas praebet.* AV. (Bandur.)

Aversa in sequentium imperatorum numis obvia, qua indicatur *gaudium Romanorum*, non modo quod victi essent barbari, et ab imperii finibus repressi, sed etiam cum uxoribus servire coacti.

* * *

HERCVLIO. MAXIMIANO. AVG. *Maximianus paludatus sedens etc.*

IOVIO. DIOCLETIANO. AVG. etc. AE. max. mod.

Numum hunc plenius descriptum vide in Diocletiano, quo loco et de *Herculii* titulo, quem Maximianus sibi sumpserat, nonnihil praeceperam, de quo, ut et de *Iovii* nomine, quod sibi adrogavit conlega, multa exstant testimonia in panegyricis ejus aevi, in quibus Diocletianus Iovi rectori coeli, Maximianus Herculi pacatori terrarum aequiparantur. *Hic est*, ait de Maximiano auctor incertus panegyrici ad Maxim. et Constant. cap. VIII., *qui nomen*, *quod accepit a deo principe generis sui*, *dedit vobis*, *qui se progeniem esse Herculis non adulationibus fabulosis*, *sed aequatis virtutibus comprobavit.* Ergo ut Diocletianus in numis suis perpetuo Iovis sui cultum crepat, ita et Maximianus Herculis sui, ut: HERCVLI. CONSERVAT. — DEBELLATORI. — INVICTO. AVGG. — PACIFERO. — VICTORI, illatis variis typis, quos exantlati copiosi ejus labores facile suppeditant, quorum etiam varii alii occurrunt in numis inscriptis VIRTVS. AVGG. Quae causa fuit, cur nonnunquam ejus etiam dei cultu in numis compareat, tecto nimirum leonis exuviis capite, cujus et heredem fecit filium Maxentium. Et vero si debellatos ab eo quaquaversum barbaros, velut monstra imperio exitiosa reputemus, poterat, si non Hercules, certe sedulus ejus imitator haberi. Bellicas has ejus laudes exornat, ac fortasse plus justo, marmor insigne Gruteri [b]), sed correctum a Marinio [c]):

MAGNO ET INVICTO AC
SVPER OMNES RETRO
PRINCIPES FORTISSIMO
IMP CAES M. AVR VALERIO
MAXIMIANO PIO FEL
INVICTO AVG COS IIII
P P PROCOS

Vt lit. B. Caput laureatum.

IOVIS. CONSERVATOR. *Iuppiter stans d. fulmen, s. hastam, pro pedibus aquila.* AV. (Mus. Caes.)

IOVIS in casu recto vetus in numis quoque modus, et necdum obsoletus. Sic IOVIS. CVSTOS in moneta Vespasiani [d]).

* * *

Vt lit. A.

a) Specim. p. 79. b) Pag. 281. 4. c) Frat. arv. p. 546. d) Vol. VI. p. 337.

IOVI. CONSERVATORI. N. K. L. Y. K. C. *Iuppiter stans amictus pallio d. fulmen, s. hastam, in imo* SMN. AV. (Mus. olim de France.)

Numus propter additas literas solitarias commemorandus, dignas sane Oedipo, aut huic suppare Harduino.

* * *

Vt lit. F. Caput leonis exuviis tectum.

IOVI. CONSERVATORI. AVG. *Templum sex columnarum, in cujus peristylio:* IOVIVS. AVG. *In aditu Iuppiter stans cultu solito.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Numum hunc explicat alter mox laudatus cum epigraphe: IOVIO. DIOCLETIANO. AVG.

* * *

Vt lit. B. Caput radiatum.

PAX. AVGGG. *Mulier stans d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. (Bandur.)

Ex mente Bandurii numus hic ad id aetatis pertinet, quando inito cum Carausio Britanniae tyranno foedere, et permisso huic Augusti titulo tres eodem tempore Augusti fuere. Quod confirmatur eo, quod in Carausii quoque numis, neque in alterius cujuspiam imperatoris, haec epigraphe PAX. AVGGG. reperitur, quin et ipsa trium horum imperantium capita. Eodem modo explicandus numus Maximiani alter item AE. III., et inscriptus VIRTVS. AVGGG. apud Bandurium.

* * *

Vt lit. I. Caput radiatum.

SAECVLARES. AVGG. *Cippus, in imo* IAXX. AE. III. (Mus. Caes.)

Operae omnino pretium videtur, quae olim, cum memorabile hoc cimelium vulgarem [a]), laxius disputavi, propter argumenti dignitatem hoc loco restituere.

Dum singularem, et nemini antehac conspectum numum promulgo, jure dubitem, sitne inde eruditus lector plus voluptatis, an fastidii capturus. Vt gratus esse possit propter novitatem, sic displicebit sane, quod incertas ludorum saecularium leges magis adhuc involvit, ac perturbat. Non attinet in hac operis brevitate horum originem et causas ludorum commemorare, quas videre potes in operibus Val. Maximi [b]), Censorini [c]), Zosimi [d]), et qui in hos commentati sunt, recentiorum. At meas esse partes puto, in examen vocare, utrum Maximiani imperium inciderit in tempus celebrandis saecularibus ex vetere instituto idoneum. Ex certis scriptorum veterum, et numorum testimoniis duplex video his ludis tempus a Romanis praefinitum, unum, quod annis CX. constabat, quos legitimos fuisse fines teste Censorino creditum XVviris et Augusto, tum ex horum praescripto Horatio, cui tempus illud dicitur: *Certus undenos decies per annos orbis* [e]), et Zosimo, cui ex carmine Sibyllino dicitur ἐτέων ἑκατὸν δέκα κύκλος, *annorum centum et decem circulus.* Hos secutus terminos Augustus ludos saeculares celebravit anno V. C. 737, quod definite docent Censorinus, Dio, et numi. Augusti rationem secuturum se professus

a) Sylloge I. p. 107. b) L. II. c. 4. c) de die nat. c. 17. d) L. II. sub init. e) Carm. saec.

quidem est Domitianus, ut testatur Suetonius [a]), tamen, nescio cur, hos ludos celebravit V. C. 841. Magis religiose Augusto adhaesit Severus, cum is teste Censorino, Zosimo et numis ludos hos celebravit V. C. 957, nempe post bis elapsos annos CX. Secundum hanc legem iterari eos oportuit, ut diserte tradit Zosimus, post consulatum III. Constantini M. et Licinii, qui fuit annus V. C. 1066, nimirum ter elapsis annis CX., sed neglecto hoc tempore, atque iratis propterea diis rem Romanam ad eam infelicitatem prolapsam idem pueriliter conqueritur.

At sunt auctores graves, qui elapsis centum tantum annis agendos saeculares docuere, nimirum quod tot annos saeculum civile complectitur. Magnos ejus doctrinae vades citat Censorinus, Valerium Antiatem, Varronem, Livium. His adde Claudianum [b]), et D. Augustinum [c]), quorum testimonia brevitatis causa praetereo. Et video tam auctoritate scriptorum, quam numorum, hanc quoque legem in agendis saecularibus secutos imperatores, sed sic, ut eos annis urbis conditae saecularibus adcommodarent. Sic Claudium egisse saeculares anno V. C. 800, certum est testimonio Taciti, et Censorini. De Antonino Pio refert Aurelius Victor, annum urbis nongentesimum magnifice ab eo fuisse celebratum, atque haud dubie ludis saecularibus, etsi hanc vocem omittat historicus, sed idem quoque eam in proximis Philipporum omisit, quos certo constat fuisse saeculares. Ludos anno V. C. 1001 imperantibus Philippis actos fuisse saeculares, certum est cum ex eorum numis obviis, in quibus legitur: SAECVLARES. AVGG., tum ex testimonio Cassiodorii et Hieronymi referentium, ludos theatrales tum in Campo Martio fuisse celebratos tribus diebus ac noctibus populo pervigilante, quo docemur, acta tum ea esse, quae ludis saecularibus agenda praescribit Zosimus. Atqui anno quoque urbis conditae saeculari sacros fuisse ludos debitos, ex ejusdem Victoris verbis colligas, Romanorum impietati graviter irascentis, quod annum V. C. 1100 nullis solennibus frequentassent.

Haec uberius explicanda fuere, ut Maximiani saecularibus, quos numus hic eloquitur, ex alterutra lege idoneum reperiamus tempus. At enim omnis calculus, quem tentaveram, incassum cecidit. Adhibe edictum Augusti centum et decem annorum intervallo munus saeculare circumscribentis. Secundum hanc Augusti legem postremi ante Maximianum saeculares fuere illi, quos egit Severus anno V. C. 957. Adde annos 110, eris in anno V. C. 1067, cui teste ipso Zosimo proximi a Severo saeculares debebantur. At Maximianus jam anno V. C. 1058 imperium posuit, subinde V. C. 1063 a Constantino M. ad mortem adactus. Latius fallit lex altera, quae ludos saeculares anno V. C. saeculari adfigit. Hujus generis postremi fuere, quos celebravit Philippus V. C. 1001. Verum Maximianus ad imperium evectus V. C. 1039, caesus V. C. 1063 annum V. C. saecularem non attigit. Accedit, Maximiani sae-

a) in Domit. c. 4. b) de consulatu VI. Honorii. c) de Civ. Dei. L. III. c. 18.

cularibus obstare disertam orationem Zosimi, qui, cum tempus ipsum adsignat, quo post Diocletiani et Maximiani imperium celebrandi fuere, hoc ipso palam docet, eos intra horum imperium actos non fuisse, et si acti fuissent, an istud fugisset hominem horum ludorum superstitioni tam pertinaciter addictum? Tamen numus hic singularis, a quo omnis longissime abest fraudis suspicio, actos fuisse hos ludos aperte testatur, quos fuisse saeculares non epigraphe modo, sed et typus cippi, qui idem et in Philipporum numis ludorum saecularium symbolum est, plane persuadent.

At enim non solus hic est numus, qui actos alieno tempore saeculares, et silentibus iterum historicis testatur. Habet museum Caesareum binos argenteos Gallieni numos, in quorum uno SAECVLARES. AVG. legitur, in altero barbare SAECVLARHS. AVG., utrobique est typus cervi stantis, et in imo palmae ramus. Refert Bandurius, cui uterque hic numus cognitus fuit, visum nonnullis, temere Gallieni numo adplicatam aversam, quae ad Philippos pertineret. Verum qui istud credidere, non expenderunt, in Philipporum numis constanter scribi SAECVLARES. AVGG., geminato scilicet G, et in horum ima parte pro palmae ramo semper comparere notam aliquam arithmeticam, neque in horum aliquo repertum hactenus barbarum SAECVLARHS. Atqui si voles utrumque canonem, quem supra exposui, Gallieni temporibus adcommodare, utrinque, ceu in Maximiano, adhaerebis.

Iam vero, ut ex utriusque imperantis numis palam fit, ab utroque munus saeculare fuisse editum, sic quam uterque in temporum ratione secutus sit legem, tam parum potest adfirmari, quam est pronum credere, unam utrique libidinem ac superstitionem legis instar fuisse. Sane et una libido impulit Neronem, ut, quod refert Suetonius [a]), cum in Graeciam trajiceret, certamina deinceps obiret omnia, et quae diversissimorum temporum fuere, cogi in unum annum juberet. Forte conjector nequaquam vanus videbor, si suspicer, placuisse ambobus Augustis, quorum cognitus erat in veterem superstitionem furor, contrahere longi saeculi tempora, ejusque elapso dimidio sacros hos ludos iterare. Istud si dabimus, facile quadrabunt tempora. Egit Severus postremos saeculares canonis Augustei V. C. 957. Adde ejus dimidium annos 55, habebis annum V. C. 1012, quo Gallienus numeravit trib. potestatem VII. Neque desunt argumenta, quae opinionem hanc reddant verisimilem. Constat, sub eadem haec tempora captum a Persis patrem Valerianum, cujus forte imperio gravissimi casus causa ad placandam deorum iram arcessiti sunt a Gallieno ludi extraordinarii. Idem calculus Maximiani quoque saecularibus favet. Anno V. C. 1001 peracti sunt a Philippis saeculares canonis Claudiani. Adde hujus dimidium annos 50, summa dabit annum V. C.

a) in Neron. c. 23.

1051, quo Maximianus egit trib. potestatem XIII. Iterandi hos ludos causa princeps fuerit adflictus tum imperii status grassantibus morbis bellisque cum internis, tum externis; quibus averruncandis reperti ludi saeculares teste Val. Maximo, Zosimo, et Horatio in Carmine saeculari. Satis constat, Gallieni imperium malorum omnium quadam eluvie fuisse concussum; *pax igitur deum*, ait Trebellius, *quaesita inspectis Sibyllae libris, factumque Iovi Salutari, ut praeceptum fuerat, sacrificium.* Similis causa Maximianum pertinacis in deos suos adfectus compertum impulerit, ut elapsum medium saeculum tempus idoneum videretur horum solennia ludorum iterandi.

* * *

Vt lit. G.

SALVIS. AVGG. ET. CAESS. FEL. ORBIS. TERR. *Moneta stans cultu solito, cui a dexteris adstat figura militaris d. Victoriolam, s. hastam cum clypeo, a sinistris mulier d. spicas, s. papaver tenens.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

Vt lit. A. Caput laureatum.

VIRTVS. ILLYRICI. *Imperator equo citato vectus hastam tenet, infra navis cum remigantibus armatis.* AV. (Bandur.)

Arduus hujus aversae explicatus ipsi Bandurio visus. Forte intelligitur virtus militis Illyriciani sub suis auspiciis militantis, dum ipse bellum maritimum adversus Carausium urgeret. Eadem aversa est etiam in aureis Diocletiani [a]), et Constantii.

* * *

Vt lit. D. Caput laureatum.

VIRTVTI. HERCVLIS. *Hercules Farnesius, infra* S. C. AV. (Mus. Caes.)

Antica varia.

VOTIS. X. — VOT. X. M. XX. — VOT. XX. AVGG. *vel* AVGG. NN. — XX. MAXIMIANI. AVG. — VOTIS. XXX. *scripta haec fere semper intra coronam.* AE. III. rarius AV. (Band. Mus. Caes.)

Vt lit. A. Caput laureatum.

XCVI. *vel* XCVIT. *vel* XCVIIT. *intra lauream.* AR. (Band. Mus. Caes.)

Similia aenigmata jam in Diocletiano obtulimus.

V. C. 1058. P. X. 305.
TR. P. XX. COS. VIII. P. M. P. P.

Purpuram sponte ponit Mediolani, et in Lucaniam secedit. Vide dicta in Diocletiano.

Numi Maximiani
post abdicatum imperium.

A. D. N. MAXIMIANO. P. S. AVG. *vel:* P. F. S. AVG.

B. D. N. MAXIMIANO. BAEATISS. *in* AE. III. (Mus. Caes.)

C. D. N. MAXIMIANO. BAEATISS. *vel* BAEATISSIMO. *vel:* BEATISSIMO. *vel:* FELICISSIMO. SEN. AVG.

In omnibus his est caput laureatum vel protome laureata d. volumen. Sunt fere omnes AE. II., paucissimi alterius metalli vel formae. Quae ad additos

a) Catal. d'Ennery.

titulos attinent, praecepta jam sunt in Diocletiano.

* * *

Vt lit. A.

GENIO. POP. ROM. *vel* POPVLI. ROMANI. *Genius nudus stans ante aram ignitam d. pateram, s. cornucopiae.* AE. II.

Vt lit. A.

HERCVLI. CONSERVATORI. *Hercules stans d. clavam, s. arcum cum exuviis leonis, in imo* PLN. AR. max. mod. (Bandur.)

Numus cum a metallo, tum volumine conspicuus. Ceterum numus huic plane geminus, sed AE. II. exstat in museo Caesareo.

* * *

Vt lit. B.

PROVIDENTIA. DEORVM. *Mulier stans d. ramum, s. hastam, ex adverso mulier nullo attributo.* AE. III. (Mus. Caes.)

Antica varia.

PROVIDENTIA. DEORVM. QVIES. AVGG. *Typus similis.* AE. II.

MAXIMIANVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

QVIES. AVG. *Mulier stans d. spicas, s. hastam.* AE. II. (Band.)

Numus hic plane singularis; nam si percussus est, quo tempore Maximianus privatus vixit, cur ab aliorum more abludit epigraphe anticae? cur in aversa scribitur AVG. pro solito in his numis AVGG.? At etiam post resumptum imperium fuisse signatum verisimile non est; nam tum, cum totam Italiam seditionibus miscuit, vocabulum QVIES habuisset rationem dicterii. Ceterum non lubet esse ingeniosum in explicando numo, cujus a communi lege dissensus casui, aut monetarii ignorantiae, ut verisimile est, debetur.

* * *

Vt lit. C.

VOTA. PVBLICA. *Navis, in qua Serapis ad gubernaculum sedet, Iside velum tenente.* AE. II. (Band.)

Confer numum non multum absimilem Diocletiani, et quae ad eum observavi.

V. C. 1059. P. X. 306.

Fl. Constantio Aug. VI., Gal. Maximiano Aug. VI. cos.

Maximianus, qui testibus veteribus nonnisi invitus imperii insignia posuit, facile persuaderi se a Maxentio filio, qui imperatorem se per vim dixit, passus est, ut relicta Lucaniae solitudine in urbem rediret. Eo redux hoc, ut Tillemontio visum, anno a Maxentio imperator iterum adclamatur, anno sequente Severum Aug. Ravennae obsessum ac dediditium morte adficit, profectus subinde in Gallias Constantinum Caesarem data in matrimonium filia Fausta, et collato Augusti titulo sibi devincit. Romam reversus proprio filio Maxentio insidias comparat, quae cum fallerent, urbe excedere coactus ad Gal. Maximianum contendit hunc quoque dolo circumventurus. Qua spe delusus, omniumque jam odiis petitus arrepta fuga ad Constantinum generum posita iterum purpura, ut tanto certius incautum opprimeret, in Gallias proficiscitur, mox converso Arelatum itinere repositos ibi Constantini thesauros occupat, seque tertio a corruptis pecunia militibus Augustum proclamari jubet. Re intellecta propere cum lecto

exercitu adcurrit Constantinus, clausumque Massiliae et ad deditionem coactum imperii insignibus spoliat vitae tamen usu permisso. Facta haec judice Tillemontio usque ad annum V. C. 1061. Verum cum biennio post novas Constantino insidias moliretur, his per Faustam in maritum magis, quam patrem piam detectis, genus mortis eligere jussus laqueo sibi fauces elisit V. C. 1063 P. X. 310.

Hunc vitae exitum sortitus est vir Eutropio teste propalam ferus et incivilis ingenii, quique asperitatem suam etiam vultus horrore significavit. Magnus omnium confessione, cum dimicandum in acie et bello aperto fuerat, qua in laude ipso Diocletiano superior est habitus. At compertus est animi pusilli, deinde etiam abjecti, seu cum abjiceret imperium, quod retinere ardentissime cupiverat, seu cum resumptis privatae vitae taedio imperii habenis dolos virtuti substituit, innoxios illis, quibus parati fuere, sibi ad extremum fatales.

Vxor *Eutropia*, de qua, natisque ex ea liberis agetur infra.

Numi Maximiani
post resumptum imperium.

Restitutus imperio monetarios etiam honores sibi iterum vindicavit. Numos, qui ad hoc tempus pertinent, non paucos facile dignoscas. Certissimi hujus intervalli sunt ii, qui, retento *Senioris* nomine, vocabulis *Domini Nostri*, et dedicandi formula in dandi casu abstinent, qui modus in moneta utriusque Augusti privati reverentiae causa hactenus valuit. Alios aliae peristases in hanc classem cogunt, ut continuo patebit.

* * *

A. MAXIMIANVS. SEN. P. F. AVG. *Caput laureatum.*
CONCORD. MILIT. FELIC. ROMANOR. *Concordia velata stans dexteram Herculi porrigit, s. hastam tenet.* AV. (Band.)

* * *

B. IMP. MAXIMIANVS. SEN. AVG. *Caput laureatum.*
CONSERVATOR. AFRICAE. SVAE. *Mulier stans capite elephanti exuviis tecto, pro pedibus leo et taurus procumbentes.* AE. II. (Mus. Caes.)

Similem fere typum videre est in numis cum Diocletiani, tum Maximiani FELIX. ADVENT. AVGG. NN. Hic Quinquagentianos in Africa vicit, ut diximus in annalibus Diocletiani ad annum V. C. 1050, unde Africae et Carthaginis in eum adfectus, quem nunc conservandi causa imperii, quod invaserat, renovare nititur. Eadem aversa habetur etiam in Maxentio, ubi vide, quae observabimus, et Constantino.

* * *

Vt lit. B.
CONSERVATORES. KART. SVAE. *Templum sex columnarum, in qua mulier stans utraque manu expansa ramum.* AE. II. (Mus. Caes.)

Applica dicta ad numum praecedentem. Eadem aversa frequens quoque est in moneta Maxentii filii, et Constantini.

* * *

C. IMP. C. MAXIMIANVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

CONSERV. *vel* CONSERVATORES. VRB. SVAE. *templum sex columnarum, in quo Roma galeata sedens d. globum, s. hastam.* AE. II.

Facile expediemus, cur numum hunc in praesentem classem recipiamus, etsi *Senioris* elogium absit. Non semper istud in his numis fuisse adhibitum, sequens numus invicte docebit, qui certe huc pertinet. Esse vero hujus loci, probatur eo, quod numi sic inscripti habeantur tantum cum capite Maximiani nostri, Maxentii, et Constantini, qui fuere Augusti synchroni, nullus cum capite Diocletiani. Et mirum sane foret, cum obvii sint in Maximiano, si in conlegio Diocletiani signati essent, nullum exstare cum hujus capite, quando constat, fere communes utrique fuisse aversas. Quos similes Bandurius cum aliorum imperatorum capitibus contulit, quoniam ex uno Mediobarbo capti sunt, negligendos puto. Nimirum Romam cruentis Maxentii et Severi factionibus atrociter vexatam redux ex Lucania et recepta purpura recreavit Maximianus, et, ut ajunt numi, *conservavit*, quod praestitum urbi beneficium oratoris more plurimum extollit auctor incertus panegyrici Maximiano et Constantino dicati capite X. et XI., in cujus honoris communionem admissi fuere etiam Maxentius, et Constantinus tum in speciem concordes, ut docent numi.

* * *

D. MAXENTIVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

FELIX. INGRESSVS. SEN. AVG. *Roma galeata clypeo insidens s. hastam, d. clypeum, cui inscriptum:* VOT. XXX. *infra* PR. Est AV. (Mus. Caes.)

Numum hunc museis aliis ignotum merito summis encomiis adficit Khellius [a]). Comprobat enim, Maximianum sumpta iterum purpura ingressum Romam. Minus vero aeque, ut videtur, idem vir eruditus ex inscriptis VOTis XXX. colligit, definiri his annum V. C. 1059, quo, neque antea, incipere poterant vota tricennalia. Maximianus antequam abdicaret, annum imperii XX. jam attigit comprehenso simul tempore illo, quo Caesar tantum fuit; nam diserte auctor laudatus panegyrici eum praesentem sic adloquitur [b]): *te rursus vicesimo anno imperatorem, octavo consulem etc.* et infra [c]): *et te illis vigiliis, illisque curis, quas viginti annis expertus fueras, reddidisti.* At constat ex tot aliis numis, ineunte anno X. jam fuisse concepta vota XX., et ineunte XX. concepta vota XXX. Ergo cum Maximiani vota XXX. jam iniverint, antequam imperium posuisset, nequaquam inde erui potest annus, quo purpuram repetiit.

* * *

Vt lit. A.

VIRTVS. MILITVM. *Castra praetoria.* AR. (Mus. Caes.)

Divus Maximianus.

A Maxentio filio fuisse superum choro inlatum, numi ipsi satis docent.

---

a) Subplem. ad Vaill. p. 220. b) Cap. VIII. c) Cap. XI.

DIVO. MAXIMIANO. OPTIMO. *vel* SEN. FORTISSIMO. *vel* SEN. FORT. IMP. *vel* SEN. P. OPTIMO, *aut similiter*.

In aliis:

IMP. MAXENTIVS. DIVO. MAXIMIANO. IMP. *vel* PATRI.

Caput in his constanter velatum.

* * *

AETERNA. MEMORIA. *Templum rotundum, supra quod aquila.* AE. II. (Mus. Caes.)

MEMORIAE. AETERNAE. *Aquila stans.* In aliis: *Leo gradiens, supra quem in nonnullis clava.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Prior typus est ex solitis consecrationis numis; alter propius ad Maximianum, nempe *Herculium*, pertinet; quare et in numis Constantii Chlori consecrati, qui et ipse Herculius fuerat, adhibitus est, non, ut censet Bandurius [a]), quia olim leo fortium virorum tumulis insculpi consuevit.

* * *

REQVIES. OPTIMOR. MERIT. *vel* OPTIMORVM. *vel* OPTIME. MERITO. *Imperator sedens d. extenta, s. sceptrum.* AE. IV. (Mus. Caes. Band.)

Numi Alexandrini.

Hujus classis numos existere a L. A. usque ad L. IA. saltem, a dignis fide praeconibus fuisse promulgatos, dixi in numis Diocletiani. De annorum inscriptorum calculo abunde egimus Vol. IV. in numorum hujus generis serie.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	R.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. formae	O.
Aenei II. et III. formae	C.
Alexandrini	C.

EVTROPIA.

Natione Syra. Habuit ex priore matrimonio *Fl. Maximianam Theodoram*, quam vitricus Maximianus Constantio Chloro Caesari denupsit. Ex Maximiano Herculio, in cujus illa manus alteris nuptiis pervenit, edidit *Maxentium Aug.*, et *Faustam* Constantini M. futuram conjugem, de quibus infra. Haec ex uno Victore sunt cognita [b]).

* * *

a) Pag. 106. b) in Epitome. c. 56.

Numus: GAL. VAL. EVTROPIA. AVG., quem ex uno Goltzio hausere Mediobarbus, et Bandurius, ne memorandus quidem. Verum exstitit serius F. Iosephus Maria Vidua Atestinus, qui Eutropiae numum sequentem prisci aevi amatoribus obtulit [a]):

GAL. VAL. EVTROPIA. *Ejus caput.*

SALVS. REIPVBLICAE. *Mulier stans, in imo* ANTE.

Si majore circumspectione usus esset vir eruditus, deprehendisset facile, numum hunc suum esse Flaccillae, quae fuit uxor Theodosii M., eamque corrupta per solitas artes capitis inscriptione evasisse Eutropiam. Sane numus simillimus Flaccillae, addito etiam in segmento inferiore ANTE est in museo Caesareo. Hactenus ergo hujus Eutropiae verum numisma non novimus.

ACHILLEVS.

De hoc Aegypti tyranno, ejusque vulgatis numis vide, quae diximus in serie numorum Alexandrinorum Volumine IV. pag. 96.

FL. VAL. CONSTANTIVS I. vulgo CHLORVS.

Natus patre Eutropio magni in Dardania nominis, sed multo illustrior matre Claudia, per quam, quod Crispum patrem habuit Claudii Gothici fratrem, hujus Augusti nepos fuit. Quod etsi ejus aetatis omnes fere scriptores adserant, dubitari tamen forte possit, an non verius adulatio hanc cognationem peregerit. Nam si haec adeo certa velimus putare, qua ratione Eumenius in panegyrico, quem Constantino dixit, dum ejus a Claudio originem persequitur, addere potuisset: *quod plerique fortasse adhuc nesciunt, sed qui te amant, plurimum sciunt* [b]) ? Quidquid erit, seu verum, seu adfictum, istud fortunae decus cum ille virtutibus veris, ac cumprimis laude bellica et fortibus factis cumularet, a duobus Augustis, quibus propter negotiorum molem adjutoribus opus fuit, Caesar una cum Gal. Maximiano renunciatur ea ratione, ut quemadmodum hic Diocletiani, ita Constantius Herculii filius adoptivus haberetur, a quo et *Herculii* nomen abstulisse testatur Eumenius [c]), quod confirmant numi etiam, et verisimiliter *Valerii* quoque. Factum istud in Diocletiani annalibus diximus V. C. 1045. P. X. 292. Diem Kalendas Martias statuit Eumenius [d]).

Chlori cognomen, quo is vulgo ab aliis ejusdem nominis distingui solet, ei tribuunt Zonaras, Cedrenus, Nicephorus Callistus.

a) Raccolta di Calogerà T. V. p. 535. b) Cap. 2. c) pro restaur. schol. cap. VIII. d) in Paneg. Constantii cap. III.

Ab anno V. C. 1045. P. X. 292. ad V. C. 1057. P. X. 304.
CAESAR. PRINC. IVVENT.

Facta imperii administrandi divisione cuncta, quae trans Alpes Galliae sunt, Constantio committuntur. (Victor in Caesarib. c. 36.) Exinde tuendis provinciis suis intentus Francos in Batavis vincit, fugato caesoque Allecto, qui post Carausii necem Britanniam Augusti nomine rexit, eam insulam imperio iterum adjicit. Alamannos memorabili apud Lingonas praelio fundit.

* * *

A. CONSTANTIVS. CAES. *vel* NOB. CAES. *vel similiter.*
B. FL. VAL. CONSTANTIVS. NOB. CAES.
C. VIRTVS. CONSTANTI. NOB. C.

Bandurius aureum et argenteum protulit inscriptum D. N. CONSTANTIO. NOB. C. Cum neque Diocletianus et Maximianus, etsi Augusti, ante abdicatum imperium, neque collega Gal. Maximianus, neque ipse hic Constantius, cum Augustus esset, titulo *Domini Nostri* in numis usi essent, plus quam verisimile est, hos numos male esse descriptos, aut esse alterius Constantii. Ajebam, in numis; nam aliter se habet in marmoribus, quin et Eumenius dixit de nostro hoc Constantio [a]): *Domini nostri Constantii vere principis juventutis.*

Caput est laureatum in AV. AR. AE. II. radiatum in AE. III.

* * *

Praetereo aversas, quae Constantio cum Diocletiano et Maximiano communes fuere, quarum explicationem ex illorum moneta pete.

* * *

Vt lit. A.

COMITATVS. AVGG. *Duo imperatores in equis sedentes dexteris elatis, s. sceptrum.* AV. (Band.)

Numus rarissimus, tamen similis aversa exstat etiam in numo Diocletiani, quem vide.

* * *

Vt lit. A.

CONSVL. CAES. *Caesar paludatus stans d. globum, s. parazonium.* AV. (Mus. olim de France Vindob.)

Nisi omissus est consulatus numerus, erit numus anni V. C. 1047; quo processit consul collega Gal. Maximiano.

* * *

Antica varia.

HERCVLI. CONSERVATORI. — HERCVLI. CONS. CAES. — HERCVLI. VICTORI. *etc. variis et jam notis Herculis typis.*

Frequentior in Constantii numis est Herculis mentio, cujus cultum a patre adoptante habuit hereditarium. Reliqua huc pertinentia vide paullo infra ad numum VIRTVS. HERCVLI etc.

* * *

Vt lit. B.

PRAESIDIA. REIPVBLIC. *Duo milites hastati stantes junctis dexteris Victoriolam sustinent, inter utrumque barbarus flexo genu.* AE. III. (Mus. Caes.)

Haec aversae epigraphe hactenus ignota. Ea suapte satis indicat, in mi-

a) Orat. pro restaur. schol. c. VI.

litum virtute praesidia reipublicae esse reposita.

* * *

Vt lit. B. Caput radiatum.

PRINCIPI. IVVENTVT. *Caesar paludatus stans d. hastam, s. globum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Principem juventutis Caesarem nostrum etiam appellat Eumenius loco, quem indicavi supra agens de inscriptionibus capitis Constantii nostri.

* * *

Vt lit. B. Caput laureatum.

VICTORIA. BEATISSIMORVM. CAESS. *Victoria insidens spoliis clypeo inscribit* VOT. X. AE. max. mod. (Mus. Theupoli.)

Vt lit. A.

VIRTVS. HERCVLI. CAESARIS. *Caesar eques d. hastam, s. clypeum.* AV. (Catal. d'Ennery.)

Praeclaro hoc numo confirmatur, quod principio ex Eumenio docui, Constantium ab adoptante Maximiano Herculii nomen fuisse adeptum, de quo ipso idem alio loco a): *Credo igitur tali Caesar Herculius et avi Herculis et Herculii patris instinctu tanto studium literarum favore prosequitur.* De his Iovii et Herculii ad successores propagatis nominibus sic loquitur Lactantius b): *Vbi sunt modo magnifica illa, et clara per gentes Ioviorum et Herculiorum cognomina, quae primum a Dioclete ac Maximiano insolenter adsumpta, ac postmodum ad successores eorum translata viguerunt? Nempe delevit ea dominus, et erasit de terra.* Sunt vero praeter Constantium nostrum alterutro hoc nomine pro vario adoptionis nexu in numis usi Gal. Maximianus, Maximinus et Licinius.

* * *

Vt lit. A. Caput laureatum.

VIRTVS. ILLVRICI. *Navis praetoria imperatore supra equite et hastam emittente.* AV. (Band.)

Vide supra numum similem Maximiani Herculii.

* * *

Vt lit. A. Caput radiatum.

VNDIQVE. VICTORES. *Imperator paludatus stans d. globum cum Victoriola, s. hastam.* AE. III. (Band.)

Similem epigraphen in Numeriani quoque numis vidimus.

* * *

Antica varia. Caput radiatum.

VOT. V. — X. — XX. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes. Banduri.)

Antica varia. Caput laureatum.

XCVI. — XC. AQ. — XCVIT. — VCVC. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes. Banduri.)

Vide numos similes in Diocletiano et Maximiano.

V. C. 1058. P. X. 305.

CONSTANTIVS AVGVSTVS.

Adhuc Caesar consul V. annum aperit conlega Gal. Maximiano Caesare V. cos. Kalendis Majis Maximianus Herculius Mediolani simul imperium abdicat, simul Constantium Augustum appellat.

* * *

CONSTANTIVS. AVGVSTVS. *Caput laureatum.*

---

a) Orat. pro restaur. schol. c. VIII.

b) de Mort. persec. cap. ult.

CONSVL. V. P. P. PROCOS. *Imperator togatus stans d. globum, s. parazonium, in imo* SMA☩. AV. (Mus. Com. de Vitzai.)

Cum simili aversae epigraphe et typo jam vidimus numos aureos Diocletiani et Maximiani.

V. C. 1059. P. X. 306.

Consul VI. procedit conlega iterum Gal. Maximiano Aug. VI. cos. Eboraci ex morbo obit die XXV. Iulii. (Tillemont.)

Princeps erat gravitate, moderatione, liberalitate, justitiae laude insignis, tum et in bonas artes, et qui eas professi sunt, beneficus. At praecipuum ejus ornamentum animus a cupiditate alienus, qui egere ipse, quam premere populos tributis etiam ferendis malebat. Nil adeo mirum, favisse eum religioni Christianae, ex cujus praeceptis haec derivatur humanitas et sapientia.

Vxor prima *Helena*, de qua agetur infra. Ex ea natus Constantinus M.

Vxor II. *Flavia Maximiana Theodora* Maximiani Herculii privigna, de qua, susceptisque ex ea liberis infra in ejus numis.

* * *

A. IMP. CONSTANTIVS. AVG. *vel* P. F. AVG. *etiam sine* IMP.

B. IMP. C. FL. VAL. CONSTANTIVS. P. F. AVG.

C. CONSTANTIVS. AVG.

Caput laureatum in AV. et AE. II. radiatum in AE. III.

* * *

Vt lit. A.

CONSVL. AVGG. NN. *Imperator paludatus stans d. globum, s. parazonium.* AV. (Mus. olim de France.)

Numus hic, quia consulatus numerus non additur, annum etiam praecedentem patitur.

* * *

Vt lit. A.

VICT. CONSTANT. AVG. *Victoria gradiens, pro cujus pedibus duo captivi.* AV. (Band.)

Notant historici, bellum a Constantio postremo hoc ejus anno cum Pictis et Caledoniis in Britannia gestum, in quo parta haec numi praesentis victoria.

* * *

Vt lit. C.

X. CONSTANTI. AVG. SMN. *intra lauream, intra cujus folia superne leguntur colligatae literae* NK. AV. (Mus. Com. de Vitzai, et alter similis olim in museo Abb. Neumann.)

Aversae epigraphen sic lege: *Decennalia Constantii Aug.* Non miremur, modo in moneta Constantii *Augusti* memorari vota decennalia, quando in ejus adhuc *Caesaris* numis jam legimus vicennalia. Haec enim non fuere vota Constantii, sed Diocletiani, de qua votorum numis inscriptorum ratione alibi copiosius agetur. Singulares sunt in hoc numo literae NK loco plane alieno positae. Verisimile est, iis indicari vocabulum Νίκη, *Victoria*, cujus ipsa effigies in aliis votorum numis saepe exhibetur.

* * *

Numi reliqui obvios hujus aevi typos offerunt.

Divus Constantius.

Quam cara posteris tanti viri fuerit

memoria, docent ejus consecrati numi copiosi, iique varii argumenti. Praeter Constantinum, quem probabile est suae non defuisse pietati, Maxentium quoque id genus numos feriundos curasse, ex numis quoque tenemus. Continuo post mortem fuisse eum ab exercitu consecratum, tradidit Eumenius rhetor [a]). Inter deos relatum narrat quoque Eusebius [b]), et divus etiam dicitur in Kalendario Dionysii Philocali, et in indice natalium Caesarum, fixo ejus natali ad prid. Kal. April. [c])

* * *

A. DIVO. CONSTANTIO. AVG. *Caput laureatum, vel velatum in AE. max. mod. et II.*

B. DIVO. CONSTANTIO. PIO. *Caput velatum laureatum in AE. II.*

C. DIVO. CONSTANTIO. PIO. PRINC. *vel* PRINCIP. *vel* PRINCIPI. *Caput velatum laureatum in AE. III. IV.*

D. IMP. MAXENTIVS. DIVO. CONSTANTIO. ADFINI. *vel* COGN. *Caput velatum in AE. II.*

E. DIVVS. CONSTANTIVS. *Caput nudum in AV.* (Pellerin Mel. I. p. 168.)

* * *

Vt lit. D.

AETERNA. MEMORIA. *Templum rotundum, superne aquila.* AE. II. (Mus. Caes.)

Supra vidimus numos cum simili aversa a Maxentio dedicatos Maximiano patri; en alios ab eodem dedicatos Constantio, quem jam *Adfinem*, jam *Cognatum* vocat, quod is Theodoram sororem, etsi patre ac matre non suis progenitam, uxorem habuit.

* * *

Vt lit. A. vel B.

CONSECRATIO. *Aquila vel sola, vel insistens arae.* AE. II.

Vt lit. E.

CONSECRATIO. *Rogus, supra quem imperator in quadrigis, infra* PTR. AV. (Pellerin Mel. I. p. 168. Liebe Goth. num.)

Numus hic singularis eo, quod veterem consecrationis ritum resuscitat.

* * *

Vt lit. C.

MEMORIAE. AETERNAE. *Leo gradiens, in area* RS. AE. IV. (Mus. Caes.)

Vide dicta in Maximiano ad similem consecrationis numum.

* * *

Vt lit. A.

MEMORIA. DIVI. CONSTANTI. *Templum rotundum, superne aquila.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

* * *

Reliqui: MEMORIA. FELIX. — REQVIES. OPTIMORVM. MERITORVM. typis obviis, vel jam ex moneta divi Maximiani cognitis.

Numi Alexandrini.

Sunt rarissimi. Soli anni Γ. Δ. certae fidei sunt cogniti. De his egi in Alexandrinis Diocletiani Vol. IV.

---

a) Panegyr. Constant. c. VIII. b) H. E. L. VIII. c. 13. c) Marini Fratr. arv. p. 387.

PRETIUM.

Aurei	RR.
Argentei	R.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei I. formae	O.
Aenei II. et III. formae	C.
Alexandrini	RRRR.

HELENA

Constantii Chlori uxor I.

Fl. Iulia Helena, ut eam appellat marmor Gruteri [a]), a nonnullis ejus aevi scriptoribus non modo vili genere orta, sed neque legitima fuisse Constantii uxor perhibetur, a qua tamen eam contumelia praeter alios Tristanus, Tillemontius, et Valesius [b]) justis argumentis vindicant. Evectus ad Caesaris dignitatem maritus V. C. 1045 P. X. 292 laetitiae primum, mox grande doloris ac patientiae argumentum uxori fuit, dum is eam Diocletiani et Maximiani Augg. jussu repudiare cogeretur, ut locum faceret Theodorae Maximiani Herculii privignae. Subinde a filio Constantino rerum potito summis honoribus adfecta, Augustae etiam titulo ornata [c]) senio tandem confecta obiit secundum Tillemontium V. C. 1081 P. X. 328. De ejus virtutibus, adfectu in religionem Christianam, peregrinatione Hierosolymitana multa scripsere Eusebius in vita Constantini M., Nicephorus, Sozomenus, Theodoretus, Suidas, Cedrenus, aliique.

Liberi: Horum unus *Constantinus*, subinde Augustus cognitus.

Numi:

Qui numi verisimiliter huic Helenae sint tribuendi (nam difficile est in Helenarum moneta et lubricum discrimen), inquiremus in Helena Fl. Iuliani.

FL. MAXIMIANA THEODORA

Constantii Chlori uxor II.

Ei mater Galeria Valeria Eutropia ex priore matrimonio, ignoto mariti nomine, quae hoc defuncto nupsit Maximiano Herculio, ejusque domui pri-

a) Pag. 284. 1. b) B. L. T. II. p. 557. c) Vide Gruterum, Muratorium, item D'orville Sicula p. 602.

vignam Theodoram intulit, quam Maximianus hic V. C. 1045 P. X. 292 Constantio Chloro creato ab se Caesari, priore uxore Helena repudiari jussa, collocavit, ut novo hoc vinculo eum sibi magis obstringeret. Reliqua ejus feminae fortuna ignoratur. Ex ea nati Constantio filii tres, filiae totidem.

Filii: Horum nomina ab aliis produntur *Dalmatius*, *Constantius*, *Hanniballianus*, ab aliis: *Constantinus*, *Hanniballianus*, *Constantius*, quam litem, cum ex numis decidi nequeat, historicis relinquo, de qua vide Tillemontium [a]). Patris testamento fuisse ab imperio exclusos, refert Libanius solo Constantino imperatore designato [b]). Quare neque Caesares fuere unquam, etsi haec dignitas nonnullis horum liberis obtigit.

Filiae: I. *Fl. Constantia* [c]) nupta Licinio Augusto. II. *Anastasia*. III. *Eutropia* mater Nepotiani Aug., de quibus vide plura apud Du Cange in familiis Byzant., et Valesium [d]).

Numi:

FL. MAX. THEODORAE. AVG. *Hujus caput.*
PIETAS. ROMANA. *Mulier stans infantem unum, rarius duos in sinu gestat.* AR. AE. III.

Existimat Bandurius, indicari hoc typo pietatem Theodorae in liberos e Constantio susceptos. Forte certius ex vetere usu, quem in numis saepius observavimus, notatur pietas Augustae in puellas alimentares. Alii Theodorae numi nondum observati. Secundum conjecturam, quam in Helena Iuliani proponam, poterit verisimile videri, numos hos ea defuncta fuisse signatos.

PRETIVM.

Argentei puri, quales citat Beauvais . . . . RRRR.
Aenei III. formae . . . . C.
Alterius metalli aut formae non exstant.

GAL. VAL. MAXIMIANVS.

Natus prope Sardicam Daciae novae genere pastoricio, ac pastorem ipse puer cum ageret, ab re dictus *Armentarius* [e]), sed quo nomine abstinent monumenta publica. V. C. 1045 P. X. 292 cum Diocletianus ad sustinendam irruentium barbarorum molem adjutores Caesares circumspiceret, ipse propter perspectam rei militaris scientiam ab illo adoptatur, et Caesar adclamatur collato suo *Iovii* nomine. (Vide infra in numis.) Sed chronologi alii hanc Con-

a) Nota II. in Constantin. b) Orat. III. c) Muratori Inscr. p. 260. 5. d) B. L. T. II. p. 548. e) Victor in Epit.

stantii et Galerii adoptionem in annum praecedentem retrahunt. Vide Mazzolenum [a]). Qua veri specie Eusebius binis disertis locis [b]) dicere potuerit, Galerium hunc inter quatuor hos principes quarto fuisse loco, prioremque habitum Constantium, non satis intelligo. Cui non videatur dignitate praestitisse Galerius, quem adoptavit princeps Augustorum Diocletianus, de se dixit *Iovium*, sibi adscivit generum, et secum in Oriente constanter habuit, cum tamen Constantius similia sua decora nonnisi ab altero Augusto Herculio traxerit? Potior ergo visus Eusebio Constantius per causam religionis, quia hic Christianis adversatus non est, at Galerius inimicus illi palam fuit. Ad haec plus dignitatis accessit Constantino M., quem is laudibus in coelum extulit, si is ab illustriore Caesare natus ferebatur.

Ab anno V. C. 1045 P. X. 292 ad V. C. 1057 P. X. 304.

CAESAR. PRINC. IVVENT.

Secundum propositam imperii divisionem Galerio Thracia et Illyricum committitur. V. C. 1050 Diocletiano jubente adversus Narseum Persarum regem profectus magna ab hoc clade vincitur. Conceptum ex sinistro eventu dolorem auxit Diocletianus, cum ad se reducem graviter primum objurgatum, deinde Caesarea purpura indutum mille passus currum suum pedibus sequi jussit. Quod ille dedecus non ferens collecto novo exercitu Narseum iterum aggressus acerrimo praelio fudit captis regis concubinis, liberis, ac thesauris, partaque post nobilissima pace. Ea victoria ut imperii fines, ita et victoris nativam ferociam auxit sinistro imperii fato, ut mox patebit.

* * *

A. MAXIMIANVS. CAES. *vel* CAESAR. *vel* N. C. *vel* NOB. C. *vel* NOB. CAESAR. *vel similiter.*

B. GAL. MAXIMIANVS. CAES.

C. G. *vel* GAL. VAL. MAXIMIANVS. CAES. *vel* N. C. *vel* NOB. CAES. *vel similiter.*

Caput laureatum in AV. AE. max. mod. et II. formae, radiatum in AE. III.

* * *

Vt lit. A.

CONSVL. CAES. *Imperator paludatus stans d. globum, s. parazonium.* AV. (Mus. olim de France.)

Numus est anni V. C. 1047 P. X. 294, quo conlega Constantio Caesare processit consul.

MAXIMIANVS. NOB. CAES. ET. CONSVL. *Caput laureatum.*

IMP. MAXIMIANVS. AVG. COS. IIII. *Caput Maximiani Herculii leonis spoliis tectum.* AE. max. mod. (Banduri in numis Maximiani Herc.)

Hic numus est ejusdem anni V. C. 1047, at Herculius jam anno praecedente processit consul IV.

Vt lit. A.

PRIMO. AVSP. *Hercules infans duos serpentes elidit.* AE. IV. (Mus. Caes.)

---

a) de trib. pot. p. 200. b) H. E. L. VIII. c. 5. et in vita Const. c. 18.

Praeclarum hunc numulum jam olim vulgavi [a]). Explendae epigraphes, quae est in aversa, duplex occurrebat modus, aut: PRIMO. AVSP*ice*, ut in numis Sept. Severi legimus: DIS. AVSPICIBVS., aut PRIMO. AVSP*icio*, qui posterior praeplacet; nam habemus in ipsius hujus aevi numis, Diocletiani scilicet et Maximiani Herc., scriptum AVSPIC. FEL., quod sane explendum AVSPIC*io* FEL*ice*. Pars igitur aversa felicis ominis modum habet ab Herculis exordiis captum, cujus in ipsis incunabulis virtute elisi serpentes primum fuere auspicium ac praeludium illustrium deinceps ejus factorum, ad cujus mores Maximianus Caesarea dignitate recens ornatus vitam suam conformare instituit.

* * *

Antica varia.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Caesar paludatus stans d. hastam, s. globum*, in AV. vel: *d. signum militare, s. hastam*, in AE. III. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

VIRTVS. IOVI. CAESARIS. *Caesar lento equo vectus d. hastam.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 168.)

Vt Constantius Caesar, a patre adoptante Maximiano nomen Herculii, ita Galerius a patre adoptante Diocletiano abstulit nomen Iovii eximie istud numo praesente comprobante. Vide, quae de hereditario hoc nomine diximus in moneta Constantii.

* * *

Antica varia.

VOTIS. X. — X. M. XX. — VOT. XX. *intra coronam.* AE. III.

Vt lit. A.

XCVI. *addito in nonnullis* AQ. *intra coronam.* AR. (Mus. Caes. Banduri.)

Aversa numi postremi cognita ex moneta collegarum, etsi incerti explicatus.

V. C. 1058 P. X. 305.

AVGVSTVS.

Kalendis Majis Diocletiano et Maximiano dimittere imperium hortatu primum, tum per minas adactis una cum Constantio Nicomediae Augustus appellatur suffectis pro se Caesaribus Severo, et Maximino sororis filio, nulla his alia commendatione, nisi quod sibi addictos noverat. Multis intra sexennium per imperium excitatis turbis gravissimo ac turpissimo morbo correptus V. C. 1064 P. X. 311 incertum ubi, animam efflavit vir atrocitate morum, perfidia, odio in Christianos, quorum omni diritate persequendorum auctor ipse praecipuus Diocletiano fuit, ante omnes infamis.

Vxor I. *incerti nominis.* Ex hac filiam habuit incerti item nominis Maxentio subinde collocatam. Hac repudiata, ut inter IIIIviros Augustos et Caesares conventum, successit

Vxor II. *Gal. Valeria* Diocletiani filia, de qua infra, thalamo sterili.

Numi:

A. GAL. MAXIMIANVS. P. F. AVG.

B. IMP. C. GAL. VAL. MAXIMIA-

a) Sylloge I. pag. 111.

NVS. P. F. AVG. *aut similiter.*

C. IMP. MAXIMIANVS. IVN. AVG. (Band.)

D. IMP. C. GAL. VAL. MAXIMIANVS. IVN. AVG. (Band.)

Eidem et Bandurius tribuit numos non paucos inscriptos simpliciter: IMP. MAXIMIANVS. AVG., vel: IMP. C. MAXIMIANVS. P. F. AVG. Quoniam plerique Maximiani Herculii numi similiter inscripti sunt, typi vero inter Augustos et Caesares hoc aevo plerumque fuere communes, unum discrimen viro erudito superesse poterat, quod a lineamentis vultus petitur, verum istud utrum collatis utriusque numis obtineri possit, multum ambigo. Enimvero quo minus numos utriusque Augusti homonymi recte hactenus distributos credam, ipsum Bandurii judicium dubitare nos jubet. Is Galerii *Augusti* unicum aureum, argenteum nullum produxit, etsi copiosos ejus *Caesaris* in utroque metallo exhibeat. Vtrum verisimile, Augusto, qui sex ipsis annis summa, ac majore, quam conlegae, potestate imperio praefuit, tam paucos, aut etiam nullos in auro et argento dedicatos fuisse numos? Ergo ut dubium non videtur, plures ex numis iis, qui solum *Maximiani Aug.* nomen sistunt, ad Galerium pertinere, ita propter allatas causas vix existimo exstare criterium, quod utriusque numos discriminet, quanquam huic illive largiaris numos Maximiani nomine insignes, etsi forte peccaveris, peccatum erit ejus generis, quo neque historia, neque chronologia detrimentum patietur.

Maximianus hic dicitur IVN*ior* ob eandem causam, propter quam Herculius in numis suis dictus est SEN*ior*. Eorum sententia, qui Maximiani junioris nomine non nostrum hunc, sed ejus quempiam filium indicari credidere, jam etiam Bandurio displicuit [a]), et serius etiam Bimardo [b]).

Cultus capitis est ut in numis ejus Caesaris.

* * *

Vt lit. C.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Imperator paludatus stans d. vexillum tenet, s. alterum.* AE. II. (Band.)

Mirum videretur, Galerium adhuc Augustum dici principem juventutis, nisi ejus jam copiosa habuissemus exempla, quanquam istud magis mirum in Galerio, cui praesto fuere Caesares, quibus titulus hic ex vetere instituto magis fuerat proprius.

* * *

Vt lit. C.

SECVRIT. PEPRET. *(sic)* DD. NN. *Mulier dexteram capiti admovet, s. hastam tenet, et simul cippo innititur.* AE. II. (Banduri.)

Existimo, numum hunc non multo post fuisse signatum, quam Diocletianus et Maximianus imperio excessere, ad eosque solos pertinere inscriptionem aversae, qua iis *securitas perpetua*, procurantibus eam novis Augustis ac Caesaribus, spondetur; nam hac aetate titulus *Domini Nostri* in moneta tantum his modo privatis impertiri solitus est,

a) Tom. II. p. 135. b) ad Iobert. T. II. p. 308.

sed quem paullo post cum Augusti, tum Caesares cupide arripuere. Vide dicta supra in Diocletiano post abdicatum imperium.

* * *

Numi reliqui: GENIO. AVGVSTI. vel EXERCITVS — vel IMPERATORIS — vel POPVLI. ROMANI. etc. nihil non jam dictum offerunt.

Divus Gal. Maximianus.

IMP. MAXENTIVS. DIVO. MAXIMIANO. SOCERO. *vel:* DIVO. MAXIMIANO. SOCERO. MAXENTIVS. AVG. *Caput velatum.*

AETERNAE. MEMORIAE. *Templum rotundum, cui superne imminet aquila.* AE. II. (Mus. Caes.)

Ab his numis docemur, Maxentio Galerii quampiam filiam, ex priore utique matrimonio, nuptam fuisse, cum is aperte Gal. Maximianum *socerum* in moneta publica testetur.

* * *

DIVO. MAXIMIANO. MAXIMINVS. AVG. FIL. *Caput Galerii laureatum.*

AETERNAE. MEMORIAE. GAL. MAXIMIANI. *Ara quadrata ignita cum ramo ad mediam aram utrinque apposito, cui insistit aquila coronam rostro gerens.* AE. II. (Band. Theupoli.)

Vt Diocletianus olim Gal. Maximianum, ita hic Maximinum adoptavit, atque hoc jure sese Maximinus in numo praesente profitetur Galerii filium, qui natura ejus ex sorore nepos fuit.

* * *

DIVO. GAL. VAL. MAXIMIANO. *Caput velatum.*

FORTI. FORTVNAE. *Fortuna stans d. gubernaculum, s. cornucopiae, pro pedibus rota.* AE. II. (Mus. Caes.)

Fors idem quod Fortuna, cujus obvia in Latinis sunt exempla, neque inter Fortem, Fortunam, Casum, Eventum distinguit Cicero [a]), ut et Apulejus [b]): *Eventus autem vel Fors insunt omnibus permixta mundanis.* Fors Fortuna Romanorum dea fuit teste Varrone [c]): *Dies Fortis Fortunae appellatus ab Serv. Tullio rege, quod is fanum Fortis Fortunae secundum Tiberim extra urbem Romam dedicavit Iunio mense.* Confer et Ovidium [d]), qui praeterea Fortis Fortunae honores VIII. Kal. Iul. actos fuisse narrat. Serius alteram ei aedem struxere Romani in hortis, quos Iul. Caesar populo testamento legavit. Plutarchus, qui istud narrat, his eam verbis describit [e]): Τυχην, ἡν Φορτικην καλουσιν, ὁπερ ἐστιν ἰσχυραν, ἀριστευτικην, ἡ ἀνδρειαν, ὡς το νικητικον ἁπαντων κρατος ἐχουσαν. *FORTVNAM, quam FORTEM appellant, id est: valentem, dominantem, virilem, et tanquam vi vincendi omnia praeditam.* Et jam pagina praecedente dixerat, a Romanis Fortunam *Fortitudini* (τῃ ἀνδρειᾳ) *quodammodo cognominem factam*, nimirum *fortuna* quasi a *fortis.* A Fortuna regi omnia, omniaque ei subesse, passim a veteribus creditum. Quare et fortunam Plautus dixit *heram* [f]), et Ennius teste Cice-

a) de Divin. L. II. c. 6. b) in Hermet. Trismeg. sub fin. c) de L. L. d) Fast. VI. 773. e) de Fort. Rom. p. 319. A. f) in Mercatore bis.

rone [a]): *Vosne velit, an me regnare hera.* Insignis ad hanc causam locus Plinii [b]): *Toto mundo, et locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, et cum conviciis colitur, volubilis, a plerisque vero et coeca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque fautrix. Huic omnia feruntur accepta, et in tota ratione mortalium sola utramque paginam facit.* Iure adeo apud Lucianum [c]) Momus conqueritur, neminem amplius diis sacrificare velle, cum persuasum habeat, etsi infinitas illis hecatombas offerret, Fortunam tamen facturam, quae Fato sunt decreta. Elegans ejus potentiae imago apud Horatium [d])

Te semper anteit saeva Necessitas,
Clavos trabales et cuneos manu
Gestans ahena; nec severus
Vncus abest, liquidumque plumbum.

Nolo adcumulare veterum de Fortuna judicia, quae numero sunt infinita. Vide, quae in argumento simili observavi ad numum Diocletiani cum epigraphe: FATIS. VICTRICIBVS.

Quo sensu haec Fors Fortuna numo huic sit illata, minus pronum est adsequi. Adstituitur in imo rota, nempe qua Fortuna *volubilis* indicetur, de quo ejus ingenio eleganter iterum Horatius [e]):

Fortuna saevo laeta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem; si celeres quatit
Pennas, resigno quae dedit, et mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quaero.

Cujus cum illam esse naturae novisset Tomyris, dixit Cyro felicitatis fiducia impotenti [f]): *ἐκεινο πρωτον μαθε, ὡς κυκλος των ἀνθρωπηιων ἐστι πρηγματων, περιφερομενος δε ἐκ ἐᾳ ἀει τους ἀυτους ἐυτυχεειν.* *Illud cumprimis noveris, quemdam esse rerum humanarum orbem, qui revolutus facile non sinit unum eundemque semper esse beatum.* Fuit rota et Nemesis signum, cui certe plura cum Fortuna fuere communia. Observo adhuc, Fortem Fortunam a Terentio constanter adhiberi tum, cum res prospere cecidere, ut ad has voces advertit Donatus grammaticus.

Cur certum putet Bandurius, hos numos Licinii jussu fuisse vulgatos, non satis video.

Numi Alexandrini.

Habemus Alexandrinos Galerii, sed Caesaris tantum, numos a L. A. usque ad L. Δ. (Mus. Caes. Band.) de quorum calculo egi in numis Alexandrinis [g]). Cum hoc horum numorum series exspirat, numis deinceps Latine inscriptis, et ad modum monetae Romanae signatis, ut ibidem animadverti.

---

a) de Offic. L. I. c. 12. b) Hist. nat. L. II. p. 73. c) Concil. deor. d) L. I. carm. 35. e) L. III. carm. 29. f) Herodot. L. I. c. 207. g) Vol. IV. p. 96.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	R.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei II. et III. formae	C.
Alexandrini	RR.

GAL. VALERIA.

Ei pater Diocletianus, mater, ut nonnullis visum, Prisca. V. C. 1045 P. X. 292, cum pater novos ab se creatos Caesares, ut in officio permanerent, etiam adfinitatis vinculo sibi vellet obstringere, filiam hanc suam Gal. Maximiano, priore repudiare jussa, uxorem dedit. Si miserum fuit feminae lectissimae, jungi cum homine impurissimo, multo adhuc miserum magis, quod mortuo marito capiti suo impendebat, fatum. Nam a Maximino, cujus oblatas nuptias spreverat, ejecta in exilium, quas passa est injurias, tanto ferebat acerbius, quod ne quidem redire ad patrem tum adhuc superstitem, qui filiam ab ingrato saepe repetierat, permissum fuit. Pertinacibus, quibus premebatur, aerumnis finem tandem fecit Licinius, qui Thessalonicae comprehensam una cum matre securi percuti jussit, quod factum Tillemontius ad annum circiter V. C. 1068 P. X. 315 refert. Vnum miserae solatium, quod liberis caruit.

* * *

GAL. VALERIA. AVG. *Caput Augustae, raro lunae impositum.* VENERI. VICTRICI. *Dea stans d. elata pomum, s. stolam attrahit.* AV. AE. II. (Mus. Caes. Band.)

Cum hoc tantum typo. satis jam cognito ejus occurrunt numi. Numum similem a Bandurio perperam tributum fuisse Salonino Gallieni filio, in hujus moneta dixi.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Aenei II. formae	C.

AMANDVS.

Socio defectionis Aeliano Gallos, Bagaudas dictos, solicitavit, uterque mox

ab adcurrente Maximiano Herculio victus et mori coactus est V. C. 1045 [a]). Factum istud Theophanes in Chronographia ad annum Diocletiani XII. refert.

* * *

IMP. C. C. AMANDVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

SPES. PAIVPIII. *Pallas stans d. hastam, s. clypeum humi positum.* AE. III. (Band.)

IMP. S. AMANDVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

VENVS. AVG. *Dea stans.* (Pembrock Part. III. tab. 29.)

Soli sunt hi Amandi numi, spreto, quem obtrusit Goltzius.

A. POMPONIVS AELIANVS.

De hoc, ejusque numis Goltzianis vide, quae dixi Vol. VII. in Laeliano, et Q. Valente Aeliano post numos Postumorum pag. 448.

L. DOMITIVS DOMITIANVS.

Exstant numi cum Latini, tum Alexandrini Domitiani nomine inscripti:

IMP. C. L. DOMITIVS. DOMITIANVS. AVG. *Caput laureatum.*

GENIO. POPVLI. ROMANI. *Genius stans d. pateram, s. cornucopiae, pro pedibus aquila, in imo* ALE. *et variae per aream literae.* AE. II. (Band. Mus. Caes.) Horum unum Bandurius argenteum dicit, sed videtur esse ex eorum genere, quos Galli *billons* appellant.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. *Caput radiatum.*

L. B. *Serapis gradiens d. elata, s. hastam transversam, pone palmae ramus.* AE. III. (Mus. Theup. Pellerin Mel. I. p. 235.) *Alius typo Victoriae.* (Beauvais.)

Tristanus, qui numum priorem primus edidit, Domitianum hunc esse ipsum conjicit, qui teste Trebellio Aurelii tyranni dux Macrianum utrumque internecione vicit, ambitionis etiam immodicus, qui genus sese a Domitiano et Domitilla ducere praeferebat; praeterea hunc diversum non esse ab eo Domitiano, quem refert Zosimus imperante Aureliano cum nonnullis aliis in suspicionem rerum novarum venisse, sed brevi deprehensum poenas dedisse. Imperasse autem in Aegypto, indicari literis ALE. Alexandriam notantibus [b]). Cum Tristano video concordem etiam Mediobarbum, et in eadem sententia principio fuisse quoque Bandurium.

Cl. Beauvais, et auctor musei Theupoli numos tam Latinos quam Graecos Alexandrinos uni eidemque Domitiano, cujus meminere et Trebellius et Zosimus, tribuunt, sic tamen, ut ille ejus tyrannidem usque in tempora Diocle-

a) Eutropius. b) Comment. T. III. p. 217.

tiani differat, quod sensisse etiam Pellerinium video [a]), hic in Aureliani aetatem cum Tristano promoveat.

Omnium horum judicia, nisi magnopere fallor, manifeste peccant. Certum est contra Tristanum, et sequaces, numos Latinos ad aevum Diocletiani, aut eorum, qui proxime successerunt, pertinere, primum quia tota aversa, seu inscriptionem spectes, seu typum, item fabrica, et volumen, plane ex ingenio ejus imperii sunt, quae omnia jam pridem vidit eruditus Gallandus [b]), et hoc facem praeferente serius etiam Bandurius [c]); deinde quia Aureliani aetate nondum Alexandriae numi Latine inscripti signati sunt, qua tamen ex urbe hos Domitiani nostri numos emersisse inscriptum his ALE. dubitare non sinit. Ex quo ipso consequitur etiam, quoniam Latini hi numi percussi fuere tempore, quo Graeci feriri Alexandriae desivere, utrosque hos numos, tam Graecos, quam Latinos, ad unum eundemque Domitianum pertinere non posse, quae fuit, ut supra vidimus, nonnullorum opinio, et tempore praeire Graecos, sequi Latinos. Ergo etsi demus, Graecos tribui posse Domitiano victori Macrianorum, aut qui teste Zosimo sub Aureliano res novas molitus fertur, Latini certe tribuendi sunt alteri cuipiam ejusdem nominis, qui exeunte imperio Diocletiani et Maximiani, aut non multo post, posita ab his purpura, per bella tum civilia tyrannidem in Oriente arripuerit, quod reticuere historici, sed numi fateri cogunt. Conjicit Pellerinius, posteriorem hunc Domitianum saltem in annum III. prorogasse imperium, at unde? ex scripto in horum numorum area Γ. Verum nos in solitariis his alphabeti literis monetariorum, aut officinarum notas videmus.

PRETIVM.

Latini aenei II. formae (alii vix habentur) . .	RR.
Alexandrini	RRRR.

CARAVSIVS.

Natus in Menapiis, populo Scaldim inter Mosamque posito, rei nauticae eximie peritus, in coercendis Francis, qui ipsum etiam mare praedando infestabant, operam aliquamdiu utilem posuit. At cum praedae desiderio non optima rem fide agere videretur, intellecto, insidiis sese a Maximiano Herculio peti, imperium in Britannia invasit anno circiter V. C. 1040 P. X. 287, et tantum brevi copiis maritimis valuit, ut Maximianus, qui magnos in bellum

a) l. c. b) B. L. Tom. I. hist. p. 252. c) Tom. I. in praefat. et in Addendis.

navale apparatus fecerat, non modo de eo subigendo desperaret, sed etiam inito foedere Britanniam perduelli una cum Augusti titulo ultro permitteret. Ex quo tempore cum pacate suos regeret, ab Allecto perfide interimitur V. C. 1046 P. X. 293.

Vxorem ei fuisse *Oriunam*, nonnullis nuper creditum, reperto in Anglia Carausii numo, in cujus aversa legitur: ORIVNA. AVGVSTA, et caput muliebre. At verisimilius visum erudito Beauvais, aliisque, caput aversae esse deae Fortunae, et vocabulum FORTVNA, ut scribendum fuerat, a barbaro artifice in barbarum ORIVNA fuisse corruptum [a]). In lectione FORTVNA nuper acquievit etiam cl. Pinkerton [b]). Mirabiles conjecturas alias de verbo ORIVNA, quas legisse repudiasse est, habes in dissertatione anonymi cujusdam, digna tamen habita, quae insereretur Tomo VII. *dei Saggi di Cortona p. 239.*

Numi:

Numos hujus Augusti complures jam olim vulgavit Bandurius, sed eorum numerum mire auxit Taninius collectis iis, quos post Bandurium viri eruditi luce publica donavere. Vtut tamen copiosi sunt, in nostris terris vulgo perrari habentur. Haec ejus moneta multos nacta est, qui ei illustrandae operam impenderunt, quorum commentarii in numis ipsis laudabuntur. Inter hos illustrior Genebrierus, qui opus edidit inscriptum: *Histoire de Carausius prouvée par les médailles, à Paris 1740 in 4.*, sed quod videre adhuc non licuit. Post hunc ejus numorum catalogum dedit Wilhelmus Stukeley M. D. in opere: *The medallic history of M. Aurelius Valerius Carausius Emperor in Brittain. London 1757 in 4to*, sed cujus partem tantum priorem ad manus habeo. In eo pervolvendo tantum ad numos, quos recitat, animum adverti, neglectis commentariis, qui, quod a mea numos explicandi ratione plane dissident, nullum mihi usum praestitere. Quis enim in eo viro non continuo Harduinum quendam Britannicum agnoscat, qui literas in Carausii numis frequenter inferiore loco positas v. c. RSR sic explet: R*utupii* S*ignator* R*ogatorum*, addito: *Signator est sculptor matricis. Roga est donativum honorarium.* (At nondum tempore Carausii, sed aevo infimo et luteo, et quidem in lingua Graeca et Latina. V. Ducangii utrumque Glossarium.) *Rogator idem significat, quod erogator, etc.* [c]). Ex horum ergo scriptis illustriores repraesentabo typos. Longum enim foret, atque instituto meo repugnans, etiam obvios commemorare. Nam testatur ipse Stukeleyus, se tabulis XXXI. numos Carausii omnino CCCX., eosque diversos omnes, intulisse [d]). Horum aversae numorum magis sapiunt aevum imperatorum praecedentium, quam Diocletianeum, et sunt etiam has inter aliquae novae. Hujus tamen meriti opus numorum ipsum non est, plerum-

---

a) Hist. abrég. T. II. pag. 170. b) Essay of Medals T. I. pag. 166. c) Pag. 66. d) Pag. 275.

que rude et difforme, luxatisque non raro inscriptionibus.

* * *

A. IMP. CARAVSIVS. AVG. *Caput radiatum.*

ADIVTRIX. AVG. *Protome Victoriae.* AE. III. (Tanini.)

Ejus iconem vide in *Saggi di Cortona* Vol. VII. p. 239. Captus est ex museo Kennediano. Similis epigraphe est in numo Victorini, sed cum alio typo.

* * *

B. CARAVSIVS. AVG. *Protome galeata radiata d. hastam, s. clypeum.*

ADVENTVS. AVG. *Imperator eques pacificatoris habitu, pro pedibus captivus.* AE. III. (Band.) In alio: ADVENTVS. AVGG. *Imperator in citato equo d. hastam evibrat.* AR. (Pembrock P. III. tab. 45.)

Signati haud dubie Carausio ex longiore quapiam expeditione in Britanniam reverso. Scriptum in numo altero AVGG. quid aliud quam Augustum cum Augusta sua nobis ignota significare possit, non video.

* * *

Antica incerta.

APOLLINI. CONS. *Pegasus.* AE. III. (Mus. d'Ennery p. 630.)

C. IMP. CARAVSIVS. P. AVG. *Caput radiatum.*

APOLLINI. CONS. AVG. *Gryphus.* AE. III. (Tanini.)

Pegasi cum Apolline nexus abunde cognitus, quin et gryphi, ut dixi ad numum Gallieni similiter inscriptum, ex quo tota haec aversa capta est.

* * *

Vt lit. C.

COMES. AVG. *Pallas stans d. oleae ramum, s. hastam.* AE. III. (Tanini.) In alio:

COMES. AVGGG. *Pallas stans d. hastam, s. clypeum, in area* SP, *in imo* MLXXI. AE. III. (Tanini.)

Exemplo aliorum Augustorum suum etiam numen, quod se comitari voluit, nobis manifestat. Palladem non belli modo, sed et sapientiae praesidem cum sibi comitem delegit, simul praeclaram suam indolem atque ingenium nobis manifestasse videtur.

* * *

D. IMP. CARAVSIVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

CONCORDIA. AVG. *in alio:* CONCORDIA. MILITVM. *duae dexterae junctae, in imo:* R. S. R. Est AR. (Catal. d'Ennery p. 384. Haym.)

* * *

E. CARAVSIVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

CONSERVATORI. AVGGG. *Hercules d. clavam, s. arcum, pone pharetra, in imo* ML. Est AV. (Tanini.)

Illustrem hunc per metallum numum index Taninius ex museo Ducis Devoniae citat.

* * *

F. IMP. CARAVSIVS. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

CONSTANT. AVG. *Hercules stans d. femori admota, s. hastam, in area* S *et* C, *in imo* S. AE. III (Tanini.)

Rara in numis *Constantiae* inscriptio, et elegans constantiae imago Hercules.

* * *

- - - CARAVSIVS - - *Caput Carausii radiatum et jugatum cum altero, ut videtur, muliebri.*

DIANA. *Dea sedens d. --- s. cornucopiae.* AE. (Mus. Pembrock P. III. tab. 29.)

Vt lit. A.

DIANAE. CONS. *Cervus, in imo* XX. AE. III. (Saggi di Cort. l. c.)

Dianam conservatricem in numis suis professus est etiam Gallienus, typo item cervi. In laudata supra dissertatione anonymi Angli de numo Oriunae exhibetur numus, in cujus antica proponuntur duo capita jugata, virile radiatum Carausii, quod pone est, muliebre. Offert haec effigies, ut videtur, arcum ex humero promicantem; sin istud, non dubitem esse Dianam conspirantibus etiam numis modo propositis, qui honoratam impensius a Carausio hanc deam confitentur, quamque adeo eodem modo sibi in moneta conjunxerit, ut Postumus Herculem, Probus Solem.

* * *

Vt lit. D.

EXPECTATE. VENI. *Duae figurae stantes, quarum altera muliebris s. tenet signum militare, et dexteram offert militi hastato adstanti, in imo* BSR. Est AR. (Haym.) AE. III. (d'Ennery.) In simili alio musei Bodleyani cl. Wise legit VENIES. p. 46.

Nova plane epigraphe, et hujus tantum Augusti. Eodem modo apud Maronem [a]) Aeneas adloquitur Hectorem: *quibus Hector ab oris exspectate venis?* Figuram muliebrem esse genium Britanniae, verisimile existimo, qui Carausium ad se, et capessendum imperium invitare videtur.

* * *

G. IMP. C. CARAVSIVS. P. F. AVG.

Caput laureatum.

FELICITAS. *Quatuor puelli quatuor anni tempora significantes.* AR. (Pembrock P. III. tab. 45.)

Notus est hic typus cum *Felicitate* conjunctus, et confirmatur eo, quod supra monui, Carausium elegantiores nonnullos praecedentium Augustorum typos revocasse. In numo alio item argenteo FELICITAS. AVG. jungitur cum typo triremis (Tanini), hoc quoque moris veteris.

* * *

Vt lit. F. Caput laureatum.

FIDEM. MILITVM. NN. *Aequitas stans.* AR. (Mem. Trevoux in Nov. 1701. p. 246. Tanini, Catal. d'Ennery.)

Vt lit. F.

GERMANICVS. MAXV. *Tropaeum inter duos captivos humi sedentes.* AE. II. III. (Tanini.)

Tota haec aversa reperitur etiam in numis Gallieni et Postumi, unde epigraphes hujus explicationem pete.

* * *

Vt lit. F.

INVICTVS. AV. *Sol gradiens d. elata, s. globum.* AE. III. (Saggi di Cort. l. c.)

In eodem opere, et alibi exstant numi non pauci, qui Solis cultum praedicant, ut: ORIENS. AVG. typo simili, vel PACATOR. ORBIS. *Protome radiata Solis*, quae nomina ac typi frequenter reperiuntur in moneta Aureliani, Probi, atque eorum, quibus turbatus Oriens multa dedit negotia. Verum ad Carausium, qui ultimum Occidentem rexit, Orientis res non pertinuere, ex

a) Aen. II. 282.

quo iterum intelligas, ab ejus monetariis nuperos typos fuisse restitutos.

* * *

IOVI. CONSERVATORI. — STATORI typis solitis. (Tanini.)

* * *

Vt lit. G.

IOVI. ET. HERCVLI. CONS. AVGG. *Typus non additur.* AR. III. (Stukeley p. 272.)

Iovium Diocletianum, et Herculeum Maximianum conlegas suos praesidibus eorum diis Iovi et Herculi hoc numo commendat Carausius.

* * *

Vt lit. E.

IOX. *Carausius paludatus eques d. hastam, s. elata.* AE. III. (Stukeley p. 91 et 97. Numi icon exstat pag. 51.)

Auctor numum hunc esse integerrimum testatur. Epigraphen explicat: IO *Decies*, eamque ad acclamationes publicas refert. Vocabulum IO continere formulam acclamationis, non dubitavero, tamen malim, litera X indicari vota decennalia. Quisque pro se aenigma explicet.

* * *

Antica incerta.

LEG. II. PART. VII. P. *Centaurus d. clavam, s. coronam.* AE. (Stukeley p. 235. 259.)

Typus similis in numo Gallieni.

Vt lit. F.

LEG. IIII. FL. *Leo gradiens rictu fulmen stringit.* AR. (Haym.)

Habet haec legio leonem quoque, sed sine fulmine, in numo Gallieni.

Vt lit. F.

LEG. VII. CL. *Taurus gradiens.* AE. III. (Tanini.)

Idem hujus legionis typus est etiam in numis Gallieni.

Antica incerta.

LEG. VIII. - - IN. *Aries stans, in imo* ML. AE. III. (Haym. Tanini.)

Non conspirat typus cum numo Gallieni, in quo haec legio habet taurum.

Vt lit. F.

LEG. VIIII. GE. *Taurus.* AE. III. (Tanini.)

In numis Gallieni alii sunt hujus legionis typi.

Antica incerta.

LEG. XX. V. V. *Aper.* AE. III. (Stukeley p. 197.)

Praeclare conspirat aversa cum lamina aenea, quam exhibet Buonarrotius [a]), in qua fingitur vexillum, infra quod legitur: LEG. XX. V. V., id est: V*aleria* V*ictrix*, (ut in numo Victorini: VAL. VICTRIX.) et juxta aper currens.

Antica incerta.

LEG. XXX. VLPIA. *Neptunus d. delphinum, s. tridentem.* AE. III. (Stukeley p. 101. et 267.)

Eundem typum habet haec legio in numis Gallieni.

* * *

Vt lit. A.

MARS. VLTOR. *Mars gradiens d. hastam, s. clypeum.* In alio: MARTI. PACIFERO *cum solito typo.* AE. III. (Tanini.)

Vt lit. F. Caput laureatum.

ORIVNA. AVG. *Protome laureata sinistrorsum d. elata flagrum tenet, in corona laurea.* AR.

His verbis numum hunc, qui est in

a) Osserv. istor. tab. 38.

museo regis Galliarum, describit Taninius, utrum etiam ad veritatem, dubito; nam non satis respondet ejus imago aeri incisa, quae exstat in saepius laudatis *Saggi di Cortona*. Iudicium de hoc numo dedi altius, quo loco de credita Carausii uxore egi.

* * *

H. CARAVSIVS. ET. FRATRES. SVI. *Tres protomae jugatae, quarum prior radiata est Carausii, altera fors laureata Diocletiani, tertia cum leonis exuviis Maximiani Herculii.*

PAX. AVGGG. *Mulier stans d. oleae ramum, s. hastam, in area S et P, in imo C.* AE. III.

Singularem hunc numum, qui exstat Genuae in museo cl. abbatis Persico, ante annos non multos protulit cognitae vir eruditionis Gaspar Odericus scripta ad Cajetanum Marinium epistola, quae saeculi hujus anno LXXXII. inserta fuit commentariis Italicis, inscriptis: *Giornali de' Letterati*, qui Pisae vulgantur [a]). Eam deinde illustris auctor seorsim vulgavit typis Genuensibus. Tamen ἀνέκδοτος dici hic numus non potuit, pridem vulgatus a Stukeleyo supra laudato [b]), sed cujus opus et Oderico et Taninio video fuisse ignotum. Pretium huic cimelio faciunt non modo trium Augustorum protomae conjunctae, sed et inscriptio capitum, quam proposui, cujus similis alia in numis conspecta nondum est. Dubium non est, *fratrum* nomine intelligendos Carausium, Diocletianum, et Maximianum, quorum hi, ut diximus, primum Carausio adversi, subinde cum hoc honoris et potestatis societatem junxere. Hanc etiam Augustei inter tres conlegas nominis communionem confirmat scriptum in aversa AVGGG., et eandem in aliis quoque numis indicat scriptum v. c. LAETITIA. AVGGG. HILARITAS. AVGGG. etc. Plura Odericus in praeclara hac sua epistola adfert exempla, conlegas Augustos sese mutuo fratres appellasse.

* * *

I. IMP. C. M. AVR. V. CARAVSIVS. P. AVG. *Caput radiatum.* In alio:

K. VIRTVS. CARAVSI. *Protome galeata radiata d. hastam, s. clypeum.*

PAX. AVG. *solito Pacis typo.* AE. III. (Tanini.)

Numum priorem insigniunt addita plura et necdum cognita Carausii nomina *M. Aurelii Valerii* undecunque hausta. Verisimile tamen, Carausium, quo magis amicitiam cum nupero suo hoste testaretur, omnia Maximiani Herc. nomina sibi indidisse, non novo istud exemplo, sed jam pervulgato primorum Caesarum aetate, ipsis numis ejus fidem facientibus, ut vidimus in moneta regum Thraciae, Ponti, Iudaeae, aliorumque. *Marci* praenomen etiam numus sequens dabit.

* * *

L. IMP. C. M. CARAVSIVS. AVG. *Caput radiatum.*

PIETAS. AVG. *Imperator ad aram sacris operans.* AE. III. (Tanini.)

De praenomine *Marci* continuo egimus.

---

a) Tom. XLV. p. 205. b) Pag. 106.

* * *

Antica incerta.

P. M. TR. POT. V. COS. IIII. *Lupa cum geminis.* (Stukeley p. 252.)

Et tituli, et typus imperatorem efficiunt. Consulatus mentionem in nullo alio ejus numo factam reperi, et consulem Carausium fasti ignorant. Apparet ergo, illum more Romano processisse in Britannia, ut olim Postumum auctoritate sua processisse in Galliis diximus.

* * *

Vt lit. F.

PRINCIPI. IVVENTVT. *Figura paludata stans d. signum militare, s. hastam.* AE. III. (Haym. T. I. p. 293.)

De hac aversa agens Haymius satis mirari non potuit, quo pacto princeps juventutis dici possit Carausius, qui Augustus in numo scribitur, neque Caesar unquam fuit. At enim, cum haec scripserat, non novit ex numis exempla vetera jam inde a Gordiano III. simul Augustorum, simul principum juventutis, de quo novo more vide quae observabo in commentariis de titulo principis juventutis.

* * *

Vt lit. F. Caput laureatum.

ROMAE. AETERNAE. V. *Templum sex columnarum, in quo Roma sedens, in imo* RSR. Est AR. (Haym, Tanini.)

Additum V haud dubie legendum *Victrici.*

* * *

Vt lit. K.

ROMANO. RENOVA. *Lupa cum gemellis, in imo* RSR. Est AV. (Band.)

Vt lit. F. Caput laureatum.

ROMANO. RENOV. *Idem typus.* AR. (Mus. Caes.) In alio simili ROMANOR. étc. AR. (Catal. d'Ennery.)

Legenda epigraphe *Romanorum renovatio*, nimirum cum partem imperii R. sibi ab invitis Carausius extorqueret, honesto, ut fit, vocabulo rapinam excusans.

* * *

M. IMP. C. CARAVSIVS. A. *Caput radiatum.*

TVTELA. AVG. *Mulier capite tutulato stans ad aram d. pateram, s. cornucopiae, in imo* LO. Est AE. III. (Band. Catal. d'Ennery.)

Eadem epigraphe est in numis Vespasiani, sed differt typus. Praesens exhibet genium muliebrem, cujus tutelae Carausii salus videatur commissa. Literis LO. notari Londinium, non videtur improbabile.

* * *

Vt lit. F.

VBERITAS. *Mulier stans s. tridentem dexteram jungit cum imperatore paludato adstante, et s. hastam tenente, in imo* RSQ. AE. III. (Pembrock P. III. tab. 45.)

Mulier haud dubie genius est Britanniae, qui, cum tridentem praefert, innuit, Carausio sese imperium potentia maritima stabilivisse, ac forte etiam navali commercio *ubertatem* regioni partam, probato jam tum propter insulae situm consilio, Britannos, si potentes beatique esse vellent, cumprimis rei maritimae, parandisque classibus intentos esse debere.

* * *

Vt lit. A.

VICTORIA. CEA. *Tropaeum cum captivis juxta sedentibus.* AE. III. (Band.)

Vocabulum CEA varie ab eruditis acceptum ait Bandurius. At Wisius testatur legendum GER., et intelligi *victoriam Germanicam*, nempe de Germaniae populis litora infestantibus [a]).

* * *

Vt lit. F. Caput laureatum.

VOTO. PVBLICO *scriptum circum lauream*, *intra quam:* MVLTIS. XX. IMP. *in imo* RSR. Est AR. (Tanini.)

Eadem adversa.

VOTVM. PVBLICVM. Ara quadrata, in cujus medio MVLTIS. XX. IMP. AR. (Tanini.)

* * *

Numus maximae formae cum epigraphe VOTIS. DECENNALIBVS, quia tantum ex pannoso musei Muselli catalogo proditur, tanti non fuit, ut a Taninio restitueretur.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	RR.
Aenei II. formae	RR.
Aenei III. formae	R.

ALLECTVS.

A Carausio summae rerum praefectus, ejus ipsius impia caede imperio potitus est quidem, sed triennio post a Constantio Caesare bello petitus, victusque ac interemptus perfidiae suae poenas exsolvit circiter V. C. 1049 P. X. 296.

Numi:

Vt Carausii numi propter varios utriusque partis modos sua habent merita, ita numi successoris Allecti nulla se re alia, quam majore raritate commendant.

Epigraphe capitis obvia est: IMP. (vel IMP. C.) ALLECTVS. P. F. AVG., vel tantum P. AVG. (Mus. Caes.) vel P. F. I. AVG. (Band.) ubi I legendum *Invictus*. In numis aliis, sed tantum Mediobarbi, legitur PIVS. FEL.

Caput in aureis est laureatum, in argenteis jam laureatum, jam (si non fallunt catalogi) radiatum, in aeneis semper radiatum.

Partes aversae typos habent obvios ac tritos, PAX. PROVIDENIA. ORIENS. SALVS., et similia, qualia fusius enarrare supervacaneum omnino existimo.

---

a) Mus. Bodley p. 339.

PRETIVM.

Aurei et argentei . . . . RRRR.
Aenei III. formae . . . . RR.

FL. VAL. SEVERVS.

Ex Illyrico humili genere advena, nulla laude, solis vitiis celebratus. Sed haec ipsa perversitas homini profuit. Nam cum V. C. 1058 P. X. 305 in locum Constantii, qui pro Herculio Augustus dictus fuerat, Caesar esset deligendus, eum Galerius, cujus intererat, cooptari aliquem, a quo sibi metus non esset, in imperium intrusit. Ergo, ut conventum erat, Kalendis Majis purpuram Mediolani ab ipso Maximiano Herculio accipit.

V. C. 1058. 1059. P. X. 305. 306.
CAESAR, PRINC. IVVENT.

In provinciarum partitione Italiam, Africam, et Pannoniam superiorem sortitur.

* * *

A. SEVERVS. NOB. *vel* NOBILIS *vel* NOBILISSIMVS. C. *vel* CAES. *vel* CAESAR.
B. FL. VAL. SEVERVS. NOB. CAES. *vel similiter.*

Caput fere constanter laureatum, etiam in AE. III.

* * *

Vt lit. B.

CONCORDIA. IMPERII. *Mulier stans d. hastam, in area* VI. *infra* SISB. AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem omnino aversa, etiam si additas notas spectes, occurrit in numis Constantini et Maximini, sed adhuc Caesarum, qui omnes sunt in museo Caesareo. Vno ergo consilio signati sunt hi numi ad indicandam trium Caesarum concordiam, et exiguo quidem illo temporis intervallo, ex quo Constantinus a Galerio et Severo agnitus est Caesar, et antequam Severus a Galerio Augustus diceretur. Flatos hos numos fuisse Sisciae, ipsi eloquuntur, et quidem Severi jussu; nam Pannoniam superiorem, cujus oppidum fuit Siscia, Severo paruisse diximus.

* * *

Vt lit. A.

FELICITAS. CAES. NOSTR. *Mulier sedens d. caduceum, s. cornucopiae, infra* AQ. Est AV. (Mus. Caes.)

* * *

In numis reliquis: CONCORDIA. AVGG. ET. CAESS. NN. (Tanini.) GENIO. POPVLI. ROMANI. — PERPETVITAS. AVGG. — PRINCIPI. IVVENTVTIS. in AV. (Mus. Caes.) SAC. MON. VRB. etc. — SALVIS. AVGG. ET. CAESS. FEL. KART. — VIRTVS. AVGG. ET. CAES. NN. — VTILITAS. PVBLICA. etc. cum typis notis hujus aevi.

V. C. 1059. 1060. P. X. 306. 307.
SEVERVS AVGVSTVS.

Anno ex his priore mortuo Eboraci Constantio Severus in ejus locum a Galerio Augustus appellatur. Mox intellecto, Maxentium quoque Romae purpuram sumpsisse, bellum in hunc et ejus patrem Maximianum Herculium parat, eumque anno sequente Romae obsidet; verum a suis desertus Ravennam fuga elabitur, deditusque Herculio hoc jubente occiditur nondum exacto altero anno, ex quo ab eodem Caesar dictus est.

Filium reliquit *Severianum*, sed et hunc post sexennium Licinii jussu interemptum.

* * *

A. IMP. SEVERVS. AVG. *vel* P. F. AVG., *etiam sine* IMP.

B. IMP. C. FL. VAL. SEVERVS. P. F. AVG.

Capitis cultus, ut in numis ejus Caesaris.

* * *

Vt lit. A.

HERCVLI. VICTORI. *Hercules nudus stans d. clavam, s. pomum et exuvias leonis, in area* Z, *in imo:* S. M. S. D. Est AV. (Mus. Caes.)

Praeclarum hunc numum ante annos complures acquisitum olim tanto libentius vulgavi, quod, quo tempore illud scripsi, unicus is fuit Severi numus aureus cum titulo Augusti. Ab eo tempore binos addidit Taninius, quos inter unus est majoris moduli.

Numi ejus reliqui argumenta offerunt cognita.

PRETIVM.

Aurei Severi Caesaris	RR.
- - Ejus Augusti	RRR.
Argentei max. mod.	RRR.
Argentei formae ordinariae utrum existant, dubito. Vnum Taninius ex museo Caesareo prodidit, sed qui aeneus est. Quos alios duos addidit, ipse auctor esse argenti impuri adserit. Vnicum reperio a Bandurio vulgatum.	
Aenei max. mod. vel fere I. formae	RR.
Aenei II. formae	C.
Aenei III. formae	R.

GAL. VAL. MAXIMINVS vulgo DAZA.

Natus est hic in Illyrico ex sorore Gal. Maximiani, et cum adoleverat, greges duxit. Ab avunculo Caesare a pascuis ad exercitum evocatus facile nul-

lis etiam meritis omnes militiae gradus pervasit. V. C. 1058 P. X. 305, cum Diocletianus capto dimittendi imperii consilio Nicomediae Galerium Caesarem pro se Augustum appellaret, effecit hic, ut nepos Maximinus Daza adolescens tum adhuc, omnibusque, ac ipsi fere Diocletiano ignotus, Caesar pro se nominaretur inditis a se Galerii Valerii Maximini nominibus.

Ab anno V. C. 1058 P. X. 305 ad V. C. 1060 P. X. 307.

CAESAR, PRINC. IVVENT.

Maximino Syria, Aegyptus, et annexae his provinciae cessere.

* * *

MAXIMINVS. CAESAR.
MAXIMINVS. NOB. NOBILIS.
NOBILISSIMVS. CAES.
IOVIVS. MAXIMINVS. NOB. CAES.
GAL. VAL. MAXIMINVS. NOB. CAES. *aut similiter.*

Caput fere semper laureatum, raro galeatum, aut nudum, aut in AE. III. radiatum.

IOVIVS. Vt Gal. Maximianus nomen istud a Diocletiano per adoptionem sortitus est, ita Maximinus idem illud a Galerio jure adoptionis. Adoptatum vero fuisse, invicte docet numus supra in Gal. Maximiano descriptus, quem DIVO. MAXIMIANO. MAXIMINVS. AVG. FIL. dedicavit. Iovius etiam inscribitur in edicto, quod recitat Eusebius a).

* * *

Anticae variae.

CONCORDIA. IMPERII. — GENIO. AVGVSTI. — AVGG. ET. CAESARVM. NN. — CAESARIS. — POPVLI. ROMANI. — PRINCIPI. IVVENTVTIS. — SAC. MON. etc. — SALVIS. AVGG. etc. VIRTVS. MILITVM. in AR. (Mus. Caes.) VTILITAS. PVBLIC. in modum quinarii (Mus. Caes.), qui typi omnes inde a Diocletiano explicati jam sunt.

V. C. 1060 P. X. 307.

FILIVS AVG.

Maximinus indigne ferens, Licinium a Galerio Augustum se posthabito appellatum, eundem honorem quocunque sibi pacto extorquere nititur. Victus contumacia Galerius tollit Caesarum nomen, et se Liciniumque Augustos appellat, Maximinum et Constantinum FILIOS AVGVSTORVM. Haec ad verbum Lactantius b) dempto unico vocabulo, quod medicam manum exigit, ut mox dicetur, et egregie confirmatur numis.

* * *

MAXIMINVS. FIL. AVGG. *Caput laureatum.*

GENIO. AVGVSTI. *in aliis:* CAESARIS. *Genius stans d. pateram, s. cornucopiae.* AE. II. (Mus. Caes. Band.)

Eodem modo in Constantini M. numis legitur CONSTANTINVS. FIL. AVG. Haec a Lactantio narrata cum tam aperte enuncient numi, jure corrigendus ejus textus, in quo pro *Maximinum* prono errore irrepsit *Maxentium*, cum tamen

---

a) L. IX. c. 9. b) de Mortib. persec. c. 32.

etiam tacentibus his numis vel ex iis, quae praecedunt, Maximinus, non Maxentius intelligendus sit, ut jam monuit Grainvillius in epistola de simili Maximini numo, quae exstat in Actis Trevolt. anni 1703 Martio, et in Electis Woltereckii, et copiose advertit Bimardus a), et Bandurius b). Accedit magni argumenti instar, quod istud *filii Aug.* elogium in nullo adhuc Maxentii numo observatum est. Habemus ergo in moneta novum titulum *Filii Augustorum*, quo loco alienum non videtur advertere, ejusmodi titulorum valorem ac pretium nonnisi ab arbitrio et aestimatione humana pendere. Erat tempus, quo appellatio *Filii Augusti* infra appellationem Caesaris esset. Ita de L. Vero, qui vivo Antonino Pio in privati semper modum habitus est negato constanter Caesaris honore, memorat Capitolinus c): *nec aliud ei honorificentiae ad nomen adjunctum est, quam quod Augusti filius est appellatus.* At nunc eo delapsa est Caesaris majestas, ut teste Lactantio d) Maximiano exprobraret Maximinus, quod se *ignobilem fecisset Caesarem*, isque, ut aliquid molesto homini tribueret, pro Caesare filium eum Augustorum appellaret. Alia, quae huc pertinent, vide ad numos similes Constantini M.

Ab anno V. C. 1061 P. X. 308 ad 1066 P. X. 313.

AVGVSTVS.

Non contentus, prosequitur Lactantius, hoc Filii Augustorum honore Maximinus, nam aliud petebatur, se ipsum ab exercitu Augustum proclamari facit, aegre tandem consentiente Galerio, quod et confirmat Eusebius e). Hoc mortuo V. C. 1064 P. X. 311 Asiae minoris provincias, quae huic parebant, invadit. V. C. 1066 moto stolide in Licinium bello Heracleam inter et Hadrianopolin vincitur, mox Tarsum fuga elapsus sumpto veneno miserabili morte exstinguitur, et tum adhuc declaratus hostis imperii, abolitis, quas tulerat, legibus, eversis statuis et monumentis publicis, caesis non iis modo, qui ei arctius adhaesere, sed universa etiam familia, poenas acerbas sane, sed justas dedit non solum vitae turpissimae, sed etiam inauditae crudelitatis, qua Christianos atrocius, quam qui praecessere, persecutus est.

Vxor nominis ignoti post mariti mortem tragicam abjecta in Orontem, liberi, quorum plures habuit, sed nomina quoque ignorantur, jam pridem propter superbiam palam exosi, supplicio adfecti. Eos a patre jam fuisse factos imperii consortes, tradit Eusebius f).

*
* *

A. IMP. MAXIMINVS. AVG.
B. IMP. MAXIMINVS. PIVS. AVG. *vel* P. F. AVG.
C. GAL. VAL. MAXIMINVS. AVG. *vel* P. F. AVG.
D. IMP. GAL. VAL. MAXIMINVS. P. F. AVG. *vel* P. F. INV. AVG.

---

a) ad Iobert. T. II. p. 366. b) Pag. 164. 168. c) in Vero c. 3. d) l. c. e) Hist. eccl. L. VIII. c. 13. f) l. c. L. IX. c. 11.

E. IMP. C. GALER. VAL. MAXIMINVS. P. F. AVG.
F. IMP. C. GAL. VAL. MAXIMINO. P. F. INV. AVG.
G. MAXIMINVS. P. F. AVG.
H. MAXIMINVS. AVGVSTVS. *in* AV. (Mus. Caes.)

Cultus capitis, ut in numis ejus Caesaris.

* * *

Vt lit. E.

BONO. GENIO. IMPERATORIS. *vel* PII. IMPERATORIS. *Genius stans d. pateram, s. cornucopiae, infra* ALE. AE. II. (Mus. Caes. Band.)

Bonus Genius, Αγαθος Δαιμων Graecis dictus, ac praecipue Alexandriae, quo loco et hi numi signati sunt, publice cultus, etsi sub serpentis imagine, ut docent numi Alexandrini cum capite Neronis. Quo jure Maximinus *pium imperatorem* sese profiteri potuerit, qui divina omnia humanaque jura protrivit, ad hunc numum in severum examen vocat Bandurius. Sed enim idem ausus est Licinius, ut patet ex insigni numo musei Caesarei, etsi verius istud turpi Alexandrinorum adulationi tribuendum sit.

* * *

Vt lit. G.

CONSVL. P. P. PROCONSVL. *Imperator togatus stans d. globum, s. scipionem, infra* MA. Est AV. (Pellerin Mel. I. p. 168.)

Maximinum consulem in Fastis vix reperias. Ergo consul in Oriente processit, quod discrimen hac aetate saepius observandum. Vide Fastos Relandi ad annum Christi 312.

* * *

Vt lit. G.

GAVDIVM. ROMANORVM. *Captiva tropaeo adsidens infanti mammas praebet.* AV. (Band.)

Eandem aversam jam in Maximiano Herculio vidimus, quem consule.

* * *

Antica varia.

GENIO *variis additis nominibus.* — HERCVLI. COMIT. CAESS. NOSTR. Est AV. (Tanini.) — HERCVLI. VICTORI. — IOVI. *vel* MARTI. CONSERVATORI. — SOLI. INVICTO. COMITI.

Hae aversae potiorem ejus monetae partem constituunt, suntque fere AE. II.

* * *

Vt lit. B.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AE. II. III. (Mus. Caes. Band.)

Praeclarum istud elogium primum Trajano publice decretum, subinde ab aliis principibus, sed raro adhibitum, hoc iterum aevo revocari coepit, ut non Maximini modo, sed et Licinii et Constantini numi testantur. Vide, quae ad numos similes in Licinio observabimus.

* * *

Vt lit. G.

VICTORIA. CONSTANTINI. AVG. *Victoria gradiens.* AV. (Band.)

Vt recte advertit Bandurius, hoc numo Maximinus Constantini de Maxentio victoriam V. C. 1065 P. X. 312 fremens frendensque celebrat, dissimulans tantisper dolorem, et omnibus in rebus potenti Constantino obsequens, sic ut edictum in Christianos revocaret. Sed

hoc adhuc anno hominem stolidum ratio et consilium deseret.

* * *

Vt lit. G.

X. MAXIMINI. AVG. SMA. *scriptum intra coronam.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 168.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei puri	RRRR.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei II. et III. formae	C.

M. AVR. VAL. MAXENTIVS.

Maximiani Herculii, et Eutropiae filius, etsi fuere etiam, qui supposititium crederent. Sive haec opinio, sive pessimi ejus mores in causa fuere, cur eum et pater Herculius, et socer Galerius praetereundum putarent tum, cum V. C. 1058. P. X. 305 duobus senioribus Augustis imperio abeuntibus novi Caesares designandi essent. Tamen hactenus dolorem continuit. Verum cum videret, ipsum etiam Constantinum V. C. 1059 agnosci Caesarem, id enimvero indignum ratus, populi studiis, quem sibi variis promissis devinxerat, fretus imperium in urbe arripit die XXVIII. Octobris, qua eadem post sexennium caesus est, ut dicetur infra.

V. C. 1059 P. X. 306. CAESAR.

MAXENTIVS. NOB. C. *Caput laureatum.*

FELIX. CARTAGO. *Mulier stans utraque manu expansa ramum, aut florem tenet, infra* PK. Est AV. (Mus. Caes.)

Eadem aversa est etiam in numo patris.

M. AVR. MAXENTIVS. NOB. CAES. *Caput laureatum.*

SALVIS. AVGG. ET. CAESS. FEL. KART. *Idem typus.* AE. I. et III. (Tanini, Mus. Caes.)

Non convenit hoc loco numis cum historia hujus aetatis superstite. Sane Bandurius ad numum ex propositis primum adfirmare non dubitat: *cave credas, Maxentium Caesarem unquam fuisse, quem Augusti nomen continuo sumpsisse constat.* At vero Maxentium Caesarem tantum laudati hi numi certae fidei profitentur. Idem probaret etiam numus musei Theupoli: MAXENTIVS. PRINC. IVVEN., sed pro quo haud dubie legendum: PRINC. INVICT. Sitne principio tantum in Africa agnitus Caesar, qua in regione propter mentionem Africae et Carthaginis forte hi signati numi, an primum modestior nihilo plus appetiverit Constantino, cui tum Roma Caesaris tantum titulum detulit, et cum quo uno illi de honore contentio exstitit, an

a patre demum, cum imperium resumpsit, dictus sit ipse Augustus, tacentibus historicis decidi nequit. Istud certum ex his numis, ei sub ipsum ortum mox accessisse Africam.

Eodem anno:
AVGVSTVS.

Hoc Maxentii motu intellecto Galerius Severum mittit, ut perduellem ad obsequium revocaret. Quo in periculo patrem ex Lucaniae solitudine, ubi privatam hactenus vitam egit, evocat, et Romae Augustum iterum appellat. Anno sequente V. C. 1060 a Severo Romae obsessus, cum hujus milites pecunia corrupisset, aemulum Ravennam fugere compellit, ibique sponte dedititium ad mortem adigit.

V. C. 1061 P. X. 308.
CONSVL.

Rebus hoc anno inter tot Augustos mire turbatis, nullis certis consulibus, Maxentius mense Aprili se consulem conlega filio Romulo edici jubet.

* * *

MAXENTIVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

FELIX. PROCESS. CONSVLAT. AVG. N. *Imperator togatus stans d. globum, s. scipionem, in imo* PR. Est AV. (Banduri.) AR. *sed praefixo in antica* IMP. (Mus. Caes.)

IMP. C. MAXENTIVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

FEL. PROCESS. CONSVL. AVG. N. *Imperator in quadrigis elephantorum d. lauri ramum, s. sceptrum a Victoria superne volitante coronatur.* AE. II. (Banduri, Noris de num. Dioclet. p. 32.)

Alius, sed imperator sexigis equorum vectus. AE. II. (Mus. Princ. de Waldeck.)

* * *

IMP. MAXENTIVS. P. F. AVG. CONS. *Protome laureata d. sceptrum cum aquila.*

CONSERV. VRB. SVAE. *Templum sex columnarum, intra quod Roma galeata sedens.* AV. (Tanini.) AE. II. (Mus. Caes.)

Teste Victore a) Maxentius exstruxit Vrbis fanum et basilicam.

V. C. 1062 P. X. 309.
CONSVL II.

Consul II. cum filio Romulo item consule II. procedit. (Tillemont, Fasti Relandi.)

IMP. MAXENTIVS. P. F. AVG. CONS. II. *Protome laureata d. sceptrum cum aquila.*

CONSERV. VRB. SVAE. *Templum sex columnarum, intra quod Roma sedens d. globum, s. hastam.* AV. (Tanini.) AE. II. (Mus. Caes.)

Conservatores urbis se profitentur etiam in numis synchronis Maximianus Herculius, et Constantinus Caesar. Fuerint tum adhuc causae, cur mitius urbs habenda videretur, quam serius omni immanitate dilaceravit.

* * *

a) in Caesarib.

IMP. MAXENTIVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*
CONSVL. II. P. P. PROCONSVL. *Imperator stans d. globum, s. hastam.* AE. II. (Tanini.)

V. C. 1064 P. X. 311.

Bellum in Alexandrum, qui purpuram in Africa sumpsit, movet, eumque per duces facile vincit. Ejus defectionis obtentu Africam totam caedibus et rapinis adfligit, Carthaginem non Africae modo, sed imperii ea aetate ornamentum, incendit, subinde Romae de praeclara hac sua victoria triumphat. In urbis postea excidium versus quanta promiscue atrocitate in omnem aetatem, ordinem, et sexum saevierit, docebunt historici.

Deficiunt certi hujus anni numi.

V. C. 1065 P. X. 312.

Maxentius bellum pridem meditatum Constantino denunciat illata causa ulciscendi patris, quem is ad mortem adegit. Variis primum minoribus praeliis ad Taurinum et Veronam victus tandem die XXVIII. Octobris prope Romam ad pontem Milvium internecione caeditur, eoque propter fugientium multitudinem rupto ipse in flumen praeceps mergitur, Romamque ac imperium longa formidine, quam incredibilis morum ferocia, turpitudo vitae, et avaritia incussere, liberat, postquam sexennio imperasset, sic ut eadem die caederetur, qua imperium auspicatus est, teste panegyrico incerti auctoris, qui est in Panegyricis hujus aetatis pag. m. 242. cap. 16.

Vxor filia Gal. Maximiani, cujus nomen ignoratur. Filius certus *Romulus*, de quo infra in ejus numis.

Numi Maxentii Aug. vagi.

A. MAXENTIVS. P. F. AVG. *praefixo etiam* IMP. *vel* IMP. C.
B. MAXENTIVS. PRINC. INVICT. (Banduri.) *vel* PRINCEPS. INVICTVS. (Tanini.)
C. IMP. C. MAXENTIVS. P. F. INV. AVG.
D. IMP. C. M. A. VAL. MAXENTIVS. P. F. AVG.

Caput fere constanter laureatum in omni metallo ac forma. Rarius caput leonis exuviis tectum, quem cultum a patre Herculio hereditarium habuit.

* * *

Vt lit. A.
AETERNITAS. AVG. N. *Dioscuri stantes cum hastis singuli singulos equos capistro retinent. In nonnullis in horum medio lupa cum gemellis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Post tot *Aeternitatis* typos hic novus, nulla tamen ejus certa ratione.

* * *

Vt lit. B.
CONSERVATOR. AFRICAE. SVAE. *Mulier crocodilum calcans d. signum militare, s. dentem elephanti.* AE. II. (Band.)

Numos hos signatos esse oportet sub initium ejus imperii, ut provinciae omnibus copiis instructae sibi benevolentiam conciliaret, de quo vide plura mox

infra in CONSERVATORES. KART. SVAE. Quam atrociter vero deinceps eam vexaverit, diximus ad annum V. C. 1064. Sitne animal, quod mulier calcat, vere crocodilus, licet istud testetur Bandurius, veniam, si dubitem, merebor. Crocodilus nequaquam Africae symbolum fuit, sed Aegypti, quae, utpote in Maximini potestate, ad Maxentium nunquam pertinuit. Supra in numis Diocletiani inscriptis: FEL. ADVENT. AVG. pro pedibus Africae leonem et taurum vidimus. Auctor musei Theupoli, cum similem numum describit, quale istud esset animal, definire non est ausus.

* * *

Antica varia.

CONSERV. *vel* CONSERVATORES. VRB. SVAE. *etc.*

Vide, quae ad numos sic inscriptos Maximiani Herculii post resumptum imperium disseruimus. Similem maximi moduli ex argento puro edidit Pellerinius. (Mel. I. p. 191.)

* * *

Vt lit. A.

CONSERVATORES. KART. SVAE. *Templum sex columnarum, in quo mulier stans utraque manu expansa ramum vel fructus tenet.* AE. II. (Mus. Caes.)

Perperam adserit Bandurius, duos principes, quos velut conservatores Carthago praedicat, Maxentium et Maximianum videri. At vero dubium non est, titulum hunc ad principes omnino tres pertinere, Maximianum Herculium, Maxentium, et Constantinum, cum is in omnium horum numis seorsim exstet. Ex his ergo numis invicte probatur, Africam et Carthaginem Maximiano iterum Augusto, et ejus filio Maxentio in locum Severi, cui destinatae fuere, adhaesisse, credo propter memoriam beneficiorum ab illo huic provinciae imperante adhuc Diocletiano testibus etiam numis impensorum, in ejusque honoris partem vocatum etiam Constantinum, cujus amicitiam rebus suis necessariam duxere. Quare cum supra ex numis Maxentii adhuc Caesaris viderimus, Africam sese mox ejus partibus adplicuisse, eodemque eam animo fuisse in patrem ad imperium reversum, certum est, Maxentium nequaquam demum post patris mortem, et victum Africae tyrannum Alexandrum eam sibi provinciam subjecisse, ut aliquibus ex dubia Zosimi narratione intellectum, sed jam etiam a Tillemontio argumentis ab historia petitis praeclare confutatum est [a]).

* * *

Vt lit. A.

MARTI. PROPAG. IMP. AVG. N. *Mars paludatus stans s. hastam, dexteram jungit cum muliere adstante, inter utrumque lupa gemellos lactans.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. A.

PRINCIPI. IMPERII. ROMANI. *Mars galeatus gradiens d. hastam, s. tropaeum super humero.* AV. (Theup.)

Mars propagator imperii, et idem *Princeps imperii Romani* nova sunt hujus dei elogia, quae Maxentii ingenium adinvenit.

Vt lit. A. et D.

---

a) Nota XXII. in Constantin.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *typis solitis.* AV. AE. II. (Band.)

Vt lit. D.

VICTOR. OMNIVM. GENTIVM. AVG. N. *Miles barbatus Victoriolam porrigit imperatori paludato stanti, ad cujus pedes altera figura supplex.* AE. II. (Band.)

Superbos id genus titulos sequens aetas adfatim suppeditabit, in nonnullis veros, in plerisque, ac praecipue in Maxentio, qui hostem externum non vidit, bellum nonnisi pudicitiae, alienis opibus, templis deorum indixit, plenos turpissimi mendacii.

* * *

Vt lit. A. In nonnullis caput Maxentii leonis exuviis tegitur.

VOT. QQ. MVL. X. — VOT. X. FEL. — VOT. QQ. MVL. XX. — *In alio cum epigraphe* VICTORIA. AETERNA. AVG. N. *legitur inscriptum clypeo:* VOT. XX. FEL. AE. III. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei et argentei puri	RRR.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei II. et III. formae	C.

ROMVLVS.

Maxentii filius, de quo aliud certum non tenemus, quam bis cum patre puerum admodum, ut vultus docet, processisse consulem (vide Fastos), mortuumque forte in altero consulatu a patre divum appellatum.

* * *

M. AVR. ROMVLVS. NOBILIS. CAES. *Caput nudum.*

IMP. C. MAXENTIVS. P. F. AVG. *Protome galeata d. hastam, s. clypeum.* AE. M. M. ex metallo duplice. (Mus. Caes.)

Numus mea sententia nimio suspectus, quod bona Italorum nostrae artis magistrorum venia, quibus fides probata fuit (nam ex Romano Carthusianorum museo Vindobonam transivit), dictum esto. Qui genuinum appellare volent, habebunt Romulum dictum quoque *M. Aurelium*, de quibus nominibus hactenus tantum ex Goltzii moneta constabat.

Divus Romulus.

DIVO. ROMVLO. NVBIS. CONS. *vel* NVBIS. C.

DIVO. ROMVLO. NVB. AVG. (Band.)

IMP. MAXENTIVS. DIVO. ROMVLO. NV. FILIO.

IMP. MAXENTIVS. DIVO. ROMVLO. NV. CONS. FILIO. (Theupoli.)

Caput in omnibus puerile nudum.

AETERNA. MEMORIA. *vel* AETER-

NAE. MEMORIAE. *Templum rotundum jam lapidibus quadratis structum, jam sex columnis suffultum, valvis jam clausis, jam semiapertis, cujus fastigio insistit aquila.* AV. Max. Mod. adpendens grana 309. (Pellerin Mel. I. p. 162.) AR. AE. II. III.

Quam fuerint varia eruditorum judicia in explicandis vocabulis partis anticae NVBIS. CONS. vel NV. FILIO, compendio recenset Iobertus, et qui in eum erudite commentatus est Baro Bimardus [a]). His recensendis immorari piget, quoniam judice etiam Bimardo nihil hactenus allatum est, quod vel probabilis conjecturae modum haberet. Neque mihi tantum est patientiae, ut Harduini sententiam super hoc argumento vel commemorem, vel refutem, qui *το* NVBIS. CONS. explet legendo N*ostrae* V*rbis* BIS. CONS*uli*. Cl. de Boze conjicit, Romulum forte dici N*ostrae* V*rbis* FILIVM eo sensu, quo Cotiaenses Varum in numis dixere ΤΙΟΝ ΠΟΛΕΩΣ, *filium urbis* [b]). Ingeniose istud. Verum si quis dici potuit Vrbis *filius*, an et Vrbis *consul*, vel *Augustus?* Sed inter haec ambigua manum a tabula.

PRETIVM.

Aureus citatus ex Pellerinio	unicus.
Argenteus purus (Beauvais)	unicus.
Aenei II. et III. formae	R.

ALEXANDER TYRANNVS.

Aliis natione Phryx, aliis Pannonius imperante Maxentio in Africa propraefectus, cum ab hoc insidias sibi parari intelligeret, jam aevo invalidus purpuram induit, sed missis paucis cohortibus levi certamine confectus est V. C. 1064 P. X. 311. Vide Zosimum, et utrumque Victorem.

* * *

IMP. ALEXANDER. P. F. AVG. *Caput laureatum imberbe.*

GLORIA. EXERCITVS. KARTH. *Imperator eques pacificatoris habitu*, *in imo* PRT. AE. II. (Pellerin Mel. I. p. 214. Tanini.)

Numus hic cum aliis hujus tyranni numis, et historicis parum conspirat, cum illi ejus faciem barbatam, hi provecta eum et debili aetate, at numus praesens imberbi eum, ac juvenili vultu sistat. Narrat Zosimus, fuisse huic Alexandro filium florente aetate ac forma decorum, quem sibi a patre dari obsidem petiit Maxentius. Quare malim filium hoc in numo exhiberi, quem si una a patre dictum Augustum statua-

a) Tom. II. p. 195. b) Mem. B. L. T. XV. p. 477.

mus, nihil adseremus magnopere repugnans ejus aetatis moribus ac licentiae, praecipue cum olim eadem Africa idem exemplum in duobus Gordianis dederit.

* * *

Eadem epigraphe. Caput laureatum barbatum.

INVICTA. ROMA. FELIX. KARTHAGO. *Africa stans spicas et uvam tenet, in imo* PK. AR. et AE. III. (Band.)

Eadem adversa.

ROMAE. AETERNAE. *Templi facies sex columnis fulta, in quo Roma galeata sedens d. Victoriolam, in imo* PTR. AE. III. (Band.) In alio: *Vir succincto habitu stans d. Victoriolam, s. hastam.* (Pembrock Part. III. tab. 30.)

Eadem adversa.

VICTORIA. ALEXANDRI. AVG. N. *Victoria gradiens, in imo* PK. AE. II. (Catal. d'Ennery p. 570.)

Eadem adversa.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Tria signa militaria.* AE. III. (Ibid. p. 633.)

Soli hi Alexandri numi hactenus sunt cogniti. Tamen placuit Goltzio, huic tribuere Alexandrinos Alexandri Aug. nomine insignes cum annis A. B. Γ. Δ., quo ejus praeconio decepti Tillemontius aliique hujus tyranni imperium in annum IV. prorogarunt. At enim numi hi aut per libidinem a Goltzio conficti sunt, aut sunt Alexandri Mamaeae; nam primum huic Alexandro nihil unquam in Aegyptum juris fuit, deinde Maxentii aetate nullos amplius in Aegypto numos Graecos fuisse signatos satis constat, ut jam in Diocletiano observavimus. Literas in imo positas PK. vel PTR. significare P*ercussus* K*arthagine*, vel TR*ipoli*, dubium non videtur, quoniam hae fuere illustres Africae urbes, extra cujus fines Alexander agnitus non est.

PRETIVM.

Aurei	O.
Argentei	RRRR.
Aenei II. et III. formae	RRRR.

VAL. LICINIANVS LICINIVS PATER.

Caeso V. C. 1060 P. X. 307 Severo, cum Gal. Maximianus alium suarum partium circumspiceret, persuasit Diocletiano et Maximiano Herculio, qui apud Carnuntum convenerant, ut in Licinio deligendo Augusto, homine agresti ac barbaro, consentirent, factumque istud die XI. Novembris ejus anni, etsi sint, qui sequentem malint. Quae tum provinciae novo Augusto administrandae traditae sint, non satis constat. Mortuo V. C. 1064 P. X. 311 Galerio, hujus provincias in Europa sitas sibi subjecit involante in Asiaticas Maximino.

Collisis inter se Constantino et Maxentio verisimile est hujus eminus dissidii spectatorem tantum fuisse, quin favisse potius Constantino, qui suam illi sororem Constantiam desponsaverat, nuptiis biennio post V. C. 1066 P. X. 313 perfectis. Eodem anno victo apud Heracleam Thraciae Maximino, qui bellum sibi intulerat, et Tarsi miserabili morte exstincto Orientem totum sibi vindicat. Anno sequente orto inter hunc et Constantinum bello, qui soli tum orbis arbitri fuere, multo utrinque sanguine fuso pax denique coaluit, qua Licinio Oriens cum Thracia et Moesiae parte, reliqua Constantino subjecta fuere. Ea cum per annos plures nulla aperta offensione, etsi ficta inter utrumque amicitia constaret, erupit denique V. C. 1076 P. X. 323 gravissimum ac postremum bellum auctore ipso Licinio violatas pacis conditiones palam querente, cujus is fuit exitus, ut acerrima pugna apud Hadrianopolin die III. Iulii victus, atque iterum juxta Chalcedonem XVIII. Septembris victoris arbitrio sese dedere cogeretur, a quo missus primum Thessalonicam, ac non multo post rerum novarum metu, ut creditum, morte adfectus est, ut militia bonus, ita artium omnium literarumque non rudis modo, ut esse debuit vir in agris natus educatusque, verum etiam eo usque osor, ut eas pestem ac exitium patriae appellaret, neque alia re magis delectaretur, quam cum viros praeclarum quoddam institutum professos tormentis subdere occasio fuit. Quo facto eum animum urbanitati et morum elegantiae invium abunde declararet, incredibilia non videbuntur, quae de ejus avaritia, fraudibus, ac infami libidine historia memoriae prodidit, et de arrogantia ac stupore eloquuntur numi.

Vxor *Fl. Constantia*, Constantii Chlori et Theodorae filia, Constantini M. soror. Caeso marito aliquamdiu superfuit a fratre liberaliter habita. Ejus hactenus numi non cogniti, nisi quos Goltzio fingere placuit.

Filius *Licinius*, de quo infra.

Licinius Pater utrum Caesar?

Diserte adserit Eusebius, Licinium antea Caesarem non fuisse, sed mox a Galerio appellatum Augustum. Idem testatur Lactantius, additque argumentum illo multo validius; nam refert, statuisse Galerium jam anno P. X. 305 sibi sociare Licinium Caesaris nomine, sed mutavisse consilium, ne filium cogeretur nominare, forte quod ille aetate anteibat, ut postea, addit, in Constantii locum nuncuparet Augustum atque fratrem. Haec aliaque argumenta, quae praeterea memorant Tillemontius [a]), et Norisius [b]), multum praestant paucis iis ex historia sumptis, quae Licinium antea Caesarem statuunt. Audiantur vero et numi. Quatuor produxit Bandurius, qui Licinium patrem omisso Augusti titulo Nobil. Caesarem faciunt. Vnum aureum, sed de cujus fide ipse dubitat, quia ex Stradae fonte haustus. Alterum aeneum maximae formae, in cujus aversa legitur EXERC.

a) Nota XIX. in Constantin. b) Diss. II. de num. Licin.

AVGVSTORVM captum ex Vaillantio, sed sibi non conspectum. At Vaillantii in hac causa nôn maxima est apud me fides, quem constat parum fuisse de numorum parte àntica solicitum. Ad haec, jam etiam additus capiti titulus D. N. dubitare non sinit, numum hunc esse potius filii Licinii, de qua peristasi mox plura. Supersunt aenei duo III. formae, quos Bandurius ex museis Fradeti et Chamillarti recitat, in quorum uno: IOVI. CONSERVATORI. altero: IOVI. CONSERVATORI. CAESS. Sed neque his testimoniis continuo videtur subscribendum. Nam cum utraque haec aversa obvia sit in numis Licinii filii, quin posterior haec nunquam alias in moneta Licinii patris comparuerit, verisimile est, si forte facies in his numis nonnihil sit exesa, aut si forte monetarii vitio ambigua sunt oris lineamenta, a viro praeclaro creditum esse patris numum, qui forte est filii; et quid tandem vetat post tot exempla suspicari monetarium incurium, epigraphen, quae filii est, patris capiti adpingentem? At quo minus hi numi ad patrem pertinere possint, plane prohibet titulus D. N. in his numis Licinii nomina praecedens. An credibile, Licinium vixdum ad imperium adlectum et adhuc Caesarem ausum adrogare sibi titulum non modo suapte invidiosum, ut supra in numis Diocletiani, ex quo privatus vixit, docui, sed quo neque Galerius, cui obnoxius ipse fuit, neque eorum ullus, qui praecessere, in summo fastigio ac liberrima quidquid agendi potestate usi sunt? etsi serius, cum Augustus esset, veterisque instituti ac juris palam contemptor, fiducia potentiae non dubitavit primus omnium involare in superbum hunc titulum, eumque cum filio infante liberaliter communicare, de quo vide plura infra in Observatis general. sub titulo *Domini nostri.* Accedat denique illustre testimonium Norisii, qui multa in museis nobilissimis facta inquisitione ne unum quidem professus est se reperisse Licinii patris numum cum solo Caesaris titulo [a]). Ergo secundum certiorem et historicorum et numorum fidem Licinius simul ad imperium adlectus simul Augustus fuit.

Numi vagi

ab anno V. C. 1060 P. X. 307 ad V. C. 1076 P. X. 323.

A. LICINIVS. AVG. *vel* P. *vel* P. F. AVG. *vel similiter.*

B. IMP. C. LICINIVS. *raro* LICINNIVS. AVG. *vel* P. *vel* P. F. AVG. *vel similiter.*

C. IMP. C. *vel hoc omisso* VAL. LICINIVS. P. F. AVG.

D. IMP. LIC. *vel* LICIN. *vel* LICINIANVS. LICINIVS. AVG.

E. IMP. C. VAL. LIC. LICINIVS. P. F. AVG.

F. IMP. C. F. VAL. LICIN. LICINIVS. P. F. AVG.

G. IMP. FL. CL. LICINIVS. P. F. AVG. (Band.)

H. IMP. C. GAL. VAL. LICINIANVS. P. F. AVG. (Band.)

I. P. LICINIVS. AVG. (Band.)

a) Dissert. de num. Licin. cap. I.

Caput fere semper laureatum in omni metallo et forma, raro galeatum, aut in AE. III. radiatum, aut protome d. fulmen, s. sceptrum tenens, de quo agetur infra sub titulo IOVIVS.

* * *

Vt lit. G.

BONO. GENIO. PII. IMPERATORIS. *Genius stans d. pateram, s. cornucopiae, infra* ALE. AE. II. (Mus. Caes.)

Numus hic ignotus fuit Bandurio. Vide, quae in Maxentio ad similem aversam notavi.

* * *

Vt lit. A.

CONSVL. P. P. PROCONSVL. *Imperator paludatus stans d. globum, s. parazonium, in area astrum, luna, item* ISINT., *in imo* ANT. Est AV. (Mus. olim de France.)

Numus hic pertinet vel ad consulatum IV. anni V. C. 1068, vel V. et postremum 1071, nam tempore praecedentium consulatuum Antiochia, qua in urbe cusus numus, Maximino paruit.

* * *

Antica varia.

IOVI. CONSERVATORI. *addito in aliis* AVG. *vel* AVGG. *vel* AVGG. NN. *Iuppiter variis, iisque obviis typis, in vario metallo.*

Praecipua numorum Licinii pars sic inscribitur manifesto ejus in Iovem adfectu, cujus causa patebit ex numis sequentibus.

* * *

LICINIVS. AVG. OBDV. FILII. SVI. *Caput Licinii adversum nudum.*

IOVI. CONS. LICINI. AVG. *Iuppiter d. Victoriolam, s. hastam adversus sedens super basi, cui inscriptum:* SIC. X. SIC. XX., *pro dei pedibus aquila, in imo* SMND. Est AV. (Mus. Caes.)

Numus ob epigraphen anticae in paucis memorabilis. Ex pluribus eruditorum sententiis ea maximam habet veri speciem, quae literas OBDV. sic explicat: OB. D*ecennalia* V*ota* FILII. SVI, juvante judicium istud ipsa etiam parte aversa, quae numum percussum docet eo anno, quo Licinius vota X. solvit, et XX. suscepit, nimirum V. C. 1070 P. X. 317, qui idem imperii annus X. fuit. At vero eodem hoc anno ex praestantissimorum chronologorum sententia Licinius filius a patre Caesar est appellatus, et tum pro more vota tam quinquennalia, quam decennalia pro eo suscepta publice fuere. D solum jam Commodi aetate usurpatum fuisse ad notandos D*ecennales*, in ejus numis ad annum V. C. 939 vidimus. Quod si quis compendium illud explicare vellet legendo: OB. D*ecretos* V., nempe *Quinquennales filii sui*, vel cum Vaillantio: OB. *Data Quinquennalia*, nolim magnopere repugnare. At minime ferenda Norisii sententia eas literas explentis: OB*lationem* DeV*otam* in dissertatione de numo Licinii, ut egregie pro ejus viri more erudita, ita referta conjecturis partim propalam falsis, partim ejus generis, quales ars nostra jam nimio fastidit. Eum, qui legendum putavit: OB. DV*plicem* V*ictoriam* FILII. SVI, jam, ut oportuit, explosit Bandurius, quod infantem bis victorem statueret. Qua vero laetitia, et inter quae solennia egerint imperatores quinquennalia, vel decennalia filiorum suo-

rum, docebit Nazarius sub initium Panegyrici sui ad Constantinum.

* * *

DD. NN. IOVII. LICINNII. INVICT. AVG. ET. CAES. *Duae protomae laureatae Liciniorum patris et filii Victoriolam d. simul sustinentes.*

I. O. M. ET. VICT. CONSER. DD. NN. AVG. ET. CAES. *Iuppiter stans d. fulmen, s. hastam coronatur ab adstante Victoria, infra* SMKΓ. AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem epigraphe. Similes protomae tropaeum simul d. sustinentes.

I. O. M. ET. VIRTVTI. DD. NN. AVG. ET. CAES. *Iuppiter s. hastam adstat tropaeo, infra* SMNTA. AE. III. (Mus. Caes.) Ex integerrimo hoc numo videtur corrigenda lectio Bandurii, IOV. pro I. O. M. scribentis.

Eadem epigraphe. Similes protomae Fortunae sigillum simul d. sustinentes.

I. O. M. ET. FORT. CONSER. DD. NN. AVG. ET. CAES. *Iuppiter stans d. Victoriolam, s. hastam, adstat Fortuna d. gubernaculum, s. cornucopiae, infra* SMKA. AE. (Mediobarbus ex museo suo, Tanini.)

In praeclaris his, et uni huic Augusto propriis numis observandi primum tituli DD. NN. et IOVII, sed de quibus opportunius agam infra in titulis; deinde praecipuus Licinii in Iovem suum adfectus, cujus causam infra in titulo *Iovii* exponam. Denique sigilla, quae in antica uterque Licinius manu sustinet, praeclare in aversa tam inscriptione, quam repetito typo explicata.

* * *

Vt lit. B.

SAPIENTIA. PRINCIPIS. *Noctua basi imposita inter clypeum, hastam, et galeam.* AE. III. (Band.)

Novus aversae modus. Neque enim adhuc haec vitae humanae magistra Sapientia locum in moneta Romana obtinuit, viliore prae virtutibus aliis loco habita, scilicet quae Romae templum, ubi decore habitaret, nacta non est, tot aliis vagae Fortunae constitutis a). Sapientiam exprimunt Palladis attributa omnia, quam *deam sapientissimam* oratorum princeps appellat b). Σοφος, *sapiens*, vetustissimo Graecorum aevo dicebatur πας τεχνιτης, vel χειρωνακτης, nimirum qui cum consilio, tum manuum ope insigne aliquod opus perfecit, qualem perhibent fuisse Daedalum, quibus studiis praeesse Pallas credebatur. Vnde apud Homerum c):

Αλλ' ώςε ςαθμη δορυ νηϊον ἐξιθυνει
Τεκτονος ἐν παλαμησι δαημονος, ὁς ῥα τε πασης
Ευ ἐιδη σοφιης, ὑποθημοσυνησιν Αθηνης.
Sed velut amussis lignum navale dirigit
Fabri in manibus periti, qui totam
Callet artem praeceptis Minervae.

Serius Pythagoras unam scientiam divini humanique juris *Sapientiam* dixit. Vide scholiastem et Eustathium ad hos Homeri versus.

Principe inter haec Minervae signa loco eminet noctua, sapientiae imago,

a) Plutarch. de Fort. Rom. b) Orat. pro Milone. c) Iliad. O. 410.

ac praeterea huic deae in deliciis; nam vigilare meditarique noctu credebatur, quod tempus consiliis maxime opportunum; unde et nox ἐυφρονη dicta ἀπο τȣ ἐυ φρονειν. Vide Vossium [a]). Causam etiam, cur sapientia noctuae tributa fuerit, Aesopus fabula lepida intulit, quam enarrat Dio Chrysostomus [b]). Ab avibus, inquit, invitatam noctuam, ut pro solis locis secum intra quercus tum primum natae laetos ramos habitaret. Illam contra suasisse, fugerent arborem, quae viscum genitura esset, certam generi perniciem. Quod illae consilium adspernatae, nato deinde visco cum facile ab hominibus caperentur, malo suo edoctas noctuae coepisse sapientiam admirari. Ergo haec avis a monendo perinde sapiens fuit credita, quam patrona ejus Pallas, de qua Festus [c]): *Minerva dicta, quod bene moneat. Hanc enim pagani pro sapientia ponebant.* Et idem alibi [d]): Promenervat *item pro monet.* Ceterum dolere posset haec artium magistra Pallas, suam sibi noctuam ab homine stupidissimo rapi, nisi videret ab eodem homine ignavo et imbelli patris fulmen possideri. Eadem aversa usus est etiam Constantinus M. In contorniato Honorii legitur SAPIENTIA typo Palladis.

* * *

Vt lit. B.

SECVRITAS. AVGG. *Imperator in quadrigis triumphalibus d. oleae ramum, infra* SIS. Est AV. (Mus. Caes.)

Videtur indicari securitas victo primum Maxentio, deinde Maximino utrique Augusto, Licinio et Constantino, parta, et dubitare non sinit numus praesens, impotentem Licinium everso aemulo triumphum de victoria civili in quapiam Orientis urbe egisse. Modestior Constantinus eadem quidem inscriptione usus est, sed typo multum diverso, nempe solito Securitatis, quae columnae innititur.

* * *

Vt lit. B.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AE. III. (Mus. Caes.)

Obvia aversa in Constantini, Maximini, et Licinii synchronorum moneta, et quoniam omnes hi numi tam typo, quam metallo ac etiam forma sunt simillimi, evidens est, uno omnes consilio fuisse percussos, decretumque hunc titulum principibus a senatu deferendi causa honoris, et quidem caeso Maxentio, quia hujus numum cum hac aversa nondum conspicere licuit. Istud si verum, numi id genus signati sunt ab anno P. X. 312, quo victus Maxentius, usque 313, quo Maximinus interiit.

* * *

Vt lit. A.

VBIQVE. VICTORES. *Imperator paludatus stans d. hastam, s. globum, hinc et inde captivus sedens, infra* PTR. Est AV. (Mus. olim de France.)

Similes aversae habentur in Constantino et Crispo, celebrari vero Augustorum ubique victorias, numus per se eloquitur.

* * *

a) Theol. gent. L. IX. c. 25. b) Orat. LXXII. p. 631. c) Sub Minerva. d) Sub Promenervat.

Vt lit. B.

VIRT. EXERC. *Vallum decussatum, cui insistit figura virilis nuda d. protensa, s. globum tenens.* AE. III. (Band.)

Hic typus in hujus aevi imperatoribus saepius redit. Esse vallum Ducangius conjicit; quo istud modo probet, ex ipso vide [a]), tum et Spanhemio [b]). Valli etiam formam habes in numis gentis Numoniae.

* * *

Vt lit. B.

VIRTVS. EXERCIT. *Vexillum inter duos captivos humi sedentes, cui inscriptum:* VOT. X. — VOT. XX. AE. III. (Mus. Caes.)

Antica varia.

VOT. XX. *inscriptum coronae, circum quam:* DOMINI. N. LICINI. AVG. *vel* INVICT. AVG. In aliis: VOT. XX. MVLT. XXX. *intra coronam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nomina ac tituli.

Privato nomen certum *Licinii* fuit. Additum *Liciniani* produnt numi et marmor, quod infra dabimus, et praenomen *Publii* numi bini apud Bandurium. *Galerii Valerii* nomina traxit a Galerio Maximiano adoptante. *Flavii* nomen in aliquot Bandurii numis repertum traxit certe a Constantio Chloro, cujus ex civili instituto filius fuit ducta ejus filia Constantia.

Iovius. Hujus appellationis auctor Diocletianus, quam is transmisit in Gal. Maximianum, hic in Maximinum, mox Licinium, scilicet lege adoptionis, Licinius denique in filium. Haec confirmata numis vidimus, tum iis, quae supra de hereditariis his nominibus in numis Constantii Chlori exposui. Atque hujus cum Iove cognationis causa tot Licinius numos cum ejus dei effigie feriri jussit, quot ante eum nemo, neque ingratus is adversus nepotem fuit. Nam ut Hercules olim filio Maximiano leoninum capitis integumentum, ita Iuppiter Licinio fulmen impertivit, quod ille, ut in antica nonnullorum ejus numorum videre est, manu terrifica vibrat, sed cujus aciem Constantinus Enceladus apud Hadrianopolin obtundet.

Dominus noster. Dixi supra in numis Diocletiani post abdicatum imperium signatis, huic primo invidiosum hunc titulum in numis datum, ut et collegae Maximiano Herculio, sed nonnisi tum, cum posito imperio privatae vitae sese dedere, si Aurelianum et Carum demas, qui conjunctos *Dei et Domini* titulos usurpavere. Fuit ergo delatus reverentiae causa, quemque Romani aversati sunt in imperante, tulere tamen in eo, qui fractus aetate, curisque pro republica susceptis in tranquillo otio consenuit, et velut medius inter imperantem et consecratum fuit. Enimvero Herculius, cum vitae privatae impatiens ad imperium redivit, simul Domini Nostri titulo valedixit, tanquam sibi iterum principi non amplius competeret. Abstinuerunt hoc titulo, qui proxime successere, Gal. Maximianus, Severus, Maxentius, Maximinus. Primum de-

a) Dissert. de num. inf. aevi §. 56. b) Tom. II. p. 228.

inde comparet in Liciniis, sed quod observandum, nunquam eum deprehendes in antica numorum Licinii patris, nisi quando una caput Licinii filii conjungitur, etsi obvii sint numi Licinii filii cum hoc in antica titulo. Tamen in aversa numorum, quibus vota continentur, patris nomini solitario constanter literae D. N. adduntur. Lege non absimili Constantinus M. in antica nonnisi rarissime D. N. appellatur, in votorum numis semper, at in filio Crispo haec appellatio obvia. Quod fuerit novum hoc institutum, ut aevo hoc Domini Nostri appellatio fere Caesaribus esset propria, decidere difficile. Vide de hoc titulo plura infra in Observatis generalibus.

Addo marmor insigne Licinii nomina ac titulos complexum, quod apud Bisicam Africae veteris coloniam vidit cl. Shaw [a]).

D. N. IMP. VALERIO. LICINIANO. LICINIO. AVG. MAX.
SARMATICO. MAX. GERMANICO. MAX. TRIBVNITIA
POTESTATE. X. COS. V. IMP. X. PATRI. PATRIAE. PROCONS.
COL. BISICA. LVCANA. DEVOTA. NVMINIBVS
MAIESTATIQVE. EIVS.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei puri max. mod.	RRRR.
Argentei moduli ordinarii	O.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei II. et III. formae	C.

VAL. LICINIANVS LICINIVS FILIVS.

Natus Licinio ex Constantia Constantini sorore V. C. 1068 P. X. 315, et post menses abhinc XX. teste Victore altero et Zosimo dictus Caesar collegis Crispo et Constantino Constantini M. filiis. Anno P. X. 319 quadrimus cum ipso Constantino M. consul procedit. Verum anno 323 victo patre purpura, ac post triennium, ut censent nonnulli, vita privatur.

Iovium fuisse dictum perinde ac patrem, vidimus in hujus numis. Titulum *Domini Nostri*, quem saepe jactat, vide in iisdem.

Ab anno V. C. 1070 P. X. 317. ad V. C. 1076 P. X. 323.

a) Voyages Tom. I. p. 215.

A. LICINIVS. NOB. CAES.
B. LICINIVS. IVN. CAES. *vel* N. C. *vel* NOB. CAES. *vel similiter.*
C. VAL. LICINIVS. NOB. CAES.
D. D. N. VAL. LICINIVS. NOB. CAES.
E. D. N. VAL. LICIN. LICINIVS. NOB. C.
F. FL. VAL. LICINIVS. CAES. (Band.)

Caput laureatum, vel protome galeata cum variis attributis. Nudum in aureo unico.

* * *

Vt lit. B.

BEATA. TRANQVILLITAS. *Globus coelestis impositus cippo, cui inscriptum:* VOTIS. XX. AE. III. (Band.)

Obvia aversa in numis Constantini M. et filiorum. De inscriptis VOTIS. XX. agetur in tractatu de numis votorum.

* * *

Vt lit. E. Caput Licinii adversum nudum.

IOVI. CONSERVATORI. CAES. *Iuppiter d. Victoriolam, s. hastam adversus sedens super basi, cui inscriptum:* SIC. V. SIC. X., *pro dei pedibus aquila, infra* SMNE. Est AV. (Band.)

Conferatur cum hoc numo alter patris prorsus geminus, inscriptus: IOVI. CONS. LICINI. AVG., nisi quod in hoc, ut oportuit, votorum numerus duplus est.

* * *

Vt lit. E.

IOVI. CONSERVATORI. CAESS. *Iuppiter stans etc.* AE. III. (Mus. Caes.)

Diximus, Licinio huic eodem tempore collegas fuisse additos Crispum et Constantinum juniorem.

* * *

Vt lit. B.

VIRTVS EXERCIT. *Vexillum inter duos captivos, cui inscriptum:* VOT. X. *in aliis:* VOT. XX. AE. III. (Mus. Caes.)

Antica varia.

VOT. V. *intra coronam, circa quam:* CAESARVM. NOSTRORVM. In aliis: VOT. V. MVLT. X. CAESS. *vel:* VOT. XV. FEL. XX. *intra coronam.* AE. III. (Band.)

Numus spurius.

Khellius ex museo olim de France numum aureum Licinii Caesaris edidit, in cujus aversa: FELICIA. TEMPORA typo solito quatuor Horarum, sed quem inter spurios ablegandum autopta ipse testari possum.

* * *

Licinius filius utrum Augustus?

Hujus suspicionem movet Bandurius ex numo musei Baudelot:

IMP. LICINIVS. P. F. AVG.
Caput Licinii filii laureatum.

FVNDAT. PACIS. *Figura nuda gradiens puerulum trahit, s. tropaeum super humero.* AE. III.

Vt supra Licinium patrem contra potiorem historicorum et numorum fidem ex numis aliquot ambiguis Caesarem nobis obtrudi vidimus, ita nunc juniorem ex hoc numo Augustum, de quo praestabit, opinor, idem ferre judicium,

quod de patris numis cum credito Caesaris titulo, et olim de numis aliquot Tetrici junioris cum titulo Augusti tulimus.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei puri, AE. I. II. formae	O.
Aenei III. formae	C.

AVRELIVS VALERIVS VALENS.

Intrusus a Licinio, restituta deinde cum Constantino M. pace dejectus ab eodem, et vita privatus est. Haec ex Ammiano, Zosimo, Victore Tillemontius.

* * *

IMP. C. AVR. VAL. VALENS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*
IOVI. CONSERVATORI. AVGG. *Iuppiter stans d. Victoriam, s. hastam, pro pedibus aquila, in imo* ALE. AE. III. (Catalog. d'Ennery p. 635.)

Ex tot Augustis, quibus Valentis nomen ex veterum testimonio fuit, huic uni, cujus modo vitam paucis dedi, in numum praesentem jus est. Paullo ante Licinium Alexandriae, qua in urbe numus se signatum profitetur, moneta Graece inscribi consuevit, paullo post dejectum Licinium falsorum numinum argumenta e moneta ordinaria imperatorum exulare coepere, intra quod curtum intervallum unicum hunc reperio, quem dixi, Valentem. Eum Ammianus Caesarem quidem tantum dixit, at Victor alter imperatorem a). Inter tyrannos vicini temporis, nempe Constantio Chloro, et Gal. Maximiano imperantibus, Goltzius refert eum, qui, ut ipse jactat, in numo Alexandrino dicitur AT. KAI. Γ. IOTΛ. OTAΛЄNC. ЄT. CЄB. L. A.

MARTINIANVS.

Licinius post varia sinistra praelia V. C. 1076 P. X. 323 bellum in Asia minore adversus instantem acriter Constantinum instaurans Martinianum officiorum magistrum sibi adscivit Caesaris nomine, ut Zosimus, et Victor alter docuere b), at secundum Victorem priorem cooptatum in imperium c). Verum dedere sese victoris arbitrio coactus una cum Licinio morte scenicum imperium commutavit.

* * *

D. N. MARTINIANO. P. F. AVG. *Caput radiatum.*

---

a) in Epit. c. 55. b) in Epit. c. 59. c) in Caesarib. c. 41.

IOVI. CONSERVATORI. *Iuppiter stans d. Victoriolam, s. hastam, pro pedibus aquila et captivus sedens, in area* XIIΓ, *in imo* SMNA, *vel* SMN. Γ. (Mus. Caes.)

Non exstant alii Martiniani numi. Citantur a Bandurio nonnulli cum epigraphe capitis: D. N. MARTINIANVS. P. F. AVG., sed hi ex Strada, Tristano, et Mediobarbo hausti sunt. Omnes, quos ipse viderit, aut ego, dandi casum offerunt. Percussos fuisse Nicomediae, non modo colligitur ex additis perpetuo literis SMN, sed etiam, quod Licinius extremo suo tempore apud hanc urbem consedit, et se una cum Martiniano dedere coactus est.

PRETIVM.

Aenei III. formae tantum, iique . . . . RRR.

CONSTANTINVS M.

Natus apud Naissum Dardaniae patre Constantio Chloro, matre Helena anno V. C. 1027 P. X. 274. Diem natalem Kalendarium Dionysii Philocali figit ad III. Kal. Martias. Cum patrem Diocletianus V. C. 1045 P. X. 292 appellatum Caesarem in Gallias mitteret, filium Constantinum obsidis nomine apud se retinuit, et propter egregia morum ac virtutis specimina eximie dilexit. Diocletiano et Maximiano V. C. 1058 P. X. 305 imperio abeuntibus, ut patrem Augustum ex Caesare appellatum laetatus est, ita caput suum in gravissimis versari periculis conspexit, Gal. Maximiano, qui Diocletiano successit, neque dimittere ad patrem volente neque apertis insidiis abstinente. Quare clam Nicomedia fuga elapsus, mutilatis, ut persequentes retardaret, equis publicis sub initium anni V. C. 1059 P. X. 306 ad patrem in Britanniam evasit, quo non multo post Eboraci die XXV. Iulii exstincto ipse eadem die animi totius exercitus voluntate Augustus adclamatur, cujus suffragiis cum palam resistere non auderet Gal. Maximianus, qui sibi, quod Diocletiani esset successor, supremam in imperium, et ipsos etiam imperantes potestatem arrogaverat, Constantinum saltem Caesarem, atque istud aegre agnoscit, quo nomine subinde ejus numi feriri coepere.

V. C. 1059 P. X. 306.
CAESAR. PRINC. IVVENT.
Fl. Constantio Aug. VI., Gal. Maximiano Aug. VI. cos.

Constantino patris provinciae, Galliae nimirum, et Britannia committuntur. Galerius Severum Caesarem pro Constantio defuncto Augustum appellat. Paullo post Romae Augustum se item dixit Maxentius, patrique Herculio ex Lucania evocato purpuram reddit. Constantinus Francos et Bructeros vincit,

et pontem lapideum in Rheno prope Agrippinam inchoat a).

V. C. 1060 P. X. 307.
CAESAR. PRINC. IVV. COS.
Val. Maximiano Aug. IX. Constantino Caes. cos.

Constantinus hoc anno consul testibus fastis etsi mire turbatis procedit. Causas adcuratius expositas vide apud Bimardum b). Severus Maxentium Romae obsidet, sed solvere obsidionem coactus captusque Ravennae Herculii jussu occiditur. Herculius ob hujus caedem Galerii vindictam metuens in Galliam proficiscitur, atque ibi Constantinum, ut benevolum eum sibi redderet, Augustum appellat data ei in uxorem filia Fausta. Revera Galerius Romae obsidionem adortus, sed a Maxentio depulsus et Italia ejectus Licinium pro Severo Augustum creat.

Numi Constantini Caesaris.

A. CONSTANTINVS. CAESAR. *vel* NOB. C. *vel* NOB. CAES.
B. FL. VAL. CONSTANTINVS. N. C. *vel* NOB. C. *vel similiter.*

Caput, vel protome laureata. Barbam inde ab Hadriano principibus placitam primus attondet. Ejus exemplum sequuntur successores ex eadem gente usque ad Iulianum.

* * *

Vt lit. B.

CONCORDIA. IMPERII. *Mulier stans d. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

PLVR. NATAL. FEL. *intra coronam quernam.* AE. III. (Band.)

Epigraphe hactenus et deinceps ignota, qua pius monetarius *plurimos natales felices* Constantino precatur. Ejus natales tres in Kalendariis produntur, unus naturalis, seu, ut vocabatur, genuinus, alter, quo creatus Caesar, tertius, quo Augustus. Vide haec comprobata apud Ducangium c).

* * *

Numi reliqui: CONSERVATORES. VRB. SVAE. *vel* KART. SVAE. — GENIO. POPVLI. ROMANI. — HERCVLI. CONSERVAT. CAES. — MARTI. PATRI. CONSERVATORI. *vel* PROPVGNATORI. — PERPETVITAS. AVG. — PERPETVA. VIRTVS. — PRINCIPI. IVVENTVTIS. — SALVIS. AVGG. ET. CAESS. FEL. KART. etc. quorum aversae hac aetate sunt obviae, et jam ex praecedentibus cognitae.

Eodem anno:

FILIVS AVGG.

Constantinus et Maximinus a Galerio *Filii Augustorum* appellantur, de quo titulo vide dicta supra in Maximino.

* * *

CONSTANTINVS. FIL. AVGG. *Caput laureatum.*

CONSVL. DD. NN. *Imperator togatus stans d. globum, s. scipionem, in area* Z, *in imo* SM. TS. Est AV. (Band. Baldin.)

Si nomine consulum, quos memorat

a) Eumenius Paneg. c. 13. b) ad Iobert. T. II. p. 376. c) Diss. de num. inf. aevi §. XLI.

aversa, intelligitur etiam Constantinus, numusque hic, quod verisimile, eodem anno est signatus, quo is primum consul fuit, dubium non erit, numum hunc ad annum, in quo sumus, pertinere, certumque non minus erit, jam hoc anno utrumque Caesarem dictum fuisse *Augustorum Filium*, quod factum in annum sequentem differt Tillemontius. Bimardus, qui numum hunc fuse explicat [a]), hunc titulum anno praesenti mecum vindicat, et nomine consulum intelligendos Constantinum et Maximinum filios Augustorum existimat. Bandurius recitata capitis epigraphe haec continuo subdit: *Caput non Constantini, sed Maximini laureatum.* At certum est testimonio Bimardi [b]), in hoc numo et epigraphen, et caput esse Constantini.

* * *

Eadem adversa.

GENIO. AVGVSTI. *Genius stans d. pateram, s. cornucopiae, infra* SIS. AE. II. (Mus. Caes.)

FL. VAL. CONSTANTINVS. FIL. AVG. *Caput laureatum.*

GENIO. CAESARIS. — GENIO. FIL. AVGG. *Idem typus. In numo priore in area* KPA., *infra* ALE. AE. II. (Mus. Caes.)

Advertendum, Constantinum tantum in provinciis Galerio et Maximino subjectis appellatum fuisse *filium Augustorum;* nam in suis agnitus jam fuit Augustus conferente honorem, ut diximus, Herculio, in quo dubium non est consensisse et filium Maxentium Italiae et Africae dominum. Vide hos numos copiose explicatos a Bimardo [c]).

V. C. 1061. P. X. 308.
AVGVSTVS COS.
Val. Maximiano Aug. X., Gal. Maximiano Aug. VII. cos.

Maximinus Augusti titulum invadit Galerio primum invito, mox cedente, et Constantinum quoque in ejusdem honoris societatem vocante. Hoc ergo anno Constantinus per totum imperium Augustus agnosci coepit. Fuere ergo eodem tempore praeter Maximianum Herculium Augusti omnino quinque Galerius Maximianus, Constantinus, Maximinus, Licinius, Maxentius. Constantinus Herculium compertis, quas sibi paraverat, insidiis Massiliae obsessum ad deditionem, et privatum iterum modum adigit.

V. C. 1062. P. X. 309.
Post consulatum Val. Maximiani Aug. X. *et Gal. Maximiani Aug. VII.*

V. C. 1063. P. X. 310.
COS.
II. post consulatum Val. Maximiani Aug. X., *Gal. Maximiani Aug. VII.*

Herculium novarum insidiarum convictum morte multat, Alemannos bello persequitur.

* * *

CONSTANTINVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

CONSVL. P. P. PROCONSVL. *Impe-*

a) ad Iobert. T. II. p. 366. seq. b) l. c. p. 375. c) l. c.

rator stans d. globum, *s. sceptrum.* AV. (Catal. d'Ennery.)

V. C. 1064. P. X. 311.
COS. DES. II.
Gal. Maximiano Aug. VIII. - - - cos.

Moritur Gal. Maximianus. Ejus provincias invadunt Licinius, et Maximinus. Audito, a Maxentio suas Romae eversas statuas, bellumque adversum se per causam ulciscendae necis paternae parari, ad bellum ipse accingitur. Ejus causa Licinio sororem Constantiam provide despondet. Teste Eusebio conspecto in aere crucis signo cum inscriptione: *in hoc signo victor eris*, Christiana sacra palam suscipit, et crucem vexillis, clypeisque infert, de quo vide plura infra.

V. C. 1065. P. X. 312.
COS. II. DES. III.
Constantio Aug. II. Licinio Aug. II. cos.

Maxentii duces primum apud Taurinum, dein Veronam, ipsum denique Maxentium postremo praelio ad pontem Milvium prope Romam vincit, quo Tiberi hausto cruentum bellum desinit. Constantinus triumphans urbem intrat. Hoc anno Indictiones incipiunt.

* * *

CONSTANTINVS. P. F. AVG. *Caput diadematum cum margaritis.*

P. M. TR. P. COS. II. P. P. *Figura duplici cornuicopiae insidens d. scipionem, in area astrum, in imo* PLN. AE. III. (Bimard ex mus. Rothelin B. L. T. XII. Mem. p. 425.)

V. C. 1066. P. X. 313.
COS. III.
Constantino Aug. III., Licinio Aug. III. cos.

Licinius Maximinum vincit paullo post Tarsi mortuum, totoque Oriente potitur.

V. C. 1067. P. X. 314.
COS. III. DES. IV.
C. Ceionio Rufio Volusiano II., Anniano cos.

Bellum Constantinum inter ac Licinium incertis causis motum, credo, mutua aemulatione ac diffidentia. Post varias in Pannonia et Thracia pugnas pax redintegratur imperio sic inter utrumque diviso, ut Licinio Oriens cum Thracia et parte Moesiae, reliqua Constantino cederent.

V. C. 1068. P. X. 315.
COS. IV.
Constantino Aug. IV., Licinio Aug. IV. cos.

CONSTANTIN. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

FELIX. PROCESSVS. COS. IIII. AVG. N. *Imperator togatus stans d. globum*, *s. parazonium*, *in imo* S. M. T. Est AV. (Olim mus. de France.)

Eadem adversa.

P. M. TRIB. P. COS. IIII. P. P. PROCOS. *Idem typus*, *infra* PTR. Est AV. (Mus. Caes.)

De titulo pontificis maximi adhuc retento vide infra ad hunc titulum.

* * *

IMP. CONSTANTINVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

TRB. P. CONS. IIII. P. P. - - *Imperator sedens d. globum, s. sceptrum, infra* TARL. AE. III. (Mus. Caes.)

CONSTANTINVS. MAX. AVG. COS. IIII. *Protome laureata d. globum cum aquila.*

SOLI. INVICTO. COMITI. *Sol stans d. elata, s. globum, in area* F., *infra* PLC. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

V. C. 1069. P. X. 316.
COS. IV.
Sabino, Rufino cos.

V. C. 1070. P. X. 317.
COS. IV.
Gallicano, Basso cos.

Kalendis Martiis Crispus et Constantinus Constantini M. filii, et Licinius Licinii filius Caesares appellantur.

V. C. 1071. P. X. 318.
COS. IV. DES. V.
Licinio Aug. V., Crispo Caes. cos.

V. C. 1072. P. X. 319.
COS. V. DES. VI.
Constantino Aug. V., Licinio Caes. cos.

V. C. 1073. P. X. 320.
COS. VI.
Constantino Aug. VI., Constantino Caes. cos.

CONSTANTINVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

FELIX. PROCESSVS. COS. VI. AVG. N. *Imperator togatus stans d. globum, s. sceptrum, infra* AQ. Est AV. (Mus. Caes.)

Antica incerta.

P. M. TRIB. P. COS. VI. P. P. PROCOS. *Imperator sedens in sella curuli d. globum, s. sceptrum.* AV. (Baldini.)

V. C. 1074. P. X. 321.
COS. VI.
Crispo Caes. II., Constantino Caes. II. cos.

V. C. 1075. P. X. 322.
COS. VI.
Petronio Probiano, Anicio Iuliano cos.

Ad hunc annum refertur bellum in Sarmatas, cujus et in numis fit mentio.

V. C. 1076. P. X. 323.
COS. VI.
Acilio Severo, Vettio Rufino cos.

Bellum cum Licinio nullis iterum causis satis apparentibus, sola, ut credibile, aemulatione motum. Licinium primo prope Hadrianopolin die III. Iulii, mox praelio maritimo duce Crispo, denique prope Chalcedonem XVIII. Septembris vincit, Nicomediae sponte dedititium Thessalonicam mittit, at paullo post contra datam fidem, ut nonnullis visum, occidi jubet.

V. C. 1077. P. X. 324.
COS. VI.
Crispo Caes. III., Constantino Caes. III. cos.

V. C. 1078. P. X. 325.
COS. VI. DES. VII.
Paulino, Iuliano cos.

Remotis aemulis et externis hostibus sui jam juris idolorum cultum persequitur et infestat, eorum multa templa aut solo aequat suffectis aedibus Christo sacris, concilio Nicaeno interest, cum episcopis in Christi divinitatem, et celebrandi paschatis tempus inquirit, eodemque tempore teste Eusebio [a]) vicennalia celebrat.

V. C. 1079. P. X. 326.
COS. VII.
Constantino Aug. VII., Constantio Caes. cos.

Romam proficiscitur, et paucos ibi menses moratus in Pannoniam abit urbem non amplius revisurus. Crispum filium, et Faustam conjugem inconsulte, ut creditur, et magna sua invidia occidi jubet. (Vide utriusque numos.) Constantinopolin aedificare incipit [b]).

V. C. 1080. P. X. 327.
COS. VII.
Fl. Val. Constantino, Maximo cos.

V. C. 1081. P. X. 328.
COS. VII. DES. VIII.
Ianuarino, Iusto cos.

Ad hunc annum pertinet marmor Ticinense plane ex vetere more [c]):

D. N. IMP. CAES.
FL. CONSTANTINO. MAXIMO
VICTORI. AVG.
PONT. MAX. TRIB. POT. XXIII.
IMP. XXII.
CONS. VII. PROCONSVLI

ex quo apparet etiam, Constantinum, ex quo Caesaream dignitatem suscepit, tribuniciam potestatem sibi vindicasse, ut computanti patebit.

V. C. 1082. P. X. 329.
COS. VIII.
Constantino Aug. VIII., Constantino Caes. IV. cos.

V. C. 1083. P. X. 330.
COS. VIII.
Gallicano, Symmacho cos.

Constantinopolin inde a quadriennio aedificari coeptam magnifico apparatu dedicat. Vide infra in numis inscriptis CONSTANTINOPOLIS.

V. C. 1084. P. X. 331.
COS. VIII.
Annio Basso, Ablavio cos.

V. C. 1085. P. X. 332.
COS. VIII.
Pacatiano, Hilariano cos.

Gothos Sarmatis infestos, dein ipsos Sarmatas bello petit, et obsequentes esse jubet.

---

a) Vita Constant. L. III. c. 15. b) Theophanes Chronograph. c) Maffei Mus. Veron. pag. 370. 1.

V. C. 1086. P. X. 333.
COS. VIII.
Fl. Delmatio, Zenophilo cos.

V. C. 1087. P. X. 334.
COS. VIII.
L. Acontio Optato, Anicio Paullino cos.

V. C. 1088. P. X. 335.
COS. VIII.
Iul. Constantio, Cejonio Rufio Albino cos.

Imperium inter filios et ex fratre nepotes dividit, sic ut Constantino natu maximo ditiones Constantii Chlori, Constantio Orientem, Constanti Illyricum, Italiam, Africam, Delmatio nepoti, quem Caesarem hoc anno dixit, Thraciam, Macedoniam, Achaiam, hujus fratri Hanniballiano Armeniam minorem, Cappadociam, Pontum regis nomine tribueret. Vota tricennalia hoc anno soluta.

V. C. 1089. P. X. 336.
COS. VIII.
Fl. Popilio Nepotiano, Facundo cos.

V. C. 1090. P. X. 337.
COS. VIII.
Feliciano, Ti. Fabio Titiano cos.

In medio apparatu belli, quod lacessitus ipse contra Saporem Persam paraverat, contracto morbo decedit die XXII. Maji anno imperii XXXII. aetatis LXIV.

In aestimandis tanti principis moribus rebusque gestis cautio, ne, si scriptoribus Christianis fidem omnem habeas, Constantinum tibi non hominem, sed deum aliquem, si Christianorum hostibus, ut Zosimo et Iuliano, hominem gravissimis flagitiis coopertum, et si quid est homine impuro abjectius, fingas. Istud exploratum, illos non semper ejus vitae morumque incorruptos fuisse judices, ne scilicet in religionis Christianae vindicem invidiam derivarent. Vno ut exemplo utar, cum Zonaras aliqua ejus proferre vitia ordiretur, confestim velut injecta calamo compede, *at nolim*, inquit, *pravum quid et perversum de divino hoc viro vulgari* a). Praestabit audire Eutropium inter utrosque medium, neque vel adfectu vel odio in partes tractum, qui innumeras in eo animi corporisque virtutes claruisse adserit, militaris gloriae appetentissimum, usum fortuna in bellis prospera, civilibus artibus et studiis liberalibus deditum, adsectatorem justi amoris, quem sibi et liberalitate et docilitate quaesivit. Alii, ut haec ejus decora non inficiantur, fuisse tamen ambitionis immodicum, qua ductus parem non tulit, et bella civilia concupivit, in molliore corporis cultu nimium, in aedificando, ornandisque urbibus profusum, quibus sumptibus ut sufficeret aerarium, ad injustas saepe rapinas fuisse conversum. Sane rerum secundarum insolentia fuisse mutatum in pejus, profiteri non dubitat Eutropius, ut qui primo imperii tempore optimis principibus, ultimo mediis esset comparandus, et adserit Victor, si his vitiis posuisset modum, opinione omnium,

a) Annal. L. XIII. c. 4.

qui cum votis ad usque astra extulere, haud multum abfuturum fuisse deo. Cum supplicium de Crispo praestanti virtute filio, et uxore Fausta sumpsit, etsi saltem in hac ex merito, tamen sive crudelitatis, sive praecipitis consilii notam jure abstulit, multumque inferior M. Aurelio est habitus, qui filium ad scelera proclivem, et perditis moribus uxorem tulit. Quod relictis avitis sacris Christiana palam amplexus est, ut intolerandum istud visum vetus institutum professis, sic omnibus encomiis a Christianae fidei cultoribus fuit celebratum, sed quas laudes corrupit, cum postremis imperii annis theologum se magis, quam imperatorem ferendo excessisse modum videretur, atque ex hac contentione istud obtineret denique, ut in celebri, quae tum agitabatur, de Christi divinitate controversia jam Catholicorum, jam Arianorum partes amplexus neutris satis faceret, multum adeo dissimilis sibi habitus, qui non multo ante datis severis literis hortari episcopos necesse duxit, ut (verba sunt ipsius Constantini) ab inanibus id genus ineptisque quaestionibus, quae puerilem magis inscitiam, quam sacerdotum sanam mentem sapiunt, neque ad totius religionis summam pertineant, aliquando sese abstinerent [a]). At gravissimum reipublicae vulnus inflixit, seu cum novam ad Propontidem Romam exstruxit, de quo agetur copiosius post Constantini monetam ad numos inscriptos CONSTANTINOPOLIS, seu quod non absterritus recentibus exemplis imperium inter tres filios duosque nepotes divisit totidem futuros aemulos, et litigatores in mutuam ruinam intentos.

Vxor I. *Minervina*, quam aliqui concubinam, non uxorem legitimam censuere. Fuit mater Crispi Caesaris. Ea numis caret.

Vxor II. *Fausta* Maximiani Herculii filia. De liberis ex ea susceptis agetur in ejus numis.

NVMI VAGI
ab anno V. C. 1061 P. X. 308 ad V. C. 1090 P. X. 337.

Opportune hoc loco commemoranda aliqua, quae generatim ad nonnullorum numorum, quos hic articulus complectitur, aetatem possunt pertinere.

I. Horum aliquos verisimile est jam anno V. C. 1061 P. X. 308 signatos fuisse, quo anno a Maximiano Herc. dictum esse Augustum constat. Valuit igitur Augusti titulus jam tum non modo in provinciis Constantini, sed haud dubie etiam Maxentii, nempe Italia et Africa. Verum hi numi non dignoscuntur.

II. Creditum nonnullis, numos Constantini, qui Iovem, Herculem, aut alia superstitionis argumenta ostentant, feriri desivisse, ex quo is Christicolam sese professus est, quod factum diximus anno P. X. 311. Sed enim in numo supra proposito consulatus IV., quem inivit P. X. 315, adhuc *Sol invictus comes* proponitur, et eadem deliria legas etiam in numis Crispi et Constantini filiorum, qui ante annum P. X. 317, quo Caesares creati sunt, signari

a) Euseb. in Vita Const. L. II. cap. 64 — 69.

non potuere. Verisimile ergo, haec veteris cultus testimonia tum exulare ex moneta jussa, cum victo caesoque anno P. X. 323 Licinio rerum unus potitus audentior ad istud imperandum fuit. Revera in numis filii Constantii, qui eodem hoc anno Caesar appellatus est, falsae religionis indicia non amplius observantur. Non igitur satis haec numorum tempora distinxit Bimardus, cum adseruit, ex ipsis his numis palam fieri, Constantinum deinceps quoque continuasse monetam cum indiciis veteris superstitionis ferire [a]). Atque etiam vel ex hac causa suspectum videatur Zosimi testimonium, qui adhuc post motum loco Licinium patriis sacris et hariolis usum, et lustrationes propter caesum injuste Crispum Faustamque a flaminibus petiisse, tum in condita ab se Constantinopoli statuisse aedem Castorum, simulacra Apollinis et Rheae adserit, etsi negari non possit testibus ipsis scriptoribus sacris, nonnulla deinceps quoque a Constantino fuisse constituta, quae cum Christianorum institutis componi non possunt, qualia plura recenset Tillemontius, et nescio, utrum heroem suum, quem immodicis ubique laudibus in coelum effert, plene excuset [b]).

III. Numi, in quorum inferiore segmento scriptum CONS., ante annum P. X. 330 signati non sunt, quia Constantinopolis, cujus nota hae literae sunt, hoc demum anno dedicata fuit.

* * *

A. CONSTANTINVS. AVG. *vel* P. AVG. *vel* P. F. AVG. *vel:* P. P. AVG. *praefixo etiam* IMP. *vel* IMP. C.

B. CONSTANTINVS. MAX. *vel* MAXIMVS. AVG. *vel* P. F. AVG. *aut similiter*, *praefixo etiam* IMP.

C. VIC. *vel* VICT. *vel* VICTOR. CONSTANTINVS. AVG.

D. FL. VAL. CONSTANTINVS. AVG. *vel similiter.*

E. IMP. GAL. VAL. CONSTANTINVS. P. F. AVG. (Mus. Caes.)

F. IMP. CONSTANTINVS. P. F. INV. AVG.

G. D. N. CONSTANTINVS. MAX. AVG. *in aliis:* CONSTANTINI., *in aliis sine* MAX.

H. *Sine epigraphe. Caput Constantini diadematum, intextis nonnunquam diademati margaritis.*

Caput laureatum in plerisque omnis metalli et formae, etiam galeatum, vel protome cum variis attributis, rarius radiatum aut nudum. Frequenter caput cinctum diademate intextis margaritis. Semel caput tectum nimbo, de cujus forma et significatione agemus in tractatu de numis inferioris aevi §. II. Vide infra numum: GAVDIVM. ROMANORVM.

Notandum, diadema, atque istud vel purum, vel unionibus aut gemmis illustre, quod deinceps perfrequens, nunc primum aperte imperatoris Romani caput ambit, jam olim in Constantino nostro observatum a Victore altero: *habitum regium gemmis et caput exornans perpetuo diademate.* Huc vero partim spectaverit Iulianus, cum delicias ejus,

a) B. L. T. XV. pag. 109. b) Nota 59 in Constantinum.

vitaeque luxum amare perstrinxit, tum et comam muliebrem in modum ornatam, et quae ibi alia id genus probra velut in Sardanapalum aliquem maligne despuit [a]). Confirmat isthaec Chronicon Alexandrinum, quo teste Constantinus omnium *primus tulit diadema ornatum margaritis*, aliisque pretiosis lapidibus. Synesius, cum in aurea sua περι βασιλειας oratione libertate plus quam Graeca Arcadii, et ejus aetatis principum luxum destringeret, in haec verba loquitur interprete Petavio [b]): *quonam tempore Romanas res melius sese habuisse putas? num ex quo purpurati et inaurati estis, lapillosque ex montibus et barbaro mari quaesitos alios redimitis, alios subligatis, alios cingitis, alios appenditis, alios fibulatis, alios insidetis?* Ne vero intemperantius videretur locutus, jam supra offensionem vitavit hoc usus praeloquio [c]): *Nec enim istud tua culpa commissum, sed eorum, qui primi morbi illius auctores exstiterunt, pestemque eam summo in pretio habitam temporum successioni tradiderunt.* Quibus verbis sugillari Constantinum, ex modo dictis colligi potest.

Observandum denique caput in coelum intuens, quale saepe in aureis ejus argenteisque numis occurrit, nullo altero ante ac postea exemplo. Audiamus scriptorum de hoc corporis habitu judicia. Ac primo quidem Eusebius in haec verba: *At vero quanta vis ferventis fidei ejus fuerit animae infixa, vel eo quis intelligat, quod in numis aureis ita imaginem suam exprimi curavit, ut videretur sursum intueri precantis more in Deum intentus. Ejus quidem numi exemplaria omnes Romani imperii fines pervasere.* Verum nisi magnopere fallor, hunc quoque capitis modum Iulianus, ut ejus omnia, derisui habet; nam huc collimasse videtur, cum narrat [d]), Constantinum in deorum concilium vocatum juxta Lunae limen adhaesisse; *eam enim*, verba sunt ejus, *prorsus deperibat, totusque in eam intuens nihil de victoria laborabat.* Sane gestus hic, quem numus refert, est hominis lunam aut sidera suspicientis; unde jocus. Nolim utrique scriptori in causa praesente omnem haberi fidem, quorum ille in Constantino suo nil nisi sanctum et coeleste, alter nil nisi sannis et opprobriis dignum videt. Forte aliud Constantino propositum non fuit, quam ut similis videretur Alexandro M., quem simillimo habitu fuisse effictum non scriptores modo veteres, sed et residua monumenta testantur, ut docuimus in ejus regis moneta. Forte et diadema ab hoc mutuatus est, quo primus imperatorum caput cinxit, nimirum ut et hoc eum referret, quem imitari volebat. Quid quod ab eodem *Maximi* titulum, quo saepe in numis utitur, cepisse videtur aucta in majus vanitate, cum Macedoni nonnisi *Magni* elogium tribueretur, de quo vide plura infra sub finem in nominibus Constantini. Huc facit cumprimis, quod militaris gloriae fuisse adpetentissimus Eutropio dicatur. Hanc ille cupiditatem si paullulum intendit, en tibi continuo alteram, ut non modo rerum gestarum laude, sed ore etiam, ac gestu prototypon suum referret. Quae hic de Ale-

a) in Caess. sub fin. b) Pag. 16. c) Pag. 14. d) in Caess. sub fin.

xandro sola inductus conjectura memoraveram, eximie roborantur verbis Eumenii in panegyrico, quem circa annum P. X. 310 ad praesentem Constantinum dixerat. Is cum primum in hoc praeclaram corporis formam, fulgorem oculorum, venerandam pariter et gratam majestatem collaudasset, mox addit: *talem MAGNVM illum REGEM* (Alexandrum intellige), *talem Thessalum virum* (Achillem) *mente concipio*, *quorum summa virtus pulchritudini conjuncta celebratur* [a]). Idem infra ad eundem Constantinum [b]): *Vidisti*, *teque in illius specie recognovisti*, *cui totius mundi regna deberi vatum carmina divina cecinerunt. Quod ego nunc demum arbitror contigisse*, *cum tu sis*, *ut ille*, *juvenis et laetus et salutifer*, *et pulcherrimus imperator*. En tibi certum indubitatumque Alexandrum. Qui tam patienter audire auribus sustinuit, esse se Alexandri cum virtute, tum forma simillimum, num incredibile videbitur, eundem et Alexandri gestum aut vere adfectasse, aut se eo fingendum curasse? aut an ausus fuisset Eumenius tam impudenter palpari Constantinum, nisi novisset rem gratam facturum imperatori, Macedonum eum regi utrinque adsimilando? Haec quae modo disputavi, si verisimilia videbuntur lectori, Constantinum propter hunc elati oris gestum neque continuo cum Eusebio velut uni coelo adfixum statuemus, neque cum Iuliano amaris conviciis impetemus, si hominem eum aeque meminerimus, a quo nihil humani alienum. Ceterum inique Iulianus Constantino amorem lunarem exprobrat. Nam si turpe, habere lunam amasiam, multo turpius habere solem catamitum, quam infamiam passim ipse sibi in suis operibus adspergit, ut dicetur in ejus moneta.

* * *

AVGVSTVS. *Caput Constantini laureatum.*

CAESAR. *scriptum intra quernam.* AR. m. m. (Band.)

Perspicuum videtur, Constantinum feriundis his numis adfectasse decus servatorum a Maxentii saevitia civium sumpto exemplo ex numis Octaviani, cum quibus praesens typo conspirat. Teste Victore [c]) Maxentii nece incredibile, quantum laetitia gaudioque senatus ac plebes exultaverint, quos in tantum adflictaverat, ut praetorianis caedem vulgi quondam adnuerit.

* * *

Vt lit. B.

CONSTANTINIANA. DAFNE. *Victoria columellae insidens d. hastam*, *s. palmam*, *juxta tropaeum cum adsidente humi captivo*, *in imo* CONS. Est AV. (Catal. d'Ennery.) AR. (Tanini.) AE. III. (Mus. Caes.)

Iuvat proponere varia eruditorum de hoc numo judicia. Fuere, qui censerent, eo indicari Daphnen celebre Antiochiae suburbium, forte a Constantino aedificiis ornatum. At valde miratur Bandurius, potuisse eruditis in mentem venire, docoratum fuisse a principe locum, in quo oraculum ad Iuliani aetatem perdurasse constat. At enim

a) Cap. XVII. b) Cap. XXI. c) in Caesarib.

qua ratione purgabit Constantinum, qui teste Suida, quem citat Tillemontius a), apud eandem Daphnen mortuae matris pientissimae Helenae simulacrum statui jussit? Huic sententiae praefert aliam, quae hos numos ad Daphnen palatii Constantinopolitani partem refert, de qua scriptor anonymus Graecus, quem citat: *Daphne ita dicta est, quod statua ibi collocata esset, quae Daphne appellabatur. Ipsa autem ex urbe Roma delata fuit, ubi et oraculum erat.* Omnium maxime verisimilis sententia est jam producta a Gretsero aliisque, intelligendam Daphnen castrum, quod in Danubii ripa a Constantino exstructum tradit Procopius b), a quo in Notitia imperii appellatos videmus *Constantini Dafnenses.* Hanc sententiam amplexus quoque est Spanhemius, quem lege copiosius disputantem Tom. II. p. 613, ac praecipue in Observationib. ad Iuliani imp. Orationem I. p. 266.

* * *

Vt lit. A.

CONSTANTINO. P. AVG. B. R. P. NAT. *Imperator paludatus stans d. globum, s. hastae adnixus.* AE. II. (Band.)

Diu in his numis lectum BAP. NAT. pro BRP. NAT. veteres antiquarios induxit, ut crederent, esse eos certa ac sincera monumenta suscepti a Constantino baptismi, quos inter fuit Begerus quoque c). Inveteratum errorem feliciter difflavit Harduinus restituendo lectionem veram, ut eam proposuimus, eamque explendo: B*ono* R*ei* P*ublicae* N*ato*, juvantibus marmoribus, quae exstant apud Gruterum pag. 159. 283. 284. 1023. Idem numus explicatur in Hist. Inscript. Tom. I. p. 259. Etiam Magnus Maximus, ejusque filius Fl. Victor in hujus numis dicuntur BONO. REIPVBLICAE. NATI.

* * *

Vt lit. H.

CONSTANTINVS. AVG. *Victoria gradiens.* In aliis: *una pluresve laureae junctae.* AV. AR. AE. III. (Mus. Caes.)

CONSTANTINVS. MAX. AVG. *Caput laureatum.*

CONSTANTINVS. AVG. *Victoria gradiens*, *infra* CONS. AV. (Mus. olim de France Vindob.)

Notanda in his numis epigraphe capitis aut omissa in antica, et in aversam trajecta, aut in aversa repetita, cujus plura habentur in moneta Constantini exempla.

Vt lit. B.

CONSTANTINI. AVG. *Duae Victoriae stantes coronam una tenent*, *cui inscriptum* VOT. XXX., *in imo* T. Est AV. max. mod. adpendens aureos Hung. fere 8. (Mus. Caes.) *)

---

a) ad ann. P. X. 327. b) L. IV. de Aedific. Iustin. c) Thes. Br. T. III. p. 178.

*) Est hic numus pars illustris ejus thesauri aurei anno proxime elapso 1797, in Hungaria prope Szilagi-Somlyo monti Magurae adsitum reperti, et complexi numos aureos eo volumine, quo majores usque modo conspecti non sunt. Quas ego recentes musei Caesarei opes hoc adhuc anno cum eruditis communicare constitui. NB. *Praeoccupavit mors; cel. auctoris promissum XXVIII. annis post absolvit, dissertatione gallice edita: Notice sur les médaillons romains en or du Musée imp. et royal de Vienne trouvés en Hongrie dans les années MDCCXCVII et MDCCCV Vienne* 1826. *Ant. Steinbüchel, eidem thesauro caesareo numorum gemmarumque veterum et rei antiquariae in universitate Vindobonensi docendae praefectus.* Nota edit.

Conjungendae in praeclaro hoc, neque adhuc cognito numo binae epigraphes partes avulsae, sic ut sensus sit: VOTa XXX. CONSTANTINI. AVG.

* * *

Vt lit. H.

CONSTANTINVS. CAESAR. *Victoria gradiens.* AV. (Mus. Caes.) In aliis: *Tres spicae erectae.* AR. (Band.)

Epigraphe aversae Constantinum filium notat, ut mox eodem exemplo et Crispum videbimus. Typus trium spicarum allegoricus certe, cui explicatum nimio vagum quaesivit Bandurius. Verisimile est, quod censet Baldinius, indicari tres Caesares Crispum, Constantinum, Licinium in spem reipublicae succrescentes, aut verius, si extremis Constantini annis signatus est numus, existimo, intelligendos tres Caesares filios, suggerente judicium istud Eusebio, qui Constantinum in trinis filiis Caesaribus fecundum tritico comparat [a]).

* * *

Vt lit. H.

CRISPVS. CAESAR. *Victoria gradiens.* AV. (Band.)

Vt lit. A. et B.

CRISPVS. ET. CONSTANTINVS. IVN. NOB. CAES. *Vtriusque caput laureatum se respiciens.* AV. (Band.) In aliis: CRISPVS. ET. CONSTANTINVS. CC. *Idem typus, sed capita nuda.* AR. (Mus. Caes.)

Vt lit. B.

DEBELLATORI. GENTIVM. BARBARARVM. *Duae figurae militares paludatae stantes, quarum dexterior galeata, s. scutum tenet, d. capiti pueruli stantis innixa, sinisterior dextera extenta, s. paludamentum colligit, in imo* GOTHIA. TR. Est AV. (Morelli Specim. tab. VII.)

Vt lit. C.

DEBELLATORI. GENT. BARBAR. *vel* GENTT. BARBARR. *Imperator eques spiculum in captivum vibrat, sub equi pedibus alter prostratus.* AE. max. mod. (Band.)

Ad Gothos debellatos pertinent hi numi, de quo argumento agam infra ad numum: VICTORIA. GOTHICA.

* * *

Vt lit. G.

EQVIS. *(sic)* ROMANVS. *Imperator eques pacificatoris habitu, infra* SMN. AV. max. mod. (Mus. Caes.)

Singularem hunc numum explicare aggressus Khellius nihil reperit validum, quo posset aenigma expediri [b]), neque me ego magistro meo ausim feliciorem sperare, nisi forte ad *Principem juventutis*, quo Constantinus titulo, etiam cum Augustus jam esset, in numis frequenter utitur, adludit, atque hic κατ᾽ ἐξοχὴν appellatur EQVIS ROMANVS, cum princeps juventutis idem esset ac princeps equestris ordinis. Notandum in hoc numo insolitum EQVIS pro EQVES.

* * *

Vt lit. B.

EXVPERATOR. OMNIVM. GENTIVM. *Figura militaris spoliis insidens inter duos captivos humi sedentes d. Victoriolam, s. hastam.* AE. max. mod. (Band.)

Plena est Constantini moneta novis immodicisque titulis, sed quos fastidias, etiam cum veri sunt. Vidimus in Com-

a) Vita Constant. L. IV. c. 72. b) Subplem. p. 238.

modi numis Iovem *Exuperantissimum*, tum vero Commodum ipsum *Exuperatorium*, derivato etiam hoc nomine in mensem Decembrim.

* * *

Vt lit. A.

FELICIA. TEMPORA. *Quatuor Horae cultu solito.* AV. (Band.)

Vt lit. A.

FELICITAS. REIPVBLICAE. *Imperator sedens in suggestu adstantibus pone duabus figuris paludatis hastatis, infra tres figurae flexis genibus manum attollentes.* Quin. AV. (Mus. Caes.)

Nimirum parta felicitas barbaris ad petendam pacem adactis.

* * *

Vt lit. A.

GAVDIVM. ROMANORVM. *infra* ALAMANNIA. In aliis infra: FRANCIA. *Tropaeum, juxta quod mulier moesta humi sedens.* AV. (Mus. Caes.)

Vt lit. A. Protome Constantini capite nimbato d. globum, cui insistit Victoriola.

GAVDIVM. ROMANORVM. *infra:* FRANC. ET. ALAM. *Tropaeum, juxta quod hinc et illinc mulier moesta humi sedens.* AV. (Morelli Specim. p. 82.)

De Francis et Alemannis a Constantino saepe, et vario tempore devictis pleni sunt ejus aetatis scriptores cum sacri tum profani, tum et panegyricorum conditores. Vt suapte volupe est audire hostes suos bello attritos, sic poterant etiam Alemanni et Franci in sensu populi Romani, quem spectaculorum atrocitate supra modum delectatum novimus, *gaudium Romanorum* vere dici. Nam Constantinus noster teste Eutropio [a]) *caesis FRANCIS atque ALAMANNIS reges eorum cepit, et bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, objecit.* Atque ab hoc tempore *Ludi Francici*, qui notantur in Kalendario Philocali, quod Lambecius ex bibliotheca Caesarea edidit, agi coepere.

Praeter Franciam et Alemanniam vidimus supra etiam scriptum in imo GOTHIA in numo DEBELLATORI etc.

Nunc primum occurrit caput Augusti nimbo cinctum, cujus serius usus magis invaluit, ut dicemus in tractatu de numis inferioris aevi §. II.

* * *

Vt lit. A.

GLORIA. EXERCITVS. GALL. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AV. (Band.) AR. (Mus. Caes.)

Vere dictum, nam exercitui Gallicano Constantinus laeta primordia et victum Maxentium debuit.

* * *

D. N. CONSTANTINVS. P. F. AVG. *Caput Constantini velatum, pone* A.

IN. HOC. SIN. *(sic)* VIC. *Monogramma Christi imminente astro, in area* S. C. Est AE. max. mod. (Mus. Pisani tab. 81.)

Numisma istud adeo multis ex causis est insolens, ut non verear propalam adulterinis accensere, neque a sententia dimoveri me patiar auctoritate adprobantium illud sive Mazzoleni in suis ad Pisani numos commentariis, sive recentiore cl. Toderini in dissertatione sua Italice scripta de Constantiniana crucis

a) L. X.

apparitione pag. 60. De monogrammate Christi agemus infra ad numum: SPES. PVBLICA.

Antica varia.

IOVI. CONSERVATORI. etc. numi in Constantino quoque obvii, de quibus vide, quae mox initio *numorum vagorum* monui.

* * *

Vt lit. A.

LIBERATOR. ORBIS. *Imperator eques d. elata, sub equi pedibus leo jacens.* AE. III. (Band.)

Novus titulus captus ex conculcatis sive aemulis, sive barbaris, qui utrique orbi perniciosi fuere, et in hoc numo imagine conculcati leonis adumbrantur.

* * *

Antica varia.

MARTI. CONSERVATORI. — MARTI. PATRI. CONSERVATORI. — MARTI. PATRI. PROPVGNATORI. — MARTI. PATR. SEMP. VICTORI. *variis Martis typis.* AE. II. (Mus. Caes.)

Antica varia.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *typis variis in omni metallo et forma.*

Vt frequens est hic titulus Constantino etiam Augusto in numis adjectus, ita deinceps in Augusti cujuspiam numo non amplius reperitur.

* * *

Vt lit. A.

PRINCIPIS. PROVIDENTISSIMI. *Cippus, super quo noctua, et epigraphe:* SAPIENTIA, *hinc galea, illinc clypeus et hasta.* AV. AR. (Mus. olim de France, Band.)

Parum differunt hi numi ab aliis inscriptis: SAPIENTIA. PRINCIPIS, quos dabimus infra.

* * *

Antica incerta.

RECVPERATOR. VRBIS. SVAE. *Miles stans imperatori sedenti Victoriolam offert.* AE. III. (Catal. d'Ennery, Bimard ad Iobert. T. I. p. 272.)

Numi epigraphe ut nova, et insolens, sic proni explicatus.

* * *

Vt lit. A.

ROMAE. RESTITVTAE. *Roma sedens d. florem, s. globum zonis divisum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nimirum caeso urbis tyranno Maxentio, quo nemo atrocius Romae incolas adflixit. Vere secundum hunc numum refert Victor a), aegerrime populum Romanum Constantini mortem tulisse, *quippe cujus armis, legibus, clementi imperio quasi novatam urbem Rom. arbitraretur.*

* * *

Vt lit. B.

SALVS. REIP. *Pons lapideus trium fornicum, super quo Victoria gradiens s. tropaeum super humero, dextera imperatori insequenti cum hasta et clypeo viam commonstrat; utrique occurrit barbarus supplice gestu, infra figura fluvii decumbentis scripto juxta* DANVBIVS. AE. max. mod. (Pellerin Mel. I. p. 215.)

Vt lit. B.

SALVS. REIP. *Pons lapideus trium fornicum, super quo miles d. hastam mulierem fugientem et respectantem persequitur, aut forte viam commonstrantem insequitur.*

---

a) in Caesarib.

juxta aliae duae supplices flexis genibus; hinc fluvius humi sedens d. urnam, ex qua aqua profluit, s. arundinem, inde turris, in ipso flumine duae naves cum remigantibus, in imo: DANVVIVS. AE. praegrandis moduli. (Mus. Caes.)

De his numis, quia historiam juvant, curatius agendum. Primus numum his similem ante annos bene multos, scilicet 1559, edidit Sebastianus Erizzus [a]). Eum reticet Occo inter numos Constantini nostri. Alium ab Erizziano parum diversum inter numos suos exhibet Oiselius [b]), quem deinde in catalogum suum ad annum P. X. 328 recepit Mediobarbus, et, nescio, quo auctore, *aureum* pronunciat, cum tamen metallum taceat Oiselius. Mediobarbum haud dubie indicem secutus Baldinius inter aureos illi locum dedit. Bandurius id genus numos ipse non vidit, unumque testem Mediobarbum appellat. Eorum igitur fides major non est, quam quantam praestare possimus aut Erizzo, aut Oiselio, aut Mediobarbo. Istud adfirmare possum, numum ex his alterum, quem ex museo Caesareo indicavi, offerre multa, quae suspectum reddunt, aut potius plane condemnant, etsi mercem ex Romano Carthusianorum museo advectam probaverint Itali ejus aetatis antiquarii, et video, Froelichium quoque in eo adprobando fuisse difficiliorem [c]). Neque mitiorem meretur censuram is, quem ex Pellerinio stiti. Enimvero literarum in eo forma, si modo pictura archetypo respondet, Neronis aut huic vicinum aevum sapit, certe ejus aetatis, in qua sumus, non est. Non auderem diversum sentire a viro maximae in scientia nostra auctoritatis, nisi fateretur ipse, aliis quoque numum suum visum fuisse suspectum, quorum deinde judicia ut refelleret, nequaquam, quod faciendum maxime fuerat, argumentis a fabrica petitis absolvere numum laboravit, sed probare aggressus est, Constantinum perinde atque olim Trajanum lapideum in Istro pontem facere *potuisse*, quod nemo negaverit.

Suspectis igitur horum numorum testimoniis nondum adsentiri cogimur auctoritati Chronici Alexandrini, quod ad annum P. X. 328 refert, Constantinum *iterum ac saepius Danubium transgressum, et pontem in eo LAPIDEVM fecisse* (γεφυραν λιθινην), aut Theophanis idem narrantis [d]), et satis inepte factum istud jam anno imperantis Constantini XXII., jam XXIV. adfigentis. Pontis lapidei molimen in Danubio, quantus in Moesia fluit, majus est, quam ut sufficere ad fidem extorquendam possit Chronicon tot nugis naeniisque refertum. Et vero si is opere caementicio fuit, necesse esset, ejus hodieque aliqua exstare vestigia, ut exstant pontis Trajani duobus fere saeculis vetustioris, quae tamen adhuc per omnem ejus alveum comperta non sunt. Novi equidem, Constantinum in Rheno apud Agrippinam pontem lapideum anno P. X. 310 molitum, de cujus veritate dubitari nequit, cum istud adserat Eumenius in panegyrico, quem praesenti Constantino dixerat [e]). At quo tempo-

a) Discorso sopra le med. p. 567. b) Tab. 24. c) Cimel. Vindob. Parte II. p. XXV.
d) in Chronographia. e) Panegyr. VII. cap. 13.

re haec dixit Eumenius, inchoatus tantum fuit, interruptum autem fuisse opus, eo colligunt eruditi, quod nullae ibi tantae substructionis in flumine supersunt reliquiae. Et vero consilium faciendi in Istro pontis lapidei tanto esse debuit priore impeditius, quanto Ister Moesiae Rhenum aquarum mole excedit. Vtriusque Victoris testimonia, quae nonnulli huc arcessunt, nihil decidunt, quorum ille in Constantino; *pons per Danubium ductus*, alter: *hic* (Constantinus) *pontem in Danubio construxit*, at neuter addit: *lapideum*. Quare vero est similius, non fuisse nisi navalem, qui si junctus fuit, ubi flumen ad exitum properat, quo loco propter collectas ex media Europa aquas immensus fertur, non minoris opus moliminis intelligemus, quam olim fuit Xerxis Hellespontum ponte jungentis, a tot scriptoribus copiose celebratum. Eodem in tractu Darium Hystaspis, cum bellum Scythis inferret, suum traduxisse exercitum facto in Istro ponte narrant Herodotus, Strabo [a]), et Trogus, sed et hic navalis tantum fuit. Comes Marsilius, quo loco de jactato hoc Constantini ponte loquitur [b]), perlustrato per omnem hunc tractum flumine, cum nullas reperisset tanti operis reliquias, narrat, auditu sese ab accolis accepisse, cum Danubius subsidere solet, prominere ex ejus superficie trabes ligneas paullo supra eum locum, quo Aluta cum Danubio miscetur. Vix credam, pontis lignei vel ipsas reliquias saeculis XIII. et amplius durare posse, in quod inquirant alii. Mihi ad causam praesentem satis esto, ipsi Marsilio totam eam viciniam, fluminisque meatum attente perscrutato nihil de ruinis caementiciis pontis Constantiniani unquam fuisse compertum. Quare nisi a viris pluribus rei numismaticae egregie peritis similem approbari numum intellexero, licebit de exstructo in Danubio ponte lapideo dubitare. Ceterum si veros demus hos numos, graphice secundum eorum typum dixit Eumenius [c]): *insuper etiam Agrippinensi ponte faciundo reliquiis adflictae gentis insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat.*

* * *

Vt lit. A.

SAPIENTIA. PRINCIPIS. etc. Vide numos similes in Licinio, tum et alios Constantini inscriptos: PRINCIPIS. PROVIDENTISSIMI, quos supra dedi.

Vt lit. A.

SARMATIA. DEVICTA. *Victoria vario cultu.* AR. AE. III.

De bello Sarmatico et Constantini victoriis vide Zosimum.

Vt lit. A.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AV. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

Vide, quae ad numos similes in Licinio notavi.

* * *

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAX. P. F. AVG. *Protome laureata, in ambitu XII. signa Zodiaci.*

S. P. Q. R. QVOD. INSTINCTV. DIVINITATIS. MENTIS. MAGNITVDINE. CVM. EXERCITV. SVO. TAM.

a) L. VII. p. 409. b) Danub. T. II. p. 37. seq. c) L. VII. p. 409.

DE. TYRANNO. QVAM. DE. OMNI. EIVS. FACTIONE. VNO. TEMP. IVSTIS. REMP. VLTVS. EST. ARMIS. ARC. TRIVMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT. *intra coronam lauream.* AE. max. mod. (Band. Pembrock P. III. tab. 89.)

Esse ex contorniatorum genere adfirmat Bandurius. Qualiscunque dicatur, mihi opus antiquum non videtur. Quidquid erit, elogium hoc idem omnino est, quod in hunc diem legitur in arcu Constantini Romae prope amphitheatrum Flavium erecto causa victi Maxentii, et reipublicae ejus metu liberatae. Verba: *instinctu Divinitatis* ex multorum recentiorum mente ad famigeratam divinae crucis apparitionem, de qua continuo, sunt referenda.

* * *

Vt lit. B.

SPES. PVBLICA. *Serpens, cui insistit labarum, cui superpositum est monogramma Christi.* AE. III.

Hic numus exstat apud Ducange, ex quo eum Bandurius hausit, tum Oiselium [a]). Similem, eumque integerrimum vidi in illustri museo principis de Waldeck scripto infra CONS., id est: CONS*tantinopolis.* Iudicibus Ducangio et Oiselio indicat hic typus, in contritione veteris serpentis per nomen Christi *spem publicam* consistere. Me autem commonefacit ejus, quod narrat Eusebius [b]), Constantinum publice proposuisse effigiem suam, cujus capiti imminebat salutare signum, et sub pedibus erat diabolus draconis forma.

Si sacros infimi aevi scriptores audias, obvios esse oporteret Constantini numos crucis, aut etiam ipsa Christi insignes imagine. Testatus utrumque est Ioannes Damascenus [c]). *Pietatis*, inquit, *in Christum verum Deum nostrum praecipuum argumentum fuit, quod imperatorio ac publico numismati salutaris crucis, quod in coelo viderat, signum, Christique Dei hominis venerandam imaginem cum sua ipsus impresserit.* Et refert Sozomenus [d]), Constantinum imaginem suam seu in numis expressam, seu pictam in tabulis jussisse semper divino crucis signo inscribi et consignari. Haec si de consequentium imperatorum numis essent effati, lubenter eorum sententiae accederem. Verum excute universam Constantini monetam, nunquam in ea aut Christi imaginem, aut Constantini effigiem cruce insignem, reperies, nisi forte boni hi, ac religiosi viri in monumentis his cruces videre amabant, quae aut cruces non fuerunt, aut ut cruces Christianae intelligerentur, hoc consilio ab artificibus formatae non sunt. Constat enim, jam ante Constantini tempora cupidos ecclesiae patres res quascunque in crucis formam convertisse. Iustino martyri et philosopho cruces fuere vexilla, et tropaea, quibuscum, inquit, vos Romani semper in publicum proceditis, ac in eis vestri imperii et potestatis insignia constituitis, licet id ipsi non advertatis. Quin, addit, et morientium apud vos imperatorum imagines in hanc formam consecratis, eosque literis inscriptis appellatis de-

a) Tab. LIV. 11. b) Vita Constant. L. III. cap. 3. c) in Synod. ad Theophil.
d) H. E. L. I. cap. 8.

os a). Atqui idem vir sanctus paullo supra etiam eo bruta distingui ab hominibus adserit, quod hi in vultu nasum a fronte prominentem habent, qui manifestam ostendit crucis formam, cui propterea applicat illud Ieremiae in Threnis: *Spiritus ante faciem nostram Christus dominus.* Narrant Socrates b), et Sozomenus c), cum Alexandriae imperante Theodosio M. Serapidis templum destrueretur, inventos in eo esse lapides literis hieroglyphicis notatos, quae crucis formam referebant. Quis negaverit, similes literas fuisse mysticum Aegyptiorum *Tau*, quod crucem adsimilabat, in horum monumentis passim obvium? At malebat inepta Christianorum credulitas eas religioni suae vindicare, iisque venturam vitam portendi. Quod si forte fortuna bonis his viris oblata fuissent tetradrachma Attica, aut gravia illa Ptolemaeorum numismata aenea, quorum non paucis insculptum est monogramma XP ad eum plane modum, quo numi, de quibus continuo agam, notati sunt, quam amabo illis dentivissent dentes, ut divinam hanc notam palato suo adcommodarent, dejerarentque, salutare hoc signum, etsi aliud vellent monetarii, fuisse venturae veritatis praesagium quoddam, et praesensionem? Ad causam ut revertar, quod unum in Constantini numis Christiani cultus indicium reperitur, est monogramma Christi labaro in aeneis III. formae, inscriptis GLORIA. EXERCITVS, quorum aliquot exemplaria sunt in museo Caesareo, aut infixum areae numi aurei cum epigraphe VICTORIA. CONSTANTINI. AVG., quem protulit Bandurius et nos infra loco suo. Vt adeo ex numis pertinax ejus in vetera sacra odium, et adversum Christiana adfectus probari non possit. Numum Constantini cum inscriptione in aversa: IN. HOC. SIN. VIC., quem altius proposui, quique monogramma Christi offert, videri spurium, ibidem dixi.

Cum hic monogrammatis Christi primum injecta sit mentio, quod deinceps frequentem in moneta typum faciet, aliliqua de eo paucis memoranda. Fingitur illud in numis hoc modo ☧ aut ⳨. Monogramma prioris modi conspicitur etiam in tetradrachmis Atticis, et in numis Ptolemaeorum gravis aeris, ut continuo diximus, sed incerta significatione. In numis hujus aevi sunt certae literae *ἀρχαΐουσαι* nominis Graeci XP*ιϛος*, hujusque monogrammatis, et quale comparet in numis, veracem picturam dedere Eusebius d), et Lactantius e). In numis jam typum principem facit, jam inseritur labaro aut vexillo, jam in area numi solitarie excubat, jam aliis, ut patebit, comparet modis. Paullo altius diximus, in nonnullis jam Constantini numis illud vexillis infixum conspici, quod idem ejus jussu factum docuere Sozomenus, aliique. Permotum ad istud pium principem iidem ajunt, ex quo bellum in Maxentium meditans pendulam in aere post meridiem crucem cum toto exercitu conspexit, quod

---

a) Apolog. I. §. 55. b) H. E. L. V. c. 17. c) H. E. L. VII. c. 15. d) Vita Const. L. I. c. 31 et L. IV. c. 21. e) de Mortib. persec. c. 44.

factum, tacentibus adversae partis scriptoribus omnibus, ab ipsius Constantini ore acceptum primus vulgavit Eusebius [a]), post ab eodem haustum tradidere plures, a nostrae aetatis critica vario adsensu acceptum, quod, quippe a meo instituto alienum, praetereo, et videri potest, ut scriptores alios taceam, in laudata altius Toderini dissertatione, et in eruditissimo opere Gibboni Angli [b]).

* * *

Vt lit. A.

VBIQVE. VICTOR. *in aliis* VICTORES. *Imperator paludatus stans inter duos captivos humi sedentes d. hastam, s. globum.* AV. (Band.) Quin. AV. (Mus. Caes.)

Hoc nomine praeter Constantinum nostrum intelliguntur etiam Licinius, et Constantinus junior, in quorum numis eadem occurrit aversa.

* * *

Vt lit. C.

VICTOR. GENTIVM. BARBARAR. *Imperator eques barbarum telo prosternit altero sub equi pedibus jam occiso.* AE. max. mod. (Vaillant.)

Numus est ejusdem rationis cum altero supra laudato: DEBELLATORI etc.

* * *

Vt lit. A.

VICTOR. OMNIVM. GENTIVM. *Imperator paludatus stans d. signum militare, hinc duo barbari flexo genu supplices, illinc captivus humi sedens.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Sociandus alteri simili: EXVPERATOR. OMNIVM. GENTIVM. Laudes toties ad taedium usque repetitae et exaggeratae, quas in nullius alterius moneta tanta copia et tam fecundo ad reperiundas novas ingenio obtrusas videas, dubitare faciunt de modestia, quam in Constantino supra modum praedicavere Eusebius, ejusque adseclae, juvantque Victorem alterum diserte adserentem, fuisse eum ultra, quam aestimari possit, laudis avidum. Numos hos forte esse Constantini junioris, verisimile dicam ad numum Constantii II. cum simili aversa.

* * *

Vt lit. G. sine MAX.

VICTORIA. AVGGGG. *Mulier galeata sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Band.)

Forte hic numus certius est Constantini III. tyranni, ut dicetur in hujus numis.

* * *

Vt lit. B.

VICTORIA. GOTHICA. *Victoria stans d. coronam offert figurae galeatae et hastatae clypeo insidenti, et s. figuram inclinatam proturbat.* AE. max. mod. (Mus. Albani.)

De bello Constantini Gothico prolixe Tillemontius ad annum P. X. 332, et Spanhemius ad Iuliani Orat. I. p. 93. Verisimile est, ejus feliciter confecti causa constitutos ludos Gothicos, quos Kalendarium Philocali a Lambecio editum ad prid. Non. Febr. adfigit.

* * *

Vt lit. B.

VICTORIA. CONSTANTINI. AVG. *Victoria gradiens d. tropaeum, s. palmam, in area monogramma Christi.* AV. (Band.)

---

a) Vita Const. L. I. c. 28. b) Hist. of the decline of Rom. emp. chap. 20.

Rarum istud monogramma in numis Constantini, ac praecipue in aureis, ut dixi altius sub SPES. PVBLICA.

* * *

Vt lit. A.

VICTORIBVS. AVGG. NN. — VOTIS. *Victoria adversa stans clypeum tenet, cui inscriptum:* XX. Est AV. (Mus. Caes.)

Olim in hoc numo legi XXX. pro XX., ut videre est in Catalogo musei Caesarei. Verum cum Vota XXX. cum AVGG. NN. componi non possint, attentius eum iterum inspexi, et patuit, superiores clypei flexus τȣ X speciem praebere.

* * *

Vt lit. A.

VIRTVS. EXERCITVS. GALL. *Mars nudus gradiens inter duos captivos humi sedentes, d. hastam, s. tropaeum.* AV. (Mus. Caes.)

Huic respondet numus supra productus: GLORIA. EXERCITVS. GALL. Observandum hoc loco, Constantino non solum exercitum Gallicum ex hominibus conflatum praesto fuisse, sed coelestem etiam, si vera sunt, quae narrat Nazarius, sed orator, in Panegyrico, quem Constantino nostro dixit [a]), scilicet in ore esse omnium Galliarum, exercitus visos, qui se divinitus missos ad ferendam Constantino opem prae se ferebant. Eorum deinde formam, armorumque cultum describit, atque ex hac agminum coelestium apparitione non negandam esse fidem ait rumori veteri, etsi plerique fabulam malint, primis reipublicae temporibus Castorem et Pollucem Romanis in acri praelio adsistere visos. Miremur hominum ejus aetatis patientiam, qui obtrusas sibi ab oratore insulso veteres has naenias accipere auribus sine molestia potuere, etsi id genus aniles fabulas non modo patienter tulit, sed credere se etiam professus est Iulianus dictus philosophus, uti in hoc docebimus. Similis aversa exstat in moneta Constantis Aug.

* * *

Vt lit. B.

VOTA. ORBIS. ET. VRBIS. SEN. ET. P. R. *Cippus, cui inscriptum:* XX. XXX. AVG. *impositus basi quadratae, infra* AQS. Est AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Singularem hunc numum, qui epigràphen necdum in regno monetario cognitam sistit, haud ita pridem ex tenebris erutum museo Caesareo vindicavi, et aeri incisum stiti in ejus catalogo Tom. II. p. 560. Similis tamen numi saltem picturam vidit Morellius, ut ipse testatur [b]), nisi quod cippo inscriptum legitur: XX. XXX. MVL. FEL.

* * *

Vt lit. A.

VOTA. PVBLICA. *Imperator paludatus stans inter duas mulieres, quarum altera turrita Victoriolam ei porrigit, altera coronam.* AV. (Band.) In aliis: *Isis navi insistens et respiciens utraque manu velum contrahit.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numos sic inscriptos jam vidimus in Diocletiano, et videbimus in Iuliano, ubi plura de hoc numorum genere monebuntur.

* * *

a) Cap. 14. 15. b) Specim. p. 80.

Antica varia.

VOT. V. — X. — XV. — XX. — XXX. in copiosis ejus numis, sed occurrunt etiam haec vota in numis aliis, qui alias habent partes aversas, ut adeo, si quis totam ejus votorum oeconomiam nosse volet, necesse sit omnem Constantini monetam scrutari, quod et in sequentibus imperatoribus observandum.

* * *

Vt lit. A.

VTILITAS. PVBLICA. *Mulier triremi insistens d. bilancem, s. cornucopiae, cui adstans miles dexteram porrigit.* AE. III. (Band.)

Eandem aversae epigraphen, sed alio typo vidimus in Diocletiano.

Divus Constantinus.

Consecratum Constantinum diserte docet Eutropius, appellatum DIVVM numi, factum tamen istud fuisse diversa ab eo ritu ratione, quo imperatores hactenus coelo adsertos vidimus, modoque, qui Christianorum legibus non repugnabat, verisimile est. Sane quos hujus argumenti superstites habemus numos, nihil profani, aut quod nostra possit stomachari religio, ostentant.

* * *

DIVO. CONSTANTINO. P. *Caput velatum et laureatum.*

AETERNA. PIETAS. *Miles galeatus et paludatus stans d. hastam, s. globum, cui in nonnullis insertum monogramma Christi.* AE. IV. (Band. Mus. Caes.)

DVCONSTANTINVSPTAVGG. *Caput velatum.*

Sine epigraphe. Imperator quadrigis sursum vectus, superne manus ad eum recipiendum extenta, in imo variarum urbium nomina. AE. IV.

Ad explicandam numi alterius epigraphen arcesso insigne marmor vetus vulgatum a Scipione Maffeio [a]):

DIVO. AC. VENERABILI
PRINCIPI. CONSTANTINO
PATRI. PRINCIPVM
MAXIMORVM
L. CREPERIVS. MADALIANVS. VC.
PRAEF. ANN. CVM. IVRE. GLAD.

Inquiramus primum in literas DV., quae inscriptionem partis anticae inchoant. Plerisque visum, eas ex praescripto numi praecedentis explendas legendo D*i*V*us*. Lubenter adsentirer, si post eas adstitueretur punctum, vel saltem intervallum justius, quo constaret, unum eas verbum instar siglarum constituere, quale est v. c. COS. pro CO*n*S., vel ut in numo sequente VN MR, vel *venerandae memoriae*. At cum omnes hujus epigraphes literae se aequabili lege consequantur nullo aut puncto, aut intervallo diremptae, non prohibemur, quo minus amplectamur explicationem aliam, si qua aptior sese nobis offerret. Visum aliquando, legi posse D*ivus* V*ictor*, cum quod Constantinus in numis copiosis dicitur VICTOR. CONSTANTINVS, tum quod is alteris his verbis constanter suas ipse literas inscripsit, ut passim videre est apud Eusebium.

a) Mus. Veron. p. 251.

At praeplacet modo praeeunte hoc lapide lectio D*ivus* V*enerabilis.* Postremae literae PTAVGG legendae certe sunt P*ater* T*rium* AVGG*ustorum*, nempe totidem filiorum successorum. Aliam sane eas explicandi viam ignoro, et confirmatur haec lectio verbis ejusdem marmoris: PATRI. PRINCIPVM. MAXIMORVM.

Aversae explicatum jam praecepit Eusebius, qui ipsum hunc numum secundum omnes causas sic describit a): *quin et numis insculpti sunt typi, in priore quidem superficie exprimentes beatum velato capite, in altera vectum quadrigis aurigantis more, a dextera sibi desuper occurrente sursum recipiendum.* Video, hanc imaginem jam antea applicatam iis, quos coelo destinavit antiquitas. Ita enim de Constantio Constantini patre Eumenius orator: *receptusque est consessu coelitum Iove ipso dexteram porrigente* b). Et serius Themistius, veteris ipse superstitionis cultor, in patris sui laudatione funebri, de qua oratio ejus XX. agit, fingit patrem sublimem ad aethera, coelumque subvectum junctis equorum immortalium bigis, et ab occurrente deorum geniorumque concione susceptum.

* * *

Eadem adversa.

Sine epigraphe. Imperator velatus et togatus stans manibus veste contectis, in area per transversum hinc VN, *illinc* MR, *infra variarum urbium nomina.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Bandurius in his numis literas in area scriptas legit VNNR. Verum quam dixi, lectionem offerunt numi omnes musei Caesarei, qui sunt hujus argumenti. Eas explicandas V*e*N*erandae* M*emo*R*iae*, docebit numus proxime sequens.

* * *

Eadem adversa.

IVST. VEN. MEM. in alio: IVST. VENER. MEMOR. *Victoria stans d. bilancem, s. hastam et clypeum solo impositum, in imo* SMANB. AE. III. (Mem. Trev. 1723 Aout p. 1506.) In alio: *Figura stolata stans d. bilancem, s. vesti involuta, in imo* SMANZ. *vel* SMALB. AE. III. (Bimard B. L. T. XV. pag. 105.)

Nova in his numis omnia, et unius Constantini. Epigraphe aliis explenda videtur: IVST*ae* VENER*andae* MEMO-R*iae.* Melius Bimardus loco indicato IVST*a* VENER*andae* MEMOR*iae* legendum censet, nimirum *soluta*, quo nomine antiqui intellexere pias exequias mortuis impensas.

NOMINA AC TITVLI.

Flavius.

Flavii nomen a patre Flavio Constantio habuit hereditarium, eoque jam in iis numis usus est, qui nomine suo post patris excessum signati sunt, sive Caesar tum adhuc tantum esset, sive filius Augusti. Quare mirum videtur, dicere Zonaram potuisse, Constantinum

a) Vita Constant. L. IV. c. 72. b) Paneg. Constantin. c. 7.

post victos demum aemulos Maxentium et Licinium sese Flavium appellasse a).

Maximus.

Maximum se passim in numis dixit Constantinus. Eum sic vocatum dejerat Harduinus, non tanquam nomine honorifico, sed ex vetere cognomine gentis Valeriae, ex qua ortum Constantinum ipse unus novit b): Iobertum idem cum Harduino sentientem praeclare jam refutavit Bimardus c). Si, inquit, familiae nomen fuit Maximus, cur illud non legitur aut in numis patris Constantii, aut matris Helenae? aut cur illud non transmisit quatuor suis filiis, in quorum moneta nomen illud nunquam occurrit? Addo, si nomen istud familiae fuisset proprium, praecederet sane nomen Constantini, legereturque scriptum: MAX. CONSTANTINVS, ut in aliis: FL. VAL. CONSTANTINVS, quia tracta ex familiis nomina praecedere semper solent, at sequi honorifica. Sic nunquam legitur: GER. DAC. PART. TRAIANVS, vel PIVS. FELIX. COMMODVS, sed TRAIANVS. GER. DAC. PART., vel TRAIANO. OPTIMO, et COMMODVS. PIVS. FELIX. etc. Quod ait Harduinus, verisimile non esse, Constantinum adhuc juvenem superbo Maximi nomine usurum fuisse, ajo, minus istud mirum videri in ea saeculi hujus arrogantia et licentia, quando stante adhuc republica et coercita legibus ambitione Pompejus peradolescens Magni nomen sibi parare potuit. Verum quis Harduinum docuit, Constantinum tum, cum hoc titulo uti coepit, tam adhuc juvenem fuisse? Vultus, inquit, in numis sic inscriptis lineamenta. Pol! praeclari judices, quibus, praecipue in hujus aetatis artium prolapsione, litis hujus arbitrium permittas. Sed et Pagius Constantinum jam V. C. 1064 P. X. 311 fuisse in numis vocatum Maximum adserit d). Quo ille usus sponsore? numo, inquit, aureo et argenteo, in quorum antica legitur: IMP. CONSTANTINVS. MAX. P. F. AVG., in aversa VOTIS. V. MVLT. X., quae vota laudato anno suscepta fuisse ait. Verum unde hos numos hausit? Ex Mediobarbo, praeclaro et hoc judice. Quos ego, et Bandurius hujus generis numos novimus, in antica titulum MAX. omnes omittunt. Primus numus chronologicus, qui ejus honoris meminit, est is, quem in ejus consulatu IV. descripsi, quem inivit V. C. 1068 P. X. 315. Causa suscepti ejus tituli aut generatim tribuenda est notae ejus principis ambitioni, aut quia privatim Alexandro M. volebat similis videri, de qua ejus vanitate egi supra in numis vagis sub initium.

Pontifex maximus.

Exstant Constantini nostri numi, in quibus pontificatus maximi fit mentio, quem postremum legere est in numo anni V. C. 1073 P. X. 320, ut loco suo vidimus. Non tamen obstitit Christiana religio, quo minus secuti proxime imperatores pontificia hac potestate ad-

a) Annal. L. XIII. c. 2. b) Opp. sel. p. 431. c) ad Iobert. T. I. p. 280. d) Crit. Baron. ad ann. Chr. 311. §. 9.

huc uterentur; nam auctore Zosimo primus fuit Gratianus, qui pontificis maximi nomen et habitum sibi pro more delatum respuit. Sed de hoc argumento agemus in tractatu de Pontifice maximo.

PRETIVM.

Aurei et argentei	R.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei II. et III. formae	C.

CONSTANTINOPOLIS. ROMA.

Occurrunt in museis omnibus numi, qui seu *Constantinopolis*, seu *Romae* nomine inscribuntur, et qui peritorum omnium judicio imperante Constantino, aut filiis signati creduntur, quibus adeo commemorandis nullus alius locus visus opportunior.

CONSTANTINOPOLIS.

Tandem etiam Romam, urbem illam aeternam, longa saeculorum patientia inter tot fortunae plerumque prosperae vices ad orbis imperium enixam suum coepit urgere fatum, et quae inde a principio nullum seu populum, seu regem externum aemulum sustinuit, urbem aemulam intra suos ipsius fines simul designatam, simul magnificentia, opibus, magnitudine sibi paene aequatam conspexit. Iam Diocletianus, et quos hic sibi adscivit conlegas, raro adesse in urbe, et quamcunque aliam terram metropoli praeferre visi, sive quod foris nati, et foris ad imperium vocati. omnia alienis beneficiis, nihil privatim Romae debuere, sive quod, ut rerum omnium, ita etiam magnorum et illustrium nominum quaedam est satietas. Eodem correptus fastidio Constantinus, cum inter maximas virtutes ingenio esset ad res novas, et parandam nominis immortalitatem praecipite, cum primum everso Licinio rerum unus potitus est, novae Romae condendae adjecit animum. Enim vero ne ii quidem, qui omnes ejus res gestas in coelum extulerunt, habuere, quo possent consilium istud communis boni causa susceptum sibi persuadere. Cum diu anceps esset, in Byzantio adhaesit denique, quam ille urbem immensis substructionibus, ornamentisque cum novis, tum veteris Romae spoliis sic brevi nobilitavit, ut, hac una dempta, aliarum per imperium urbium, quibus ornandis saecula fuere impensa, nulla illustrior magnificentiorque jam tum haberetur. Dedicata est die XI. Maji V. C. 1083 P. X. 330, et ne ambigua esset posteris tanti moliminis gloria, de conditore Constantinopolis appellata.

* * *

CONSTANTINOPOLIS. *Caput muliebre galeatum laureatum cum sceptro.*

FELIX. TEMP. REPARATIO. *Mulier prorae insistens d. ramum, s. vexillum.* — RESTITVTOR. REIP. — VICTORIA. AVG. *Triremis.* In alio: *Victoria capite turrito sedens d. ramum, s. cornucopiae, s. pede prorae navis insistit,* etc. — VICTORIA. AVGG. NN. *Mulier capite turrito sedens d. ramum, s. cornucopiae.* Sunt omnes AE. m. m. Vide hos, et alios hujus generis descriptos apud Bandurium, et in Catalogo mus. Caes.

Verisimile est, mulierem, vel secundum alios numos Victoriam, quae prorae navis insistere fingitur, notare *Fortunam*, vel quod idem est, *Genium urbis*, Graecis Τυχην πολεως; nam refert Zonaras [a]), ejus signum stetisse alicubi Constantinopoli aeneum specie mulieris altero pede intra navim posito, quo aetate corrupto passim naufragia exstitere, restituto aversum periculum. Videri posset, adstituta navi indicari urbis per suum ad mare situm navigandi opportunitatem. Verum aliud videntur docere numi Bostrae Arabiae inscripti: TTXH. BOCTPAC. *Fortuna Bostrae* typo *mulieris stantis pede prorae navis imposito*, cum tamen haec urbs longe a mari distaret. Non dubitem additam Fortunae navim, ut alias gubernaculum, quia numen illud arbitrariam suam vim nuspiam magis, quam in mari exercet. De simulacro Fortunae urbis a Constantino fabricari, et una cum sua effigie stato tempore adorari jusso vide Chronicon Alexandrinum ad annum P. X. 330, si modo fides inepto huic anilium fabularum propolae haberi potest. Magis credibile, quod de Iuliano Apostata memorat Socrates [b]), eum publice sacrificia obtulisse Fortunae urbis Constantini in basilica, ubi et simulacrum Fortunae positum est. Haec Constantinopoleos Fortuna frequenter deinceps, praecipue in moneta aurea, recurret.

* * *

CONSTANTINVS. IVN. NOB. C. *Caput laureatum.*

CONSTANTINOPOLIS. *Victoria capite turrito sedens d. ramum, s. cornucopiae.* AE. max. mod. (Band.)

Hoc numo invicte probatur, jam imperante Constantino M. id genus numos fuisse signatos.

* * *

CONSTANTINOPOLIS. *Caput muliebre galeatum laureatum cum sceptro.*

Sine epigraphe. Victoria d. pede prorae navis insistens d. sceptrum, s. clypeum, infra variarum urbium nomina. AE. III.

Similium numorum ingens exstat copia, quos verisimile est tanto fuisse numero signatos, cum encaenia urbis peragerentur.

* * *

Eadem adversa.

VOT. XX. MVLT. XXX. *intra lauream.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Teste Eusebio Constantinus vicennalia eodem, quo Nicaenam synodum anno celebravit, nempe P. X. 325 [c]). Sed perrarus hic numus et ignotus Bandurio feriri ante annum 330 non po-

a) Annal. L. XIV. c. 4. b) H. E. L. III. c. 11. c) Vita Constant. L. IV. c. 47.

tuit, quia hoc primum anno Constantinopolis nomen natum constat. Quo docemur praeterea, etiam annis peracta vota consequentibus horum factam in numis mentionem, quod amplius probabimus in tractatu de Votis decennalibus.

* * *

CONSTANTINOPOLIS. *Caput muliebre diadematum.*

P. R. *Mulier stans d. ramum, s. hastam transversam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hic quoque numus Bandurium fugit. Serviet cumprimis ad stabilienda ea, quae ad articulum sequentem sumus dicturi.

R O M A.

Recensebimus hoc loco numos, qui ROMA, vel POP. ROMANVS inscriptum offerunt, et eadem haud dubie aetate percussi sunt. Eos Bandurius signatos Romae dixit, cum haec alteram urbem sibi propemodum aequari, et in numis celebrari cerneret. At hos quoque videri apud eandem Constantinopolin signatos, ex iis, quae mox disputabo, verisimile fiet.

* * *

VRBS. ROMA. *Caput muliebre galeatum.*

Sine epigraphe. Lupa gemellos lactans, superne duo astra. AE. max. mod. In aeneis III. formae *inter duo astra visuntur corona, vel palmae rami etc.* In singulari musei Caesarei est *monogramma Christi, et in omnibus his in imo loco leguntur variarum urbium nomina.* (Mus. Caes. Band.)

Eadem adversa.

Lupa gemellos lactans intra specum, pastores duo foris adsidentes, et s. pedum tenentes, quorum utrique astrum imminet, inter se colloquuntur. AE. max. mod. (Mus. Florentin.)

Complures id genus numos recitat Bandurius, in quorum ima parte legitur CONS., certo indicio, hos numos signatos Constantinopoli, ad quod miror, virum adcuratissimum non advertisse animum, cum, ut diximus, id genus numos Romae cusos adfirmavit. At ne contradicere sibi per epigraphen videantur, sciendum, Constantinopoli inditum quoque fuisse *novae*, aut *secundae Romae* nomen constitutis in ea, ut in vetere, magistratibus, senatu, tribubus, ut videre est apud Socratem, Sozomenum, in Chronico Alexandrino. Neque non respondet typus lupae, quo secundum coloniarum morem ductam a metropoli originem testari voluit, non modo nomine dicta Roma, sed etiam re, quia cives Romanos complectebatur. Quapropter nova haec Roma in numis, perinde atque vetus illa, proposita fuit sub imagine capitis muliebris galeati, tametsi subinde, et satis quidem mature, nova excogitata fuerit novae Romae imago, haud dubie discriminis causa. Istud numi ipsi manifeste docent, in quorum aversa saepe proponitur utraque Roma, vetus et nova, et vetus quidem capite galeato et hastili armata, non raro d. Victoriolam praeferens, quo illa modo frequenter in primorum etiam imperatorum numis pingitur, at nova capite turrito, et pede navis prorae imposito, qualem

eam mox altius descripsi. Vtraque vario hoc habitu Roma jam in numis Constantii II., inscriptis: GLORIA. REIPVBLICAE, ac deinceps frequenter, in aureis praecipue, comparet, et observo, ad discrimen istud ipsos etiam infimi aevi scriptores advertisse animum. Corippus, quo loco narrat, Sophiam Iustini II. uxorem parasse amictum, eumque variis imaginibus intextis ornatum, cui Iustiniani defuncti corpus involveretur, subjicit [a]):

Addidit ANTIQVAM tendentem brachia Romam
Exerto et nudam gestantem pectore mammam,
Altricem imperii, libertatisque parentem.

In numo altero duos, qui adsident, ex pedo pastores facile agnoscas; verum quod duo sunt, et capite pileato, adstitutis etiam astris, videntur aliquid cum Dioscuris habere commune, forte cum adlusione ad typum, quod et ipsi hi infantes gemini fuere. Constat vero etiam ex iis, quae ad numos gentis Sulpiciae dixi, Dioscurorum cultum fuisse inter arcana fundati imperii, si modo in hoc numorum genus vetus superstitio admissa fuit.

* * *

FL. IVL. CONSTANTIVS. NOB. C. *Caput laureatum.*

VRBS. ROMA. *Roma galeata clypeo insidens d. Victoriolam, s. hastam.* AE. max. mod. (Mus. Caes.)

INVICTA. ROMA. FELIX. SENATVS. *Caput muliebre galeatum.*

Aquila stans expansis alis. AE. max. mod. (Tanini.)

ROMA. *Caput Romae galeatum.*

P. R. *Figura militaris stans d. hastam, s. clypeum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Confer numum hunc cum postremo articuli praecedentis, ut certius intelligas, numos hos majore veri specie Constantinopolin pertinere.

* * *

POP. ROMANVS. *Caput laureatum, pone cornucopiae.*

Astrum. In aliis: *Pons, vel portus duabus turribus munitus profluente subtus aqua; in omnibus infra* CONS. AE. IV. (Mus. Caes.)

Applica numos hos iis, quae hactenus disputavi. Pontis vel portus typum nemo hactenus idonee explicavit. Vide Bandurium pag. 305 in nota 2.

FL. MAX. FAVSTA.

Maximiani Herculii, et Eutropiae filia. Eam pater V. C. 1060 P. X. 307 Constantino collocavit, cum sibi necessariam hujus opem, posteaquam imperium iterum adfectavit, intelligeret. Magis maritum, quam patrem reverita magnam ab illo gratiam inivit, dum collocatas ei a socero insidias vulgavit. Verum ut fidam semet uxorem, ita novercam pessimam probavit. Nam

a) in laud. Iustini II. L. I. v. 288.

ut privignum Crispum, qui filiorum suorum fortunae per aetatem obstabat, laqueis implicaret, intentatum sibi ab hoc incestum ementita, sive, nam utrumque traditur, inducta seditionis suspicione ita Constantinum irritavit, ut hic filium e medio tollendum curaret. Verum cum mox patrem perpetratae inconsultae caedis poeniteret, augerentque dolorem audita interea uxoris adulteria et libidines promiscuae, tot criminum ream in balneo suffocari jussit, quod refertur ad annum V. C. 1079 P. X. 326.

Liberi: *Constantinus*, *Constantius*, *Constans*, Augusti omnes. Alterius sexus I. *Constantina*, nupta primum Hanniballiano, dein Constantio Gallo. II. *Constantia.* III. *Fl. Iulia Helena* nupta Iuliano Aug. Vide de his Ducangium in Famil. Byzant.

Numi:

FLAVIA. MAXIMA. FAVSTA. AVGVSTA. *Hujus caput.*

PIETAS. AVGVSTAE. *Fausta infantem in ulnis gestans sedet inter duas mulieres nimbum capiti suo impositum sustinentes, quarum dexterior caduceum oblongum tenet, pro pedibus utrinque par geniorum coronam sustinens, in imo* PTR. AV. max. mod. (Morelli Specim. p. 53.)

FLAV. MAX. FAVSTA. *Hujus caput.*

PIETAS. AVGVSTAE. *Fausta stans infantem s. gestat, d. alteri pro pedibus adstanti porrigere aliquid videtur.* AE. max. mod. (Vaill.)

Viri eruditi in numis his Faustam in filios piam vident. Non impugno, etsi plerumque inscriptione *Pietatis* in feminis Augustis indicari earum in puellas alimentarias pietatem hactenus vidimus. Sed poterat hoc aevo alia obtinere ratio. De nimbo, qui in praecedentis aurei parte aversa Faustae caput ambit, dictum in Constantino ad ejus numorum partes anticas.

* * *

FL. *vel* FLAV. MAX. FAVSTA. *Hujus caput.*

SALVS. REIPVBLICAE. *Mulier velata stans geminos infantes lactat.* AR. AE. III. In aliis: SPES. REIPVBLICAE. *eodem typo.* AV. AR. AE. III. (Mus. Caes.)

Numi obvii, ad quos obiter observo, neque in his, neque in privigni Crispi numis in parte inferiore observari literas CONS., certo argumento, et hunc et illam ante conditam Constantinopolin periisse.

PRETIVM.

Aurei	RRRR.
Argentei	RR.
Aenei max. mod.	RRRR.
Aenei I. et II. formae	O.
Aenei III. formae	C.

FL. IVLIVS CRISPVS.

Constantini M. et Minervinae filius, ejusque filiorum natu maximus. Nomen haud dubie illi inditum a Crispo Claudii Aug. fratre, a quo haec gens profecta, ut diximus in Constantio Chloro. Hieronymo auctore [a]) institutorem habuit Lactantium. V. C. 1070 P. X. 317 Kal. Martiis Caesar dictus est una cum fratre Constantino et Licinio juniore, et mox anno sequente processit consul. Iam bellis gerendis maturus habitus Francos vicit, mox V. C. 1076 P. X. 323 orto patrem inter et Licinium bello praefectus classis hujus duces in Hellesponto insigni victoria profligavit. Tam illustribus gestis clarum V. C. 1079 P. X. 326 pater instigante noverca Fausta magno nominis sui opprobrio interfici jussit, ut proxime in Fausta diximus. Factum istud anno XX. imperii Constantini diserte docet Sozomenus [b]).

Numi

Ab anno V. C. 1070 P. X. 317. ad V. C. 1079 P. X. 326.

CAESAR, PRINC. IVVENT.

A. CRISPVS. NOB. CAES. *vel similiter.*

B. IVL. CRISPVS. NOB. *vel* NOBILISS. CAES. *vel similiter.*

C. FL. IVL. CRISPVS. NOB. CAES.

D. D. N. CRISPVS. *vel* CRISPO. NOB. CAES. *vel similiter.*

E. CRISPVS. N. C. COS. II. (Band.)

Caput plerumque laureatum, aut protome laureata cum variis attributis, nonnunquam galeatum, rarius nudum.

* * *

Vt lit. C.

ALAMANNIA. DEVICTA. *Victoria s. pede captivum calcans d. tropaeum, s. palmam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Antica varia.

BEATA. TRANQVILLITAS. *Cippus, cui inscriptum VOTIS. XX.; ei impositus globus, cui tria astra imminent, in area et infra variae literae.* AE. III. Plane obvii.

De his numis infra redibit mentio sub VOT. V.

* * *

Sine epigraphe. Caput laureatum.

CRISPVS. NOB. CAES. *scriptum in medio numi, superne laurea, infra* SM. Est AV. (Mus. Vitzai.)

Numus perelegans, et deest in Bandurio.

* * *

Vt lit. C.

GAVDIVM. ROMANORVM. ALAMANNIA. *in aliis* FRANCIA. ut in numis patris. AV. (Band. Pellerin Mel. I. p. 168. Liebe Goth. num.)

Apertius ex hoc numo intelligimus, quod ante dixeram, patris res gestas memorari quoque in moneta filii.

* * *

Antica varia.

---

a) Chronic. ad ann. 317. b) H. E. L. I. c. 5.

IOVI. CONSERVATORI. — SOLI. INVICTO. COMITI. AE. III. (Mus. Caes.)

En veteris adhuc cultus reliquias perinde ac in moneta patris, de quo disserui in prolegomenis ad numos vagos Constantini M.

* * *

Vt lit. A.

IVVENTVS. *Figura stans dexteram admovet tropaeo, s. hastam.* AE. max. mod. (Band.)

Hujus aversae sensum collige ex numis M. Aurelii adhuc Caesaris.

* * *

Vt lit. A.

MONETA. VRBIS. VESTRAE. *Tres Monetae stantes cum attributis.* AE. max. mod. (Band. Mus. Medic.)

Similem aversam Bandurius memorat etiam in Constantino fratre, quin etiam, sed non satis fido auctore, in patre. Adverte ad insolentem formulam VESTRAE, in quam inquirerem, si in omnia hujus aetatis recens reperta inquirere operae pretium foret.

* * *

Antica varia.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Caesar paludatus stans d. hastam, s. clypeum.* AV. AE. III. (Mus. Caes.)

Antica varia.

PRINCIPIA. IVVENTVTIS. *Figura militaris stans d. clypeum, s. hastam.* AE. III.

Tot exstant Crispi numi sic inscripti, ut credibile non sit in omnibus per errorem scriptum PRINCIPIA pro PRINCIPI, praecipue cum numi cum hac epigraphe typo differant ab iis, qui PRINCIPI offerunt. Notandum etiam, in unius Crispi moneta hanc occurrere epigraphen; nam quem similiter inscriptum Bandurius inter aureos Constantini jun. prodit, haustus est ex schedis Peirescianis, et nemini alteri conspectus. At huic adfines sunt numi Gratiani inscripti: PRINCIPIVM. IVVENTVTIS. Non videbor forte aberrare a scopo, si credam intelligi *principia juventutis* a Crispo in castris exacta, quorum imago est figura militaris partis aversae. Quae fuerint ejus adhuc juvenis clara facta bellica, supra diximus.

* * *

Antica varia.

SARMATIA. DEVICTA. etc. AE. III. (Band.) VBIQVE. VICTORES etc. AV. (Mus. Caes.)

Horum quoque numorum typi, ut plures alii, ex patris moneta fluxere.

* * *

Antica varia.

VOT. V. — VOT. V. MVLT. X. — VOT. X. *intra lauream, circum quam in plerisque scriptum:* CAESARVM. NOSTRORVM. *vel:* DOMINORVM. NOSTRORVM. CAESS. *In alio:* VOT. XX. *intra lauream, circum:* D. N. CONSTANTINI. MAX. AVG. AE. III. (Mus. Caes.)

Crispo vota quinquennalia, et quia haec revera solvit, etiam decennalia libenter permittimus; at difficiliores erimus in largiendis vicennalibus, etsi haec quoque non repugnent, quia finito anno IX. solvi solebant decennalia, et suscipi etiam vicennalia. Et hoc modo explicari quidem possent Crispi VOTA. XX., quae saepe leguntur in ejus numis, inscriptis: BEATA. TRAN-

QVILLITAS, vel: VIRTVS. EXERCIT., nisi pateret ex numo, quem hic postremum descripsi, etiam patris vota XX. Crispi monetae fuisse inserta, quod plene confirmatur numo Crispi apud Bandurium [a]): BEATA. TRANQVILLITAS. VOT. XX., et in cujus antica is dicitur CRISPVS. N. C. COS. II. Fuit is consul II. tantum annis 321. 322. 323., quorum postremo nonnisi annus VI. Crispi exivit, quae adeo Vota XX. nequaquam ejus esse possunt, sed patris.

* * *

Antica varia.

VOTA. PVBLICA. *Isis stans*, vel: *Mercurius stans*, vel: *triremis cum velo*. AE. III. (Band.)

Varia numina numis sic inscriptis solent inseri, ut aliquoties hactenus vidimus, quos fusius explicabo in moneta Iuliani.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei puri vix exstant, demptis, qui in antica Constantini M. caput offerunt.	
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. et II. formae	O.
Aenei III. formae	C.

HELENA.

Vnus codex Theodosianus Lib. IX. tit. 38 l. 1 Crispum et Helenam conjungit, sed verbis tam obscuris, nisi corrupta sunt, ut difficile sit ex iis eruere, fueritne Helena quaepiam Crispi uxor. Lege Gothofredi commentarium ad hanc legem.

HELENA. N. F. *Hujus caput. Sine epigraphe. Astrum intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Hunc numum Bandurius Helenae Crispi uxori tribuendum putat, utrum jure, disputabo in Helena Iuliani II. Literae N. F. legendae N*obilissima* F*emina*, et eadem haec nomina tribuuntur etiam Faustae, forte uxori Constantii II.

PRETIVM.

Non exstant, nisi aenei III. formae, iique . . RRR.

---

a) Pag. 313.

FL. IVL. DELMATIVS.

Delmatius, sive Dalmatius, nam uterque modus reperitur in numis et scriptoribus, fuit filius Delmatii Constantini M. fratris, qui Censoris dignitate insignis fuit. Mater ignoratur. Constantino patruo charus, quem moribus referebat, factus est consul V. C. 1086 P. X. 333, et post biennium V. C. 1088 P. X. 335 dictus Caesar. Calocerum in Cypro rebellem adhuc privatus domuit, captumque ac vivum patruo stitit, qui eum flammis consumendum dedit. In celebri imperii divisione, quam Constantinus posteriore hoc anno constituit, Thraciam, Macedoniam, et Achaiam abstulit, verum mortuo Constantino paullo post a militibus necatur, V. C. 1090 P. X. 337, obtentu, a solis hujus liberis sibi velle imperari, connivente facile propter invidiam Constantio.

Ab anno V. C. 1088 P. X. 335 ad V. C. 1090 P. X. 337.

CAESAR. PRINC. IVVENT.

FL. DELMATIVS. NOB. C. *vel* CAES.

FL. IVL. DELMATIVS. NOB. C.

FL. DALMATIVS. NOB. C.

Caput laureatum, vel diadematum in omnibus.

In numis plerumque *Delmatius* dicitur, tamen etiam, etsi rarius, *Dalmatius*, ut docent numi complures musei Caesarei, et jam similem descripsit Ducangius. Quare miror, nullum cum posteriore hac epigraphe laudari a Bandurio. *Dalmatius*, sive *Delmatius* perinde est, nomen certe ductum a regione, quam Dalmatiam perinde ac Delmatiam dictam constat.

* * *

DELMATIVS. NOB. CAESAR. *Victoria gradiens d. coronam, s. ramum, infra* TES.

Sine epigraphe. Caput laureatum Constantini M. ARgenti puri. (Mus. Caes.)

Similes habentur inscripto Crispo, qui tamen minus rari sunt, sed hic rarissimus. Victoria haud dubie adludit ad castigatum armis ab hoc Caesare Calocerum, ut diximus.

* * *

Caput Delmatii diadematum.

DELMATIVS. CAESAR. *Victoria gradiens.* ARgenti puri. (Liebe Goth. num. p. 266.)

FL. DELMATIVS. NOB. CAES.

Caput laureatum.

DELMATIVS. CAESAR. *Victoria gradiens, in imo* CONS. Est AV. (Tanini.)

Antica solita.

GLORIA. EXERCITVS. *Duo milites stantes cum hasta et clypeo intermedio signo militari uno vel duobus, quorum aliquibus insertum monogramma Christi.* AE. III.

Antica solita.

PRINCIPI. IVVENTVTIS. *Caesar paludatus stans d. signum militare, s. hastam, pone duo alia signa humi defixa, in imo* TSE. AV. (Band.)

Vt obvii ejus numi cum priore aversa, ita hic rarissimus. Neque exstant numi aliter inscripti.

PRETIVM.

Aurei	RRRR.
Argentei puri, quales descripsi	RRR.
Aenei I. et II. formae	O.
Aenei III. formae	vix R.

FL. HANNIBALLIANVS.

Frater Delmatii, cujus continuo numos vidimus. Eum primo patruus Constantinus M. *Nobilissimum* appellavit, subinde data in uxorem filia primogenita Constantina novo, et inde a Tarquinio Superbo inaudito titulo *Regem* dixit tributo illi Ponto, aut Cappadocia et Armenia Ponto vicinis, qui titulus confirmatur a numis et historicis. Spanhemius eum *regem regum* vocatum in Excerptis Valesii reperit [a]. Mortuo Constantino M. mox idem cum fratre fatum habuit; nam V. C. 1090 P. X. 337 Constantii jussu a militibus interfectus est per causam similem, non alios, nisi Constantini liberos sese dominos passuros. Vide Ducange Famil. Byzant. p. 49.

Vxor *Constantina* Constantini M. filia, ut dictum, a patre diademate et Augustae titulo ornata [b]. Caeso marito elocata Constantio Gallo.

* * *

FL. HANNIBALLIANO. REGI.
(*in alio apud Ducange* FL. CL.)
Caput nudum.

SECVRITAS. PVBLICA. *Fluvius humi decumbens d. baculo innixus, juxta urna aquam evomens, et arundo, in imo* CONS. AE. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

SECVRITAS. REIPVBLICAE. *Typus similis.* AE. III. (Band.)

Conjicit Tristanus, hoc fluvio indicari Euphratem, qui Cappadociam a Syria et Armenia dividit, et quodammodo securitatem provinciae praestat.

PRETIVM.

Non exstant certi, nisi aenei III. formae, et hi . . . RRR.

---

a) T. I. p. 465. b) Philostorg. L. III. c. 22.

FL. CL. CONSTANTINVS II. IVNIOR.

Constantini M. ex Fausta filius natu maximus. De anno natali litigant eruditi. V. C. 1070 P. X. 317 dictus Caesar una cum fratre Crispo et Licinio juniore triennio post processit consul, et deinceps saepius. V. C. 1088 P. X. 335 imperium inter filios partitus pater Britanniam illi, Galliam, et Hispaniam largitur, nimirum quas ipse primum provincias habuit.

* * *

Animadvertendum ad hujus Caesaris numos, ei hactenus nemine repugnante tributos fuisse eos omnes, qui CONSTANTINVS. IVNIOR inscribuntur. Verum cel. Valesius dissertatione prolixa comprobare instituit, eos numos, qui epigraphen FL. CL. CONSTANTINVS. IVN. N. C. offerunt, non ad hunc, sed ejus patruum Constantinum, filium Chlori ex Theodora, Constantini M. germanum pertinere [a]). En rationes ejus in compendium redactas:

I. In numis sic inscriptis facies est magis senilis, et saltem annorum XXX. vel XXXV., qua aetate non fuit filius Constantini, mortuus circiter anno aetatis XXV. Alia etiam sunt in his oris lineamenta, alia fabrica, quam quae observatur in numis, in quibus FL. CL. abest. Hujus autem generis binos tantum vidit, eosque aeneos, in quorum uno est CLARITAS. REIPVBLICAE, altero: PRINCIPI. IVVENTVTIS, uterque in imo offert literas ATR., ex quo infert, eos apud Atrebates fuisse signatos.

II. Nullum ait sibi conspectum certum Constantini ejus, qui Magni filius fuit, numum, in quo hic FL. CL. diceretur; deinde in numis sic inscriptis semper esse caput nudum, nimirum ut frater Constantini M. distingueretur a filio certo imperii successore, cujus caput semper diadematum, aut laureatum est.

III. Nullo pacto credibile, Constantinum M. voluisse privare germanum alterius thori primogenitum honore Caesareae dignitatis sibi per ipsos natales debito, quem sane absque gravissima injuria, et totius imperii offensione negare non potuisset. Si Caesar fuit, ergo et suos habuit numos, eosque, quos indicavimus.

Hae viri eruditi rationes, quia aut aperte fallunt, aut infirmae sunt, nequaquam cogunt Constantinum alium a Magni filio diversum agnoscere, quod facile evincemus refutatis breviter ejus argumentis.

Ac primum quidem oppido vaga est lex, quam ab aetatis, lineamentorum, et fabricae discrimine repetit. Numi hi signati sunt eo aevo, quod parum in haec criteria subsidii confert, artibus jam in ipsa urbe plane prolapsis, et plerisque tum numis per barbaras provincias percussis, ex quo necesse sane est variare lineamenta nonnunquam, et fabricam,

a) Mem. B. L. Tom. II. p. 543.

Quod si his Valesii regulis standum, facile erit, non unum, sed plures Constantinos Magnos in Augustorum syllabum conferre. Et qua tandem fiducia hac aetate oris lineamenta in judicium vocabimus, qua tanta fuit in his fingendis ruditas, ut ne quidem Constantini junioris Augusti numos a numis Constantini patris possimus discernere, quod mox infra queremur? Si artifices potuerunt confundere lineamenta aliena, an incredibile, eos uni eidemque adfinxisse indebita? Non negavero, in numis, quos laudat, nonnihil divergere lineamenta et fabricam; verum istud tribuendum officinae urbis externae, ex qua prodivere, non quidem Atrebatum, ut propter literas ATR. censet vir eruditus, sed Trevirorum; nam in similibus musei Caesarei numis legitur ATR. BTR. ΔTR. PTR.

Alterum argumentum facile est ex ejusdem musei numis evertere. Exstant in hoc aureus et aeneus: FL. CL. CONSTANTINVS. IVN. N. C. Caput laureatum; in utriusque aversa est PRINCIPI. IVVENTVTIS. Ex lege ab ipso Valesio lata numi hi propter lauream ad Constantinum Magni filium pertinent, ergo et hic *Flavius Claudius* dictus est. Deinde nescio, cur in hoc caput nudum stomachetur Valesius, cum et fratres Caesares Constans et Constantius nonnunquam nudo capite compareant, ut videre est apud Bandurium.

Denique si Constantinus M. injurius fuit in fratrem Constantinum negando illi Caesaream dignitatem, injurii etiam erunt dicendi Sept. Severus et Philippus, quorum ille fratrem Getam, hic Priscum intra privatam fortunam continuere, de quo ipso argumento plura disserui in numis Salonini. Et vero an non idem injurius fuisset in fratres minores Delmatium censorem, et Constantium patricium, si his neglectis, quos neglectos fatetur ipse Valesius, unum fratrem natu maximum dixisset Caesarem? An non his quoque per natales ad istud decus jus fuit? Accedit, quod neque certum sit satis, utrum alicui liberorum Constantii Chlori et Theodorae nomen Constantini fuerit, aliis aliud nomen statuentibus, ut in Theodora diximus. Quod suspicatur Valesius, hunc Constantinum forte ab ipso patre Chloro dictum fuisse Caesarem, liquido refellitur non modo auctoritate Libanii adserentis, a patre Chloro liberos ex Theodora testamento ab imperio fuisse exclusos [a]), et Zonarae, qui diserte refert, praelatum a Chloro esse Constantinum propterea, quod filii ex hac Theodora prognati minus ipsi patri ad imperium apti visi fuere [b]).

Ab anno V. C. 1070 P. X. 317. ad V. C. 1090 P. X. 337.

CAESAR, PRINC. IVVENT.

A. CONSTANTINVS. IVN. *vel* IVNIOR. N. C. *vel similiter.*

B. FL. CONSTANTINVS. IVN. N. C.

C. FL. IVL. CONSTANTINVS. IVN. NOB. C. *rarissime sine addito* IVN.

D. FL. CL. CONSTANTINVS. IVNIOR. NOBILISS. CAES.

---

a) Orat. III. b) Annal. T. II. sub fin.

E. D. N. CONSTANTINVS. *vel* CONSTANTINO. IVN. N. C.
F. D. N. FL. CL. CONSTANTINVS. NOB. C.

Caput plerumque laureatum, rarius galeatum, aut nudum, aut diadematum, rarissime radiatum, in aliis protome laureata cum variis attributis.

IVNIOR dicitur propter patrem, qui fuit Constantinus senior. Rarissime in ejus numis epitheton istud omittitur, sic ut jam hoc vel addito vel neglecto utriusque numi (nam et pater aliquamdiu Caesar tantum fuit) commode possint discerni, ad quod discrimen nonnunquam multum conferunt ipsae partes aversae; nam v. g. PROVIDENTIAE. CAESS. vel VICTORIAE. LAETAE. PRINC. PERP. etc. in usu nondum fuere, quando Constantinus senior Caesar tantum fuit.

Numi: ALAMANNIA. DEVICTA. — VBIQVE. VICTORES, aliique repetendi non videntur, quia hae aversae ex numis synchronis patris et fratris Crispi jam abunde sunt cognitae.

* * *

Vt lit. A.

FELIX. PROCESSVS. COS. II. AVG. *Imperator togatus stans d. globum, s. sceptrum, infra* SIRM. AV. (Mus. olim de France.)

In hac aversa haud dubium sphalma latet. Quando Constantinus noster consul iterum processit, Augustus nondum fuit. Ad Constantinum M., aut Licinium sen. pertinere nequit, cum uterque consulatum II. obiverit, antequam junior noster Caesarea dignitate ornatus esset. Quare nulla hujus numi causa chronologiae habenda est ratio.

Vt lit. D.

GAVDIVM. ROMANORVM. *infra:* SARMATIA. *Tropaeum, juxta quod mulier moesta sedens.* AV. AR. (Band.)

Similes numos, sed inscriptos ALAMANNIA vel FRANCIA jam in patre et fratre Crispo vidimus, SARMATIA nunquam. Verisimile est, cusos cum hac aversa etiam numos patris; nam sive pater ipse per se bellum cum Gothis aut Sarmatis gessit, sive commisit filio Constantino bellum cum his gestnm V. C. 1085 P. X. 332, ut prodidit Anonymus Valesii (Tillemont ad hunc ann.), certum est, honores bello partos patres inter ac filios fuisse communes.

Antica varia.

IOVI. CONSERVATORI. CAESS. — SOLI. INVICTO. COMITI. etc., ut in numis patris ac fratris.

Vt lit. E.

MONETA. VRBIS. VESTRAE. *Tres Monetae stantes.* AE. max. mod. (Band.)

Vide similem sub Crispo.

Vt lit. D.

SACRA. MONETA. VRBIS. *Tres Monetae stantes.* AE. max. mod. (Band. Mus. Pisani.)

Vt lit. E.

VICTORIA. CONSTANTINI. CAES. *Victoria thoraci insidens s. clypeum, cui inscriptum* VOT. X. *infra* SIRM. AV. (Mus. Caes.)

Confirmatur insigni hoc numo, quod paullo altius innui, a Constantino adhuc Caesare revera gestum bellum.

Antica varia.

VOT. V. — X. — XV. — XX. *intra*

lauream etc. AE. III. (Mus. Caes. Tanini.)

Vt lit. A.

VOTA. PVBLICA. *Caesar paludatus stans d. globum, s. hastam.* Vel: *Isis vel Anubis.* AE. IV. (Tanini.)

Vide de numis similibus plura in moneta Iuliani.

Vt lit. A. et B.

VOTA. VICENNALIOR. *Imperator togatus sedens dextera caput quoddam ostentat, s. bacillum tenet.* AE. III. (Band.)

In vocabulo VICENNALIOR. aut scalptoris erratum video, aut quis alius me edoceat, posse eam cum grammaticae legibus componi, nisi forte postremae literae dividendae sunt, et separatum sensum faciunt.

V. C. 1090. P. X. 337.
AVGVSTVS.

Patre hoc anno e vivis translato Augustus cum fratribus appellatur. Caesis paullo post Delmatio et Hanniballiano, factaque nova provinciarum, quas hi tenuere, partitione, cum sibi plus deberi a fratre Constante incassum contenderet, hujus provincias cum exercitu ingressus, sed a Constantis ducibus apud Aquileiam victus caesusque est V. C. 1093 P. X. 340, princeps, ut fertur, si ambitionem demas, praeclarae indolis.

* * *

Vt certum est, Constantinum nostrum, ex quo Augustus appellatus est, suos habuisse numos, qui, cum Caesar tantum esset, tot habuit, ita certum etiam, non exstare criterium, quo hujus Augusti numos a numis patris tuto saepe dignoscas. Meum judicium si minus valet, en tibi judicem valentiorem Bandurium. *Ceterum*, ait, *nullum hactenus numum reperire potuimus, quem ad Constantinum jun. Augustum referremus; ita omnes Constantini M. numis similes sunt* [a]). Idem repetit in praefatione ad Tomum II. Quos argenteos aliqui huic tribuunt inscriptos VICTORIA. AAAGGG. vel AAAAGGGG., pertinere ad Constantinum tyrannum, in hujus moneta dicetur. Reperio tamen unum, quem non dubitem huic tribuendum Constantino:

FL. CL. CONSTANTINVS. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

SIS. *sine typo.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 169.)

En rationes: I. Lineamenta juveniliora sunt quam pro patre Constantino. II. Nullus hactenus cognitus est Constantini M. numus cum nomine Claudii, at obvium illud est in moneta filii Constantini. III. Neque adhuc ullus repertus in omni patris moneta huic similis, sic ut in aversa aliud videre non sit praeter urbis nomen. At similes plures in fratris Constantis numis videbimus. Ex eadem causa nostro huic Constantino tribuendus erit numus inscriptus VICTOR. OMNIVM. GENTIVM, quem altius in moneta patris pag. 90 descripsi.

---

a) Pag. 333.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei puri vix exstant, nisi max. mod., iique	RRR.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei I. et II. formae	O.
Aenei III. formae	C.

FL. IVL. CONSTANS.

Constantini M. et Faustae filiorum natu minimus. A patre dictus Caesar V. C. 1086 P. X. 333, biennio post, cum imperium is inter filios partiretur, Italiam, Illyricum, Africam obtinuit.

Ab anno V. C. 1086 P. X. 333 ad V. C. 1090 P. X. 337.
CAESAR, PRINC. IVVENT.

CONSTANS. N. C. *vel* NOB. CAES.
FL. CONSTANS. NOB. CAES.
FL. CONSTANTIS. BEA. C.
FL. IVL. CONSTANS. NOB. C.
CONSTANS. IVN. NOB. C. (Mus. Caes.)

Caput fere laureatum tantum.

Iunior diserte dicitur in numo musei Caesarei, et fraudis suspicione absolvit simillimum alium, quem recitat Bandurius, sed adulteratum a viro quodam prave diligenti conjicit a). Quae monetario causa fuerit addendi hujus tituli, quo tempore senior Constans non exstitit, nisi quem finxit Harduinus, mihi incompertum. Sed enim neque necesse fuerat, Constantinum Caesarem appellare in numis juniorem, quia tum ejusdem nominis pater nequaquam Caesar, sed Augustus fuit.

In numis Constantis Caesaris aversas nonnisi obvias videas, v. c. GLORIA. EXERCITVS. — PRINCIPI. IVVENTVTIS. etc. Nobilior est:

Antica solita.

TRIVMFVS. CAESARVM. *Victoria adversa stans.* AE. II. (Tanini.)

V. C. 1090. P. X. 337.
AVGVSTVS.

Hunc honorem cum fratribus cepit defuncto patre. Triennio post Constantini fratris a ducibus suis, ut in ejus moneta diximus, apud Aquileiam victi provincias occupat, totique deinceps Occidenti imperat. Bella subinde cum Francis gerit, qui Gallias invasere. V. C. 1103 P. X. 350 insidiis Magnentii, qui Augustum sese in Gallia dixit, in Pyrenaeis montibus interficitur aetatis, quod nonnulli conjiciunt, anno fere

---

a) Pag. 362.

XXX. laudatus ab aliis, ab aliis vituperatus.

Ab anno V. C. 1090 P. X. 337 ad V. C. 1103 P. X. 350.

A. CONSTANS. AVGVSTVS.
B. CONSTANS. P. F. AVG.
C. IMP. CONSTANS. AVG.
D. D. N. CONSTANS. AVG. *aut similiter.*
E. FL. CONSTANS. *vel:* CONSTANTIS. P. F. AVG.
F. FL. IVL. CONSTANS. AVG. *vel* P. F. *vel* PIVS. FELIX. AVG.
G. FL. IVL. CONSTANS. PERP. AVG. in AV. (Mus. Caes.)

Caput plerumque diademate vel laurea gemmis divite redimitum, saepius tamen in aeneis max. mod. laurea pura, in aureo Pellerinii, qui dabitur infra, caput radiatum. Etiam ejus protome cum variis attributis.

* * *

Vt lit. B.

BONONIA. OCEANEN. *Mulier stans in triremi s. clypeum, d. hastam intorquet in figuram natantem, ad proram triremis Victoria, ad puppim duo signa militaria.* AE. max. mod. (Band. Tanini.)

Bononia, hodie Gallis *Boulogne*, cui secundum tabulam Peutingerianam vetus nomen *Gessoriacum* fuit, hoc nomine nonnisi inde a Constantino a scriptoribus proditur, quorum testimonia vide apud Cellarium. Sed certissimum testimonium est, quod ex historico anonymo Constantini M. refert Anvillius a): *properans ad patrem Constantium venit Bononiam, quam Galli prius Gessoriacum vocabant.* Fuit oppidum Galliae Belgicae, magnoque in bello usui, quia perbrevis inde in Britanniam per Oceani angustias trajectus est. Ex hoc loco et Claudium in Britanniam trajecisse, scribit Suetonius b). Numum hunc Ducangius praeclare ex Iulio Firmico explicat sic ad Constantem scribente: *hyeme, quod nec factum est aliquando, nec fiet, tumentes ac saevientes undas calcastis OCEANI, sub remis vestris incogniti jam nobis paene maris unda contremuit, et insperatam imperatoris faciem Britannus expavit.* Similia refert Libanius c). Hujus expeditionis tempus verisimile facit subscriptio legis V. Codicis Theodos. L. XI. tit. 16. quae dicitur *data VIII. Kal. Febr. Bononiae Placido et Romulo cos.*, qui processere V. C. 1096 P. X. 343. Male hoc loco in Codice scribi Constantium pro Constante, jam vidit Iac. Gothofredus, (ad eand. legem, et iterum in Chronol. Cod. Theod. pag. XLIV.) et nunc hoc numo eximie confirmatur. Vide haec pleraque apud Ducangium d).

* * *

Vt lit. F.

FELICIA. DECENNALIA. *Genii duo, seu Victoriae coronam gestant, in qua* VOT. X. MVLT. XX., *in imo* TES. Est AV. max. mod. (Band.)

Vt lit. F.

FELICITAS. PERPETVA. *Imperator vultu adverso et habitu consulari sedens in*

a) B. L. Tom. XXVIII. p. 401. b) in Claud. c. 17. c) in Basilico. d) Dissert. de num. inf. aevi §. 58.

pegmate altiore, capite nimbato dextera sursum elata, suppedaneo inscriptum VOT. V., *in pegmate inferiore hinc et illinc adsidet figura juvenilis eodem habitu d. volumen, infra* SIS. Est AV. (Mus. olim de France.) AR. max. mod. (Band.) In alio: *Victoria gradiens d. lauream, s. tropaeum, infra* AQ. Est AR. (Mus. Caes.)

Argumentum prioris typi explicatu sane difficile, cujus causam in spissam eorum temporum caliginem merito conferas. Vide de hoc conjecturas parum probabiles cum Bandurii, tum Khellii [a]).

* * *

Antica varia.

FEL. TEMP. REPARATIO. *Phoenix gradibus insistens lauream rostro stringit.* Vel: *Triremis, super qua imperator paludatus stans d. phoenicem, in aliis Victoriolam sustinet, s. innititur labaro, in quo monogramma Christi, adsidente ad gubernaculum Victoria.* Vel: *Miles barbarum crinibus prehensum e specu, aut silvarum latebris protrahit.* Vel: *Miles equitem postratum hasta petit.* Vel: *Imperator stans d. labarum tenet, in quo monogramma Christi, s. clypeum, adsidentibus humi duobus captivis.* Vel: *Imperator in equo citato hostem procumbentem ac supplicem hasta impetit.* AR. AE. II. III.

Typos deinceps usque ad Gratianum perpetuos et obvios semel descripsisse suffecerit. Natos fuisse post mortem Constantinorum patris et filii, argumento esto, quod certus hujus generis cum eorum capite non exstat. Ipsi explicatione non egent, cum nota aut prona certe symbola sint *felicis temporum reparationis*, ac praecipue phoenix avis, cujus imaginem jam vidimus in numo divi Trajani, tum et Hadriani cum epigraphe SAEC. AVR., nunquam feliciore ejus usu, quam cum significanda fuit temporum reparatio secundum ea, quae veteres de singulari hac avi commenti sunt. Vide Tacitum, Plinium, aliosque, tum prolixum carmen de phoenice, quod Lactantio tribuitur.

* * *

Vt lit. F.

OB. VICTORIAM. TRIVMFALEM. *Duae Victoriae stantes coronam una tenent, cui inscriptum:* VOT. X. MVLT. XV. *vel:* MVLT. XX. Est AV. AR. (Mus. Caes. Band.)

Constantem gessisse bella cum Francis, deinde Scotis constat, ex quibus *victoriae triumphalis* titulus arcessitus.

* * *

Vt lit. F. Caput radiatum.

TR. *in medio numi, nullo alio typo. In aliis:* SIS. *vel* MT. ES. Sunt AV. (Pellerin Mel. I. p. 169.)

Si Pellerinium audimus loco laudato pagina praecedente, signati sunt hi numi eum in finem, ut ex vexillis militaribus suspenderentur, qui fuit mos vetustus, idque tanto magis illi visum conjici posse, quia duplici foramine pertusi sunt. Vtrum istud videatur verisimile, praecipue in numis, qui modulum ordinarium vix excedunt, arbitretur lector.

* * *

Vt lit. F.

TRIVMFATOR. GENTIVM. BARBARARVM. *Imperator togatus stans d. la-*

a) Subplem. ad Vaill. p. 251.

barum, cui inscriptum monogramma Christi, s. hastam, vel: *d. labarum, s. clypeum; in aliis a Victoria retro stante coronatur.* AV. AR. m. m. (Band. Mus. Caes.)

Aversa speciosior quam verior secundum numum paullo supra descriptum explicanda.

* * *

Vt lit. G.

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Victoria gradiens d. lauream, intra quam scriptum* XXV.; *s. tropaeum, humi barbarus sedens elatis manibus, infra* SMNC. Est AV. (Mus. Caes.)

Numum descripsi propterea, ut tanto magis appareat turbata ratio, qua in votorum calculo imperatores usi sunt. Illi, qui ne totos quidem annos XVIII. imperio seu Caesar, seu Augustus praefuit, vota XX., sed et haec solum suscepta dabimus, at qua ratione XXV.?

* * *

Vt lit. D.

VIRTVS. EXERCITVM. *(sic) Quatuor signa militaria, quorum secundo inscriptum* A, *tertio* ω, *superne monogramma Christi.* AR. max. mod. (Mus. Caes.)

En tibi jactatum aliquoties in Apocalypsi: *Ego sum alpha et omega, principium et finis*, nunc etiam ad contestandam in Deum unicum fidem huc advocatum. Simili oratione sincerum suum in Pollionem adfectum testatus est Maro, quando eum his verbis compellat [a]): *a te principium, tibi desinet.* Deinceps quoque utramque hanc literam non infrequenter in moneta intuebimur.

Vt lit. F.

VIRTVS. EXERCITVS. GALL. *Miles cum hastili tropaeum super humero gestans, ad pedes duo captivi.* AV. (Band.)

Similem aversam vidimus in numis Constantini patris.

Antica varia.

VOT. XV. MVLT. XX. — VOT. XX. MVLT. XXX. *intra coronam.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Ejusmodi spectato numero vota, aliaque, quae in aliis Constantis numis proponuntur, qui volet, ad Constantis chronologiam exigat. Vide infra tractatum de numis votorum.

* * *

Vt lit. D.

VOTA. PVBLICA. *Isis stans in navi.* AE. IV. (Tanini.)

Vt lit. B.

VRBS. ROMA. *vel* VRBS. ROMA. BEATA. *Mulier galeata spoliis insidens d. Victoriolam, s. hastam.* AE. max. mod. (Band.)

Divus Constans.

Fuisse Constantem consecratum continuato etiam in principibus Christianis more, nequaquam dubito, verum non exstat ejus facti testis numus. Talem quidem promulgavit Mediobarbus, sed jam observavit Bandurius, male lectam anticae epigraphen, restituendumque Constantio Chloro, quod non advertit Mazzolenus, qui hunc Mediobarbi errorem propagavit [b]).

---

a) Eclog. VIII. 11. b) Animadv. III. p. 77.

PRETIVM.

Aurei et argentei	C.
Majoris moduli in utroque metallo	RR.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei II. et III. formae	C.

SATVRNINVS III.

Aevum Gallieni, deinde Probi tyrannum habuit dictum Saturninum. Ad neutrum pertinere potest numus, quem describemus, quia aversam offert, quae utriusque Augusti aetate non valuit. At enim, ut haec aetatem sibi, in qua sumus, jure postulat, sic ab historicis omnibus, qui hujus aevi res gestas dictavere, Saturninus tyrannus plane ignoratur. Fuere tamen etiam, qui numi hujus fidem in dubium vocavere, ut testatur Bandurius a). Eccum.

* * *

IMP. CAE. SATVRNINVS. AV. *Caput radiatum.*
FEL. TEMP. REPARATIO. *Miles hostem equo prolapsum hasta confodit, in imo* BSIS. AE. III. (Band.)

FL. IVL. CONSTANTIVS II.

Constantini M. et Faustae alter filius, natus V. C. 1070 P. X. 317. Dies natalis in catalogo Caesarum proditur VII. idus Aug. b) V. C. 1076 P. X. 323 VI. idus Nov. ad Caesaream dignitatem fuit evectus. V. C. 1088 P. X. 335 ei pater in celebri provinciarum divisione Orientem administrandum dedit, ac biennio post, antequam moreretur, bellum in Persas demandavit.

Ab anno V. C. 1076 P. X. 323 ad V. C. 1090 P. X. 337.

CAESAR. PRINC. IVVENT.

A. CONSTANTIVS. NOB. C. *aut similiter.*
B. D. N. CONSTANTIVS. NOB. C. *vel similiter.*
C. FL. CONSTANTIVS. NOB. C. *addito etiam* D. N.
D. FL. IVL. CONSTANTIVS. NOB. C.
E. FL. VAL. CONSTANTIVS. NOB. C.
F. FL. IVL. CONSTANTIVS. NOB. CAES.

Caput laureatum aut diadematum,

a) in praef. ad Tom. II. b) Marini Frat. arv. p. 387.

raro nudum, et tum cautio, ne cum Constantii Galli moneta confundatur, ut in hoc dicetur.

* * *

Vt lit. A.

FELICITAS. ROMANORVM. *Quatuor armati et paludati hastas tenentes stant sub arcu.* AR. (Band.)

Videtur exhiberi Constantinus M. cum tribus filiis. Eadem aversa est etiam in numis ejusdem Constantii, sed Augusti, et in his duo tantum armati.

* * *

Vt lit. F. Protome laureata Constantii d. hastam tenens, s. clypeum, cui insculptus imperator eques praecedente Victoria, et adducta hasta in barbaros supplices irruens, pone subit turba militum.

GAVDIVM. ROMANORVM. *Vir paludatus altiorque stans d. hastam, cujus capiti manus superne e nube promicans coronam imponit. Ei a sinistris adstat vir eodem cultu, sed minor, quem adstans Victoria coronat; a dexteris alius eodem cultu, sed item praecedente minor, quem stans juxta figura militaris galeata amplectitur, in imo* MCONS. Est AV. praegrandis moduli adpendens aureos Hung. 74. (Mus. Caes.) Vide altius notam p. 82.

Numus hic propter pondus insignis inter fratres meriti, quia Constantium adhuc Caesarem appellat, signatus est intra annum P. X. 323, quo Caesaris primum dignitatem abstulit, usque ad annum mortis paternae 337, ex quo dictus Augustus. At quoniam facies Constantii plenior jam est, et maturior, malim signatum hunc numum paullo ante mortem patris, quo annum vitae saltem XX. egit. Iuvat conjecturam cultus militaris; nam eo ipso tempore bellum illi Persicum decrevit pater. Ad partem aversam quod attinet, virum, qui medius stat altior, non dubitem appellare Constantinum patrem propter venerabile senium pietatemque jam nunc coelitus coronatum, eum, qui illi a sinistris adstat, fratrem majorem Constantinum, qui a dexteris, fratrem minorem Constantem. Deest Constantius, jam in antica conspicuus. Capita gentis dominantis eodem modo in utramque numi partem divisa jam vidimus in numis Sept. Severi ad annum V. C. 954. Frater Constantinus a Victoria coronatur, quia revera eo ipso tempore victor fuit teste ejus numo: VICTORIA. CONSTANTINI. CAES. Adverte, jam nunc variam gentis regnantis dignitatem majore minoreve corporis mensura indicari, quod deinde in numis Byzantiorum obvium.

* * *

Vt lit. D. Caput laureatum.

GLORIA. ROMANORVM. *Mulier galeata sedens d. globum, cui insistit Victoriola, s. hastam, humi clypeus, in imo* TR. Est AV. max. mod. (Mus. Caes.)

Deest hic numus in catalogis hactenus vulgatis cum nomine *Caesaris.* Alios, sed cum typo aliquantum diverso, vide mox infra in numis Constantii, sed Augusti.

* * *

Vt lit. E.

VOTA. PVBLICA. *Anubis stans d. sistrum, s. caduceum.* AE. IV. (Theupoli.)

Vide infra similem in numis ejusdem, sed Augusti.

* * *

Numi reliqui: GLORIA. EXERCI-

TVS. — PRINCIPI. IVVENTVTIS. — VICTORIA. BAEATISSIMORVM. CAESS. etc. jam fere ex praecedentibus cognitì.

V. C. 1090 P. X. 337.
AVGVSTVS.

Mortuo hoc anno patre Augustus, et totius Orientis jam rector, bellum primum cum Sapore Persarum rege varia fortuna gerit. Subinde Occidenti prospicit inde ab anno P. X. 350, quo caesus frater Constans, Magnentii, Vetranionis, Decentii tyrannide turbato, quibus omnibus loco motis, ac cumprimis relata insigni apud Mursam de Magnentio victoria unus rerum potitus pacem restituit. Cum unus tantae moli non sufficeret, Constantium Gallum consobrinum Caesarem appellat quidem, verum propter morum asperitatem ad mortem adacto hujus fratrem Iulianum sufficit, eumque bello adversum Alamannos praeesse jubet. V. C. 1110 P. X. 357 de Magnentio Romae triumphat. Triennio post bellum adversus Saporem instaurans, audito sub ipsum iter, Iulianum, qui magnis rebus gestis Alamannos ad pacem compulerat, Augusti titulum in Galliis a militibus acceptasse, dilata interim vindicta coepta prosecutus Euphratem transit. At Sapore ad ejus adventum territo, et cum exercitu dilapso regressus et ipse, in Iulianum, qui jam Italiam, et Illyricum occupaverat, bellum instruit, verum in medio apparatu apud Mopsucrenen Ciliciae contracto ex aegrimonia morbo exstinguitur V. C. 1114 P. X. 361. Corpus Iuliano jubente translatum Constantinopolin, ibique honorifice conditum.

Habitus est ingenii stolidi, vani, arrogantis, in suspiciones patentis, ac tum in crudelitatem proni, atque istud non ab idololatris modo scriptoribus, sed Christianis quoque, qui, ut ejus in veterem superstitionem odium collaudarunt, ita ad ejus insaniam ingemuere, qua in controversis sacrae doctrinae quaestionibus agere ipse arbitrum est ausus, et episcopos inter se committendo tantum fere ecclesiae pacem turbavit, quantum qui eam ante persecuti sunt. Inter haec vitia fuisse tamen clarum eloquio, temperantem, egregiae tranquillitatis perhibent Eutropius et uterque Victor.

Vxor I. incerti nominis Iul. Constantii patrui filia, neque magis certa ejus reliqua vita. Sunt, qui *Faustam* appellatam conjiciant, quo nomine percussum numum post Constantium hunc ipsum prodam.

Vxor II. *Eusebia* patris consularis filia. Haec quoque sterilis, ut prior. Ejus numi necdum reperti.

Vxor III. *Maxima Faustina*, quam postremo vitae anno duxit incerto genere ortam. Ex hac mortuo marito nata Constantia ab eventu dicta Postuma, subinde Gratiano Aug. nupta. Faustinae numum edidit Mediobarbus, sed qui verius videtur ad Faustam Constantini M. pertinere.

Ab anno V. C. 1090 P. X. 337 ad V. C. 1114 P. X. 361.

A. CONSTANTIVS. AVG. *vel* AVGVSTVS, *etiam* P. F. AVG.
B. D. N. CONSTANTIVS. AVG. *vel* P. F. AVG.
C. IMP. *vel* IMP. C. CONSTANTIVS. AVG. *vel* P. F. AVG.
D. D. N. CONSTANTIVS. MAX. AVGVSTVS.
E. D. N. CONSTANTIVS VICT. P. F. AVG.
F. D. N. FL. CONSTANTIVS. AVG. *vel* PERP. AVG.
G. FL. IVL. CONSTANTIVS. P. F. AVG. *vel* PER. AVG. *vel* P. F. PERP. AVG.

Caput plerumque diadematum cum margaritis, rarius laureatum. Non infrequens ejus protome cum variis attributis.

* * *

Vt lit. B.

DEBELLATORI. GENTI. *vel* GENTIVM. BARBARARR. *vel:* GENTT. BARBARR. *Imperator eques variis additis.* AE. max. mod. (Tanini.)

Vt lit. B.

FELICITAS. ROMANORVM. *Fornix binis columnis spiralibus fultus, intus duae figurae paludatae hastatae stantes, infra* SIRM. Est AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Videntur indicari Constantius Aug. et Gallus Caesar; nam et in hujus moneta hic typus exstat. Aversam similem, sed cum quatuor armatis vidimus supra in numis ejusdem Constantii, sed Caesaris.

* * *

Antica varia.

GLORIA. REIPVBLICAE. *Duae figurae muliebres cum hastis, quarum dexterior galeato capite est, sinisterior turrito, et simul d. pede prorae navis insistit, sedentes clypeum tenent, cui inscriptum:* VOT. XX. MVLT. XXX. *In aliis:* VOT. XXX. MVLT. XXXX. *In unico:* VOT. XXXV. MVLT. XXXX. Est AV. (Mus. Caes.)

En binis his signis utramque Romam propositam, veterem, quae dextera sedet, novam, quae capite turrito et adstituta navis prora distinguitur, ut dictum in numis inscriptis: CONSTANTINOPOLIS, quos post Constantini M. monetam descripsi. Moneta haec aurea in Constantio nostro magno numero exstat, verum rara in hac sunt VOTA. XXXV., nimirum quinquennalia decaeteridos III.

* * *

Vt lit. G.

GLORIA. ROMANORVM. *Mulier sedens d. Victoriolam, s. hastam, pede prorae navis imposito.* AV. Max. Mod. (Mus. Caes.)

Typo aversae iterum haud dubie indicatur Constantinopolis. Haec aversa obvia est in numis aureis inde a Gratiano. Duplex est hic numus in museo Caesareo, alter insignis voluminis, adpendens aureos Hung. 12¼ (Vide altius notam p. 82.) sed utcunque attritus, alter aureos tantum 5¾, sed nitidissimus.

* * *

Vt lit. B.

HOC. SIGNO. VICTOR. ERIS. *Victoria coronans imperatorem paludatum stantem, et d. labarum, in quo monogramma Christi, s. hastam tenentem.* AE. II.

Numus in Constantio nostro et Vetranione obvius, in Gallo rarior. In numis Constantini M. ad numum: SPES. PVBLICA copiose egimus de Christi monogrammate illo jubente vexillo inserto, cum in bellum Maxentii exiret. Hoc in mediam aciem delato, qua parte maximum videbatur discrimen, cum certam semper victoriam referret, ut tradit Eusebius, et qui hunc exscripsere, factum, ut hoc signum valere unice ad victoriam crederetur, ex quo habemus rationem epigraphes: HOC. SIGNO. VICTOR. ERIS, quae haud dubie ipsi etiam vexillo addita fuit. Aliqui aversam ad ipsam crucem a Constantino in coelo conspectam referunt, juxta quam scriptum legebatur: EN. TOΥΤΩΙ. NIKA, *in hoc* (signo) *vince*.

* * *

Vt lit. B.

LARGITIO. *Imperator sedens medius mulieri capite radiato ad dexteram accedenti d. quid largitur, a sinistris stans mulier alia galeata s. hastam tenet.* AE. max. mod. (Band.)

Hunc numum varie explicant eruditi. Spanhemius Chifletium secutus typo figurae radiatae accedentis censet exhiberi Arsacem Armeniae regem, quem teste Ammiano magnificis muneribus Constantius est prosecutus. Gorius, qui in museo Florentino binos similes ex gaza M. Ducis edidit, typo mulieris capite radiato Constantinopolin, alterius mulieris galeatae Romam veterem, et factas his a Constantio largitiones exhiberi censuit. Nemo erit, qui non posteriorem hanc sententiam praeferre malit, praecipue si recolat ea, quae paullo supra de symbolica utriusque urbis imagine dixi, tametsi difficile est, certi quidquam adfirmare, antequam de ipso typo, nam in hoc describendo nimium variant auctores laudati, certiora habeamus. Novum nunc in numis nomen LARGITIO, cum antea pro hoc *Liberalitas*, *Congiarium* in usu esset. At enim proprium istud erat hujus aetatis vocabulum, unde *Comites privatarum*, vel *sacrarum largitionum*, quod probare supervacaneum.

* * *

Vt lit. A.

OB. VICTORIAM. TRIVMPHALEM. *Duae Victoriae stantes et tenentes clypeum, cui inscriptum:* VOT. X. MVL. XX. Est AV. max. mod. (Mus. olim de France Vindob.)

Similem aversam jam dedit moneta Constantis.

Vt lit. B.

SALVS. AVG. NOSTRI. *Monogramma Christi, in area hinc* A, *illinc* ω. AE. II. (Mus. Caes.)

Nova aversa, etsi jam cognitus ejus typus seorsim receptus. De monogrammate jam actum abunde, et de A. ω. supra in Constante ad numum VIRTVS. EXERCITVM.

Antica varia.

TRIVMFATOR. GENTIVM. BARBARVM, *ut in numis Constantis.* AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Vt lit. G.

VICTOR. OMNIVM. GENTIVM. *Imperator paludatus stans d. labarum, s. clypeum, hinc duae figurae flexis genibus supplices, inde captivus sedens.* AV. (Mus. Caes.)

Eandem prorsus aversam vidimus in numo Constantini M., nisi forte hic tu-

tius Constantino filio tribuetur vel propterea, quod simillimus est descripto hic fratris Constantii numo. Diximus autem supra in moneta Constantini jun. Augusti, hujus numos vix discerni posse a numis Constantini patris.

* * *

Antica varia.

VOT. XV. MVLT. XX. — VOT. XX. MVLT. XXX. — VOTIS. XXV. MVLT. XXX. — VOTIS. XXX. MVLTIS. XXXX. Numi obvii fere in argento. Singulares sunt propter insolentem saltum bini argentei apud Bandurium: VOTIS. XXV. MVLT. XXXX. In aureo musei Caesarei, et apud Liebeum [a]) VOT. XXXV. MVLT. XXXX., quem lege de hoc votorum numero disserentem.

* * *

Vt lit. B.

VOTA.PVBLICA. *Anubis stans d. sistrum, s. caduceum.* AE. III. (Band.)

Similem jam dedimus supra in ejusdem Constantii, sed Caesaris numis. De his agetur copiosius post numos Iuliani.

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	C.
Aenei max. moduli	RR.
Aenei II. et III. formae	C.

FAVSTA.

Exstant numuli hujus rationis.

FAVSTA. N. F. *Hujus caput.* *Sine epigraphe. Astrum intra lauream, infra* TSA. Sunt AE. III. (Mus. Caes.)

Cujus uxor fuerit Fausta, quae in numis his N*obilissima* F*emina* exemplo Helenae Crispi appellatur, omnino ignoramus. Quoniam nomen uxoris primae Constantii II. a scriptoribus reticetur, non improbabile visum Bandurio, hanc ipsam numorum praesentium Faustam Constantio primis nuptiis fuisse junctam. Tamen fatetur etiam, potuisse esse uxorem Constantini junioris. Quisque facile videt, macris rem conjecturis agi. Interea ego numum hic proposui, quod locus tamen feminae dandus fuit, et certe ad istud aevi pertinet. Istud denique observandum, numos hos simillimos esse numis, qui vulgo Helenae Crispi tribuuntur, sic ut in his scriptum HELENA, in illis FAVSTA totum discrimen peragat, de quibus vide, quae in Helena Iuliani observabo.

a) Goth. num. pag. 83.

PRETIVM.

Non exstant nisi aenei, iique . . . . RRR.

FL. POP. NEPOTIANVS.

Matrem habuit Eutropiam Constantini M. sororem, incerta patris fortuna. V. C. 1103 P. X. 350 Constante Magnentii insidiis caeso, et hoc Occidentis imperium usurpante inter haec turbida aliquid et sibi tentandum ratus sumpta purpura Romam invasit, sed post dies XXVIII. a Magnentii duce victus caesusque temeritatis et exercitae in cives crudelitatis justas poenas dedit.

* * *

FL. POP. NEPOTIANVS. P. F. AVG. *Caput nudum.*

GLORIA. ROMANORVM. *Imperator eques barbarum supplicem hasta impetit, infra clypeus et hasta fracta, in imo:* RO. *vel* RQ. *vel* RS. etc. AE. II. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. In aliis: FL. NEP. CONSTANTINVS. AVG. *Caput corona gemmata redimitum.*

VRBS. ROMA. *Roma galeata sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AE. II. (Band. Mus. Caes. Com. Vitzai.)

Cum posteriore capitis epigraphe editus est unus, sed mutilus a Bandurio, post a Pellerinio [a]), serius integerrimum vidi ipse in museo ill. com. Vitzai, quem et edidi in meis Num. vet. p. 316, ex quo tenemus, Nepotianum etiam Constantini nomen tulisse.

PRETIVM.

Non exstant, nisi AE. II. formae, iique . . . RRR.

VETRANIO.

Etiam Vetranio in Pannonia magister militum audita Constantis caede jam aetate invalidus imperium Sirmii invasit eodem, quo Nepotianus, anno V. C. 1103 P. X. 350. Aberat tum Constantius bello Persico distentus, qui intellectis turbis, quas in Occidente excitaverant Magnentius ac Vetranio, confestim advolat, et Serdicae invitatum ad colloquium Vetranionem corruptis prius ejus militibus ad ponendam purpuram adigit ejus anni die XXV. Decembris,

a) Mel. I. pag. 216.

cum vix menses X. imperium usurpasset. Permissa vitae venia reliquam aetatem Prusae Bithyniae a Constantio liberaliter habitus exegit.

* * *

D. N. VETRANIO. P. F. AVG. *Caput laureatum.*

HOC. SIGNO. VICTOR. ERIS. *ut in Constantio.* AE. II. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

SALVATOR. REIPVBLICAE. *Imperator paludatus stans d. labarum, in quo monogramma Christi, s. hastam, coronatur ab adstante Victoria, infra* ASIS. Est AV. (Mus. Caes.)

Nova est haec inscriptio, sed et barbara. Nam ab eruditis jam est observatum, vocabula *salvator*, *salvare* a Christianorum disciplina, et SS. Patribus inventa, pro quo melius Latine dices *servator*, *servare*. Vide Seidelium in rarissimum hunc numum commentantem [a]).

* * *

Eadem adversa.

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Victoria gradiens d. lauream, s. tropaeum, in imo* SIS. Est AR. puri. (Mus. Caes.)

* * *

Reliqui cognitis jam aversis: CONCORDIA. MILITVM. — GLORIA. ROMANORVM. — VIRTVS. AVGVSTORVM. — VIRTVS. EXERCITVM. Sunt omnes in museo Caesareo.

* * *

Vetranionis numum aeneum III. formae produxit Bandurius, in cujus antica legitur: VETRANIO. NOB. CAES. *Caput imberbe nudum.* Cum vir praeclarus numum ipse non viderit, sed eum solum ex schedis Hen. commemoret, licebit ejus fidem in dubium vocare.

PRETIVM.

Aurei et argentei puri	RRRR.
Aenei II. et III. formae	R.

NONIVS.

In catalogo musei olim d'Ennery numi bini vulgati exstant [b]):

D. N. NONIIVS IL AVG. *Caput margaritis diadematum.*

FELICITAS. REIPVBLICE. *Mulier stans d. globum cum Victoriola, et labarum, in imo:* R. P. L. C. Est AE. III.

D. N. NONIIVS. M. N. V. *Caput nudum, in area* A.

VICTOR - - - NONA. *Duae Victoriae stantes tenentes clypeum arbori adfixum; clypeo inscriptum* OVI. AV. Q., *in imo* H. M. R. Est AE. III.

Vtriusque numi jam meminit Beau-

a) Electa Woltereckii pag. 301. b) Pag. 641.

vaisius, suspicatus, esse posse Regaliani, cui nomen *Nonii* in numis fuit. Verum numos hos praeter Goltzium nemo alius vidit, sinceri nomine *Nonii* abstinent, ut vidimus volumine praecedente p. 461. Non puto, de novo hoc Augusto magnopere esse laborandum. Magis verisimile, esse cogniti cujuspiam Augusti, sed cujus nomen monetarii ruditate male est exaratum, cujus exempla in museis omnibus copiosa reperiuntur.

FL. MAG. MAGNENTIVS.

Originis minus exploratae, certe parentibus barbaris natus, sive Germani hi fuere, sive Britanni. Constanti Augusto propter belli specimina carus, et ad maximas ab eo dignitates erectus malam tantis beneficiis gratiam rependit, quando Augustoduni in Gallia V. C. 1103 P. X. 350 Augustum se palam dixit Constante non procul inde venationi vacante, et ubi insidias intellexit, profugo quidem, sed per submissos a tyranno percussores in Pyrenaeis montibus interfecto. Patrato parricidio omnes sibi provincias, quae Constanti olim paruere, subjicit, Nepotianum, qui audita Constantis morte imperium in urbe invasit, duce Marcellino vincit, et ad mortem adigit, Romam ipsam inaudita crudelitate dilacerat. Desperata cum Constantio concordia bellum parat, Decentium fratrem Caesarem dicit, sed victus anno sequente P. X. 351 apud Mursam Pannoniae in Galliam fugit, ibique bellum instaurat, sed victus iterum anno P. X. 353, cum nulla jam salutis spes superesset, fratre primum Desiderio, quem Caesarem appellavit, multis vulneribus paene confecto, deinde caesa matre se ipsum interimit. De ejus truculentis moribus incredibilia prodidere scriptores veteres.

Vxor *Iustina*, quam, Augustus cum esset, duxit, nupta serius Valentiniano I. Aug.

Ab anno V. C. 1103 P. X. 350 ad V. C. 1106 P. X. 353.

A. D. N. MAGNENTIVS. AVG. *vel* P. F. AVG.
B. IMP. MAGNENTIVS. AVG. *vel* IMP. C. — CAE. — CAES.
C. MAG. MAGNENTIVS. AVG. (Mus. Caes.)
D. FL. MAGNENTIVS. P. F. AVG. (Mus. Caes.)
E. FL. MAGNENTIVS. TR. P. F. AVG. (Mus. olim de France Vindob.) De literis insolentibus TF. mox infra.

Caput plerumque nudum, etiam laureatum cum margaritis.

* * *

Vt lit. C.

BEATITVDO. PVBLICA. *Mulier sedens d. elata, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Aversa nova, et Bandurio ex uno Mediobarbo cognita, sed serius et Ta-

ninio. *Beatitudinem* tum in pretio fuisse habitam, praeter hunc numum docet marmor dedicatum Constantio: PRO. BEATITVDINE. TEMPORVM. DD. NN. CONSTANTI. ET. CONSTANTIS. etc.

* * *

Vt lit. B.

LIBERATOR. REIPVBLICAE. *Imperator capite nimbato eques dexteram offert occurrenti mulieri turritae s. palmae ramum et cornucopiae tenenti, in imo* SMAQ. Est AV. max. mod. (Tanini.) *Alius similis AV., sed moduli ordinarii.* (Band.)

Vt lit. A.

RENOBATIO. VRBIS. ROME. *Roma galeata sedens more solito.* AE. II. (Tanini.)

Vt lit. E.

RESTITVTOR. LIBERTATIS. *Imperator paludatus stans d. Victoriolam, s. vexillum cum monogrammate Christi, in imo* SMAQ. Est AV. (Mus. olim de France Vindob.)

Anticae variae.

VICTORIA. AVG. LIB. ROMANOR. *in aliis:* VICT. AVG. LIB. ROM. ORB. *Victoria et alia mulier s. hastam transversam tenens stantes tropaeum in medio positum dexteris tenent.* AV. AR. (Mus. Caes.)

En collectos Magnentii numos omnes, qui libertatem reipublicae, Romae, ipsius adeo orbis vindicatam, et hoc pacto urbem renovatam crepant, atque istud sese victo Nepotiano perfecisse jubet intelligi. Verum quam is fuerit praeclarus vindex, in ejus vita perstrinximus. Non praetereundum socium marmor apud Gruterum [a]) eidem tyranno dicatum, tanquam LIBERATORI. VRBIS. ET. ORBIS. ROMANI. RESTITVTORI. LIBERTATIS etc.

In numo ex adductis tertio post nomen MAGNENTIVS leguntur literae TR. Eum vidi ipse, et jam olim ex museo Franciano edidit Khellius [b]), tamen quid iis intelligi voluerit monetarius, neque ipse indicavit, neque ego conjectura adsequor.

* * *

Vt lit. A.

VICTORIAE. DD. NN. AVGG. *Victoria thoraci insidens clypeum tenet, cui inscriptum:* VOT. V. MVLT. X., *inferne astrum, et* AQ. Est AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Duo in hoc numo Augusti colliguntur. Horum alter sitne intelligendus Constantius, an Vetranio, non satis liquet. Istud certum ex ejus aevi historia, fuisse tempus, quo utrumque observavit Magnentius, Constantium, ut ab hoc conlega agnosceretur, Vetranionem, quod cum hoc communem hostem Constantium metuebat. Inscriptio VOT. V. MVLT. X. aenigma visum Khellio est, quod nulla possit arte extricari. Nam qua ratione, ajebat, is, qui nonnisi trium annorum et medii spatio imperium tenuit, praestare potuit soluta quinquennalia, et suscepta decennalia [c])? Ad hunc rigorem si votorum numis inscriptorum oeconomiam exigere volet vir eruditus, nimium hercle saepe laborabit. Vide, quae de his votorum causis prolixius disputabo infra in Observatis generalibus.

a) Pag. 281. b) Adpendic. ad Vaill. p. 259. c) Subplem. ad Vaill. p. 260.

PRETIVM.

Aurei et argentei	R.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei II. et III. formae	C.

MAG. DECENTIVS.

A fratre Magnentio cooptatus Caesar V. C. 1104 P. X. 351, cum is urgente Constantio violentas sibi manus intulisset, fraternum secutus exemplum laqueo sibi fauces elisit P. X. 353.

* * *

D. N. DECENTIVS. CAESAR, *vel:* NOB. C.
D. N. DECENTIVS. FORT. CAES.
MAG. *vel* MAGN. DECENTIVS. NOB. CAES. *vel* N. CS.

Caput constanter nudum.

* * *

Partes aversae fere conspirant cum iis, quas in fratre Magnentio descripsimus. Quare eas recoquere inutile videtur. Memorandi tamen aurei, quorum alii inscribuntur:

VICTORIA. AVG. LIB. ROMANOR., alii:
VICTORIA. CAES. LIB. ROMANOR. (Vtrique in Mus. Caes.)

Decentius utrum Augustus.

Mediobarbus ex museo Faeschii numum citat inscriptum: D. N. DECENTIVS. P. F. AVG., verum sitne hic numus sincerus, dubitat ipse Bandurius, habetque me sibi facile consentientem.

Bandurius aeneum maximae formae ex museo regio Etruriae obtulit cum epigraphe: IMP. DECENTIVS. NOB. CAES. Eum deceptum profitetur Gorius [a]), eique lectionem multo adhuc magis miram sufficit: MAG. DECENTIVS. NOB. CAES. AVG. Vtri horum habenda fides? Vterque certe numum ipse vidit. Opperiamur diluculum.

PRETIVM.

Aurei et argentei	RRR.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei II. et III. formae	C.

a) Mus. Florent.

DESIDERIVS.

Magnentii item frater, et ab hoc dictus Caesar, sed qua paullo post dignitate excidit crudeliter a fratre ipso Magnentio interemptus, ut in hoc diximus.

* * *

Ejus numi unis Goltzio et Stradae cogniti, neque ad eum pertinere puto contorniatum cum epigraphe DESID. NC., qui ei passim tribuitur, ut dicemus infra in tractatu de numis contorniatis.

FL. CL. CONSTANTIVS GALLVS.

Iul. Constantii, fratris Constantini M., et Gallae filius, Iuliani, quem proxime imperatorem dabimus, frater germanus natu major. Mortuo Constantino M., cum filius Constantius in suam ipsius gentem saeviret, et jam Galli nostri patrem, fratremque natu majorem e medio sustulisset, uni valetudini infirmae, ex qua brevi decessurus videbatur, servatam vitam debuit. Idem Constantius, qui mortem puero intentavit, patruelem Gallum V. C. 1104 P. X. 351, cum bellum in Magnentium meditaretur, Caesarem dixit abolito Galli nomine, suoque Constantii indito, ut diserte Victor a), eumque in Oriente reliquit ad arcendas Persarum incursiones. Verum cum ejus atrocitas morum ferri diutius non posset, Constantius ad se evocatum primum Petovione imperii insignibus exuit, deinde Flanone in Istria interfici jussit V. C. 1107 P. X. 354.

Vxor *Constantina* Constantini M. filia, Hanniballiani vidua, quam Constantius frater Gallo collocaverat, cum eum Caesarem dixit. Numis caret.

Criterium numorum Galli.

Cum Gallus noster eadem habuerit nomina, quae patruelis Constantius II., quamdiu hic Caesar erat, dubitatum non raro, utri tribuendi sint numi complures Constantii nomine insignes. Nam *Galli* nomen in numis certis non legitur ex causa, quam continuo dedimus, nisi certos velis appellare, quos Bandurius ex unis Tristano et Strada produxit. Ad hoc igitur discrimen servient leges sequentes:

I. Numi: CONSTANTIVS. IVN. absque dubio sunt Galli, qui *junior* dictus est propter seniorem Constantium Augustum.

II. Non minus Galli sunt, in quibus legitur FL. CL. Nam Constantium seniorem Claudii nomine fuisse usum, ex numis certis non constat.

III. Si in numo Constantii Caesaris nomine inscripto sese tibi offerat aversa, quae in usu nondum fuit, quamdiu Constantius senior Caesaris nomen tulit, talis numus certe erit Constantii Galli.

a) in Caesarib. c. 42.

Istud autem facile docebimur inquirendo, utrum talis aversa reperiatur etiam in numis Constantini M., aut filiorum Constantini et Constantis adhuc Caesarum, quos vidimus fere communes habuisse aversas. Si ergo ejusmodi aversam in horum quidem numis non reperies, sed tamen in numis Constantii *Augusti*, certum indicium, eam serius natam, et quod consequitur, tribuendum numum Gallo, qui tum ex Constantiis duobus Caesar tantum fuit altero jam Augusto. Exemplo serviant numi *Constantii Caesaris* nomine notati, in quorum aversa legitur: FEL. TEMP. REPARATIO. Cum haec aversa non reperiatur aut in numis Constantini M., aut synchronis filiorum adhuc Caesarum, at frequenter deinceps, ex quo hi Augusti fuere, sequitur, eam serius invectam Constantio seniore jam Augusto, omnesque hos numos cum nomine *Constantii Caesaris* in Galli moneta putandos. Idem judicium de numis: HOC. SIGNO. VICTOR. ERIS, aliisque. Haec animadversio magnam ambiguis his numis lucem suppeditabit.

IV. Quoniam in indicatis hactenus numis, qui certe sunt Galli, caput constanter nudum observatur, cavebimus Gallo tribuere numos, in quibus caput diademate, vel laurea ambitur, quod etiam criterium multum valet, cum Constantius senior raro sit capite nudo. Eodem exemplo Iulianus, quamdiu Caesar fuit, nudo semper comparet capite. Distinguit etiam Gallum, etsi nonnihil fallere possit hoc discrimen, facies oblongior, caput liberalius capillatum, crinibus fronti invergentibus. Haec indicia cum adsunt, non dubitat Harduinus, et post eum Bandurius, tribuere Gallo etiam numos, in quibus leguntur nomina FL. IVL., nam *Iulii* nomen hereditarium habuit a patre Iulio Constantio.

In has leges cum intuebimur, in utriusque Constantii Caesaris numis expeditum habebimus discrimen, in quo antiquarii veteres graviter offenderunt temere utriusque monetam miscendo. Quo loco et meum ipse peccatum profiteri cogor, cum in edito catalogo musei Caesarei numos aeneos: FEL. TEMP. REPARATIO, et argenteos: VOTIS. V. MVLTIS. X. Constantio seniori tribui, qui revera sunt junioris. Adeo curae secundae primis praestant.

Ab anno V. C. 1104 P. X. 351 ad V. C. 1107 P. X. 354.

A. CONSTANTIVS. CAES. *vel:* NOB. CAES.
B. D. N. CONSTANTIVS. NOB. CAES.
C. D. N. FL. CL. CONSTANTIVS. NOB. CAES.
D. D. N. CONSTANTIVS. IVN. NOB. C.
E. FL. IVL. CONSTANTIVS. CAES.

Caput semper nudum, pone in multis, sed aeneis tantum comparet litera A. vel Δ.

* * *

Vt lit. C.

FELICITAS. ROMANORVM. *Imperatores duo sub arcu stantes, d. hastam tenent.* AV. AR. (Band.)

Vide eandem aversam in numis Constantii II. senioris.

Vt lit. B. et D.

FEL. TEMP. REPARATIO. *Typis variis.* AE. II. III.

Numos cum hac aversa nostri esse Constantii, continuo diximus ad §. III.

Vt lit. D.

HOC. SIGNO. VICTOR. ERIS. *Typus, ut in similibus Constantii II.* AE. II. III. (Band.)

Criterium numi praecedentis etiam huc valet.

Vt lit. C.

VIRTVS. AVGG. *Miles stans d. Victoriolam, s. hastam, pro pedibus duo captivi sedentes.* AE. max. mod. (Band.)

Cum Galli aetate alter Augustus praeter Constantium seniorem non fuerit, saltem qui ab hoc agnitus esset, nomine AVGG. intelligendi sunt Constantii senior et junior, atque hic per consortium cum priore dicitur Augustus, cujus exempla jam alias saepe vidimus.

* * *

Vt lit. C.

VIRTVS. EXERCITVS. *Tria vexilla humi defixa, in imo:* S. M. K. Δ. Est AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Illustris hic numus deest in locuplete catalogo Bandurii, neque in toto ejus opere hunc typum cum hac epigraphe sociatum reperio.

* * *

Vt lit. B.

VOTIS. V. MVLTIS. X. *intra lauream.* AR. (Mus. Caes.)

CAESAR. *Caput nudum.*

XX. *intra coronam quernam.* AR. max. mod. (Mus. Caes.)

Hoc numisma Bandurius Tomo II. pag. 333 per conjecturam Constantino juniori tribuerat, at pag. 418 Gallo, quod verisimilius spectatis ejus lineamentis, atque tunc τo XX. indicabit vota XX., sed Constantii senioris, etsi pridem soluta.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	RR.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei II. et III. formae	C.

CONSTANTINA.

Constantini M. filia, ex Hanniballiani vidua Constantii Galli uxor. Ambitiosa, moribusque aspera, in Bithynia eodem, quo maritus, anno ex febre moritur V. C. 1107 P. X. 354.

* * *

Ejus numum, inscriptum: FL. IVL. CONSTANTINA. AVG., solus vidit Goltzius, et post eum, sed tantum ex eo, vulgavere alii.

SYLVANVS.

Imperante Constantio variis muneribus cum laude perfunctus, ac denique Galliarum rector, sumpta ibi purpura facile ad obsequium revocatus morte perfidiae poenas dedit.

* * *

D. N. FL. STΛVANVS. P. F. AVG. ex unius Goltzii fallace officina emersit.

FL. CL. IVLIANVS.

Filius Iul. Constantii, quem Constantini M. fratrem diximus, et Basilinae alterius tori, Constantii Galli Caesaris frater germanus natu minor. V. C. 1090 P. X. 337 mortuo Constantino M. parum aberat, quin a Constantio Aug., qui jam patrem Constantium sustulerat, occideretur. Servatus tamen est, quod ab infante septenni omnis insidiarum suspicio aberat. Educatus deinde apud Macellum Cappadociae una cum fratre Gallo literarum studiis totum se dedit, et inter Clericos adscriptus lectoris munus publice obivit. Gallo ad Caesaream dignitatem evecto ipsi quoque exire e solitudine permissum, ac tum variis in urbibus in philosophorum plerumque consortio vixit, quorum institutum et ipse quoque professus est. Fratre Gallo propter morum asperitatem caeso, cum Constantius adjutore sibi in administrando imperio opus esse videret, V. C. 1108 P. X. 355 Iulianum ad se Mediolanum accitum Caesarem creat die VI. Novembris.

Narrat auctor incertus Enarrationum chronographicarum, quem vulgavit Bandurius [a]), Theodosium M. numos omnes Iuliani imagine insignes conflari jussisse. Istud si verum, tam parum illi propositum istud e voto cessit, atque illis, qui ante eum simile quid tentavere.

Ab anno V. C. 1108 P. X. 355 ad V. C. 1113 P. X. 360.

CAESAR.

Iulianus ad vindicandas ab Alemannorum incursionibus Gallias a Constantio mittitur. Eos variis primum praeliis, demum P. X. 357 collatis apud Argentoratum signis internecione caedit.

* * *

A. D. N. IVLIANVS. N. C. *aut similiter.*

B. D. N. FL. IVLIANVS. N. C.

C. CL. IVLIANVS. N. C.

D. D. N. CL. IVLIANVS. N. C. *aut similiter.*

E. FL. CL. IVLIANVS. N. C., *aut similiter*, *praefixo etiam* D. N.

F. IMP. IVLIANVS. N. C. vel: NOB. CAES. (Mus. Caes. Band.)

Caput, ut fratris Galli, semper nu-

a) Imp. Orient. pag. 96.

dum, quoad Caesar fuit. Et narrat Ammianus [a]), cum Augustus a militibus salutaretur, jussum proferre diadema, at negasse eum, se unquam habuisse, adhibitum deinde in praesens torquem militis.

Imperatorem etiam, licet Caesar tantum esset, appellari in numis videmus. Nequaquam istud novi exempli, ut abunde diximus in moneta Salonini.

* * *

Vt lit. E.

GLORIA. ROMANORVM. *Imperator paludatus sedens d. Victoriolam, s. scipionem, cui ad sinistram adsidet mulier capite turrito, d. Victoriolam, s. hastam tenens, et pede dextero proram navis calcans, in imo* CON. *addito monogrammate.* AV. (Band.)

Mulierem adsidentem esse Fortunam urbis Constantinopoleos, patet ex iis, quae altius in numis inscriptis CONSTANTINOPOLIS diximus.

* * *

Vt lit. E.

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Victoria seminuda insidens spoliis, et Cupido, vel genius alatus stans utraque manu tenent coronam, in qua* VOT. V., *in imo* CONSTAN. Est AV. (Band.)

Augustorum nomine intelliguntur Constantius Aug. et Iulianus Caesar, qui Augustus et ipse dicitur, nimirum in consortio Augusti, ut saepe alias vidimus. Suas vero ipsius victorias Constantio etiam imputat, nimirum ut praesagiverat Eusebia Constantii uxor, quae cum maritum hortaretur, ut Iulianum Caesarem appellaret, et Galliis praeficeret, his verbis cunctantem impulit: *nam sive*, ajebat, *fortuna prospera rebus agendis utetur, faciet, ut imperatori felices illi successus adscribantur etc.*

* * *

Vt lit. E.

Sine epigraphe: Corona laurea, in cujus medio astrum, infra T. CON. (Band. Mus. Caes.)

De hac aversa agetur in numis Helenae sequentis.

* * *

In numis reliquis: FEL. TEMP. REPARATIO. — GLORIA. REIPVBLICAE. — SPES. REIPVBLICE. (sic) etc. — VOTA. PVBLICA, quem postremum numum restituam infra post hujus Iuliani numos.

V. C. 1113 P. X. 360.

AVGVSTVS.

Constantius, sive quod revera subsidiis ad bellum Persicum egebat, sive quod elatum victoriis Iulianum verebatur, exercitus Gallicani partem ad se evocat. At milites istud indigne ferentes Iulianum Augustum appellant, eumque aliquamdiu seu simulate, seu serio cunctantem super scuto elatum populo ostentant circiter mense Martio hujus anni [b]). Constantius re intellecta apud Caesaream Cappadociae, qua in urbe tum per iter in Persas morabatur, datis severis ad Iulianum mandatis, ut coepto desisteret, iter in Persiam prosequitur. At Iulianus, cum Constantium flecti posse desperaret, arma anno sequente P. X. 361 expedit, Italiam-

a) L. XX. b) Tillemont.

que et Illyricum occupat. Erat pro foribus bellum iterum civile atrox, nisi Constantio, qui aemuli facinus ultum iverat, in Cilicia defuncto flamma resedisset. Hoste remoto solus ipse Augustus Constantinopolin nemine obsistente intrat, et renovato cum Sapore Persa bello multis jam captis urbibus longius in hosticum progressus, at commeatuum inopia redire coactus, dum infestos quaquaversum Persas vi reprimere nititur, fortuito telo ictus ex vulnere in castris decedit die XXV. Iunii V. C. 1116 P. X. 363 anno aetatis XXXII. in ipso adeo juventutis flore, et in medio hactenus victoriarum cursu.

Quod in Constantino M. evenisse diximus, quem religiosa partium studia aut coelo intulere, aut Furiis excruciandum commisere, idem et in Iuliano evenire necesse fuit, ex quo repudiatis palam Christi sacris veterem superstitionem revocavit. Cavendum igitur cumprimis, ne in judicandis Iuliani meritis aut solis utamur eorum testimoniis, qui Christiana sacra amplexi sunt, quos inter praecipue nominandi Gregorius Nazianzenus, totumque scriptorum ecclesiasticorum agmen, aut solis eorum, qui deorum cultum longe praetulere, quos inter facile eminet Libanius sophista. Quo in partium conflictu istud accidit ad causam nostram opportunum, quod inter hos ipsos auctores fuere, qui Iuliani et virtutes aperiunt et vitia, moderati sane, et amici veritatis, ex quibus laudandus praecipue Ammianus Marcellinus idolorum ipse cultor, et Iuliani ad bellum Persicum comes, aequissimi vir judicii, ac consilii, illinc Aur. Prudentius, juratus certe polytheismi hostis, cujus de Iuliano judicium lubet hic proponere [a]):

Principibus tamen e cunctis non defuit unus
Me puero, ut memini, ductor fortissimus armis,
Conditor et legum, celeberrimus ore manuque,
Consultor patriae, sed non consultor habendae
Relligionis, amans tercentum millia divum,
Perfidus ille Deo, quamvis non perfidus orbi, etc.

Ex sanae igitur criticae legibus, si amplectamur ea, quae Christiani in eo laudanda, quae adversarii vituperanda duxere, fieri non poterit, quin sinceram habeamus, germanamque Iuliani imaginem. Accedit, quod etiam his remotis, quo ille fuerit animo, qua indole, incorruptum nobis suppeditent testimonium ejus ipsius scripta, quae insigni numero ad nostram usque aetatem pervenere.

His si fontibus ad causam nostram utemur, convincemur facile, fuisse Iulianum a libidine longe alienissimum, frugalem, parcum ciborum et somni, contemptorem opum, ut in exigendis tributis non molestum, ita in remittendis fisci debitis facilem, tenacem justitiae, et si qua alia sunt decora ex philoso-

a) in Apotheosi v. 449.

phiae praeceptis hausta, tum vero artibus omnibus literisque, et cumprimis Graecis insigniter eruditum, et quod maxime mirabile visum in viro, qui omnem anteactam vitam in philosophiae otio transegit, repente ad arma evocatum rudimenta belli inter victorias occoepisse. At eundem fuisse gloriae ac popularis aurae plus quam philosophum deceret, appetentem, peccantem interdum in iis ipsis, quae in Constantio culpaverat, nonnunquam in vindictam pronum, scriptores perhibent, non vero novisse imperare linguae, et abstinere amaris salibus aculeisque, ipsa ejus scripta adfatim testantur. Levitatis ac impotentis animi argumentum insigne, quod provocatus Antiochensium dicteriis et traductus acerbius, quod barbam aleret, et austeriore vitae consuetudine uteretur, cum contemnere angustae mentis vulgus oporteret, injuriam objecta oratione vindicavit, quam Μισοπώγωνα, *osorem barbae*, inscripsit, in qua, quam is multa inepta atque inficeta effutierit, in propatulo est, cujus exemplum lemniscatum infra in numis dabo. Cum deceat philosophum, aliorum aliter sentientium doctrinam patienter ferre, an ille germani philosophi partes implevit, cum Epicureorum, scepticorumque dictata iniquo animo tulit, et abolere adlaboravit? qua in re multo sane inferior habitus est M. Aurelio, qui stoicus ipse Epicureos tamen iisdem, quibus suos, beneficiis adfecit [a]). Descivisse a Christianis sacris crimini datum, ob quam causam ei *Apostatae* nomen velut proprium inditum *). Satis constat, adhuc puerum nonnullorum, quibus literarum causa familiarius utebatur, praeceptis ad vetera instituta fuisse imbutum. Auxerint ingestum odium episcoporum ejus aetatis dissensus, jurgia, et aliquorum non ferenda ambitio, tum vero conventus in locis disjunctissimis usque eo frequentati, ut in eorum commeatus saepe vehicula publica, et in viatica, nam publice praebebantur, fere aerarium deficeret, tam raro ex his colloquiis secuta pace, ut plerumque etiam odia intenderentur. Et quoniam harum auctores synodorum ipsi potissimum fuere Constantinus M., ac filius Constantius,

---

a) Vide Vol. VII. pag. 66.

*) Αποςατης is dicitur, qui partes, quas antea secutus est, aut institutum, quod professus est, mutata voluntate deserit. A vario ergo hominum judicio pendet, utrum haec a causa priore defectio laude digna sit, an vituperio. Hominis Epicurei ad Stoicos ἀποςασιαν probaverint Stoici, vituperaverint Epicurei. Fecit igitur ignorata vocabuli Graeci significatio, ut plerique, qui in admirando Iuliano modum excessere, irascerentur illis, qui *Apostatae* illum nomine, tanquam contumelioso, distinguere amant. Hos inter Voltairius: *Il n'y a pas encore longtems qu'on ne citoit son nom qu'avec l'épithéte d'*Apostat, *et c'est peutêtre le plus grand effort de la raison, qu'on ait enfin cessé de le désigner de cè* surnom injurieux. (Suite des Mélanges de litterature etc. Tome IV. Ch. 63.) Contra non vererer Christianus ego, spectata ejus vocis natura ipsum Constantinum M. vocare Apostatam, quippe qui abjecto polytheismo Christiana sacra respexit.

tanto magis utriusque in Christiana studiis irascebatur, quanto impensius utrumque, ac privatim Constantium propter continuatas domus suae caedes oderat, et odisse debuit. Ergo cum primum Augustus sine aemulo fuit, reserare deorum templa, illuc hostias incredibili numero adigere, ipse securi admovere manum, sic ut victimarius per ludibrium diceretur, ipse comportare ligna, accendere focum, exsecandis e cadaveribus extis Augustas cruentare manus, iisque inspiciendis consulendisque advertere animum, quam insaniam graviter perstrinxit Ammianus ipse, ut idolorum cultor, sic judex aequissimus a). Ad haec ominibus, visis secundum quietem, prodigiis miseranda superstitione fidem habere, vigiliis jejuniisque sese ad deorum occursum praeparare, quos saepe ex Olympo descendisse, ut ad amasium suum inviserent, ejus suaviter contigisse manus crinesque, et tam familiariter illo usos, ut ad extremum, quae sit Iovis, quae Minervae vox, quae Apollinis forma, quae Herculis, facile dignosceret, perhibet Libanius b). Hi si mores, atque hic animi habitus si potest praestare philosophum, nihil sane obstabit, quo minus Antonios, Pachomios, Hilariones philosophos praestemus, quos tamen ii ipsi, qui maxime Iulianum philosophum praedicant, solent ridere. Cumque error fanaticus, captusque superstitione animus istud maxime sibi habeat proprium, ut quemque susurrum, quasque aniles fabulas, modo causae suae serviant, sed quas philosophia jure condemnat, facile credat, nemini mirum videbitur, Iulianum libenter amplexum tradita civitatum ab ultima antiquitate prodigia, quae jam tum aniculas inter puerosque vix fidem amplius reperere. Miraculum Claudiae Vestalis, quae sola Matris deum navim adligata zona traxerat, cum late enarrasset, haec continuo subjecit: *quanquam scio*, *nonnullos ex iis*, *qui nimis sunt sapientes*, *haec tanquam muliercularum intolerabiles nugas contempturos. Mihi vero civitatibus ipsis major habenda fides videtur*, *quam scitis et elegantibus istis*, *quorum animula acri quidem indole praedita est*, *sed nihil sani contueri potest.* Haec cum legis, aude philosophum Iulianum cum philosopho Arpinate componere. Hoc suo adfectu cum exstinguere Christianum nomen cuperet, non ille Christianos, quod a moribus suis alienum erat, tormentis insectari voluit, sed modis aliis, quos omni crudelitate valentiores sperabat. Eorum enim pueros a ludis literariis arcuit, ne adulti essent ingenio ad evertendam superstitionem capace, deinde episcopos exules suis omnes sedibus restituit, ut inter se jurgiis odiisque collisi, ut antehac factum, Christianis ipsis essent despicatui. Demens, qui non reflexerat animum, opiniones humanis mentibus alte defixas amatasque non posse sive benevolentia, sive terriculis eradicari, et perperam tum cultum religiosum oppugnari quibuscunque machinis, quando ejus illecebrae jam magnam populi partem occupavere. Ac

a) L. XXII. c. 12. 14. b) Legat. ad Iulian. et in Orat. parental. c. 83.

denique si Christianae fidei praecepta ejus fuere naturae, ut Iuliani animum permovere ad adsensum non possent, an vere is philosophum sese comprobavit, quando repudiata illa veterem cultum male cohaerentem, ac propterea jam tum passim et sponte fastiditum maluit revocare? et cum satius tum fuisset, neutri adhaerere, tam immoderato illum studio amplecti, ut non possit ipsa superstitio, quo tempore maxime floruit viguitque, pertinacioris in se pietatis inter homines exemplum ostentare. Adeo verum est, summos etiam viros, quos inter Iulianum jure numeramus, dum praecipiti mentis suae *ὁρμῇ* nimium obsequuntur, et virtutes ipsas nimium intendunt, tum maxime philosophiam omittere, et sibimet ipsis multum detrahere de veris laudibus, quas communi orbis judicio promeriti videbantur. Iuliani vitam praeclare scripsit Bletterius Gallus, etsi illi religionis causa iratior, in opere *Histoire de l'Emp. Iulien l'Apostat* Parisiis annis 1735. 1746. 1776 in 12. edito; idem multa, quae ad Iulianum pertinent, inseruit operi alteri: *Histoire de l'Emp. Iovien* Parisiis 1748 et Amstelodami 1750 in 12 vulgato. At optime, ut ego existimo, de Iuliani philosophia, virtutibusque et vitiis judicavit Eduardus Gibbon Anglus [a]).

Vxor *Helena*, de qua infra.

* * *

Ab anno V. C. 1113 P. X. 360. ad V. C. 1116 P. X. 363.

A. IVLIANVS. AVG.

B. D. N. IVLIANVS. P. F. AVG

C. D. N. FL. IVLIANVS. P. F. AVG.

D. D. N. CL. IVLIANVS. P. F. AVG. vel: PP. AVG. vel: PERP. AVG.

E. D. N. FL. CL. IVLIANVS. P. F. AVG. vel: PP. AVG. etiam sine D. N.

F. D. N. CL. IVLIANVS. SEMP. AVG. (Ducange Fam. Byz. tab. XIV.)

Caput cinctum diademate gemmato. Diximus supra, Iulianum, quamdiu Caesar erat, uti diademate non solitum. Gestasse illud, ex quo Augustus fuit, non numi modo testantur, sed et Ammianus [b]): *Quinquennalia Augustus jam edidit, et ambitioso diademate utebatur lapidum fulgore distincto, cum inter exordia principatus adsumpta vili corona circumdaretur xystarchae similis purpurato.* Sed vilem hanc coronam in ejus Caesaris numis videre nondum licuit.

Cum privatus adhuc esset, barbam aluit, sed attondere eam jussus, cum ad Caesaream dignitatem vocaretur, ut fatetur ipse [c]), barbatus in numis, in quibus Caesar dicitur, non comparet. Numi ejus, deinceps Augusti, aut imberbem illum, aut, quod saepius, liberaliter barbatum sistunt. Dubium non est, prioris generis numos ad principia imperii pertinere, quando ancipite adhuc sua fortuna, et nondum omissa concordiae cum Constantio spe recepto cultu uti malebat; quae causa

a) The History of the decline and fall of the Rom. empire chap. XIX. — XXIV. b) L. XXI. c) ad S. P. Q. Athen. p. 274.

fuit, cur Christiana etiam tum sacra adhuc frequentaret. Paullatim sui securus barbam, quam inde ab Hadriano principibus honoratam primus posuit Constantinus M., et post eum ex eadem gente omnes, revocavit. Non impune. Nam palam ridebatur ab Antiochenis, tanquam qui barbam praeferret hircinam, quae tam esset pilis spissa, ut inde funes possent confici [a]). Convicium ut convicio rependeret, *per me*, respondit, *istud vobis licebit*, *at vereor*, *ut evellere illos possitis*, *neque delicatulas vestras mollesque manus eorum asperitas laedat.* Addidit barbae suae commoda alia, ut: delectari se discurrentibus per eam pediculis, ceu per silvam feris, obstare eam gulae, metu, ne una cum pane se pili miscerent, et esse impedimento dandis accipiendisque osculis [b]). Quae quidem modo commemorata eo usque intoleranda visa fuere delicatis nostrae aetatis Gallis, ut Bletterium Iuliani biographum obtestarentur amici, ab his verbis Gallice reddendis in popularium suorum gratiam abstineret [c]). *) Secundum Ammianum Iulianus adhuc Caesar barbam aluisse videtur, nam jam tum tanquam *capella*, *non homo*, et *hirsutus* in aula Constantii traducebatur [d]). Verum in numis hac dignitate insignibus imberbis semper est, et hoc dicterium ejus adhuc privati mores respexerit.

* * *

Vt lit. C. Caput barbatum.

SECVRITAS. REIPVB. *Bos stans*, *superne duo astra; in nonnullis juxta bovem corona*, *cui insistit aquila; in imo variarum urbium nomina.* AE. II.

Hujus typi in numis Iuliani jam meminere Socrates [e]), et Sozomenus [f]). Nimirum alimentis Antiochiae praesente imperatore deficientibus oppidani, ut erant suopte ingenio ad cavillandum proni, taurum, ajebant, numis esse insculptum, ejusque exemplo perverti orbem terrarum. Nempe, ut aculeum explicat Socrates, cum ad aras deorum adsidue tauros immolaret Iulianus, aram et taurum numis jussisse insculpi. Quod ad aram attinet, fallitur certe Socrates; nam inter tot numos, qui cum hoc typo exstant, nullus adhuc cum memorata hac ara repertus est; sed nec Sozomenus ejus arae meminit. Neque etiam Bandurius in causa, cur ejusmodi numi signati sint, cum Socrate consentit. Existimat enim, quoniam Iulianus Aegyptiorum sacris pertinacius inhaesit, bove stante cum duobus astris intelligi Mnevin soli, et Apin lunae sacros. Revera quo tempore is Antiochiae moratus est, quaesitum solicite in Aegypto novum Apin, ac repertum denique, refert Ammianus [g]).

Id genus numi, praeterquam quod miro numero habentur, istud praestant etiam, quod in ima parte urbes, ex

---

a) Ammian. L. XXII. Socrat. L. III. c. 17. b) in Misopog. c) Hist. de Iovien T. II. p. 94. d) L. XVII. e) L. III. c. 17. f) L. V. c. 19. g) L. XXII.

*) Secus visum Voltairio, loco, quem paullo altius in nota indicavi. *Le peuple d'Antioche*, inquit, *insulte Iulien. Il ne se venge qu'en homme d'esprit, et pouvant lui faire sentir la puissance impériale, il ne fait sentir à ce peuple que la supériorité de son génie.*

quarum officina monetaria prodivere, distinctius atque alii numi exhibent. Ita legere in iis est: ANT. — AQVIL. — CONS. — CYZIC. — HERACL. — LVGD. — NIC. — SIRM. — SIS. — TES. additis variis notis arithmeticis seu Latinis, seu Graecis, quae adeo praeclare serviunt ad explicandas notas in hujus aevi moneta contentas. In aliis ejus numis, praecipue Votorum, adsidue item notantur urbes, quas inter reperitur etiam VRB. ROM.

* * *

Vt lit. E. Caput imberbe.

VICTORIA. DD. NN. AVG. *Victoria gradiens*, *infra* LVG. AR. (Mus. Caes.)

Omnia comprobant, numos hos sub initium imperii invito Constantio suscepti fuisse percussos, nimirum caput adhuc imberbe, scriptum DD. NN., quo comprehensus etiam intelligitur Constantius, antequam arma in hunc moveret, denique infra scriptum LVG*dunum* in Iuliani ditione positum, in qua sola ejusmodi numi majoris Augusti voluntati repugnantes feriri potuere.

* * *

Vt lit. E. Caput barbatum.

VIRTVS. EXERC. GALL. *Figura militaris barbarum in genua prostratum crinibus prehensum trahit*, *s. tropaeum*, *in area aquila fulmini insistens*, *et coronam ore tenens*, *infra* CONSTAN. Est AV. (Mus. Caes.)

Vt ex certis testimoniis constat, Iulianum palam ad veterem superstitionem fuisse reversum, sic tamen in ejus numis neque dicatas diis inscriptiones, ut: IOVI. vel MARTI etc., neque eorum propria signa aperte proponi videmus. Nam bos signatus in numis SECVRITAS., etsi, ut verisimile diximus, Mnevin, vel Apin notet, tamen in plures patebat explicatus, ut revera Socratem historicum aliter de hac imagine sensisse vidimus. Quid quod neque pontificis maximi titulum monetae suae inscripsit, etsi talem sese continuo post adscitum idolorum cultum palam professus est [a]). Quid vero sentiendum sit de numis VOTA. PVBLICA, in quibus obviae sunt deorum inscriptiones et signa, post Iuliani numos exponetur. Tamen, si fides Sozomeno [b]), *in publicis imaginibus curavit*, *ut juxta se pingeretur Iuppiter velut e coelo apparens*, *et coronam ac purpuram*, *imperii insignia*, *ipsi praebens*, *aut Mars ac Mercurius oculos in ipsum conjicientes.* Fuit igitur Iuliano certa quaedam constituta ratio, cur aut non auderet, aut non vellet cultum suum manifestare in moneta publica, quem aliorsum palam professus est. Sane in praesente numo nequaquam Iuppiter ipse imperatori coronam offert, ut istud in tabulis pictis fuisse propositum dixit Sozomenus, sed ejus vice minister fulminis ales, eodem quidem sensu, sed tamen modestiore. Adverto vero etiam, cum aquila insistens fulmini, et coronam ore stringens vetus fuerit legionis signum, et constet ex eodem Sozomeno [c]), Iulianum in pristinam formam commutasse signum illud nobilissimum exercituum Romanorum, quod Constantinus in crucis formam converterat, posse hoc aquilae typo intelligi restitutam hanc ipsam aquilam legiona-

a) Socrat. L. III. c. 1. b) L. V. c. 17. c) l. c.

riam, quae praeterea recte respondet inscriptioni: VIRTVS. EXERC. GALL.

Typus prehensi crinibus hostis, qui deinceps in Valentiniani moneta obvius est, humilis est imago inimici in servitutem abstracti, quae et elegantiorum temporum monumenta invasit. Sic in celebri gemma Augustea musei Caesarei milites Romani virum et mulierem barbaram capillitio arreptos trahunt. Eodem sensu Deriades Indorum rex apud Nonnum his verbis furit [a]):

Σημερον ἠ Διονυσον ἐγω πλοκαμιδος ἐρυσσω,
Ηε μοθος Βακχειος αΐςωσει γενος Ινδων.
Hodie vel Bacchum ego crinibus traham,
Aut pugna Bacchica exterminabit genus Indorum.

* * *

Antica varia.

VOTA. PVBLICA *variis deorum typis*, quos numos vide infra post numos Iuliani.

Antica varia. Caput imberbe.

VOTIS. V. MVLTIS. X. *intra lauream, infra* LVG. *vel* CON. Est AR. (Mus. Caes.)

Quinquennalia a Iuliano jam Augusto Viennae fuisse edita, diserte docet Ammianus [b]), cujus causa primum Lugduni eorum testes numi fuere signati, aliquanto serius iterati Constantinopoli.

* * *

Antica varia, capite in aliis barbato, in aliis imberbi.

VOTIS. X. MVLTIS. XX. *intra lauream.* AR. AE. III. (Mus. Caes.)

Quocunque utaris calculo, non potuit Iulianus, qui annos tantum septem, et menses fere octo sive Caesar, sive Augustus imperavit, solvere decennalia, et suscipere vicennalia. Ex quo efficitur, quo tempore solvit quinquennalia, suscepisse eum decennalia, tum vicennalia, nimirum ut recte ad hos numos observat Bandurius [c]), spe tantum, et cogitatione praecepta. Et vero complures ex his numis post peracta quinquennalia fuisse signatos, probant illi, qui caput imberbe sistunt; nam paullo post coepit promittere barbam, ut dictum. Magis mirare vota XX. in Ioviano septem mensium imperatore. Sed de hac votorum oeconomia agetur alibi.

* * *

Vt lit. B. Caput imberbe.

VOTIS. XXX. MVLTIS. XXXX. *intra coronam.* AR. (Band.)

Haec vota, etsi prioribus multo ampliora, difficultatem non creant; sunt enim Constantii, non Iuliani, atque hi numi signati fuere sub ejus imperii principium, quando nondum abjecta spe concordiae adhuc perrexit majorem Augustum observare.

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	C.

a) Dionys. L. XXXVI. v. 140. b) L. XXI. c) Pag. 429.

Aenei mâx. mod. . . . . RRR.
Aenei II. et III. formae . . . . C.

Numi Iuliani inscripti VOTA PVBLICA, aliique similis argumenti Iuliano vulgo tributi.

A. *1.* D. N. FL. CL. IVLIANVS. P. F. AVG., *in aliis* PP. AVG., *in aliis sine* D. N. *Protome Iuliani d. globum cum Victoriola, s. clypeum, cui inscripti gemini lactentes.*

VOTA. PVBLICA. *Anubis stans d. sistrum, s. caduceum.* AR. max. mod. (Mus. Princ. de Waldeck.)

2. Vt lit. A. Protome similis.

VOTA. PVBLICA. *Isis sedens Horum lactat.* AE. II. (Mus. Caes.)

3. Vt lit. A. Caput Iuliani barbatum diadematum.

VOTA. PVBLICA. *Isis cane vecta d. sistrum, s. hastam.* AE. II. (Mus. Caes.)

4. Vt lit. A.

Sine epigraphe. Currus binis Sphingibus super mari vectus, cui insistit Isis d. sistrum tenens; infra stat Harpocrates, ante currum canis posterioribus pedibus insistens latrat. AE. I. II. (Tanini, Band.)

B. *5.* D. N. FL. IVLIANVS. P. F. AVG. *Protome similis.*

VOTA. PVBLICA. *Isis et Osiris in aspides desinentes vasculum una sustinent, cui insistit aspis.* AE. III. (Band. ex Ducange.)

C. *6.* D. N. IVLIANVS. NOB. CAES. *Caput nudum.*

ISIS. FARIA. *Caput Iuliani imberbe corona gemmata cinctum.* AE. III. (Band.)

Numi similis argumenti, sed sine inscriptione imperatoris.

7. DEO. SANCTO. SERAPIDI, *in alio* SARAPIDI. *Caput Serapidis.*

DEO. SANCTO. NILO. *Fluvius barbatus humi sedens, d. arundinem, s. cornucopiae, juxta hippocampus, in area* B, *infra* ALE. AE. III. (Mus. Caes. Tanini.)

8. DEO. SERAPIDI. in aliis: VOTA. PVBLICA. *Capita jugata Serapidis et Isidis cum attributis manus attollentium. In aliis caput Serapidis tantum.*

VOTA. PVBLICA. *Anubis stans d. sistrum, s. caduceum.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

9. VOTA. PVBLICA. *Caput Isidis.*

VOTA. PVBLICA. *Anubis idem.* AE. III. (Mus. Caes.)

10. DEO. SERAPIDI. *Caput Serapidis radiatum.*

VOTA. PVBLICA. *Serapis stans d. elata, s. hastam.* AE. IV. (Mus. Caes.)

11. DEO. SERAPIDI, *in aliis* SARAPIDI. *Caput Serapidis cultu solito, in aliis imberbe radiatum.*

VOTA. PVBLICA. *Isis d. sistrum in mularum bigis.* AE. III. (Mus. Caes.)

12. DEO. SARAPIDI. *Caput Serapidis.*

VOTA. PVBLICA. *Isis navi insistens velum explicat.* AE. III. (Mus. Caes.)

13. DEO. SERAPIDI. *Capita Serapidis et Isidis.*

VOTA. PVBLICA. *Isis cani insidens d. sistrum.* AE. III. (Band.)

14. Eadem adversa.

VOTA. PVBLICA. *Isis stans figurae in genua prolapsae manum imponit.* AE. III. (Band.)

15. DEO. SERAPIDI. *Caput Serapidis.*

VOTA. PVBLICA. *Isis et Osiris in aspides desinentes una vasculum sustinent.* AE. III. (Band.)

16. Eadem adversa.

VOTA. PVBLICA. *Sphinx.* AE. III. (Band.)

17. Eadem adversa.

VOTA. PVBLICA. *Harpocrates stans dextera ori admota, s. cornucopiae.* AE. III. (Band.)

18. ISIS. FARIA. *Protome Isidis d. elata sistrum.*

VOTA. PVBLICA. *Isis cani praegrandi currenti insidens d. sistrum, s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.) In alio: *Isis gradiens d. sistrum, s. situlam.* Vide copiosas aversas alias, sed jam ex praecedentibus cognitas, apud Bandurium et Taninium, ab his commemoratas sub Helena Iuliani.

19. GENIO. ANTIOXENI. *Mulier turrita et velata rupi insidens, pro pedibus fluvius emergens.*

APOLLONI. *(sic)* SANCTO. *Apollo stolatus stans d. pateram, s. lyram, infra* SMA. AE. III. (Mus. Caes.)

20. GENIO. CIVITATIS. *Capu muliebre velatum turritum.*

Eadem aversa. AE. III. (Tanini p. 318.)

* * *

En syllabum hujus classis numorum, neque tamen adhuc omnes recitavi; nam alios praeterea, sed ignobiliores, commemorant Bandurius, Taninius, aliique catalogi. Antequam de singulis agam, de universo agmine nonnulla sunt praecipienda.

Fuere, qui hos numos Iuliano jubente fuisse percussos adfirmarent, et esse ejus ad idolorum cultum conversi testes luculentos, quos inter miror exstitisse cel. Bimardum [a]). Temere istud, ac nullo auctore edici, vel ex eo liquet, quod nemo veterum, etiam eorum, qui copiosissime ea, quae pro revocandis idolis constituit, persecuti sunt, novitatem in numos quoque lege inductam meminerint. Quid quod praesto sunt argumenta, quae haud dubie contrarium docent. Horum catalogum numorum percurrenti continuo patebit, iis omnibus, demptis duobus postremis Antiochenis, natale solum esse Aegyptum. Quaeso, si Iuliani veterem iterum superstitionem revocantis jussu sunt signati, cur desunt numi Constantinopolitani, Cyziceni, Thessalonicenses, Lugdunenses, deorum Graecorum Romanorumve imaginibus insignes? An imperatoris lex ad solam Aegyptum valuit, aut haec sola imperatoris dicto audiens? Enimvero si ab his numis Iulianum idolorum cultorem probare quis volet, longius se, quam intenderat, progressum videbit; nam et Constantium II., quem acerrimum fuisse superstitionis hostem constat, oportebit idololatram confiteri, cum ejus exstent nu-

a) B. L. Tom. XV. pag. 114.

mi simillimi tam Caesaris, quam Augusti nomine insignes, in quorum aversa legitur: VOTA. PVBLICA typo Anubis, quibus adde numum Iuliani adhuc Caesaris supra num. 6. descriptum, et, ut patet, imperante adhuc Constantio signatum, quo tempore is Constantio adhuc obnoxius Christianum sese profiteri quomodocunque invitus debuit. Similem Constantini M. numum consulto praetereo; nam video posse responderi, fuisse signatum tum, cum adhuc Iovem, Martemque in moneta toleraverat. Denique similes numi occurrunt etiam sub Ioviano, Valentiniano, Valente, Gratiano, idololatriae nequaquam suspectis.

Enimvero omnia persuadent, fuisse in Aegypto vetus institutum, ut statis temporibus vota publica forte pro salute principum conciperentur, ac tum moneta cum imaginibus deorum, quibus supplicatum est, erogaretur. Sane inde a Diocletiano omnium fere Augustorum et Caesarum id genus numos habemus, suntque forma modisque multum diversis a moneta ordinaria Alexandriae signata. Quid quod hujus origo monetae forte altius est repetenda. Exstat in museo Caesareo aeneus Hadriani formae II. HADRIANVS. AVG. COS. III. P. P. *Caput laureatum.* ☧ *Sine epigraphe. Isis praegrandi cani currenti insidens d. sistrum, s. hastam.* Numus hic commatis Romani certe non est, nam deest nota S. C., et multum ab hoc abludit fabrica, neque typus ipse adhuc in ullo certo ejusdem commatis numo observatus; at frequens est in hujus, de qua agimus, classis numis, ut videre est supra in numis 3, 13, 18. Huic adde similem Faustinae senioris in museo Theupoli. Vnde verisimile fit, Hadriano imperante, quem Aegyptiorum sacra cupide amplexum novimus, aliquid novi ritus votorum publicorum nomine fuisse invectum, et continuatum deinceps, et sub ipsis etiam, ut vidimus, principibus Christianis, ferentibus his adhuc inveteratos quosdam ritus, quos penitus evertere intempestivum visum, eodem nempe modo, quo Christianos tulit Iulianus. Hoc deinde imperante haec vota publica cum omni sua superstitione altius extulisse caput, et, quod sequitur, impune multiplicatos numos, nemini credo mirum videbitur cognito praecipue ejus in Aegyptia sacra adfectu. Cui illustrando argumento praeclare servit, quod refert Ammianus a), Dracontium monetae Alexandrinae praepositum per idem tempus ab oppidanis idololatris fuisse exanimatum, quod aram in moneta, quam regebat, recens locatam evertit. Dubium non videtur, a Iuliano in ejus locum suffectum fuisse hominem sui cultus, a quo verisimile est demerendi imperatoris causa ejuscemodi numos tanto fuisse numero percussos.

Plerique credidere, in his numis sub imagine Serapidis latere Iulianum, et sub altera Isidis Helenam uxorem. De Iuliano dubitare vix licet, quoniam in illis facies Serapidis nihil habet ejus, qualis ille in aliis monumentis proponitur, sed vix ambigua Iuliani lineamenta, et habuimus innumera hactenus

---

a) L. XXII.

exempla, quibus docemur, Augustos et Augustas numinis cujuspiam manifesto cultu fuisse propositos. Praeclare istud confirmat Libanius haec de Iuliano adfirmans [a]): πολλαι πολεις ἐκεινον τοις των θεων παραστησαντες ἐιδεσιν ὡς της θεης τιμωσι, *multae eum urbes deorum formis effictum deorum instar venerantur.* Video praeterea, in similibus numis, quod jam advertit Begerus [b]), protomen Serapidis amiciri paludamento Romani prorsus moris fibula ad humerum nexo, quod constat proprium fuisse imperatoribus gestamen. Quid quod et Anubis in his numis paludatus totus est, ex quo jure possumus conjicere, sub horum numinum imagine latere Iulianum, eidemque posse applicari, quod de consule apostata scribit D. Cyprianus, aut quisquis est auctor [c]).

Teque domo propria pictum cum fascibus ante
Nunc quoque cum sistro faciem portare caninam.

Idem de Helena adfirmari nequit, cujus non aeque explorata habemus oris lineamenta. Ad haec illa, quo tempore Iulianus Augusti nomen adsumpsit, supremum diem obiit, nisi forte mortuae imaginem ab Alexandrinis monetae fuisse illatam velimus statuere.

His generatim praeceptis ad typos singulos, si qui rariores sunt, aut quid observatu dignum offerunt, progrediamur.

Num. 3, 13, 18. *Isis cane vecta cum suis attributis.* Quoniam Isis dearum omnium, quae coelo, terrae, inferis imperant, virtutem, et potentiam, et nomina ipsa sortita est, ut praeter alios late docuit Apuleius [d]), facile multiformi huic deae quaecunque aut animalia, aut addita illi signa adcommodaveris. Eodem teste illa semetipsam appellat *reginam manium, quae inferorum deplorata silentia nutibus suis dispensat*, et mox infra: *Stygiam Proserpinam, et Hecaten.* At Hecates comitem esse canem, alibi copiose probavi [e]). Gestatur ergo Isis cane suo, ut Cybele leone suo. Propiorem rationem ipsa liberaliter suppeditat, cum teste Diodoro Siculo [f]) inter alia de se jactat: Εγω ἐιμι ἡ ἐν τῳ ἀστρῳ τῳ κυνι ἐπιτελλουσα, *ego sum, quae in canis sidere exorior*, quo factum, ut Sirius Isidis astrum nonnullis diceretur [g]). Fuisse vero et Romae Isidem hoc cultu effictam, docemur ex Dione, qui inter prodigia, quae Elagabalo imperante exstitere, recenset etiam, quod Isis, quae super templi sui pinnaculo cani insidet, faciem introrsum converterat [h]). Idem canis Isidem suam in pompa marina, quam numus num. 4. exhibet, ex eadem causa comitatur. Idem typus est etiam in numis Hadriani et Faustinae altius memoratis, et in Alexandrino Antonini Pii cum anno KA (Theupòli.), quo rursum comprobatur, praesentium numulorum patriam esse Aegyptum.

---

a) Tom. II. Orat. p. 330. b) Thes. Brand. T. III. p. 184. c) Opp. Cypr. edit. Paris 1726. p. CLVII. d) Metam. L. XI. sub init. e) Numi vet. p. 243. f) L. I. c. 27 g) Schol. Apollonii ad L. II. v. 519. Theon ad Aratum. h) L. LXXIX. §. 10.

Num. 5, 15. *Isis et Osiris vasculum tenentes, super quo aspis*, haud dubie magnum et infandum mysterium objiciunt, a quo vulgando abstineo deorum iram veritus. Expertus eam est in illo scrutando curiosor Bandurius; nihil enim ex Apuleio, ad quem provocavit, probabile attulit.

Num. 6. ISIS. FARIA scriptum juxta caput Iuliani. Mirum profecto, ad rem adeo insolitam nihil observare Bandurium. Subit igitur suspicari, a viro praeclaro in numo non optimi operis creditum vultum Iuliani imberbis, qui revera Isidis esset.

Num. 18. ISIS. FARIA in hac numorum classe perfrequens. Dicitur *Faria*, vel *Pharia* ab insula Pharo Alexandriae objacente. De ea haec notavit Bandurius a): Isidem jam hoc nomine appellatam a Minutio Felice, etiam in Gruteri marmore legi ΙϹΙΔΙ. ΦΑΡΙΑ b), et apud Statium c):

Isi! Phoroneis quondam stabulata sub antris,
Nunc regina Phari, numenque Orientis anheli,
Excipe multisono puppem Mareotida sistro.

Haec erudite Bandurius. Atque hi Statii versus non praesentes modo numos, sed etiam Graecos Alexandrinos praeclare illustrant, in quibus eadem Isis tenens sistrum, et velum explicans (ut et in his Iuliani numis num. 12.) ponitur, adstituta etiam saepe Pharo turri in insula cognomine posita, insigni artificio structa a Sostrato Cnidio, ut navigantibus noctem illustraret, ut testatur Plinius d). Habes igitur ex hoc Statii testimonio causam nominis *Fariae*, habes sistrum, quod et in his numis Isis manu tenet, habes Isidem navigantium praesidem, quod et navis, cui insistit, velumque, quod explicat, significant; nam teste Cassiodorio e) *vela Isis rati prima suspendit.* Teste Luciano f) Io in vaccam mutata missa est in Aegyptum, ubi Isidis nomine Nili incrementis praeesset, ventos immitteret, et navigantibus opem ferret. Sed de hac Iside navigantium praeside lege praeclaram dissertationem abbatis Fontenu g), contractius apud Morcellum h), denique apud Zoëgam i).

Num. 18. *Isis gradiens d. sistrum, s. situlam.* Vtrumque signum Isidi proprium, et utrumque in Iside eleganter descripsit Apuleius k). *Iam gestamina longe diversa; nam dextera quidem ferebat aereum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam trajectae mediae paucae virgulae, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem. Laeva vero cymbium dependebat aureum.* De utroque item Servius l): *Isis est genius Aegypti, qui per sistri motum, quod gerit in dextera, Nili accessus recessusque significat, per situlam, quam sinistra manu retinet, ostendit adfluentiam omnium lacunarum, id est: fossarum, in quas Nilus stagnans recipiebatur.*

---

a) in Iuliano p. 427. b) Pag. 85. c) Silv. L. III. carm. II. v. 101. d) L. XXXVI. §. 18. e) Epist. XVII. f) Dial. Deor. III. g) B. L. T. V. Mem. p. 84. h) de Stilo inscr. p. 56. i) Num. Aegypt. p. 135. k) Metam. L. XI. l) ad Aen. VIII. 696.

Numus 7. exhibet *Deum sanctum Serapidem*, et *Deum sanctum Nilum*, utrumque cultu solito. De utroque alias saepe a me actum, ac praecipue Vol. IV. p. 29 et 36. Nilum ab indigenis religiose cultum praeter alios testatur quoque Eusebius [a]), et diserte testatur Sozomenus [b]), ei ex instituto majorum fuisse sacrificatum, ut uberius restagnaret. Ad hunc numum, qui utrumque hunc deum conjunctum exhibet, servit quod narrat Sozomenus [c]), praecepisse Iulianum, ut cubitus Nili juxta morem majorum ad templum Serapidis deferretur, cum annis proxime superioribus jussu Constantini M. ad ecclesiam portaretur. Denique apte in his numis junguntur Serapis ac Nilus, quia ille credebatur Nilum ad irrigandos agros adducere, ejusque regere et incrementa et decrementa [d]).

Reliqui typi in his Aegypti numis aut memorabile nihil continent, aut si qua sunt, jam satis in moneta Aegypti explicata fuere.

Num. 19. 20. Signati Antiochiae Syriae, et jam recitati in ejus urbis moneta. Etiam hos imperante Iuliano emersisse verisimile est. Antica offert *Genium Antiocheni*, id est: populi, specie mulieris turritae fluvio subtus emergenti super scopulo adsidentis, de qua imagine vide quae diximus in numis Antiochenis. Apertius scribitur in numis Romanis aevi Diocletianei: GENIO. POPVLI. ROMANI. De geniis populorum, urbium, locorum etc., quorum tutelae singuli commissi fuere, multa in variorum eruditorum operibus congesta reperies. Ad populorum, urbiumque genios quod attinet, de quibus nunc tantum nobis sermo, habemus in numis Nicaeae Bithyniae: ΑΓΑΘΗ. ΤΥΧΗ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ, in numis Ephesi: ΤΟ. ΑΓΑΘΟΝ. ΕΦΕϹΙΩΝ, frequentissime solum ΤΥΧΗ, aut, ut in numis Germes Mysiae, et Attaeae Phrygiae: ΤΥΧΗ. ΠΟΛΕΩϹ. Graecorum Τυχην idem fuisse, quod Latinorum *Genium*, docuit Charisius grammaticus. Non tamen propterea erravisse dicendi sunt interpretes, qui Τυχην verterunt *Fortunam*, ut eos erravisse statuit Henricus Valesius [e]). Neque enim facile evicerit, quod visum fuit Charisio, visum fuisse etiam diversae aetati, variisque populis. Videmus, *Genios*, *Fortunas*, *Tutelas* nonnunquam a veteribus distingui, ut in marmore apud Maffeium [f]): GENIO. ET. FORTVNAE. TVTELAEQVE. HVIVS. LOCI, at constat etiam, haec numina, etsi a variis discreta demus, tamen propter descripti muneris adfinitatem saepe fuisse permutata atque confusa, quod fieri solet ac debet, quando judicia in rebus extra naturam humanam positis a populorum opinione, et saepe privato singulorum arbitrio pendent. His geniis oppidanos urbis suae tutelam credidisse, in vulgus notum, at non perinde cognitum, iisdem his geniis suum etiam natalem fuisse adsignatum. Narrat loco mox indicato Eusebius, Adrianum martyrio fuisse adfe-

a) Vita Const. L. IV. c. 25. b) VII. c. 20. c) L. V. c. 3. d) Iablonski Panth. P. II. pag. 236. e) ad Eusebii Martyres Palaest. c. XI. f) Mus. Veron. pag. 313. n. 3.

ctum *προ τριων νωνων Μαρτιων γενεθλιων της κατα Καισαρεων νομιζομενης Τυχης ἡμερα*, *ex ante III. nonas Martias*, *qui dies fuit natalis Genii*, *quem suum Caesarenses constituerunt.* Hunc equidem natalem eum ipsum existimo, quo civibus creditum urbem suam aut fuisse aedificatam, aut certe dedicatam. Ex hac lege natalis Genii Romae fuit XI. Kal. Maji, Constantinopoleos V. idus Majas, quo ea die dedicata est. *Γενεθλιους ἡμερας των βασιλιδων πολεων*, *natales dies regiarum urbium*, Romae scilicet, et Constantinopolis, memorat quoque Sozomenus [a]). Ceterum templi Genii, quod stetit Antiochiae, meminere Ammianus [b]), et Iulianus Aug. [c]).

Pars aversa *Apollinem sanctum* praedicat ab Antiochenis in suburbio Daphne summa religione celebratum, non ingrato ad haec obsequia deo, nam pro his oracula eodem loco rependerat. Ea excepturus Iulianus ad templum istud accessit, paullo post sive fortuito, sive admotis ignibus exustum, ut narrant Sozomenus [d]), et Ammianus [e]).

FL. IVL. HELENA.

Constantini M. et Faustae filia, quam frater Constantius Iuliano collocaverat, cum Caesarem eum appellasset. Mortua est V. C. 1113 P. X. 360, paullo post, quam imperium in Gallia maritus arripuit, incertum, an morte naturali, an accelerata. Fuisse dictam Augustam, dubium non est, cum et soror Constantina Hanniballiani, deinde Galli uxor a patre Augusta dicta fuerit [f]).

Filium enixa quidem est, sed qui vix natus diem obiit.

Numi:

Huc distuli adcuratius examen numorum, qui *Helenam* inscripsere, quo nomine in Constantini M. familia tres cognitae fuere, eaeque conjuges Constantii Chlori, Iuliani, et forte Crispi. Quam hactenus in earum numis recte distribuendis incassum desudaverint Ducangius [g]), Gallandus [h]), Bandurius, aliique, in aperto est. Quare necesse visum, horum quoque censuram peragere, magis, ut eruditorum irritos hoc in judicio conatus meo quoque experimento comprobem, quam ut aliis me plus vidisse possim gloriari. Qua in causa si parum profecero, me eorum, qui praecesserunt, calamitate solabor. Lubet Helenarum numos secundum titulos, et nomina iis inscripta recitare.

Flavia Iulia Helena Aug.

1. FL. IVL. HELENAE. AVG.
Ejus caput.
PAX. PVBLICA. *Mulier stans d. ramum,*

a) L. V. c. 17. b) L. XXIII. sub init. c) in Misopog. d) L. V. c. 3. e) L. XXII. f) Philostorg. L. III. c. 22. 28. g) Dissert. de num. inf. aevi §. 69. h) B. L. Tom. I. hist. p. 248.

s. hastam, *in imo:* CONSE. — TRP. — TRS. etc. AE. IV. numi obvii.

2. *Eadem adversa.*

PIETAS. ROMANA. *Mulier stans duos pueros in sinu fovet.* AE. III. (Tanini in Helena Chlori.)

Flavia Helena Aug.

3. FLAVIA. HELENA. AVGVSTA. *Ejus caput.*

FELICITAS. AVGVSTA. *Mulier stans d. oleae ramum*, *s. hastam transversam.* AE. m. m. (Tanini in Helena Chlori.)

4. *Eadem adversa.*

PIETAS. AVGVSTAE. *Helena stans s. infantem tenet*, *d. puerulo nudo adstanti pomum offert.* AE. m. m. (Tanini ibid.)

5. FL. HELENA. AVGVSTA. *Ejus caput.*

PROVIDENTIA. AVGG. *Castra praetoria*, *superne astrum*, *infra* SAR. AE. III. (Bandur. T. II. pag. 113.) Numi RRR.

6. *Eadem adversa.*

SECVRITAS. REIPVBLICE, *rarius* REIPVBLICAE. *Mulier stans d. demissa ramum*, *s. vestem colligit*, *in imo:* TCONST. — ARLS. *etc.* AV. (Mus. olim de France, Beauvais.) AR. (Tanini.) AE. III. obvii.

Helena Nobil. Femina.

7. HELENA. N. F. *Ejus caput.*

Sine epigraphe. Astrum in corona. AR. (Band. T. II. p. 325.) AE. III. (Mus. Caes.) Numi RRR.

Helena Flavia Maxima.

8. HELENA. FL. MAX. *Ejus caput.*

Sine epigraphe. Astrum in corona. AV. (Strada, Tristan T. III. p. 733. Band. T. II. p. 441.)

Praesentem numum descripsisse suffecerit nulla deinceps ejus futura mentione, quia dubitari potest, an unquam exstiterit. Bandurius eum ex Tristano citat.

* * *

Helenae Iuliani ab antiquariis tribui etiam solent numi inscripti ISIS. FARIA, sed judicium istud minus certum, ut dixi in numis Iuliani.

* * *

De his, quos coram descripsi, numis varie ab antiquariis judicatum. Quos I. et VI. loco dedi, quique omnium maxime abundant, Mediobarbus, et, quod mirere, Bandurius quoque nullo discrimine jam Helenae Chlori, jam Iuliani tribuunt. Serius Bandurium suum ipsius vellicavit judicium, atque inter tres Helenas sequens statuit criterium [a]): Helenam, quae in numis FL. vel FL. IVL. dicitur, esse Chlori, quae N. F. appellatur, esse Crispi, quae demum FL. MAX., Iuliani uxorem. Addit, numos FL. et FL. IVL. propterea Helenae Chlori tribuendos, quod literae in horum numorum margine expressae eaedem in Constantini numis conspicuae sunt, in Iuliani vero longe aliae visuntur, quo argumento pridem Gallandum in laudata dissertatione usum video. Etiam nuper cl. Taninius numos loci I. partim Chlori, partim Iuliani Helenae adjudicavit.

a) in praef. ad Tom. II.

At vero sententiam Bandurii gravis urget difficultas. Ait, numos inscriptos FL. vel FL. IVL. pertinere ad Helenam Chlori. Verum si istud, qua ratione in ima numorum sic inscriptorum parte notari potuit CONS., etiam ipso judice certa Constantinopolis nota? Constat, quo tempore haec Chlori Helena mortua est, fere adhuc fuisse ignotum Constantinopolis nomen. Vnde sequitur, numos PAX. PVBLICA, et SECVRITAS. REIPVBLICE, in quibus novae hujus urbis nomen saepe legitur, hujus Helenae esse non posse, sed neque esse posse Helenae Crispi, cum et hic ante novum hoc nomen Byzantio inditum diem obiverit.

Hoc tamen non obstante sunt rationes non aspernandae, quae numos numero I. positos Helenae Chlori vindicare videntur, ac I. quidem in illis dicitur *Flavia Iulia*, quae ei fuisse nomina docet marmor Gruteri a). II. In his tantum numis notae in imo positae conspirant cum iis, quae in Constantini M. moneta observantur, et discrepant ab iis, quas Iuliani moneta exhibet. III. Plurimum probant conlati cum his Theodorae numi, quae fuit altera Chlori uxor. Simillimi enim inter se sunt, sive fabricam spectes, sive volumen, (nam utrique sunt aenei IV. formae) sive notas in imo collocatas, sive enunciandi modum insolentiorem in dandi casu, nempe in his HELENAE, in illis THEODORAE, quae omnia collecta eandem utrorumque aetatem arguunt. Cum ergo certum sit, Theodorae numos imperante Constantino M. signatos, eadem etiam aetas huic Helenae numor classi tribuenda. Ast quo, inquies, modo difficultatem, quam tute ipse Bandurio objeceras, tolles, nempe *το* CONS. his quoque numis inscriptum? Ea sane aliter expediri nequit, quam statuendo, eos in mortuae memoriam a Constantino signatos, quod a vero nequaquam abhorret, quin et luculento Eusebii testimonio juvatur narrantis, Constantini jussu numos aureos cum imagine matris Helenae cusos b), quanquam videatur errasse in promulgando metallo, nam hactenus id genus aureus nondum compertus. Idem narrat Theophanes c), sed suppressa metalli mentione. At argumentum his multo valentius sufficit formula HELENAE dandi casu in his numis concepta. Novimus, inde ab Augusti aetate in numis, qui in mortuorum memoriam cusi sunt, valuisse dandi casum, atque ob eandem causam verisimile est, Theodorae quoque numos post hujus mortem fuisse percussos. Ex his ergo, quae modo disputavi, dubitare vix licet,

numum I. ex propositis esse Helenae Chlori.

Numus II. inscriptus PIETAS. ROMANA haud dubie etiam erit ejusdem Helenae Chlori, partim quia eandem habet capitis epigraphen, partim quia eadem aversa est etiam in obviis ejusdem Theodorae numis.

Numus IV. quoque ejusdem erit cum praecedentibus Helenae, nam eadem aversa, et in numis quoque maximi moduli reperitur in moneta Faustae, cui illa convixit. Varians capitis epigra-

a) Pag. 284. 1. b) Vita Const. L. III. c. 47. c) in Chronographia.

phe aliud non docet, quam numum hunc viva Helena fuisse signatum, quod et de sequentibus notandum.

Numus V. in parte aversa epigraphen et typum offert obvium in Diocletiano et conlegis, et cum Constantino M. desinentem, ut adeo eidem Helenae Chlori adimi vix possit.

Numi loco VI. descripti spectato capitis cultu, et notis infra positis aliam a praecedente Helenam sine dubio sistunt, cumque hae ejusdem sint rationis, cujus illae, quae in Iuliani moneta observantur, verisimile est, numos hos hujus uxori Helenae tribuendos. Adde, scriptum in his REIPVBLICE pro REIPVBLICAE in nullo adhuc Constantini M. numo observatum, at post hunc demum invaluisse, ac saepe occurrere in moneta Iuliani. Denique epigraphen SECVRITAS. REIPVB. in numis hujus Augusti novimus esse obviam.

Numus III. FELICITAS. AVGVSTA utri Helenae debeatur, plane incertum, cum haec epigraphe prorsus sit nova. Interim verisimilius videtur, Helenae Chlori tribuendum.

Numum VII., in cujus antica Helena *Nobilissima Femina* dicitur, et in aversa sidus intra coronam visitur, Bandurius, ut diximus, Helenae Crispi proprium facit, et per ipsum hunc titulum esse Helenae Iuliani negat, quoniam, ut ait, in more olim positum fuit, ut Augusto nata, si Caesari nupsisset, Augusta appellaretur, at Nobilissima Femina, si qua inferiores habuit natales [a]). Quod ego judicium non impugno, etsi dubitem, universim hunc morem valuisse. Typus quidem astri suffragatur Helenae Iuliani, quia cum simili aversa habemus numos Iuliani Caesaris, tamen vix credam, huic Helenae Augusti nominis honorem fuisse negatum, ut in ejus vita dixi. Potest ergo hic numus Helenae Crispi permitti, praecipue cum similis sit numo Faustae Nobilissimae Feminae, quam verisimile est fuisse uxorem unius ex Constantini M. filiis, ut diximus post numos Constantii II. Sed memineris, lector, valde esse incertum, utrum Crispi uxori nomen fuerit Helenae, ut in hac monui.

Ex his ergo probabilibus causis, donec certiores aliae accedant,

Helenae Chlori erunt numi 1, 2, 4, 5, et forte 3.

Helenae Crispi numus 7.

Helenae Iuliani numi numero 6 descripti.

---

a) Tom. II. pag. 325.

MONITVM.

Vt extrema imperii R. tempora longissime a vetere dignitate, praesidiis, existimatione distabant, sic et extrema ejus res numaria nihil habet meritorum, quibus superioris aevi moneta excelluit. Quemadmodum enim haec partim ad antiquitatis scientiam praeclara ac copiosa attulit subsidia, partim artis perfectione, et dignitate imaginum oculos, animumque recreavit, ita, quae praesentis est aevi, raro aliquid offert, quod ad dictas causas valere possit, nihil vero, quod non modo juvare mentem oculosque possit, sed et ab ejus contemplatione non planissime absterreat. Quare cum numi veteres tantum propter has, quas modo commemoravi, causas soleant expeti, ubi hae deficiunt, licebit omittere explicandi, disserendique contentionem, quae olim propter argumenti praestantiam vires nostras atque ingenium exercuit. Veniam ergo merebor, si, quod monetae imperatoriae reliquum est, tanquam post legionum robur agmen iners, et ignavum, paucis verbis absolvam, magis ne quis, quod totius instituti partem efficit, abesse possit conqueri, quam ut dignum operae fructum facturum sperem, qui hercle ab hac argumentorum sterilitate, ingruente paullatim operis incredibili barbarie, ac tot ambiguorum nodis, qui vindicem necdum reperere, obtineri nequit. Quapropter quod ad facta historica attinet, Bandurii exemplo unum lubet sequi Ducangium, qui imperatoriam ejus aevi historiam complexus est in praeclaro opere, quod Familiae Byzantinae *inscribitur, et singulis imperatoribus subjicere numos modicis, cum mereri videbuntur, commentariis illustratos, additis insignioribus illis, qui post Bandurii catalogum in lucem prodivere. Enimvero tantum abest, ut ab hujus aetatis numis aliquam possit historia sperare opem, ut eam potius, si illis nitare, perturbent, impediantque. Lege, si lubet, quae de inscriptionibus veritati historicae in hujus aetatis moneta plane contrariis pridem conquestus est Bandurius* [a]).

---

a) Tom. II. p. 461 nota 3, et p. 456 nota 2.

IOVIANVS.

Fl. Iovianus natus in Pannonia continuo in caesi Iuliani locum suffectus, cum Sapore Persa pacem magis necessariam, quam honestam fecit quinque provinciis, Nisibique restitutis. Cum magnam administrandi juste imperii spem ostentaret, redux Dadastanae in finibus Galatiae et Bithyniae sitae mortuus in cubiculo repertus est P. X. 364 mense imperii VIII., annos natus XXXIII.

Numi:

D. N. IOVIANVS. P. F. AVG. vel: P. F. P. AVG. vel: P. F. PP. AVG. vel: P. F. PERP. AVG. vel: PPP. AVG.

D. N. FL C. IOVIANVS. P. F. AVG. (Ducange Famil. Byz. Numi max. mod. reg. Gall. tab. XL.) Iovianum etiam marmora *Flavium* vocant, at nunquam *Claudium*. At numi hujus, quia contorniatus, non maxima est auctoritas.

Caput cum corona ex margaritis.

Partes aversae.

GAVDIVM. ROMANORVM. *Imperator sedens s. hastam, dexteram extendit versus figuram pro pedibus genuflexam, pone stat Victoria d. elata coronam, s. palmae ramum, in imo* CONSA. AV. M. M.

Illustrem hunc volumine et raritate numum edidit Taninius ex museo equitis Gascon Angli addito iconismo.

* * *

GLORIA. ROMANORVM. *Imperator paludatus stans sub porticu d. globum, s. hastam.* AR. (Tanini.) Etiam aeneum I. formae sic inscriptum citat Taninius.

* * *

MONETA. AVG. *Tres Monetae stantes.* AE. m. m. (Tanini.)

* * *

SECVRITAS. REIPVBLICAE. *vel:* REIPVBLICE. *Duae mulieres sedentes, quarum dexterior capite galeato, sinisterior turrito s. hastam, et s. pede prorae navis insistit, clypeum una tenent, cui inscriptum:* VOT. V. MVLT. X. *in imo:* SIRM. *aut similia.* AV. In aliis: *Imperator paludatus stans d. labarum cum monogrammate Christi, s. globum, pro pedibus captivus sedens.* AV. AR.

Major aureorum pars hanc habet epigraphen. Argentei sunt rarissimi, quorum unus est in museo Caesareo.

* * *

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Typi ut supra.* In aliis: *Victoria stans d. coronam, s. globum crucigerum.* AV. (Banduri.) In aliis: *Victoria galeata nuda gradiens d. coronam, s. globum.* AV. (Banduri.)

VICTORIA. ROMANORVM. *Imperator paludatus stans d. labarum, in quo monogramma Christi, s. globum cum Victoriola.* AE. m. m. (Tanini.) AE. II. obvii.

Iidem Ioviani numi jam globum imminente Victoria, jam globum crucigerum offerunt. Prior modus ex vetere religione est, hic ex nova, et nunc primum comparet. Vtrinque eadem signi-

ficatio. Nam quod olim praestare debuit Victoria, modo praestabat crux; unde obvia illa in hujus aevi numis: HOC. SIGNO. (crucis) VICTOR. ERIS. In eadem sententia fuit Procopius, qui, dum equestrem Iustiniani statuam describit a), ait: *ϛαυρος ἀυτῳ ἐπι τȣ πολȣ ἐπικειταί, δι' ȣ̔ δε τηντε βασιλειαν και το τȣ πολεμȣ πεποριϛαι κρατος*, *crucem globo impositam manu gestat, per quam regnum, et in bello victoriam adeptus est.* Apertius Suidas de eadem hac statua loquens: (sub Iȣϛινιανος.) *και τῃ μεν ἀριϛερᾳ χειρι φερει σφαιραν, ἐμπεπηγοτος τȣ ϛαυρȣ ἐν ἀυτῃ ὑποσημαινοντος, ὡς δια της ἐις ϛαυρον πιϛεως της γης ἐγκρατης ἐγεγονει, σφαιρα μεν ἡ γη, δια το σφαιροειδες τȣ ἀυτης σχηματος, πιϛις δε ὁ ϛαυρος δια τον ἐν ἀυτῳ σαρκι προσηλωθεντα θεον.* *Laeva quidem manu gestat globum, cui crux infixa est, quae significat, ipsum propter fidem in crucem terrae dominum factum. Globus enim is terra est propter rotundam ejus figuram; fides vero ipsa est crux propter incarnatum Deum illi clavis adfixum.* Bandurius, qui testimonia haec jam protulit b), multo vetustiorem ejus symboli usum reperire poterat in statua Constantini M. columnae porphyreticae imposita, quae stetit Constantinopoli, et quae teste Nicephoro Callisto c) *χρυσεον μηλον μεγιϛον τῃ δεξιᾳ κατεχων χειρι, ἐπανω τον τιμιον κατεπηγνυ ϛαυρον*, *ingens aureum malum manu dextera gestavit, superne venerandam crucem infixam habuit.* En, quod scriptores praecedentes apposite, quod res est, dixere *πολον*, *σφαιραν*, ab imperito hoc historico vocatum *malum*, cum tamen saltem inde a Iulio Caesare, ut numi satis demonstrant, globus imperatoribus additus symbolum fuerit imperii orbis terrarum. Atque hinc factum existimo, ut rudiora nostrae quoque aetatis ingenia globum similem, quem hodieque Caesares Germanici in monumentis publicis praeferre solent, malum imperii, *Reichsapfel*, vocare ament. Non attinebat, hoc loco insulsitatis hujus meminisse, nisi volupe putarem, nonnunquam et ineptiarum cunabula nosse.

Victoria galeata, et nuda typus est, quem alibi videre non memini. Quae sit haec victoria sive Augustorum, sive Romanorum, praeterea cur dicatur AVGVSTORVM, cum tamen per breve hoc imperium unicus tantum fuerit Augustus, neglexit docere Bandurius, neque ipse supplere defectum ausim.

* * *

VOT.V. *vel:* VOT.V. MVLT. X. *intra coronam*, in obviis AR. et AE. III.

VOT. X. MVLT. XX. *intra coronam.* AR. (Mus. Caes.)

Mira postremi hujus numi epigraphe in Augusto VIII. tantum mensium, de quo agetur alibi.

VOTA. PVBLICA. *Isis sedens Horum lactat.* — *Duae mulieres tutulatae in serpentem desinentes ambabus manibus una sustinent hydriam, ex qua serpens emergit.* AE. II. — *Anubis d. sistrum, s. caduceum.* AE. III. — *Isis in bigis mularum d. sistrum*, in alio *bigas praecedit Anubis Isidem respiciens.* — *Isis stans in navi.* — *Anubis.* — *Harpocrates.* AE. IV. (Tanini.)

Vide numos similes explicatos in Iuliano.

---

a) de Aedif. Iust. L. I. c. 2. b) Tom. II. p. 445. c) H. E. L. VII. c. 49.

* * *

VRBS. ROMA. *Roma sedens cultu solito.* AE. m. m. (Baldini ad Vaill.)

Numi suspecti.

IMP. CAES. IOVINIANVS. etc. Numum hunc Taninius ex museo Pembrock citat, in quo est Parte III. tab. 31. Nomen IOVINIANVS, quod nullus Augustorum habuit, tum et reliquae omnes causae satis evincunt, epigraphen male esse lectam, numumque alterius esse Augusti.

* * *

ADVENTVS. AVGVSTI. *Imperator eques pacificatoris habitu, praecedit miles cum labaro* XP., *sequitur Victoria, in imo:* ROMA. AE. m. m. (Tristan.)

Mirum, in numo Romano praedicari adventum Romae ejus Augusti, qui ex Asia pedem non extulit, neque ipsam etiam Constantinopolin, quae fuit Roma nova, intravit. Quare cum propter hanc causam, tum quod ejus praeconem unum Tristanum video, eum in suspectis interea habendum puto.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	R.
Aenei m. m.	RRR.
Aenei II. et III.	C.

VALENTINIANVS I.

Fl. Valentinianus patre Gratiano natus in Pannonia mortuo Ioviano Augustus appellatur Nicaeae anno P. X. 364. Continuo Valentem fratrem collegam adsciscit, eique Thraciam, Graeciam, et totum Orientem administrandum permittit, servatis sibi Illyrico, Africa, ceterisque Occidentis provinciis. Bella cum Alamannis, Scotis, Saxonibus, Quadis sive per se, sive per duces varia fortuna gerit. Vehementius in Quadorum legatos invectus apoplexia oppressus exstinguitur Birgitione in Pannonia exeunte anno Christi 375, princeps inter virtutes ac vitia varius.

Vxor I. *Valeria Severa*, quam privatus duxit, ex qua natus *Gratianus* subinde Augustus. Ejus numum finxit Goltzius. Qua repudiata, vel mortua

Vxor II. *Flavia Iustina* Magnentii vidua. Proles habuit *Valentinianum juniorem* Augustum, filias tres, *Iustam*, *Gratam* et *Gallam* Theodosio M. nupturam. Ejus numum unus vidit Goltzius. Eam propter formae praestantiam a Valentiniano fuisse concupitam, et viva adhuc Severa publice ductam uxorem, legemque propterea ab eo latam, ut cuivis liceret duas simul legitimas uxores habere, refert Socrates [a]), et ex eo

a) H. E. L. IV. c. 31.

plures alii. Verum istud inter fabulas jure collocat Baronius a).

Numi:

Numos Valentinianorum I. et II., nisi in quibus *το* IVN. additur, qui certe sunt Valentiniani II., discernere difficile est, ut pluribus docebo infra in moneta Valentiniani II. Quare propositum est, hoc loco describere numos omnes, qui Valentiniani nomen omisso IVN. offerunt, permisso cuivis arbitrio, quam iis malit stationem adsignare.

* * *

D. N. VALENTINIANVS. P. F. AVG. vel: P. AVG., rarius AVG. solo.

Caput diadematum cum margaritis, rarius caput galeatum, idque in AE. II., si modo hi non sunt Valentiniani II., ut in hoc dicetur.

Partes aversae:

CONCORDIA. AVGGG. *vel:* AVGGGZ. *vel:* AVGGGS. *vel:* AVGGGK. — CONCORDIA. AVGGGG. *vel:* AVGGGGS. *vel:* AVGGGGH. *Mulier galeata sedens d. hastam, s. globum, d. pede prorae navis imposito, in imo plerumque* CONOB. In aliis: *Figura galeata sedens d. hastam, s. clypeum, in quo* VOT. X. MVLT. XV. *vel:* VOT. XV. MVLT. XX. AV. (Band. Tanini. Mus. Caes., sed de omnibus his sub Valentiniano II.)

* * *

FELIX. ADVENTVS. AVG. N. *Imperator eques pacificatoris habitu, in imo:* SMAQ. AV. m. m. (Mus. Caes.)

Cujus regionis, vel urbis adventus indicetur, incertum.

* * *

GLORIA. REIPVBLICAE. *Castrorum porta, desuper monogramma* XP. AE. III. (Tanini in Valent. II.)

* * *

GLORIA. ROMANORVM. *Duae mulieres sedentes, quarum dexterior capite galeato d. Victoriolam, s. hastam, sinisterior capite turrito d. Victoriolam, s. cornucopiae, d. pede prorae navis insistit.* AV. m. m. (Tanini.) In alio: *Imp. paludatus stans d. labarum, s. clypeo innixus.* AR. m. m. (Banduri.) In aliis: *Figura paludata s. labarum, d. captivum crinibus prehensum rapit.* AE. III. obvii.

Numos aeneos cum eadem epigraphe, in quorum adversa est protome galeata cum hasta, esse verisimilius Valentiniani II., in hoc dicemus.

* * *

MONETA. AVGG. *Tres Monetae stantes.* AE. m. m. AE. II. (Band.)

* * *

PAX. PERPETVA. *Victoria thoraci insidens una cum adstante puello nudo alato clypeum tenet, cui inscriptum:* VOT. V. MVL. X. *in imo* TES. In alio: *Victoria adversa stans utraque manu elata singulas laureas jactat, infra* TESOB. Vterque Quin. AV. (Mus. Caes.)

Numi ex nullo alio museo cogniti.

* * *

REPARATIO. REIPVBLICAE, in AR. et AE.

REPARATIO. TEMPORVM. AE. II. (Band.)

---

a) ad ann. Chr. 370.

RESTITVTOR. REIPVBLICAE, in omni metallo. (Band.)

* * *

SALVS. REIP. *Imp. paludatus stans d. labarum, s. globum cum Victoriola, pede captivum calcat.* AV. (Band.)

SALVS. REIPVBLICAE. A. *Duo impp. nimbati sedentes in throno communi d. globum, s. sceptrum crucigerum, infra* CONOB. AV. (Mus. Caes. in Valent. II.)

SALVS. REIPVBLICAE. *Quatuor signa militaria, infra* TCON. *cum astro.* AR. m. m. In alio: *Victoria tropaeophora gradiens s. captivum crinibus prehensum rapit.* AE. IV. (Vterque Mus. Caes.)

* * *

SECVRITAS. REIPVBLICAE. numi obvii AE. III.

* * *

TRIVMFATOR. *(sic)* GENT. BARB. *Imperator paludatus stans d. labarum, s. globum, juxta captivus genuflexus, infra* TR. OB. AV. (Mus. Caes.) AE. incerti moduli. (Band.)

* * *

VICTORIA. AVGG. *vel:* AVGGG. *vel:* AVGVSTORVM. *variis typis* in omni metallo, etiam AE. m. m. (Tanini.)

VICTORIA. D. N. AVGVSTI. *Victoria sedens una cum adstante puello alato clypeum tenet, cui inscriptum* VOT. V. MVLT. X., *in imo* TESOB. Est AV. (Mus. Caes.)

* * *

VIRTVS. AVGGG. in AE. III.

VIRTVS. EXERCITVS, vel: EXERCITI. in AR. et AE. II. III.

VIRTVS. ROMANORVM. in AV. AR. (Band. Mus. Caes.)

* * *

VOTA. PVBLICA. *Duo impp. nimbati sedentes d. elata volumen, pro pedibus hinc et inde captivus genuflexus, in imo* CONS. AV. (Mus. Caes.)

VOTA. PVBLICA. *Isis sedens Horum lactat*, vel: *Isis cani insidens d. sistrum, s. hastam*, vel: *Harpocrates.* AE. II. III. IV. (Band. Tanini.)

De similibus aeneis egimus in moneta Iuliani.

* * *

VOT. V. — VOT. V. MVLT. X. — VOT. X. MVLT. XX. — VOT. XV. MVLT. XX. — VOT. XX. — *intra coronam*, in omni metallo. Rarissimus est: VOT. XX. MVLT. XXX. AE. III. (Band.)

* * *

VRBS. ROMA. *Roma sedens.* AR. AE. m. m. (Band.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux intra lauream.* AV. (Band.)

* * *

In hujus Valentiniani numis, tum et Valentis et Gratiani saepe memorantur officinae monetariae sic: OF. II. III. etc. vel: R. PRIMA, R. SECVNDA, R. TERTIA, R. QVARTA, et similiter, de quo argumento dicemus plura infra in tractatu de numis inferioris aevi.

PRETIVM.

Aurei . . . . C.

Aurei max. mod.	RRR.
Argentei	C.
Argentei max. mod.	RR.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei II. III.	C.

VALENS.

Fl. Valens a fratre Valentiniano sub ipsum imperii aditum conlega adscitus anno Christi 364 Orientis provinciis praefectus fuit, ut supra dictum. Procopium tyrannum ad Nacoliam Phrygiae debellavit, Gothos claris victoriis ad pacem compulit. Cum Sapore Persa Armeniae causa collisus omittere tamen bellum coactus est nunciata Gothorum incursione. Nimirum hi ab Hunnis sedibus suis ejecti cum ab improvido Valente agros, quos incolerent, impetrassent, versis in benefactorem armis Thraciam coepere depopulari, contra quos ex Syria profectus Valens, non exspectato fratris filio Gratiano cum Occidentis viribus adventante commissa pugna victus, et in agresti tugurio flammis exustus est anno Christi 378. A laude bellica commendatus, sed invisus orthodoxis, quia Arii doctrinam praeferendam duxit.

Albia Dominica uxor, cujus quoque numum reperit Goltzius.

Numi:

D. N. VALENS. P. F. AVG. epigraphe plerumque obvia.

D. N. VALENS. PER. F. AVG.

D. N. VALENS. P. A.

IMP. CE. VALENS. P. F. AG. in AE. III. (Mus. Caes.)

D. N. VALENS. MAX. AVGVSTVS. in AV. (Tanini. Mus. Caes.)

Caput diadematum cum margaritis, rarius protome gestans globum, vel Victoriolam, etc.

Partes aversae.

Omitto numos ejusdem tenoris, quos jam in moneta conlegae Valentiniani recitavimus, scilicet: MONETA. AVGGG. — PAX. PERPETVA. — RESTITVTOR. REIPVBLICAE. — SALVS. REIPVBLICAE. — VICTORIA. AVGG. AVGGG. AVGVSTORVM. — VIRTVS. EXERCITVS. AR. m. m. (Mus. Caes.) VIRTVS. ROMANORVM. AV. (Mus. Caes.) VOTA. PVBLICA. AV. (Tanini.) VRBS. ROMA.

* * *

D. N. VALENS. MAX. AVGVSTVS. *Protome diademata cum margaritis d. elata, s. globum cum Victoriola.*

D. N. VALENS. VICTOR. SEMPER. AVG. *Imp. capite nimbato sexigis adversus vectus d. elata, s. globum, ei binae Victoriae hinc et illinc advolantes coronam offerunt, in imo varia minuta sigilla inter literas* RM. AV. M. M.

Illustrem hunc numum, aureos Hungaricos X. adpendentem, Vindobonae anno 1721 museo suo intulisse, narrat Apostolus Zeno [a]). Eum anno sequente singulari dissertatione, et proposita ejus imagine illustravit Sebastianus Paulus. Similem nuper cl. Taninius ex museo Vaticano vulgavit. Valentis nomina ac tituli in utraque facie scripti res insolentior, tum mirum etiam, Valentem dici *Maximum*, quem honorem a fratris senioris Valentiniani moneta abesse videmus. Videtur ergo numus signatus fratre mortuo, et Valens subinde dictus Maximus, quia inter conlegas Augustos Gratianum et Valentinianum juniorem senior fuerat. Taninius hoc typo indicari Valentis de Procopio triumphum conjicit. Sigilla, quae imum segmentum occupare dixi, Taninius putat *donaria forsan populo danda.* Quidquid erit, istud certum, res similes eodem loco sisti in aureo insolentis propter pondus moduli inscripto GLORIA. ROMANORVM, de quo mox. Posteaquam haec scripseram, inlatus est museo Caesareo numus idem, sed qui pondere omnes, quorum modo memini, longe superat, adpendens aureos Hungaricos 62, estque pars illustris ejus thesauri, cujus mentionem feci altius pag. 82 in nota.

* * *

FELIX. ADVENTVS. AVG. N. in alio: FELIX. ADVENTVS. AVGGG. *Imperator eques pacificatoris habitu.* AV. (Band.)

Prior inscriptio et typus sunt etiam in Valentiniano, at non alter inscriptionis modus spectato AVGGG. Quoad vixit Valens, tres imperatores simul bis fuerunt, primum Valentinianus I., Valens, accedente serius Gratiano; mortuo subinde Valentiniano I. Valens, Gratianus, quibus accessit Valentinianus II. Sed quis sit hic adventus trium Augustorum, quem enunciat inscriptio, cum typus tantum unicum sistat, et in quam urbem, cum historia non doceat, eos aliquando unum in locum convenisse, ignoro. Satis ab aliis ejus aevi exemplis constat, omnibus coaevis Augustis fuisse datum, quod ad unum pertinuit.

* * *

D. N. VALENS. P. F. AVG. *Protome diademata cum margaritis.*

GLORIA. ROMANORVM. *Imperator capite nimbato et togatus equo lente incedente vehitur; ei occurrit mulier stolata tribus velut radiis ex capite sursum emicantibus, nisi turriculae verius sunt, d. extremam cinguli partem ad pedes defluam tenet, s. facem ardentem. In imo mulier supina humi jacens dextera tunicam in sinum colligit, ex quo quinque globuli, aut mala apparent, sinistra, ut videtur, cornucopiae tenet, juxta eam hinc* A, *illinc* N. Est AV. praegrandis moduli, adpendens aureos Hung. 118½. (Mus. Caes.)

D. N. VALENS. P. F. AVG. *Protome diademata cum margaritis d. elata, s. globum.*

Eadem aversa. AV. adpendens aureos 63. (Mus. Caes.)

a) Lettere Vol. II. pag. 179.

Nemo erit, qui non ad bina haec veteris monetae prodigia animum mentemque erigat, ex quibus praecipue numus is, quem priore loco proposui, plus quam duplum pondus habet ejus, qui hactenus omnes nobis cognitos suo pondere excessit, intelligo eum, quem proxime describemus. Sunt illustria haec cimelia pars ejus thesauri ante paucos menses ex terrae visceribus protracti, cujus altius pag. 82 in subjecta nota memini. Tamen ut ponderis sunt eximii, ita operis rudioris, quo fit, ut nonnullae hujus typi partes minus tuto describi possint. Nolo nunc in eo explicando adhaerere, cum ne urgenti typothetae moram injiciam, tum quia propositum mihi est, omnes ejus thesauri opes hoc adhuc, ut spes est, anno adjectis imaginibus aere expressis eruditorum oculis objicere.

* * *

D. N. VALENS. P. F. AVG. *Protome diademata cum margaritis.*

GLORIA. ROMANORVM. *Duo imperatores sedentes in communi throno capitibus nimbatis, dexteris elatis, s. singulos globos, infra* R. N., *inter quas literas duo folia, et totidem ponduscula campanulis prope similia.* AV. adpendens aureos Hung. 51½. (Mus. Caes.)

Praeclarum istud cimelium plures jam annos in gaza Caesarea servatur, repertus a piscatore in Hungaria inter Danubii vortices, oblatusque Francisco I. Aug., et ab eodem justo pretio redemptus. Ab eo, quo revixit, tempore inter superstites monetae veteris aureae numos spectato pondere principatum tenuit, donec repertae thesauri Somlyoensis opes in stationem humiliorem detrusere. Ejus imaginem dedit Khellius [a]), et restituit Taninius. Offert aversa utrumque ejus temporis orbis rectorem Valentinianum I. et Valentem. Quae inde alia ad illustrandam historiam elicere tentavit Khellius, conjecturarum labor fuit.

* * *

D. N. VALENS. MAX. AVGVSTVS. *Caput diadematum cum margaritis.*

GLORIA. ROMANORVM. *Mulier sedens in throno d. globum, cui insistit Victoriola, s. hastam, dextero pede prorae navis insistit, in imo* ROMA. Est AV. adpendens aureos Hung. 14. (Mus. Caes.) Vide notam pag. 82.

Alius similis. AV. adpendens aureos 8½. (Mus. Caes.) Vide eandem notam.

Similem in aversa et inscriptionem et typum jam vidimus in numis Constantii II.

* * *

GLORIA. ROMANORVM. in aureis ponderis ordinarii, ut in Valentiniano, obvium, tum et in AR. et AE. III. formae.

* * *

D. N. VALENS. P. F. AVG. *Protome diademata dextera elata, s. globum.*

PIETAS. DDD. NNN. AVGVSTORVM. *Tres figurae paludatae stantes, singuli d. hastam, s. clypeum tenentes, quorum medius altior est et nimbatus; qui ei ad sinistram adstat, aliquanto minor, atque hoc*

---

a) Subplem. ad Vaill. p. 266 et 270.

iterum minor is, *qui ei ad dexteram adstat*, *sine nimbo uterque*, *in imo* TESOB. Est AV. adpendens aureos Hung. 19¾. (Mus. Caes.) Vide notam pag. 82.

Alius similis, sed adpendens tantum aureos 15. Videtur percussus ex eadem matrice, sed pondus est contractius, quia adjectum, ut praecedens, exuberantem marginem non habet. (Mus. Caes.) Vide eandem notam.

Numi tam pondere, quam inscriptione et typo singulares. Tres figuras stantes esse totidem viros domus Augustae, triplicatum D et N dubitare non sinunt. Per Valentis imperium tres conlegae Augusti bis fuere, primum *Valentinianus* et *Valens* fratres, et Valentiniani filius *Gratianus;* serius mortuo Valentiniano I. *Valens*, ejusque duo ex fratre nepotes *Gratianus* et *Valentinianus II.* Prior trias in his numis locum habere non potest; neque enim tum negatus fuisset Valenti nimbi honor, qui aequa potestate rexit Orientem, qua Valentinianus Occidentem, quo modo paullò altius in numo vidimus utrumque fratrem in communi throno sedentem, et utrumque nimbo praefulgentem. Tenendum igitur, hos numos mortuo demum Valentiniano I. cusos, et qui stat medius, esse patruum Valentem propter aetatis reverentiam nimbi honore magis venerabilem.

* * *

RESTITVT. ORBIS. *Imperator paludatus stans d. labarum*, *s. Victoriolam.* AR. (Tanini.)

* * *

SECVRITAS. REIPVBLICAE. *Victoria gradiens*, *in imo:* R. TERTIA. Est AV. (Pellerin Mel. I. p. 169.) *Alius*, *sed in imo:* ANT. AR. (Tanini.)

Sola metalli nobilitas his numis pretium constituit, nam in aere obvii sunt tam in Valentiniano, quam Valente.

* * *

SPES. RP. *Duo imperatores capitibus nimbatis sedentes altera manu globos singulos*, *altera hastas tenent*, *in medio utriusque stat figura exigua*, *sed absque nimbo*, *supra cujus caput clypeus*, *in quo:* VOT. V. MVLT. X. Est AV. (Band.)

Dubium non est, utrumque hunc imperatorem esse Valentinianum et Valentem, puellum vero esse Gratianum imperio jam destinatum, qui, quia Augustus nondum fuit, nimbo caret.

* * *

TRIVMFATOR (sic) GENT. BARB. Est AR. m. m. Vide cetera similem, sed AV. in Valentiniano.

* * *

VICTORES. AVGVSTI. *Duo impp. sedentes globum tenent*, *pone Victoria volans utrumque coronat.* AV. (Tanini, Mus. C. Vitzai.)

* * *

VICTORIAE. DD. AVGGG. NNN. *Duae Victoriae gradientes.* AE. III. (Band.)

* * *

VOTA. PVBLICA. *Isis Horum lactans.* — *Harpocrates.* — *Fluvius decumbens.* — *Anubis stans d. sistrum*, *s. caduceum.* AE. III. IV. (Band. Tanini, Mus. Caes.)

VOT. V. *intra coronam* — VOT. V. MVLT. X. — VOT. X. MVLT. XV. (Tanini.) VOT. X. MVLT. XX. — VOT. VX. (sic) MVLT. XX. vel: VOT. XV. MVLT. XX. (Mus. Caes.) VOT.

XX. MVLT. XXX. AR. AE. IV. (Tanini.) VOT. XXX. MVLT. XXXX. (Mediob. ex Occone.)

De variantibus his votis vide suo loco tractatum singularem.

PRETIVM.

Aurei	C.
Aurei max. mod.	RRR.
Argentei	C.
Argentei max. mod.	RR.
Aenei max. mod.	RR.
Aenei II. et III.	C.

PROCOPIVS.

Natione Cilix, Iuliani apostatae propinquus, variisque ab hoc dignitatibus ornatus, hujus in acie caesi funus Tarsum deportavit. At cum rumor ferret, imperio se a Iuliano fuisse destinatum, primum in Chersoneso Taurica, deinde Chalcedone delituit, Constantinopolin tandem transgressus cognito populi in Valentem odio Augustum se dixit anno Christi 365, contractoque magno exercitu cum Valente advolante ad Nacoliam Phrygiae congressus victusque, et suorum proditione deditus diras ambitionis poenas luit anno 366, alligatus arboris inflexae ramis, iisque in se redeuntibus discerptus, ut narrat Socrates [a]).

Numi:

D. N. PROCOPIVS. P. F. AVG.

Caput barbatum, diadematum cum margaritis.

Partes aversae.

FEL. TEMP. REPARATIO. *in aliis:* REPARATIO. FEL. TEMP. *Imperator paludatus d. labarum, cui inscriptum monogramma* XP., *s. clypeo innixus, d. vede prorae navis insistit.* AE. II. (Mus. Caes.) In aliis: *Imperator paludatus stans d. labarum, s. clypeum, humi captivus sedens, in area monogramma* XP. AE. III. (Mus. Caes. Band.)

* * *

GLORIA. ROMANORVM. *Imperator eques d. elata coronam.* AE. III. (Band.)

* * *

SECVRITAS. REIPVBLICAE. *vel* REIPVB. *Imperator paludatus stans d. hastae, s. clypeo innititur.* AV. (Band. Tanini.)

Aurei Procopii numi sunt rarissimi, tamen non modo bini hi auctores, sed et Ammianus Marcellinus auream eum

a) Hist. eccl. L. IV. c. 5.

monetam cudisse testantur. Narrat enim hic [a]), Procopio ad imperium provecto continuo exstitisse aliquos, qui *aureos numos effigiatos in vultum novi principis* circumferrent.

* * *

VOT. V. *intra coronam.* AR. (Mus. Caes.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux in laurea.* AE. IV. (Tanini.)

Numum hunc, aliosque supra citatos, qui monogramma Christi exhibent, ait Taninius eorum adversari sententiae, qui adserunt, Procopium in idololatria educatum a Christiana religione alienum obivisse. Sin istud, etiam Constantinum M. favisse idolis dicendum erit, cujus numi non pauci, etiam posteaquam se Christianum palam professus est, idololatriae continent argumenta, aut etiam Gratianum impense Christianum, in cujus numo est Hercules.

PRETIVM.

Aurei	RRRR.
Argentei	RR.
Aenei II.	RRRR.
Aenei III.	RR.

GRATIANVS.

Natus Sirmii anno Christi 359 Valentiniano I. adhuc privato, et Val. Severa. Anno 367 octennis dictus Augustus conlegas habuit Valentianum I. patrem, et Valentem patruum, annosque natus fuit XVI., cum pater anno 375 diem obivit. Continuo Valentinianum fratrem germanum, quem legiones mox a patris morte Augustum dixere, conlegam et ipse agnoscit etsi vix adhuc quinquennem. Imperium deinceps sic fuit divisum, ut Gratianus obtineret Hispaniam, Gallias, Britanniam, Valentinianus Italiam, Illyricum, Africam, tamen sub fratris Gratiani tutela, Valens Orientem. Lentianos Alamannos, qui Rhaetiam incolebant, memorabili apud Argentariam Galliae praelio superat. Valenti gravi Gothorum bello in Thracia presso suppetias quidem tulit, sed jam acie victum caesumque reperit anno 378. Ergo barbaris in eo tractu undique praevalentibus Theodosium in Hispania exulem revocat, quem is, jam ante exilium barbarorum ad Istrum victorem, mox ineunte anno 379 Augustum appellavit, Valentisque provinciis praefecit. Adversus Magnum Maximum, qui arrepta in Britannia purpura Gallias invaserat, profectus,

a) in Valente.

sed desertus a suis, in fuga Lugduni interficitur anno 383, aetatis suae XXIV. princeps multis virtutibus clarus initio, serius in administranda republica segnior, sed propter fidei Christianae studium ut invisus paganis, sic orthodoxis defletus.

Vxor I. *Constantia* Constantii II. ex Max. Faustina filia postuma. Ejus nummum dedit Goltzius.

Vxor II. *Laeta.* Ex utraque si liberos habuit, patri non superfuere.

Numi:

D. N. GRATIANVS. P. F. AVG. obvium.

D. N. GRATIANVS. AVG. in quin. AV. et AR. (Mus. Caes.)

D. N. GRATIANVS. PPP. AVG. in AE. III. (Band.)

D. N. GRATIANVS. AVGG. AVG. modus non infrequens in AE. m. m. item II. et III.

Postremus hic inscriptionis modus magnas inter eruditos excitavit lites, aliis eam aliter explentibus. Non lubet ejus dissidii historiam scribere, contentus indicare varias diversarum sententiarum stationes, scilicet Bandurium pag. 486, dissertationes alias, quae sunt in Memoriis Trevoltiensibus, quas conjunctas vide in electis Woltereckii inde a pag. 308, tum dissertationem aliam in iisdem Memoriis mensis Aprilis 1709 pag. 704, notam Bimardi ad Iobertum T. II. pag. 324, Audrichium in Instit. antiq. pag. 187, quos, qui volet, auctores adeat. Potiora eruditorum suffragia tulit lectio Harduini: AVG*usti* G*ener* AVG*ustus*, quia, ut diximus, Constantiam Constantii II. filiam uxorem duxit, cujus adeo causa honoris gloriari placuit. Est haec dissertatio in ejus Operibus selectis pag. 503, in qua numum Gratiani: GLORIA. NOVI. SAECVLI explicat, sed more suo chronologiae et historiae fidem pervertit. Cl. Beauvais dissertationem scripsit insertam subinde τοῖς *Saggi di Cortona* Tom. VII. p. 89, in qua is veterem Leibnizii sententiam, legentis: *Gratianus Augustorum Augustus*, approbat. Causa illi, quia in numo suo verba AVGG et AVG puncto ab se separantur, scripto nempe: AVGG. AVG. At enim in quatuor similibus, integrisque musei Caesarei punctum istud non comparet, quemadmodum universe in Gratiani moneta separantia haec puncta etiam post literas solitarias vocabulorum ἀρχαικὰς constanter absunt.

Caput diadematum cum margaritis constanter.

Partes aversae.

Omitto iterum aversas, quas in coaevorum Valentiniani I. et Valentis moneta reperias, nempe: GLORIA. ROMANORVM. — REPARATIO. REIPVBLICAE. — REPARATIO. TEMPORVM. — RESTITVTOR. REIPVBLICAE. — SECVRITAS. REIPVBLICAE. — VICTORIA. AVGG. vel: AVGVSTORVM. — VIRTVS. EXERCITVS. AR. m. m. (Mus. Caes.) VIRTVS. ROMANORVM. AV. (Mus. Caes.) AR. (Tanini.)

* * *

CONCORDIA. AVGGG. *Mulier galeata sedens d. hastam, s. globum, ped. d. prorae navis imposito.* AV. (Tanini.)

Trium Augustorum in hoc numo indicari concordiam, suapte patet.

CONCORDIA. AVGGGGC. *Typus similis.* AV. (Band.) *In alio simili est* AVGGGGS. AV. (Mus. Caes.)

Bandurius subjectis post AV quinque G totidem personas Augustas indicari existimat, nimirum tres Augustos, duas Augustas. At mihi plane certum videtur, postremum elementum, quia formae est a prioribus diversae, et ejus, qua in devexi hujus imperii moneta saepe videbimus effictum fuisse episemon, seu numerum senarium, additumque postremo inscriptionis vocabulo, in hoc quoque numo eundem significare numerum, quod omnino confirmatur numo altero musei Caesarei, in quo additur S, quod et ipsum episemon est alterius formae. Confer numos similes Valentiniani I., in quibus: CONCORDIA. AVGGGZ. AVGGGK. AVGGGGH. Haud dubie ergo IV. tantum personae Augustae indicantur, quarum tres sunt ipsi Augusti, quartam conjicio esse Constantiam Gratiani uxorem, cui habendus hic honos visus fuerit, quia jam per ipsam prosapiam ad titulum Augusteum aspirare potuit.

* * *

FELICITAS. ROMANORVM. *Victoria gradiens.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

FEL. TEMP. REPARATIO. *Imp. paludatus stans d. mulierem turritam procumbentem sublevat, s. Victoriolam.* AE. II. (Band.)

Epigraphe haec in Constante, et proximis impp. obvia, hoc aevo rarissima.

* * *

D. N. GRATIANVS. P. F. AVG. *Caput diadematum cum margaritis. Numum ambit latus margo, cui in orbem inserta sunt XV. capita humana.*

GLORIA. ROMANORVM. *Roma galeata in throno adversa sedens d. globum, s. hastam, in imo* TROBS. Est AV. adpendens aureos Hung. 16¾. (Mus. Caes.) Vide altius notam pag. 82.

Quid indicent capita XV. Gratiani caput in orbem ambientia, acutioribus divinandum relinquo. Aversae typus in hujus aevi moneta obvius.

* * *

GLORIA. NOVI. SAECVLI. *Imp. paludatus stans d. Victoriolam, s. labarum.* AV. (Tanini.) In aliis: *Imp. paludatus stans d. labaro, s. clypeo innititur.* AR. (Tanini.) AE. III. obvii.

Novus epigraphes modus, qui novi sub Gratiano auspicantis imperii gloriam significat. Quam prave ejus sensum detorserit Harduinus, diximus supra in partibus anticis.

* * *

PRINCIPIVM. IVVENTVTIS. *Imp. capite nimbato paludatus stans d. spiculum transversum, s. globum.* AV. (Pellerin Mel. I. p. 170.) AR. (Band.)

Huc refer ea, quae monui ad numos Crispi inscriptos: PRINCIPIA. IVVENTVTIS.

* * *

VOTA. PVBLICA. *Duo imperatores, quorum unus major, alter minor, sedentes.* AV. (Tanini.)

VOTA. PVBLICA. *Hercules nudus stans dextera ori admota, s. clavam elatam et leonis exuvias.* Quin. (Band.)

Mirus hac aetate typus, praecipue

in Gratiano acerrimo veteris superstitionis inimico.

VOTA. PVBLICA. Typis *Isidis*, vel *Anubis*. AE. IV. (Tanini.)

* * *

VOT. V. MVLT. X. AR. et AE. IV. — VOTIS. X. MVLTIS. XX. AR. m. m. — VOT. X. MVLT. XX. AR. — VOT. XV. (*in nonnullis* VX.) MVLT. XX. AR. AE. IV. — VOT. XV. MVLT. XXX. *(sic) semper scriptum intra lauream.*

Sunt omnes in museo Caesareo.

* * *

VRBS. ROMA. *addito etiam* F., *id est:* F*elix. Roma sedens.* AR. AE. m. m. (Tanini.)

PRETIVM.

Aurei	C.
Aurei m. m.	RRRR.
Argentei	C.
Argentei m. m.	RR.
Aenei m. m.	RRR.
Aenei II. et III.	C.

VALENTINIANVS II. IVNIOR.

Patre Valentiniano I., matre Fl. Iustina natus apud Acincum Pannoniae exeunte anno 371 mortuo patre quadrimus Augusti titulum accepit adprobantibus mox etiam fratre Gratiano, et patruo Valente. Cum Mag. Maximo, qui caeso Gratiano praeter Britanniam Gallias quoque et Hispaniam invasit, foedus inivit, sed ab eodem non multo post ejectus Italia Thessalonicam cum familia evasit. Victo Theodosii virtute anno 388 Maximo occupatas ab hoc regiones recuperavit quidem, sed ab Arbogaste comite, qui omnem sibi potestatem arrogaverat, Viennae Galliae caesus est anno 392, cum annos XVI. imperium tenuisset. Communis fuit opinio, patre suo futurum fuisse praestantiorem, si vita superfuisset.

Numi:

Certi hujus Valentiniani numi sine dubio sunt illi, qui VALENTINIANVS IVN. id est: *junior*, inscribuntur, tametsi discrimen istud necessarium non fuit, quia ex quo hic imperium adeptus est, diem jam obivit pater Valentinianus. Magis mirum, jam olim Gallienum dictum fuisse *juniorem* in marmore Sponii [a]), etiamsi hoc nomine nemo alius Augustus exstiterit. At vero in numis, qui *το* IVN. non addunt, dubium est plerumque, sintne tribuendi Va-

a) Miscell. pag. 163.

lentiniano I, an huic II., an III. Placidio, si forte in hujus numis omissum est *το* PLA., quam difficultatem agnovit etiam Bandurius a). Fuere, qui existimarent, Valentiniani II. tantum eos esse numos, qui IVN. addunt, et qui PLA., esse tantum Placidii Valentiniani III. At enim quis spondere ausit, in his unis Augustis monetae omnia semper nomina fuisse inscripta, nullumque unquam omissum, praecipue cum, ut dixi, addere *το* IVN. necessarium non fuerit? Idem sentiendum de PLA. Valentiniani III. Censet Bandurius, in nonnullis certum posse discrimen reperiri, v. g. in numis cum epigraphe: CONCORDIA. AVGGGG. Quis enim, inquit b), paullo attentior negaverit esse Valentiniani junioris, quem constat, aliquamdiu cum Theodosio, Arcadio, et Mag. Maximo imperasse, cum Valentinianus I. duos tantum habuerit collegas, Valentem fratrem, et Gratianum filium? Verum unde constabat viro erudito, in his numis vocabulo AVGGGG. quatuor Augustos imperantes esse intelligendos, quin, quod saepe factum, femina Augusta in consortium reciperetur? Cum haec scriberet, non advertit animum ad numum aureum Gratiani, quem ipse vulgaverat, inscriptum: CONCORDIA. AVGGGG., aut, ut ipse legendum censet, AVGGGGG., quem cum explicat, ait, cum tribus tum imperantibus Augustis sociatas esse duas uxores Augustas c). Ergo stabilita haec a Bandurio lex semetipsam elidit. Quare nullo in his dubiis exitu rem in incerto relinquere praestat, et cum modo Valentiniani II. numos recensebimus, commemorare tantum eos, qui per additum IVN. certe hujus sunt Augusti, reliquis, qui eo carent, cujuscujus fuerint, in monetam patris trajectis. Istud unum praeterea observo, aeneos II. formae, in quorum antica est: *Protome galeata cum hasta*, ☧ GLORIA. ROMANORVM. *Imp. paludatus stans in navi etc.*, Valentiniano II. videri tribuendos, quia id genus numi cum protome item galeata in Theodosio Valentiniani II. conlega sunt obvii, non autem constat, Valentinianum I. in numis suis hoc cultu fuisse propositum. Eos a Bandurio, aliisque nulla certa causa perinde uni, atque alteri tributos videmus.

* * *

D. N. VALENTINIANVS. IVN. P. F. AVG., et fors etiam:

D. N. VALENTINIANVS. P. F. AVG.

Caput diadematum cum margaritis; in aliquibus etiam: Protome galeata cum hasta, ut dictum.

Partes aversae:

CONCORDIA. AVGGG. AV. AE. III. (Band.)

CONCORDIA. AVGVSTORVM. *Mulier galeata sedens d. hastam, s. globum, s. pede navi imposito.* AV. (Band.)

* * *

FELIX. ADVENTVS. AVGVST. N. *Imperator eques.* AV. m. m. (Tanini.)

* * *

GLORIA. ROMANORVM. *Duae mulieres sedentes etc.* AV. (Mus. Caes.)

---

a) Pag. 455. 456. b) Pag. 491. c) Pag. 481.

* * *

GLORIA. ROMANORVM. *Imperator paludatus stans in navi d. elata, Victoria clavum moderante.* AE. II. (Mus. Caes.)

In horum adversa est protome galeata cum hasta, atque etsi in epigraphe desit *το* IVN., juniori tamen tribuendos puto ob causas, quas paullo altius dedi.

* * *

PERPETVETAS. *(sic) Phoenix radiatus globo insistens.* AR. (Band.)

Nova epigraphe, sed cum qua rite componitur phoenix, notus aeternitatis, aut saeculorum in numis index.

* * *

REPARATIO. REIPVB. — RESTITVTOR. REIPVBLICAE. ut in numis praecedentium impp.

* * *

SECVRITAS. REIPVBLICAE. *Victoria gradiens.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

VICTORIA. AVGG. vel AVGGG. AV. AR. (Band. Mus. Caes.)

* * *

VIRTVS. EXERCITVS. — VIRTVS. ROMANORVM. AR. (Band.)

* * *

VOTIS. V. MVLTIS. X. *intra coronam.* AR. AE. IV. (Mus. Caes.) VOT. XV. MVLT. XX. *intra coronam.* AE. III. (Band.)

* * *

VRBS. ROMA. *Roma sedens.* AV. AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei et argentei	C.
Aenei max. mod.	RRRR.
Aenei II. et III.	O.

THEODOSIVS.

Natus circa annum 346 Italicae Hispaniae patre Theodosio, belliduce sui aevi, ut vulgo creditum, praestantissimo, sed quem Gratianus, nulla cognita culpa, nisi quod invidiae causam dederat, anno 376 mori Carthagine jussit. Ipse patris casu perculsus in patriam revertitur felici unice otio, vitaeque rusticae intentus. Caeso post haec a Gothis Valente, direptaque ab his impune Thracia cum resp. virum posceret, Gratianus Theodosium, qui jam juvenis praeclara virtutis experimenta dedit, ex Hispania evocat, eumque repressis fortiter barbaris illustre nomen adeptum conlegam adsciscit ineunte anno 379 permisso illi Oriente et Illyrici parte. Deinceps barbaros, qui examinum instar imperium invasere, qua comitate, qua armis ad obsequium revocat. Audita Gratiani morte, qui anno 383 in bello contra Mag. Maximum caesus est, filium Arcadium Augustum appellat, et Orienti praeficit, ipsum

deinde Maximum, qui non contentus Britannia, Gallia, Hispania, et permisso sibi Augusti nomine Valentinianum II. Italia ejecerat, bello petit, saepiusque victum, et captum Aquileiae mori jubet anno 388. Audito, Valentinianum II. ab Arbogaste caesum, et Eugenium Occidentem sibi subjecisse, filiorum alterum Honorium Augustum dicit anno 393, et Eugenium apud Aquileiam adortus difficili Marte vincit, et interimit, non multo post Mediolani exstinguitur ineunte anno 395, princeps propter omnes imperatorias artes in clarissimis numerandus, qui imperio R. praefuere.

Vxor I. *Aelia Flaccilla*, ex qua nati successores Arcadius et Honorius.

Vxor II. *Galla* Valentiniani I. et Iustinae filia, ex qua nata Placidia Valentiniani III. mater.

Numi:

D. N. THEODOSIVS. P. F. AVG. constanter.

Caput diadematum cum margaritis.

Numos, in quorum antica est protome adversa galeata hastata clypeata, esse potius Theodosii II., in hujus numis observabimus.

Partes aversae.

CONCORDIA. AVGG. AVGGG. AVGGGG. *subjecta plerumqne nota arithmetica* A, B, Γ, Δ *etc.*, *typis ex praecedentium moneta cognitis.* In omni metallo et forma.

* * *

GLORIA.ORVIS. *(sic)* TERRARVM. *Imp. paludatus stans d. labarum, s. globum crucigerum.* AV. AR. (Band.)

Nova epigraphe, prono ejus sensu. Verisimilius tamen numi hi sunt Theodosii II., ut in hoc dicetur.

* * *

GLORIA. REIPVBLICAE. AV. (Tanini.)

Et hic forte est Theodosii II.

GLORIA. ROMANORVM. *variis typis.* AR. m. m. (Mus. Caes.) AE. II. III. (obvii.)

* * *

REPARATIO. REIPVB. AE. II. III. (obvii.)

* * *

SALVS. REIPVBLICAE. *variis typis.* AR. AE. III. IV. (Band. Mus. Caes.)

Qui numi sic inscripti in antica habent protomen adversam hastatam clypeatam, puto esse Theodosii II.

* * *

TRIVMFATOR--- ARB. *Imperator paludatus stans d. labarum, s. globum, pro pedibus captivus genuflexus manibus revinctis.* AR. m. m.

Docentibus numis similibus Valentiniani I. et Valentis explenda epigraphe: TRIVMFATOR. GENT. BARB.

* * *

VICTORIA. AVG. AVGG. AVGGG. *subjecta plerumque nota arithmetica, ut supra.* — VICTORIA. AVGVSTORVM. *typis variis.* In omni metallo.

* * *

VIRTVS. AVGVSTORVM. AE. m. m. et III. (Band.)

VIRTVS. EXERCITVS. AR. m. m. (Mus. Caes.)

VIRT. EXERC. ROM. *Imperator paludatus stans d. captivum capite prehensum rapit, s. tropaeum humero tenet, in imo* CONOB. AV. (Tanini.)

VIRTVS. ROMANORVM. AR. AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

VOT. V. MVLT. X. AR. AE. III. IV. (Band. Mus. Caes.) — VOT. X. MVLT. XV. AR. (Tanini.) VOT. X. MVLT. XX. AR. AE. IV. (Band. Mus. Caes.) — VOT. XV. MVLT. XX. AR. (Tanini.)

Perperam Bandurius huic Theodosio tribuit aureum ex Mediobarbo citatum cum epigraphe: VOT. XX. MVLT. XXX., cum ipse infra pag. 558 ex Ducangio moneat, Theodosium M. vicennalia non attigisse. Restituendus numus Theodosio II.

* * *

VRBS. ROMA. *Roma sedens.* AR. AE. III. (Mus. Caes. Banduri.)

VRBS. ROMA. FELIX. *Figura paludata stans d. labarum, s. Victoriolam, pro pedibus clypeus.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

Sine epigraphe. *Tropaeum.* Quin. AV. (Mus. Caes.)

* * *

Quod supra conquesti sumus, Valentiniani I. et II. numos non posse certa ratione dignosci, idem in Theodosii I. et II. moneta experimur. Vide haec dubia laxius explicata infra in Theodosio II.

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	C.
Argentei m. m.	RR.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei II. et III.	C.

AELIA FLACCILLA.

Ipsa quoque Hispana, Arcadii et Honorii mater. Post multa praeclarae virtutis documenta mortua anno 388 Gallae locum fecit.

Numi:

AEL. FLACCILLA. AVG.

Partes aversae.

SALVS. REIPVBLICAES. *Victoria sedens clypeo inscribit monogramma* XP., *in imo:* CONOB. AV. (Band.)

Novam hanc in numis scribendi rationem putat Bandurius. Verum additum S aliud non est, quam nota arith-

metica senarium indicans, cujus copiosa jam dedimus exempla.

SALVS. REIPVBLICAE. *Idem typus.* AR. AE. II. III. (Banduri.)

SALVS. REIPVBLICAE. *Flaccilla stans utraque manu ad pectus admota.* AE. II. III. (Band.)

Monogramma Christi intra coronam Q. AV. (Mus. Caes.) modo vere antiquus sit.

PRETIVM.

Aurei et argentei	RRR.
Aenei II. et III.	R.

MAGNVS MAXIMVS.

Natione Hispanus, sub Theodosio comite Theodosii M. patre stipendia in Britannia meruit, serius, anno 383, purpuram ibidem arripuit, an sponte, an coactus, incertum. Transgressus in Gallias magnum ex Gratiani transfugis exercitum conflavit, hocque facile oppresso, et interfecto Britanniam, Gallias, Hispaniam pacate tenuit, a Theodosio quoque M., et Valentiniano II. una cum Augusteo titulo sibi ex foedere permissas. Non contentus tanta fortuna cum Valentinianum II. Italia exegisset, bello a Theodosio M. petitus primum Sisciae, dein Petovione, denique Aquileae victus captusque perfidiam morte luit anno 388, quod tyrannidis quinquennium Pacatus *lustrale justitium* appellavit [a]).

Filium habuit *Fl. Victorem*, suis quoque numis celebratum.

Numi:

D. N. MAG. MAXIMVS. P. F. AVG. vel: P. AVG. vel: PP. AVG.

Caput diadematum cum margaritis.

Partes aversae:

CONCORDIA. AVGGG. *Mulier sedens, ut in praecedentibus.* AV. (Band.)

Trium tum imperantium concordia in hoc numo notatur.

* * *

FELICITAS. PVBLICA. *Figura stans d. Victoriolam, a qua coronatur, s. labarum.* AE. incerti mod. (Band.)

* * *

REPARATIO. REIPVB. AE. II. III. (Band.)

RESTITVTOR. REIPVBLICAE. *Imp. paludatus stans d. labarum, s. Victoriolam.* AV. AR. (Mus. Caes.)

SPES. ROMANORVM. *Castrorum porta.* AR. (Tanini.) AE. III. IV. (Band. Mus. Caes.)

* * *

VICTORIA. AVGG. *Duo impp. sedentes d. globum una sustinent, pone Victoria*

a) Paneg. Theodos. M. cap. 24.

volans. AV. (Mus. Caes.) In aliis: *Imp. paludatus stans d. Victoriolam, s. labarum.* In aliis: *Victoria stans.* AE. II. III. (Band.)

Mirum, in his numis nunquam Augustos duobus plures sive inscriptione, sive typo exprimi. Forte signati sunt, ex quo bellum cum conlegis coepit, et ipse praeter se, et filium Victorem alium Augustum non agnovit.

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Victoria gradiens.* Quin. (Mus. Caes.)

* * *

VIRTVS. ROMANORVM. AV. (Band.) AR. Quin. (Mus. Caes.)

* * *

VOT. V. — VOT. V. MVLT. X. AE. III. et IV. (Band. Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	R.
Aenei II. et III.	C.

FL. VICTOR.

Mag. Maximi filius, puer adhuc Augustus a patre dicitur, audita patris caede ab Arbogaste, uno e Theodosii M. ducibus, e medio tollitur anno 388.

Numi:

D. N. FL. VICTOR. P. F. AVG. Caput diadematum cum margaritis.

Partes aversae.

BONO. REIPVBLICE. *(sic)* NATI. *Duae figurae paludatae sedentes, quarum, quae a dexteris est, altior; altera ut pueri, una globum tenent, superne Victoria.* AV. (Band.) AR. (Tanini.)

Numi hi, utut mendaces, tam inscriptione, quam raritate illustres sunt. Iam Constantinus M. in numis dictus est B*ono* R*ei* P*ublicae* NAT*us*. Taninius ad hunc suum numum recitat inscriptionem Sigonii:

DD. NN. MAG. CL. MAXIMO. ET.
FL. VICTORI. PIIS. FELICIBVS.
SEMPER. AVGVSTIS.
BONO. R. P. NATIS.

Sed eandem ex eodem Sigonio aliter recitat Reinesius [a]). Similis epigraphe est etiam in numis Gratae Honoriae Valentiniani III. sororis.

* * *

SPES. ROMANORVM. *Castra praetoria.* AR. (Band.) AE. IV. (Mus. Caes.)

* * *

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Victoria thoraci insidens una cum adstante puel-*

a) Inscript. ant. Class. III. n. 63.

lo nudo alato clypeum tenet, cui inscribit: VOT. V. MVLT. X. Est AV. In alio: *Victoria gradiens.* AR. (Vterque musei Caes.)

* * *

VIRTVS. ROMANORVM. AR. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	R.
Aenei III.	R.

EVGENIVS.

Arbogastes comes Valentiniani II. parricida, cum ipse propter sordidos natales aspirare ad imperium non posset, Eugenium artem nuper rhetoricam professum ut susciperet, persuasit anno 392. Ei sese continuo omnes Occidentis provinciae dempta Africa applicuere. Adversus tyrannum profectus Theodosius incertam primum belli aleam in pugna prope Ravennam expertus est, redintegrato postridie praelio, cum secum militaret aer, qui solito commotior pulvere hostes opplevit, et quod miraculi instar habitum, emissa tela in auctores retorsit, Eugenium vicit a suis continuo caesum anno 394.

Numi:

D. N. EVGENIVS. P. F. AVG. Caput barbatum diadematum cum margaritis.

Partes aversae:

GLORIA. ROMANORVM. *Roma et Constantinopolis cultu solito sedentes, in area hinc* T, *illinc* R, *in imo* COM. AV. max. mod. (Mus. cl. abb. Bottari Clodiensis.) In alio: *Imperator stans d. labarum.* AR. max. mod. (Band.)

SALVS. REIPVBLICAE. AE. (Band.)

* * *

VICTORIA. AVGG. *Duo impp. sedentes media pone Victoria.* AV. (Band.)

Iure quaerit Bandurius, quis in hoc numo sit imperatorum alter. Verisimile est, esse Theodosium, quem sibi fore indulgentem speraverit, ut nuper fuerat Mag. Maximo.

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Victoria gradiens.* AV. (Mus. Caes.)

* * *

VIRTVS. ROMANORVM. *Roma sedens.* AR. (Mus. Caes.) In aliis: *Victoria gradiens.* AE. III. (Band.)

VRBS. ROMA. *Roma sedens.* AR. (Band.)

Narrat Theodoritus [a]), Eugenium Herculis tutela fretum ejus imaginem praegestari in acie jussisse, sed quam superstitionem numi non comprobant.

---

a) Hist. eccl. L. V. c. 24.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	R.
Aenei III. vel IV.	RRR.

ARCADIVS.

Patre Theodosio M., matre Ael. Flaccilla natus circa annum 377 sexennis Augustus dicitur ineunte anno 383, accepitque regendum Orientem anno 394. Patre initio anni sequentis vita functo Orientem sibi retinuit, Occidentis provinciis fratri Honorio permissis. Non magis corpore, quam animo aeger et imbecillis otiosus ipse domi se continuit imperii cura hominibus turpissimis, Rufino primum, dein Eutropio eunucho tradita. Illo invitante Gothi universam Graeciam vastaverant Lacedaemonem usque progressi. Non melius ab aliis barbaris cum Oriente actum. Inter has collabentis imperii ruinas diem ipse obivit anno 408, aetatis XXXI.

Vxor *Eudocia*, ex qua nati *Theodosius II.*, et *Pulcheria*, subinde Marciano Aug. nupta.

Numi:

D. N. ARCADIVS. P. F. AVG. epigraphe constans, sed

D. N. ARCADIVS. P. F. AVGVSTVS. in AE. II. (Mus. Caes.)

Caput diadematum cum margaritis.

Protome adversa galeata d. hastam super humero, s. clypeum, in quo sculptus eques, vel crux. In multis demissa ex alto dextera imperatorem coronat.

Partes aversae:

CONCORDIA. AVGG. AVGGG. AVGGGG. *subjectis saepe notis Graecis arithmeticis. Mulier galeata sedens d. hastam, s. Victoriolam, s. pede prorae navis insistit.* In aliis *eadem pro Victoriola tenet clypeum, cui inscriptum:* VOT. V. MVLT. X. AV. AE. III. (Band. Mus. Caes.) *Crux in medio numi.* AE. III. (Band.)

Multum se torquet Bandurius, sed, ut ipse fatetur, nullo operae pretio, ut eruat, qui in multiplicatis his G Augusti sint intelligendi.

* * *

GLORIA. EXERCITVS. AE. III. (Band.)

GLORIA. ROMANORVM. *Imperator nimbatus stans in curru 6 equorum adversus vehitur d. elata, s. globum, in area monogramma* XP., *in imo* CO. OB. AV. M. M. (Mus. reg. Gall.)

Numi hujus mole sua conspicui iconismum dedit Bandurius p. 527.

GLORIA. ROMANORVM. *variis typis jam cognitis.* AR. AE. II. III. (Band.)

* * *

NOVA. SPES. REIPVBLICAE. *Victoria spoliis insidens clypeo inscribit* XX. XXX., *in area astrum*, *infra* CONOB. AV. (Band. Mus. de France Vindobonae nunc musei Hunter.)

Miratur Bandurius, quo pacto Arcadius eo adhuc tempore, quo vota XX. jam solvit, dici potuerit, *nova spes reipublicae.* Varias ergo conjecturas adfert, quarum cruces libenter permitto iis, qui luxati hujus aevi numis artem criticam applicant.

* * *

SALVS. REIPVBLICAE. AE. III. IV. (Band. Mus. Caes.)

* * *

TRIVMFATOR. *(sic)* GENT. BARB. *Imperator paludatus stans d. labarum*, *s. globum*, *juxta captivus supplex*, *infra* AE. Est AR. m. m. (Mus. Caes.)

* * *

VICTORIA. AVGG. AVGGG. AVGGGG. *subjectis notis Graecis arithmeticis*, *typi varii pro ejus aevi genio.* AV. (Band. Mus. Caes.)

VICTORIA. AVGG. AVGGG. AR. AE. II. III. (Band.)

VICTORIA. AVGVSTORVM. AV. (Mus. Caes.)

* * *

VIRTVS. AVGG. *Imperator paludatus stans in triremi d. globum cum phoenice*, *s. labarum*, *Victoria ad clavum adsidente.* AE. III. (Tanini.)

VIRTVS. EXERCITVS. *Imp. paludatus stans d. hastam*, *s. clypeum humi attinet.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

VIRTVS. EXERCITI. AE. II. III. (Band.)

VIRTVS. ROMANORVM. AR. AE. III. (Band.)

* * *

VOTA. ROMANORVM. *Imperator paludatus stans d. labarum*, *s. clypeum*, *humi captivus sedens.* AE. I. (Tanini.)

* * *

VOT. V. *intra coronam.* AE. IV. (Mus. Caes.) VOT. V. MVLT. X. AR. (Mus. Caes.) AE. IV. (Tanini.) VOT. X. MVLT. XV. AR. (Band.) VOT. X. MVLT. XX. AR. AE. III. (Band.) VOT. XX. MVLT. XXX. AE. III. (Band.) Etiam in aureo supra descripto legitur XX. XXX.

* * *

VRBS. ROMA. *Roma sedens.* AR. (Mus. Caes.)

VRBS. ROMA. FELIX. *variis typis.* AE. III. (Band.)

* * *

Narrat de Arcadio S. Prosper libro de promiss. et praedict. P. III. c. 34. *ne traderet ad se confugientes Armenos*, *bellum cum Persis confecit. Eo signo*, *antequam potitus victoria jam coeuntibus praelium militibus aeriae cruces in vestibus paruere. Vnde etiam victor auream monetam cum eodem signo crucis fieri praecepit*, *quae in usu totius orbis*, *et maxime Asiae hodieque persistit.* Aureos hos numos, indicatos a S. Prospero, aut quisquis est auctor ejus operis, hactenus videre non licuit.

PRETIVM.

Aurei	C.
Aurei max. mod.	RRRR.
Argentei	C.
Argentei max. mod.	RR.
Aenei max. moduli	RRR.
Aenei II. et III. formae	C.

AEL. EVDOCIA.

Arcadii uxor, natione barbara, nam fuit filia comitis Bautonis Franci, sed militia clari, et ad consulatum evecti. Moribus genus suum non inficiata ferociam quandam praetulit, tum et animum subdolum, quo effecit, ut maritum plane in potestate haberet, gravissimorum in imperio ipsa malorum causa. Arcadio juncta anno 395, vivere desiit anno 404, paullo postea, quam D. Ioannem Chrysostomum sede pontificia, et ipsa urbe ejecisset, unde piorum animos penitus a se avertit.

Numi:

Queritur Bandurius [a]), antiquarios praecedentes inique distribuisse numos, qui sive EVDOCIA, sive EVDOXIA inscribuntur, sancitque hanc legem: *si quis numus reperiatur cum iis temporum notis, quae in alterutram Augustam tantum conveniant, huic adscribuntur numi omnes, qui idem nomen praeferunt, qui diversum, alteri. Atqui Eudoxiae exstant numi, in quibus Theodosii jun. imperii anni, et consulatus consignati sunt, ideoque ad ejus conjugem pertinent. Igitur Theodosii jun. conjux fuit Eudoxia, Eudocia Arcadii.* Haec viri praestantis sententia ut sui parte haud dubie certa est, sic eam altera parte fallere non vane suspicor. Certa est pars prior, quae docet, numos muliebres, qui Theodosii jun. annos et consulatus inscripsere, ad ejusdem Theodosii uxorem pertinere, at non perinde certa pars altera, cum inde consequi arguit, numos inscriptos *Eudocia* esse uxoris Arcadii, inscriptos *Eudoxia* esse uxoris Theodosii II. Etenim ex aliis causis probabimus, numos aliquos, in quibus legitur *Eudocia*, sine dubio tribuendos uxori Theodosii II. Constat, neque istud ipse diffitetur Bandurius, *scriptores in utriusque Augustae nomine scribendo variasse*, ergo quae Eudocia, eadem etiam a monetariis Eudoxia scribi poterat, praecipue cum utrumque vocabulum ab eadem radice ducatur, et utrumque honorificam habeat significationem, et satis adfinem. Qui utrique tribuendi videantur numi,

a) Pag. 536.

dicemus continuo, tum et in numis Eudoxiae Theodosii II.

* * *

AEL. EVDOCIA. AVG. *Caput cultu solito.*

Numos sic inscriptos Bandurius Arcadii conjugi tribuit, ut modo dictum.

Sine epigraphe. Crux intra lauream. AV. AR. (Band.)

Similes numi sic erunt hujus Eudociae, ut tamen, si modo *Eudocia*, et *Eudoxia* perinde putamus, etiam esse possint Eudoxiae Theodosii. Sane gemina aversa est in numis inscriptis EVDOXIA. Accedit, numum similem anepigraphum typo crucis intra lauream non repertum fuisse Bandurio ante Valentinianum I., sed et hunc ipsum ajo Valentiniano III. restituendum, quia in hujus numis certis hic typus est obvius, et fatente ipso Bandurio discrimen inter trium Valentinianorum numos non semper liquidum est. Cum igitur hic typus ante Theodosium II., et Valentinianum III. in moneta non compareat, argui potest, numos similes non esse Eudociae Arcadii, cujus aevo is in usu nondum fuit, sed Eudoxiae Theodosii, quae cum Valentiniano III. posthac diutius vixit.

* * *

Bandurius huic Eudociae largitur aureos, in quorum aversa: VOT. XX. MVLT. XXX., sed quos esse Eudoxiae Theodosii, in hujus numis probare conabimur.

* * *

Haec si recte observo, de quo judicabunt eruditi, Eudocia Theodosii certos suos habet numos, at minus certos haec nostra Arcadii. Forte huic tutius applicari possunt numi inscripti: GLORIA. ROMANORVM, vel: SALVS. REIPVBLICAE, quos Eudoxiae alteri tribuit Bandurius. Sed vide, quae praeterea in hac notabimus.

HONORIVS.

Patrem habuit Theodosium M., matrem Ael. Flaccillam, natus anno 384. Decennis a patre dictus Augustus, hoc anno 395 mortuo sub Stilichonis tutela Occidenti praefuit. Principio satis prospera usus fortuna Gildonem in Africa rebellem, alios alibi compescuit. Stilicho Alaricum Gothorum, Radagaisum Hunnorum reges occupata jam media Italia elatos clarissimis victoriis repressit quidem, verum jam tum potiundi imperii consilia agitans, Alaricum in Italiam, alios barbaros in Galliam invitat, sed a militibus cum filio Eucherio Ravennae occiditur. At Alaricus nemine obsistente Romam obsidet, captamque anno 410 diripit, paullo post in Africam trajicere parans in Lucania moritur. Successor Ataulphus relicta Italia in Galliam conversus, ubi Gallam Placidiam fratri Honorio abductam sibi matrimonio junxerat, inde in Hispaniam, Barcinone e medio tollitur. Inter has in Italia turbas Alamanni vicinam Alpibus Germaniam, Franci Pharamundo duce Galliam Belgicam oc-

cupant, et Alani cum Vandalis a maris Balthici litore profecti, Galliasque emensi Hispaniam incursant, Burgundiones vicinam superiori Rheno Galliam per vim retinent. Tot malis undique prementibus Constantium bellica laude praestantem Augustum Honorius appellat anno 421, cum jam antea adfinitatem cum eo junxisset data in uxorem sorore Placidia Ataulphi vidua, ipse anno 423 morbo exstinguitur nullo ex binis uxoribus relicto herede, princeps ignavus et vecors, cui, si verum dixit Procopius [a]), salus Gallinae suae, quam *Romam* vocare solebat, salute urbis Romae esse potior visa fuit.

Numi:

D. N. HONORIVS. P. F. AVG. epigraphe constans.

Caput diadematum cum margaritis.

Protome adversa galeata d. hastam, s. clypeum, in quo eques, in aliis crux.

Caput galeatum barbatum. Est in aureis cum epigraphe VICTORIA. AVGGG. apud Bandurium, et in museo Caesareo, et Pembrock. (P. I. tab. 27.) Nihil ad singularem hanc barbae peristasin observat Bandurius. An fuit tempus, quo barbam aluit more veterum causa gravium calamitatum, quae imperium concussere, praecipue capta urbe aeterna, eamque posuit hac recepta?

Partes aversae:

CONCORDIA. AVGG. AVGGG. *subjectis notis Graecis arithmeticis.* AV. AE. III. obvii.

* * *

GLORIA. ROMANORVM. *Imperator stans in curru sex equorum etc.* ut in simili Arcadii. AV. m. m. (Band.)

Alii eodem modo inscripti obviis typis. AR. AE. II. III.

* * *

D. N. HONORIVS. P. F. AVG.

Caput diadematum.

IVSSV. RICHIARI. REGES. *(sic) scriptum extra coronam, intra quam* B✝R, *in imo ramus oleae.* AR.

Singularis hic numus vulgatus exstat in Catalogo musei d'Ennery pag. 393. Addit ejus auctor, repertum esse apud Tolosates, ubi regnabat Theodoricus Gothorum rex, qui auctore Ferreras circa 449 filiam suam collocavit Rechiario filio Rechilae, Suevorum regi. Taninius, qui eundem numum restituit, addit tantum: *Richiarius Suevorum rex in monumentum pacis hunc singularem numum percutere jussit.* Vberius examen haud dubie promeritum est illustre istud cimelium, neque tam perfunctorie adserere decuit, signatum fuisse a Rechiario Theodorici genero. Hic testibus Idacio et Isidori chronico regnum Suevorum in Hispania adivit anno 447, at Honorius, cui numus inscribitur, fato functus jam est anno 423. Necesse ergo est, numum hunc pertinere ad aliquem Suevorum regem ejusdem nominis, qui imperante Honorio inter suos, aut eorum partem regnum obtinuerit, cuique e re visum fuerit, hunc Augustum palam observare. Eodem modo serius vide-

---

a) Bell. Vand. L. I. c. 2.

bimus, Gothicos Italiae reges imperatorum Orientis capita monetae suae inseruisse. Sed haec amplius inquirant ii, qui evolvendae barbarae hujus aevi historiae dant operam.

* * *

REPARATIO. REIPVB. AE. I. (Tanini.)

SALVS. REIPVBLICAE. AR. (Tanini.) AE. III.

* * *

TRIVMFATOR. GENT. BARB. *Imperator paludatus stans d. labarum, s. globum, juxta captivus.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

* * *

VICTORIA. AVGG. AVGGG. *additis saepe notis Graecis arithmeticis, vel plene:* AVGVSTORVM. *Typi varii.* AV. AR. Obvii.

* * *

VIRTVS. EXERCITI. *vel* EXERCITVS. AE. III. (Band.)

VIRTVS. ROMANORVM. AV. AR. (Mus. Caes.)

* * *

VOTA. PVBLICA. *Duo impp. nimbati sedentes d. volumen, s. globum.* AV. (Tanini.)

VOT. V. MVLT. X. AR. (Mus. Caes.)
VOT. X. MVLT. XX. AR. (ibid.)

VOT. XXX. MVLT. XXXX. *inscriptum clypeo, quem duae mulieres galeatae thoraci insidentes tenent, in earum medio palmae ramus, in area hinc* R *illinc* V, *in imo:* COMOB. AV. (Mus. Caes.) In alio: *Imperator sedens d. elata volumen, s. sceptrum cum aquila.* AV. (Pembrock.)

* * *

VRBS. ROMA. *Roma sedens.* AR. (Mus. Caes.) VRBS. ROMA. FELIX. *Imp. stans d. labarum, s. Victoriolam.* AE. III. (ibid.)

* * *

Addi possunt ad numos Honorii.

D. N. HONORIVS. P. AVG.
Caput laureatum.

ASINA. *Asina pullum lactans.* AE. III.

Taninius cum insolentem hunc musei sui numum explicat, satyricum statuit, cusumque in Christianorum contemptum ab idololatris, quia Honorius veterem deorum cultum severis legibus repressit. Constare vero ex copiosis testimoniis, insimulatos olim fuisse Iudaeos aeque ac Christianos, capiti asinino divinos ab se honores haberi. Lubens in eruditi viri sententiam irem, si numus caput asini, non asinum totum exhiberet. Asini caput Iudaeis objecit Apion, quem refutat Fl. Iosephus [a]). De capite tantum loquitur Tertulianus [b]), Damocritus apud Suidam [c]), Minucius Felix [d]), qui idem infra apertius rem explicat, cum ait [e]): *Inde est, quod audire te dicis,* caput *asini rem nobis esse divinam. Quis tam stultus, ut hoc colat? quis stultior, ut hoc coli credat? nisi quod vos et* totos *asinos in stabulis cum vestra Epona consecratis etc.* quo is loco manifeste partem toti opponit. Minus ergo apte asina tota, et quod amplius est, una cum pullo fuisset proposita, si placuisset Christianorum sacris insultare. Apertius satyram eloqueretur numus alter, quem cl. vir ad confirmandum judicium suum

---

a) contra Apion. L. II. §. 7. b) Apolog. cap. 16. c) in Δαμοκριτος. d) in Octav. c. 9. e) ibid. c. 28.

advocat: ALEXANDER. *Caput leonis exuviis tectum.* ☧ D. N. IHS. XPS. DEI. FILIVS. *Asina capite erecto pullum lactans.* Existimat eques Victorius, qui numum edidit, in antica proponi Alexandrum Severum, qui teste Lampridio Christum coluit. Typum aversae ad idem culti a Christianis asini crimen vocat. At quo is nobis pacto in numi hujus parte antica certum Alexandrum Severum praestabit? Desunt omnes tituli Augustei, ad haec nullus exstat hujus imperatoris numus, qui caput daret leonis pelle tectum. At vero multos habemus Contorniatos cum eadem plane antica, in qua Alexandri M. Macedonis caput omnes agnoscimus. Atqui ut certum est, magnam Contorniatorum partem Honorio imperante fuisse signatam, sic dubium non videtur, Victorianum hunc numum ejusdem, aut vicinae esse aetatis, eundemque objicere Macedoniae regem, et perinde ac Contorniatos in pseudomoneta esse putandum, cuicunque deinde usui servierit. Aversae explicationem iisdem, quibus supra Taninianum, argumentis possum impugnare. At, inquies, ipsa Christi nomina juxta leguntur exarata. Verum an propterea certum, hunc typum convicii in Christianos causa fuisse repertum? Cur non potius symbolicum putamus, et ab ipsis Christicolis lectum, quos suam in Christum fidem variis symbolis et adlusionibus expressisse constat? Ejus exemplum unicum ut commemorem, saepe Christum piscis imagine adumbravere, cur istud? quia literae, vocabulum ΙΧΘΥΣ, *piscis*, constituentes, commode resolvi possunt in Ιησȣς Χϱιϛος Θεȣ Υιὸς Σωτηϱ, *Iesus Christus dei filius servator.* Ergo et asinae lactantis typo aliquid poterant significare notum sibi, nobis ignotum. Sed nimium diu in unico numo adhaereo, quem nulla auctoritas publica tuetur, sed facile quisquis in pseudomonetae gregem ablegabit. Buonarrotus veteris vitri fragmentum edidit, in quo fictus exstat asinus currens scripto juxta ASINVS [a]), ex quo iterum apparet, varias fuisse proponendi ejus animalis causas.

* * *

De pondere Honorii inscripto EXAGIVM. SOLIDI, similibusque aliis vide, quae dicemus in tractatu de numis inferioris aevi.

PRETIVM.

Aurei	C.
Aurei max. mod.	RRRR.
De numo insigni cum variis ornamentis parergis egimus Vol. I. in Prolegomenis cap. XII. §. 13.	
Argentei	C.
Argentei max. mod.	RR.
Aenei II. et III.	C.

a) Framm. di vasi di vetro tab. IX.

CONSTANTIVS III. Patricius.

Eum Honorius virtutis causa anno 411 exercitibus praefecit, cujus et fide et fortuna Constantinus tyrannus Arelate captus, Ataulphus Gothorum rex Italia exactus est. Hujus deinde anno 415 caesi viduam Placidiam Honorii sororem uxorem duxit anno 417, et cum propter merita, tum adfinitatem Augustus dicitur anno 421, sed septimo postea mense vivendi finem fecit.

Vxor *Placidia*, ut dictum. Ex hac nati *Placidius Valentinianus*, et *Iusta Grata Honoria*, de quibus infra.

Numi:

D. N. CONSTANTIVS. P. F. AVG. *Caput diadematum cum margaritis.*

VICTORIA. AVGGG. *Imperator paludatus stans d. labarum, s. Victoriolam, s. pede captivum supinum calcat, in area* RV., *infra* COMOB. AV. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Victoria gradiens d. lauream, s. globum crucigerum, in area* RV., *in imo* CON. Quin. AV. (Mus. Caes.)

Hujus Augusti numi Bandurio fuere ignoti. Teste Beauvais tres tantum hactenus sunt cogniti, prior musei Caesarei, alter regis Galliarum, tertius in museo d'Ennery. Nunc quartum possidet Taninius. Vide, quae de his numis praeclara dictavit Bimardus [a]). Additum quinarium AV. hujus item esse Constantii, non tam probat concordia lineamentorum, quam quod similis Victoriae typus, tum et literae R. V. nonnisi sub Honorio invaluere Constantii II. aevo ignotae. Hunc quinarium alibi editum non reperi.

PRETIVM.

Aurei tantum cogniti, iique . . . . RRR.

GALLA PLACIDIA.

Theodosii M. et Gallae filia. Roma ab Alarico capta velut obses detenta, subinde ejus successori Ataulpho nupsit Narbone anno 414. Marito caeso a Vallia fratri Honorio restituta, et Constantio patricio collocata, ut mox in hoc diximus. Hoc mortuo Constantinopolin profecta anno 423 privatam ibi vitam duxit. Honorio vita functo cum Iohannes imperium Occidentis usurparet, idque inique ferret Theodosius II., hic Placidiam cum Valentiniano

a) ad Iobert. T. II. pag. 383.

III. filio in Occidentem misit, qui sub matris tutela imperio praeesset anno 424. Vitam produxit usque ad annum 450.

Numi:

D. N. GALLA. PLACIDIA. P. F. AVG. epigraphe constans. In aureo uno musei Caesarei abest D. N. Nunc primum feminae Augustae dici P*iae* F*elices* incipiunt, usu inde a Domna Severi intermisso.

Caput cultu solito, cui in nonnullis manus ex alto coronam imponit.

Partes aversae.

SALVS. REIPVBLICAE. *Laurea, intra quam monogramma* XP. AV. (Mus. Caes.) In aliis: *Victoria sedens clypeo inscribit* XP. AV. (Band.) In aliis: *Victoria spoliis insidens lauream tenet, intra quam* XP. AV. AR. (Band.) In alio: *Placidia sedens in throno junctis in sinu manibus globum tenet.* AV. cum lato orbe ornato, de quo vide Vol. I. Prolegomena cap. XII. §. 13. In alio: *Crux in laurea.* AE. IV. (Tanini.) Memorandus denique: IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. *Mulier galeata sedens etc.* ut in numis Theodosii II., quos vide.

* * *

VICTORIA. AVGGG. *Imperator paludatus stans etc.* AV. Numus RRRR. (Band.)

* * *

VOT. XX. MVLT. XXX. *Victoria stans d. crucem oblongam.* AV. (Mus. Caes.) AE. II. (Tanini.)

Intelligenda sunt haud dubie vota filii Valentiniani III., at mirum, eadem non legi in hujus numis, etsi in his habeantur et vota praecedentia, et sequentia.

* * *

Crux, *vel* XP. *intra lauream.* AV. AR. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei et argentei	RR.
Aenei II. et IV.	RRRR.

CONSTANTINVS III. tyrannus.

Arrepta anno 407 in Britannia purpura, occupata etiam Gallia Arelate sedem fixit, post etiam Hispaniam sibi subjecit. Iam potentiori, quam ut dejici posset, Honorius imperium confirmat. Denique et Italiam meditans, cum passim provinciae ab eo desciscerent, a Constantio Honorii duce ad deditionem coactus et interfectus est anno 411. Filium habuit Constantem, quem item Augustum dixit.

Numi:

Hujus tyranni numi a non paucis hac-

tenus cum numis Constantini M., aut ejus filii cognominis mixti sunt. Tamen facile discrimen dictant fabrica, cultus, typi, inscriptionum modi, quae omnia si hujus aevi monetam sapiant, ne dubita, numum huic Constantino tribuere. Idem dicemus ad numos Constantis ejus filii.

* * *

D. N. CONSTANTINVS. P. F. AVG.
FL. CL. CONSTANTINVS. AVG. (Bandurius in aureo.)

Partes aversae:

VICTORIA. AVG. *Imp. paludatus stans d. labarum, s. globum cum Victoriola s. pede captivum calcat, in imo* TROAS. *vel* TROBS. AV. AR. (Band.)

Numum similem Constantino M. tribuit Ducangius jure istud impugnante Bandurio.

VICTORIA. AVGGG. *Idem typus.* AV. (Band.) AE. III. (Band. Pembrock, sed Bandurius suum juxta aureos fusum conjicit. Tamen et cl. Beauvais unum ex museo suo citat.)

VICTORIA. AAVGGG. vel: AAAVGGGG. *Idem typus.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Similem Ducangius Constantino II. juniori tribuit. (Fam. Byz. tab. IX.)

VICTORIA. AAAAVGGGG. *Mulier galeata sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR.

Numum hunc Begerus ad Constantinum II. refert [a]), idem fecit Bandurius [b]), sed monuit, scribendi rationem magis congruere aetati Constantini tyranni. Sin istud, verisimile etiam, argenteum inscriptum VICTORIA. AVGGGG. cum eodem typo mulieris sedentis, quem Bandurius post Ducangium Constantino M. tribuit [c]), esse Constantini nostri. Constantini M. et filiorum aetate elementum G ter, quaterve multiplicatum in usu nondum fuit. In similibus dubiis magister optimus fabrica, aliique modi, quos memoravi. Vide et sequentem Constantem.

VICTORI. AAAVGGG. *Victoria gradiens d. lauream, s. globum, in area* AR. *in imo* CONOB. Quin. AV. (Mus. Com. Vitzai.)

Simili modo inscribitur etiam aversa filii Constantis.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	R.
Aenei	RRR.

CONSTANS II. tyrannus.

Praecedentis Constantini filius antea monasticam professus vitam a patre Au-

a) Thes. Brand. T. II. p. 811. b) Pag. 333. c) Pag. 254.

gustus dicitur, sed a Gerontio victus Viennae interficitur anno 411.

Numi:

D. N. CONSTANS. P. F. AVG. *Caput diadematum cum margaritis.* ℞ VICTORI. AAAVGGG. *Mulier sedens d. Victoriolam, s. hastam, in imo:* CON. Quin. (Pellerin Mel. I. pag. 194. Mus. Caes.)

Propter causas, quas in patre dedimus, numi hi huic Constanti vindicantur, primum hanc legem ferente Pellerinio [a]). Nequaquam ergo dubito, similem argenteum, quem Bandurius Constanti I. tribuit [b]), huc quoque pertinere.

PRETIVM.

Argentei tantum, iique . . . . RRR.

MAXIMVS tyrannus.

Invitatus a Gerontio adversus Constantinum et Constantem purpuram in Hispania sumpsit anno 409, sed eam postea victo Gerontio exuit. Ejus deinceps fatum varie a scriptoribus proditur.

Numus:

D. N. MAXIMVS. P. F. AVG. *Caput barbatum diadematum cum margaritis.*

VICTORIA. AAVGGG. *Mulier sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. (Pellerin, Mus. Caes.)

Eadem adversa.

VICTORIA. ROMANOR. *Idem typus.* AR. (Bandur. p. 578 in iconismo.)

Numum priorem edidit Pellerinius, et causas prolixe exposuit, cur eum non Mag. Maximo, qui sub Gratiano tyrannus fuit, sed huic tribuat [c]). Eas, etsi graves justasque repetere non attinet, quia omnes numi hujus peristases satis evincunt, eum uni huic sub Honorio tyranno esse tribuendum. Eundem numum reperi in museo Caesareo, et descripsi inter numos Petronii Maximi [d]), partim quia tum ad Pellerinii dictata animum non reflexi, partim quia inconsultius Bandurii judicium sum secutus, numum fere similem monetae Petronii inserentis [e]). At jam tum monui, meum numum partim causa barbae, quam Petronius non aluit, partim, quia aversae typus vix Petronii aevo competit, verisimilius ad alium quempiam Maximum pertinere. Iam ergo nunc dubitari nequit, omnes hos numos esse ejus Maximi tyranni, quem nobis praeclare indicavit Pellerinius.

---

a) l. c. b) Pag. 354. c) Supplem. IV. pag. 15. d) Catalog. Part. II. p. 526
e) l. c.

PRETIVM.

Argentei tantum, iique . . . . RRR.

IOVINVS.

Moguntiae imperium invasit anno 411, magnamque Galliae partem in verba sua adegit, verum collisus cum Ataulpho Gotho, quod Sebastianum Augustum appellaverat, rupta pace ab hoc Valentiae captus et mori jussus est anno 413.

Numi:

D. N. IOVINVS. P. F. AVG. Caput diadematum cum margaritis.

Partes aversae:

RESTITVTOR. REIP. *Imperator paludatus stans d. labarum, s. Victoriolam, s. pede captivum calcat, in imo:* CONOB. vel COMOB. AV. (Mus. Caes. Band.) In aliis: *Mulier galeata sedens d. Victoriolam, s. hastam, in imo* CON. *vel* KONT. AR. (Band. Mus. Caes.)

* * *

VICTORIA. AVG. *vel* AVGG. *vel* AVGGG. *Mulier galeata sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AV. AR. (Band. Mus. Caes.) AE. III. (Pellerin Mel. I. p. 217 Tanini.)

* * *

VOT. V. MVLT. X. *intra coronam.* AV. AR. (Band.)

PRETIVM.

Aurei et argentei . . . . RR.
Aenei, nisi argenti pellicula obducti fuere, quod suspicatur Pellerinius . . . . RRRR.

SEBASTIANVS.

Iovini fratris beneficio dictus Augustus anno 412 paullo post ab Ataulpho Gothorum rege interfectus est.

Numi:

D. N. SEBASTIANVS. P. F. AVG. *Caput diadematum cum margaritis.*

VICTORIA. AVGG. *Mulier galeata sedens d. globum cum Victoriola, s. hastam, in imo:* CON. vel KONT. AR. (Band.)

PRETIVM.

Argenteі tantum . . . . RRR.

PRISCVS ATTALVS.

Natus in Ionia ad maxima Romae munia est evectus, denique anno 409 ab Alarico Gothorum rege, quo tempore hic Romam obsidione cinxit, imperator est appellatus. Verum cum altiores, quam pro praesente fortuna, spiritus gereret, anno vertente ab eodem Alarico dejectus est. Cum deinde resumpto per vices in Italia, Gallia, Hispania imperio histrionem Augustum ageret, anno demum 416 a Vallia Gotho Romanis traditur, ab Honorio in triumpho ductus amputata dextera in insulam Liparam relegatur.

Numi:

PRISCVS. ATTALVS. P. F. AVG.
IMP. PRISCVS. etc. (Band.)

Caput diadematum cum margaritis.

Partes aversae.

GLORIA. ROMANORVM. AE. III. (Band.)

INVICTA. ROMA. AETERNA. *Roma sedens d. Victoriolam, s. hastam, in imo* CONOB *vel* COMOB. AV. AR. (Band.)

RESTITVTIO. REIP. *Imperator paludatus stans d. labarum, s. mulierem sublevat, in imo* CONOB. AV. (Band.)

VICTORIA. ROMANORVM. *Victoria gradiens, in imo* PST. AR. m. m. (Mus. Caes.) Quin. AR. (Tanini.) AE. III. (Band. Tanini.)

VOT. V. MVLT. X. *in corona.* AR. (Mus. d'Ennery.)

PRETIVM.

In omni metallo . . . . RRR.
Argentei max. mod. . . . . RRRR.

THEODOSIVS II.

Arcadii et Eudociae filius natus anno 401, data sibi anno proximo ineunte purpura, mortuo subinde anno 408 Arcadio Orientem regendum suscepit. De Vararane Persa nobilem victoriam retulit, et annorum C. inducias pepigit. Mortuo anno 423 Honorio Valentinianum III. consobrinum Occidenti praefecit. Ad bella etiam sacra paratus cum episcopis Christi naturam, litem tum mo-

ventibus Nestorio et Eutychete, sedulo examinavit. Codicem de se dictum Theodosianum publici juris fecit. Mortuus est anno 450.

Vxor *Eudoxia*, de qua infra, unde Licin. Eudoxia Valentiniani III. uxor.

Numi:

Saepe diximus in moneta Theodosii M., utriusque Theodosii numos distingui vix posse. Quare et jam Bandurius professus est, malle se in iis collocandis aliorum, quam suum judicium sequi [a]). Agnovit etiam istud Ducangius, ac denique, sed timide, conjicit, numos in quorum antica est protome adversa galeata cum hasta et clypeo, esse junioris; eos, in quibus Augustus figura lusca exprimitur, seniori adscripsit [b]). Priorem hujus sententiae partem valde esse verisimilem, ipse existimo; nam in multis certis Theodosii II. numis observavi similem protomen, nunquam vero in certis Theodosii M. Nolim tamen propterea numos omnes, qui simplex Augusti caput offerunt, seniori tribuere, quia eundem hunc cultum praeferunt nonnulli certi Theodosii II. numi. Vide infra numos inscriptos VICTORIA. AVGG., et postremos typo crucis.

* * *

D. N. THEODOSIVS. P. F. AVG. epigraphe constans, nisi cum eam certa monetariorum peccata mutarunt.

Protome adversa galeata d. hastam super humero, s. clypeum, cui insculptus eques.

Caput diadematum cum margaritis.

* * *

CONCORDIA. AVGG. *vel* AVGGG. *additis notis Graecis arithmeticis. Mulier galeata sedens d. hastam, s. Victoriolam, d. pede prorae navis insistit* AV. AR. AE. III. (Band.)

* * *

GLORIA. ORBIS. TERRAE. *Imperator paludatus stans d. labarum, s. globum crucigerum, in area astrum, in imo* TϵSOB. AV. (Band.)

GLOR. ORVIS. *(sic)* TERRAR. *Reliqua ut in praecedente.* AV. (Mus. Caes.)

Dubitat Bandurius, utrum in suo, quem ex Ducangio cepit, vere legatur TERRAE, pro TERRAR. Alteram hanc lectionem disertam habet numus musei Caesarei. Dubitat deinde, utrius is Theodosii sit, nam similem alium jam in moneta Theodosii M. enarravit. Ego verius omnes sic inscriptos esse Theodosii II. conjicio, primum quia in antica est protome cum hasta et clypeo, deinde quia idem argumentum est etiam in moneta successoris Marciani, ut adeo haec aversa imperante hoc Theodosio orta fuisse videatur.

* * *

GLORIA. REIPVBLICAE. *Duae mulieres galeatae sedentes d. hastam, s. clypeum, in quo* VOT. V. *(forte XV.)* MVL. XX. AV. (Tanini.)

Similem Taninius jam Theodosio M. largitus est, non addita discriminis causa. Malim utrumque Theodosio nostro tribuere ob similem protomes typum.

* * *

GLORIA. ROMANORVM. AE. II III.

a) Pag. 558. b) Dissert. de num. inf. aevi §. 70.

Id genus numos auctores nostri passim in utrumque Theodosium conferunt, quin aliquam variantis sui judicii rationem dictarent. Forte omnes hi numi sunt unius Theodosii M.

* * *

IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. *Mulier galeata sedens d. globum crucigerum, s. hastam, juxta clypeus, s. pede prorae navis insistit.* AV. (Mus. Caes.)

Scriptum in numo Farnesiano IMP. XXXII. in dubium jure vocat Bandurius. Eorum quatuor variae matricis sunt in museo Caesareo, et in singulis idem numerus XXXXII. Numerus hic, quod hactenus insolitum, haud dubie annum imperii Theodosii indicat. Ergo cum is anno 402 dictus fuerit Augustus, annus XXXXII. coepit anno Christi 443, fuitque tum cos. XVII. testibus fastis, anno sequente consulatum XVIII. initurus. Cur solum hunc annum tam canore in aurea hac moneta signaverit, non inquiro, quia opinor perperam. Illud mirum, eandem aversam exstare etiam in numis uxoris Eudoxiae, sororis Pulcheriae, Gallae Placidiae Valentiniani III., et Leonis I., ad quos tamen neque hic annus, neque consulatus pertinuit.

* * *

REPARATIO. REIPVB. AE. II.

Hos quoque numos antiquarii promiscue utrique Theodosio largiuntur. Malim omnes permittere Theodosio M.

* * *

SALVS. REIPVBLICAE. *subjecta nota Graeca arithmetica. Duo impp. sedentes nimbati d. volumen, s. crucem.* AV. (Mus. Caes.)

Eadem inscriptio est etiam in numis Theodosii M. Nostri esse existimo eos, qui in antica habent protomen hastatam clypeatam.

* * *

SECVRITAS. REIPVBLICAE. *Imperator adversus sedens capite nimbato d. volumen, s. sceptrum crucigerum.* AV. (Tanini.)

* * *

TR. P. XXXVII. COS. XVII. P. P. *Figura sedens d. globum cum cruce, in imo* CONOB. AV. (Band. ex Mediob.)

TR. P. XXXXII. COS. XVIII. P. P. *Figura militaris d. labarum, s. globum.* AV. (Band. ex Mediob.)

Vt supra numi aetatem annis imperii expressam vidimus, sic in his more prisco numeris tribuniciae potestatis. Ergo cum Theodosius imperium auspicatus fuerit anno 402, trib. potestas XXXVII. cadit in annum 439, quo ipso anno processit consul XVII. Trib. potestas XXXXII. cadit in annum 444, quo ipso anno adivit consulatum XVIII. Videtur imperator solius vetustatis amore ductus veterem titulorum in moneta signandorum modum revocasse. Ceterum mirari subit, Bandurium numos moris hoc aevo tam insolentis ex unius Mediobarbi oraculo recitare, quin alibi a se conspectos potuisset adfirmare, neque et mihi contigit similem aut videre, aut in adcuratis catalogis, qui subinde vulgati sunt, descriptum legere.

* * *

VICTORIA. AVGG. *Victoria thoraci insidens clypeo inscribit* † XXXV., *in area astrum, et monogramma* XP., *in imo* CONOB. AV. (Mus. Caes.)

Rari hujus numi duplex exemplum

habet museum Caesareum. Horum unum jam edidere Frölichius a), et Khellius b), sed uterque perperam legit X. XXXV., cum prima nota non sit X, sed luculenta crux votorum numero pietatis ergo praefixa. Bandurius numum cum simili typo ex museo Brandenburgico recitat cum praetensa epigraphe X. XXX. Iure de hac dubitat vir eruditus, quia a decennalibus ad tricennalia saltus non fuit, etsi non unicum istud foret in his votorum numis perversi saltus exemplum. Ergo in hoc haud dubie quoque legendum: † XXX. Numi hi certe sunt Theodosii II. propter votorum numerum, ut jam dictum, et monebimus proxime, quin tamen in parte antica sit protome hastata clypeata.

VICTORIA. AVGGG. *vel* AVGVSTORVM *typis obviis.* AV. AE. III., sed qui perinde esse possunt Theodosii I.

* * *

VIRT. EXERC. ROM. *Imperator paludatus parvam figuram crinibus prehensam raptat, s. tropaeum super humero, in area astrum, in imo* CONOB. AV. (Pellerin Mel. I. p. 170., Mus. de France.)

Idem numus est etiam in museo Caesareo, sed cum epigraphe: VIRT. EXERC. ROME. nullo monetarii vitio, nam E adjectum nota arithmetica est, ut alias saepe vidimus.

VIRTVS. ROMANORVM. AR. (Band.) incerto tamen, utrius sit Theodosii.

* * *

VOT. XX. MVLT. XXX. *addita plerumque nota arithmetica. Victoria stans d. oblongam crucem.* AV. (Mus. Caes.)

VOT. XXX. MVLT. XXXX. *Mulier galeata sedens d. globum crucigerum, s. hastam, s. pede prorae insistit.* AV. (Mus. Caes.)

VOT. XXX. MVLT. XXXX. *Impp. duo habitu consulari sedentes, qui a sinistris minor, uterque nimbato capite, d. volumen, s. crucem tenent.* AV. (Band.)

In postremo hoc numo proponuntur Theodosius cos. XIII. et Valentinianus III. cos. III., qui una processere anno 430, quo et Theodosii nostri vota tricennalia soluta fuere. Vide notam Bandurii ad hunc numum pag. 559.

Sunt hi numi certe Theodosii II., quia Magnus vota XX. morte praeventus solvere non potuit. Vota anteriora, etsi ea numi Theodosiani memorent, non adduco, quia incertum est, utrius ii Theodosii sint.

* * *

Sine epigraphe. *Crux intra lauream, supra et infra* CONOB. Quin. AV. (Mus. Caes.) In aliis: *Crux vel* XP. *intra lauream.* AE. IV. (Tanini.)

Hi typi intra lauream Theodosii M. aetate nondum videntur in usu fuisse. Quare hos numos juniori tribuendos omnino existimo.

PRETIVM.

Aurei . . . . C.

a) Cim. Vindob. p. XXVII. b) Adpend. ad Vaill. pag. 283.

Argentei, saltem qui ejus certi sint . . . . O.
Aenei, si incertos demas . . . . RRR.

AEL. EVDOXIA.

Domo Atheniensis, mortuo patre ejecta a fratribus Constantinopolin abit, ubi Pulcheriae oblata adeo se huic partim per formae elegantiam, partim per praeclaras animi dotes, ingeniumque literis excultum commendavit, ut unam dignam crederet, quae fratri Theodosio nuberet. Celebratae nuptiae anno 421, datumque illi nomen Eudoxiae, cum ante Athenais vocaretur. Collisa cum marito Hierosolymas abiit, ibique marito superstes mortua est. Scripsit poetica, quae recenset Photius Cod. 183. 184.

Numi:

Dixi supra in numis Ael. Eudociae Arcadii uxoris, fluctuasse antiquariorum judicia in collocandis numis, qui vel AEL. EVDOCIA, vel AEL. EVDOXIA inscribuntur, sanxisse vero Bandurium, numos cum nomine EVDOCIA, esse uxoris Arcadii, alios cum nomine EVDOXIA, esse alterius, in qua sumus. Iam tum hanc sententiam leviter perstrinxi, dilato severiore examine in praesens tempus, quo hujus Eudoxiae numos enarramus, qui hanc controversiam maxime illustrant.

* * *

AEL. EVDOXIA. AVG. *Hujus caput.*

GLORIA. ROMANORVM. *Augusta sedens sinistra ad pectus composita, d. Victoriolam.* AR. In aliis: *Eadem sedens manibus ad pectus compositis; manus ex alto coronam ejus capiti imminentem tenet.* AE. III. (Band.)

Vtri Eudoxiae tribuendi sint hi numi, non satis apparet.

* * *

AEL. EVDOXIA. AVG.

IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. *Victoria sedens d. globum crucigerum, s. scipionem, in imo* CONOB. AV. (Band. ex Mediobarbo.)

Eadem epigraphe est etiam in numis mariti, quos vide. Quare dubium non est, hunc numum hujus esse Eudoxiae. Verum quod contendit Bandurius, ex ipso hoc numo probari, uxorem Arcadii dictam fuisse Eudociam, quia certa haec Theodosii uxor in moneta dicitur Eudoxia, numosque adeo secundum varia haec nomina distribuendos, in hoc virum praeclarum falli, ex sequentibus patebit. Ceterum mirum videtur, singularem hunc numum hactenus ab alio, praeterquam Mediobarbo, non fuisse conspectum.

* * *

AEL. EVDOXIA. AVG. *Hujus caput imminente corona.*

SALVS. REIPVBLICAE. *Victoria spoliis insidens monogramma* XP. *clypeo inscribit.* AV. AR. AE. III. (Band. Mus. Caes.)

Hi quoque numi utri competant, non satis per se eloquuntur.

* * *

AEL. EVDOCIA. AVG. *Hujus caput.*

VOT. XX. MVLT. XXX. *Victoria stans d. crucem oblongam, in area astrum, in imo* CONOB. AV. (Band. Mus. de France.)

AEL. EVDOCIA. AVG. *Hujus caput.*

VOT. XXX. MVLT. XXXX. B. *Victoria stans crucem tenet, cui imminet astrum, infra* CONOB. AV. (Mus. excell. comitissae Bentinck Hamburgi.)

Numum priorem Eudociae Arcadii impertitur Bandurius, quia scribitur EVDOCIA, non EVDOXIA, suae nempe regulae fidelis, ego hunc et sequentem propter certas causas Eudociae vel Eudoxiae Theodosii. Aversa, qualis est in numo priore, in nullo exstat Arcadii numo, at obvia est in numis Theodosii II., ergo ea ab his in monetam uxoris fluxit. Eadem etiam aversa habetur in numis Gallae Placidiae synchronae. Nulla vero conditione vel ipse Bandurius volet numum alterum tribuere Eudociae Arcadii, quia hic Augustus vota XXX. non solvit, sed ad ea aspiravit tantum, obvium autem in numis Theodosii II. est legere VOT. XXX. MVLT. XXXX. Ergo manifeste fallit Bandurii lex, hujus uxorem tantum fuisse dictam Eudoxiam, non etiam Eudociam.

* * *

AEL. EVDOXIA. AVG. *Hujus caput.*

Sine epigraphe. *Crux in laurea.* Quin. AV. (Mus. Caes.)

Numos hos alteri huic Eudoxiae adjudicare non dubito, quia hanc aversam obviam novimus in numis Theodosii II., Gallae Placidiae, Valentiniani III., nunquam in moneta Arcadii.

AEL. EVDOCIA. AVG. *Hujus caput.*

Sine epigraphe. *Crux in laurea.* AV. AR. (Band. Mus. Caes.)

In moneta superioris Eudociae copiose comprobavi, praesentes numos perperam a Bandurio tribui Eudoxiae Arcadii, et adeo, seu EVDOCIA, seu EVDOXIA inscribantur, esse hujus posterioris. Ex quo apparet, utramque Augustam utroque promiscue nomine fuisse appellatam, quod et a scriptoribus factum. Sic et vetus moneta, et libri variant in *Dalmatius* et *Delmatius*, in Αμβϱακια et Αμπϱακια etc.

PRETIVM.

Aurei et argentei	RR.
Aenei III.	RR.

IOHANNES.

Primicerius notariorum, mortuo anno 423 Honorio imperium Ravennae invadit, reliquasque Occidentis provincias in partes trahit dempta Africa,

quam servavit Bonifacius. Quod indignum ratus Theodosius II. Occidentis mortuo patruo legitimus heres, consobrinum Valentinianum Augustum appellat, et cum matre Placidia in Italiam mittit. Bello post haec exorto Iohannes magis insidiis, quam partis adversae virtute e medio tollitur anno 425.

Numi:

D. N. IOHANNES. P. F. AVG. Caput diadematum cum margaritis.

Partes aversae.

SALVS. REIPVBLICAE. *Victoria gradiens d. tropaeum super humero, s. captivum trahit.* AE. IV. (Tanini.)

* * *

VICTORIA. AVGG. AVGGG. *Imperator paludatus stans d. labarum, s. Victoriolam, s. pede captivum calcat, in imo* CONOB. AV. (Mus. Caes. Band.) AV. m. m. (Pellerin Mel. I. p. 191.) AR. (Band.)

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Victoria thoraci insidens scutum arbori impositum, in quo* XP., *tenet sublevante illud adstante parva figura.* AV. (Band.) In aliis: *Victoria gradiens.* Quin. AV. (Mus. Caes.) Quin. AR. (Pellerin Mel. I. p. 194.)

* * *

VRBS. ROMA. *Roma sedens.* AR. (Band.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux in laurea.* AV. (Band.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
Aurei max. mod.	RRRR.
Argentei	RRR.
Aenei IV.	RRR.

PLACIDIVS VALENTINIANVS III.

Pater illi Constantius patricius, subinde Augustus, mater Galla Placidia Honorii Aug. soror, ex quibus natus est anno 419. Patre mortuo Constantinopolin cum matre abiit, ac paullo post ipso Honorio anno 423 vita functo eum Theodosius II. adversus Iohannem Occidentis tyrannum in Italiam misit, ubi caeso non multo post Iohanne purpuram sumpsit anno 425. Principio magnum imperio malum attulit Bonifacius rector Africae, hactenus fidus, et Iohanni palam inimicus, verum cum comparari adversum se insidias intelligeret, Gensericum Vandalorum regem ex Hispania evocat, qui continuo magnam Africae partem occupat, et Vandalorum in ea regnum constituit usque ad Iustiniani imperium duraturum. Varia deinde bella cum barbarorum eluvie gesta, Ae-

tio ejus aevi clarissimo duce exercitibus praefecto, illustriore ejus gloria ex pugna in campis Catalaunicis, qua victus Attila Hunnorum rex caesis suorum millibus CCC. Tamen hunc virum, cujus salute stare imperii salus credebatur, cum Valentinianus tanquam imperium adfectaret, caedi jussisset, ipse omnium a se aversis animis Petronii insidiis Romae occiditur anno 455.

Vxor *Licinia Eudoxia* Theodosii II. filia, de qua infra, ex qua nata *Eudocia*, a Petronio collocata filio Palladio, post horum caedem a Genserico in Africam abducta nupsit Hunnerico Genserici F., unde natus Hildericus; et *Placidia*, futura conjux Anicii Olybrii Aug.

Numi:

D. N. PLA. VALENTINIANVS. P. F. AVG.

D. N. PLACIDIVS. VALENTINIANVS. P. F. AVG. in AV. max. mod.

Qui numi literas PLA. addunt, nimirum ἀρχαικῶς vocabuli *Placidius*, esse Valentiniani III., dubitari nequit. At non perinde certum, eos tantum numos hujus esse Valentiniani, qui PLA. praefigunt, quia fieri poterat, ut in numis aliis etiam omitteretur. Sin istud, erunt haud dubie numi ad hunc Augustum pertinentes, quos passim Valentiniano I., vel II. tribuimus. Sed vide infra numum: VOT. XXX. etc. et ultimum.

Caput diadematum cum margaritis.

Protome adversa galeata d. hastam, s. clypeum.

Protome diademata cum trabea, d. volumen, s. crucem.

Partes aversae.

GLORIA. ROMANORVM. *Figura galeata sedens d. coronam, s. crucem.* AV. (Band.) In aliis: *Victoria gradiens d. crucem oblongam.* AR. (Band.)

* * *

IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. *Mulier galeata sedens d. globum crucigerum, s. sceptrum.* AV. (Band.)

Similis aversa est in aureis Theodosii II., cui uni haec epigraphe convenit. Vide ibi dicta. Vltro patet, numum similem a Ducangio perperam cum Valentiniani I. moneta fuisse permixtum.

* * *

SALVS. REIPVBLICAE. *Laurea, intra quam* XP. Quin. AV. (Mus. Caes.) AR. (Tanini.)

* * *

VICTORIA. AVGG. AVGGG. AVGVSTORVM. *variis typis.* AV. AR. (Band. Mus. Caes.) AE. m. m. (Band. Tanini.) AE. IV. (Tanini.)

* * *

VOT. X. MVLT. XX. *Imp. sedens d. volumen, s. crucem.* AV. (Mus. Caes.)

VOT. XXX. MVLT. XXXX. *typis variis.* AV. max. mod. (Band.)

Ex numis sic inscriptis memorandus sequens:

D. N. VALENTINIANVS. P. F. AVG. *Protome adversa capite galeato d. hastam super humero, s. clypeum.*

VOT. XXX. MVLT. XXXX. *Roma galeata sedens d. globum crucigerum, s. ha-*

stam, *s. pede prorae navis insistit.* AV. (Mus. Com. Vitzai.)

Rarissimum hunc numum Valentiniano III. tribuendum puto, non tam, quod vota tricennalia soluta memorat, in quae utrique praecedenti Valentiniano saltem jus verum non fuit, quam quod is, dempta capitis epigraphe, plane geminus est numis synchronis imperatorum Orientis. Ex quo apparet, Valentinianum III. nomini suo non semper alterum Placidii praefixisse, ut supra innui.

* * *

VRBS. ROMA. *Roma sedens.* AR. (Tanini.)

* * *

Sine epigraphe. Crux intra lauream. AV. AR. (Mus. Caes. Band. Tanini.)

Similem aureum edidit Bandurius, eumque tribuit Valentiniano I., quia in capitis epigraphe literae PLA. omissae sunt. Verum cum hic aversae modus ante Theodosium II. in hujus aevi moneta non compareat, malim eum Valentiniano III. restitui. Sin istud, oportebit statuere, aut epigraphen ex numo, forte non satis integro, non recte esse promulgatam, aut non in omnibus Valentiniani III. numis nomen PLA*cidii* fuisse praefixum, ut continuo probaveram.

PRETIVM.

Aurei	C.
Aurei m. m.	RRRR.
Argentei	RR.
Aenei max. mod. omissis contorniatis	RRR.
Aenei II. et III. formae, saltem certi	O.
Aenei IV. formae	RRR.

LICINIA EVDOXIA.

Theodosii II. et Eudoxiae filia nata anno 423, Valentiniano III. nupta anno 437, et post hujus caedem anno 455 Petronio Maximo, verum certior facta, hunc conjurationis in priorem maritum fuisse participem, vindictae cupida Gensericum ex Africa arcessit, eumque direpta Roma reducem adsectatur. Exactis in Africa annis VII. Constantinopolin cum filia Placidia abit. Reliquum ejus fatum non satis exploratum. De utraque ejus filia egimus in marito.

Numi:

LICINIA. EVDOXIA. P. F. AVG. *Protome cum corona radiata crucigera dependentibus utrinque margaritis.*

SALVS. REIPVBLICAE. *Mulier sedens d. globum crucigerum*, *s. hastam crucigeram*, *in imo* COMOB. AV. (Band.) AE. I. si modo genuinus, addito COMOB. (Tanini.)

Eadem adversa.
VOT. XXX. MVLT. XXXX. *Valentinianus, et Licinia stantes.* AV. (Tanini.)

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	O.
Aenei saltem certi	O.

IVSTA GRATA HONORIA.

Filia Constantii III. et Gallae Placidiae nata circa annum 417, quod cum Eugenio procuratore consueverat, ventremque ex eo tulerat, a Valentiniano fratre palatio ejecta Constantinopolin ad Theodosium II. abit anno 434, Attilamque clam ad inferendum Occidenti bellum excitat. Iam Attilae matrimonio jungenda fuerat, cum hic sanguinis vomitu exstinguitur.

Numi:

D. N. IVST. GRAT. HONORIA. P. F. AVG. *Hujus caput, quod imminens ex alto manus coronat.*
BONO. REIPVBLICAE. *Victoria stans d. crucem oblongam, in imo* COMOB. AV. (Mus. Caes. Com. Vitzai.)

Ergo quae imperii fuit vomica et exitium, natam se *bono reip.* palam profitetur. Vide similem epigraphen in numo Fl. Victoris, qui fuit filius Mag. Maximi.

* * *

SALVS. REIPVBLICAE. *scriptum extra lauream, intra quam* XP. AV. (Band.)

* * *

VOT. XX. MVLT. XXX. *Victoria stans d. crucem.* AV. (Band.)

Sintne vota XX. in hoc numo exarata fratris Valentiniani, an Theodosii II., non satis intelligo. Bandurius, nullo moto hac super re dubio, indicari fraterna Valentiniani adfirmat. Verum in nullo hactenus cognito Valentiniani III. numo inscripta legimus vota XX. soluta, neque in omnibus ejus votorum numis comparet Victoria stans. Est tamen tota haec aversa in moneta Theodosii II., ad quas causas vir cl. non videtur reflexisse animum. Videri ergo posset, intelligenda vicennalia Theodosii, praecipue cum, ut diximus, pulsa a fratre liberale apud hunc hospitium nacta sit. Verum repugnant tempora. Theodosius II. vota XX. solvit anno 420, at tum Honoria nostra vix trima fuit, et in aula patrui Honorii, necdum adeo Augusta, et nullo cum Theodosii rebus nexu. Nemo negaverit, validam esse utramque difficultatem, quam expedire non tento conjecturarum veritus inania, quibus tamen unis in his et historiae, et rei monetariae labyrinthis nitendum est, debili sane ad veritatem historicam fulcro, et saepe fallace. Ita Bandurius ad eundem hunc numum ait:

Quid vero si Honoria a fratre Augusta nunquam dicta sit, sed hunc honoris titulum ipsa sibi arrogarit ex Oriente redux? At enim an verisimile, in monetae eam publicae officinas suam potuisse porrigere potestatem? Ad haec in marmore Ravennate, quod ejus aevi Augustos Augustasque continet, diserte legitur: IVSTA. GRATA. HONORIA. AVG. a)

* * *

Sine epigraphe. *Crux intra lauream.* AR. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei tantum et argentei, iique . . . . . . RRR.

ATTILA.

Feroci huic Hunnorum regi jam inde a Mediobarbo tribui consuevere numuli argentei, in quibus hinc ATEVLA, illinc VLATOS. Satis nunc constat, esse monetam veterem Gallicam, et utrumque nomen hominum Gallorum, de quo vide, quae diximus Vol. I. in moneta Galliae § *Reguli Gallici.*

PETRONIVS MAXIMVS.

Si Ducangio fides b), filius fuit Mag. Maximi tyranni, a Theodosio M. dejecti. Valentiniani III. beneficio bis consul et Patricius, sed benefactori iratus causa oblati uxori suae stupri, eum collocatis insidiis interimit anno 455, et postridie imperium, et ejus viduam Lic. Eudoxiam invadit, quae tamen, comperto, novum maritum insidiarum fuisse conscium, Gensericum in Italiam invitat, quo appropinquante Petronius a furentibus Romanis in frusta discerptus est anno 455 tertio imperii mense.

Numi:

D. N. PETRONIVS. MAXIMVS. P. F. AVG. *Caput diadematum cum margaritis.*

VICTORIA. AVGGG. *Imperator paludatus stans d. crucem oblongam, s. Victoriolam, d. pede caput draconis calcat.* AV. AR. (Band. Tanini.) In alio: *Victoria sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. Quin. (Tanini.)

* * *

VICTORIA. ROMANOR. AR. (Band.)
VIRTVS. AVGVSTI. AV. (ibid.)

* * *

Numos inscriptos: D. N. MAXIMVS. P. F. AVG. non esse hujus Augusti, sed alterius Maximi tyranni, dixi in hujus numis, quos supra ante monetam Iovini pag. 178 recensui.

a) Gruter pag. 1048. 1. b) Fam. Byzant. pag. 73.

PRETIVM.

Aurei et argentei . . . . RRR.
Aenei . . . . O.
Contorniatum, sed ejus adhuc privati, vide in hac numorum classe.

MARCIANVS.

Natus in Illyrico humili loco, sed propriis bello meritis illustris beneficio Pulcheriae Augustae, quae eum sibi maritum post Theodosii II. mortem delegerat, imperator anno 450 adclamatur. Attilae tributum annuum, quod decessor pendere instituit, continuare impune detrectavit. Administrato probe per annos sex cum semisse imperio moritur anno 457.

Vxor I. *anonyma*, quam privatus duxerat, ex qua nata *Euphemia* Anthemii Aug. uxor, de qua infra.

Vxor II. *Pulcheria*, de qua infra.

Numi:

D. N. MARCIANVS. P. F. AVG. *Protome diademata cum margaritis.*

ADVENTVS. S. D. N. AVG. *Imperator nimbatus eques pacificatoris habitu.* AV. m. m. (Pellerin Mel. I. p. 163.)

Adventuum numos pridem antiquatos illustri hoc numo restitutos a Marciano videmus. Exhibet is novum in Augusti titulis modum, nempe: S. D. N. AVG. Pellerinius haec verba sic legit: ADVENTVS. S*ecundus* D*omini* N*ostri* AVG*usti*, et confirmat sententiam numo Perinthiorum Severi: ΕΠΙΔΗΜΙΑ. Β. *Adventus II.* Sed istud minus videtur verisimile, et magis existimo, solitarium istud S constituere partem titulorum Marciani, et quidem legendum S*acratissimi*. Nomen istud imperatoribus tributum nequaquam novicium. Iam Frontinus de Trajano dixit: *clara sacratissimi imperatoris nostri expeditio* a). Hoc autem, in quo sumus, aevo nihil hoc titulo, apud jureconsultos praecipue, magis tritum, cujus adferre exempla supervacaneum puto.

* * *

Eadem epigraphe. *Protome galeata adversa d. hastam, s. clypeum, in quo eques.*

FELICITER. NVBTIIS. *Marcianus et Pulcheria stantes nimbati dexteras jungunt, medius adstat Christus cum nimbo crucigero, in imo* CONOB. AV.

Praestantissimum istud cimelium, et hactenus unicum fuit olim Vindobonae in praeclaro museo de France, nunc Londini in museo Hunteriano. Exhibet is Pulcheriae cum Marciano nuptias ejus naturae, quas ne Vestales quidem erubescerent. Nimirum hac lege sibi

a) Script. rei agr. pag. 276.

maritum sumpserat, ut castae esse ad mortem usque liceret. FELICITER. NVBTIIS est adclamationis popularis formula in variis laetitiae causis, ac nuptiarum quoque usurpari solita. Est apud Iuvenalem [a]):

Signatae tabulae, dictum FELICITER, ingens
Coena sedet, gremio jacuit nova nupta mariti.

Similis typus est in numis Corn. Paulae Elagabali, in quibus finguntur Augustus et Augusta manus in fidei connubialis tesseram jungentes, sacerdote in utriusque medio capite velato adsistente. Imaginem hujus numi in Khellii Subplementis ad Vaillantium pag. 291 reperies.

* * *

GLORIA. ORVIS. TERRAR. AV. (Band.)

Eandem epigraphen, et typum fere similem vide in numis Theodosii II.

* * *

VICTORIA. AVGGG. *vel* AVGVSTORVM, *variis typis.* AV. (Mus. Caes. Band.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux in corona.* Quin. AV. (Band.)

Sine epigraphe. *Monogramma in corona.* Quin. AR. (Pellerin Mel. I. p. 218.) AE. IV. (Mus. Caes. Tanini.)

PRETIVM.

Aurei	R.
Aurei max. mod.	RRRR.
Argentei	O.
Aenei IV.	RRR.

PVLCHERIA.

Nata parentibus Arcadio et Eudoxia anno 399 fratris Theodosii animum ad virtutem solerter instituit, meliorum eo imperante consiliorum, ut fertur, ipsa auctor. Fratre anno 450 mortuo Marcianum virum strenuum simul Augustum, simul maritum, sed salva virginitate, creat. Vide Marcianum, ejusque numos. Moritur anno 453 in sanctarum numerum relata.

Numi:

AEL. PVLCHERIA. AVG.

Caput diadematum cum margaritis, In nonnullis ab imminente superne manu coronatur.

Partes aversae:

IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. etc. AV. (Mus. cels. princ. Waldeck.)

a) Sat. II. v. 119.

Aversam suam cum sorore communicavit Theodosius II.

* * *

SALVS. REIPVBLICAE. *Victoria sedens clypeo inscribit monogramma* XP. AV. (Band.) AE. IV. (Tanini.)

* * *

VICTORIA. AVGGG. *Victoria stans d. crucem oblongam.* AV. (Mus. Caes.)

Aversa capta est ex numis mariti.

* * *

VOT. XX. MVLT. XXX. *Victoria stans d. crucem oblongam, s. stolam colligit.* AV. (Tanini.)

Aversam dedit frater Theodosius II.

* * *

Sine epigraphe. *Crux in corona.* Quin. AV. et AR. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei et argentei . . . . RRR.

M. MAECIL. AVITVS.

M. Maecilius Avitus Arvernus variis belli pacisque muneribus cum laude perfunctus audita Petronii caede exercitu et senatu adprobantibus Arelate purpuram induit anno 455. In debellandis barbaris propitia plerumque fortuna est usus. Aversos Ricimeris Gothi, et Majoriani animos cum videret, imperium sponte abdicat anno 456, et Placentinam ecclesiam regendam suscipit.

Numi:

D. N. AVITVS. P. F. AVG. vel PERP. AVG. vel: PERP. F. AVG. — M. MAECIL. AVITHVS. (sic) P. F. AVG. (Band.)

Caput diadematum cum margaritis.

Partes aversae.

VICTORIA. AVGGG. *Imperator paludatus stans d. crucem oblongam, s. Victoriolam globo insistentem, s. pede barbarum calcat.* AV. (Band.) AR. (Mus. Caes.) AE. III. (Band.)

Magnopere laborat Bandurius, ut Aviti aetate tres Augustos colligat sigla AVGGG indicatos, ne quidem femina Augusta ad conficiendum hunc numerum tum satis idonea. Mihi verisimilius videtur, ea aetate τὸ AVGGG magis ex consuetudine, quam certa causa fuisse additum, et soleo ridere eorum anxios conatus, qui in ejus aevi moneta certo omnia consilio scripta et efficta fuisse sibi persuasere.

* * *

VRBIS. ROMA. *(sic) Roma sedens.* AR. (Band.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux in laurea.* AV. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei et argentei . . . . RRR.
Aenei III. . . . . RRR.

LEO I.

Thrax, Asparis Alani magistri militum artibus Orientis imperio Marciani morte vacuo praeficitur anno 457. Gensericum Vandalum omnia maria infestantem missa in Africam validissima classe bello petit, sed quam Genserici artes, corrupto, ut fertur, duce Basilisco Verinae Augustae fratre incendio paene attrivere. Magnus etiam a scriptoribus appellatus. Moritur anno 474.

Vxor *Verina*, de qua infra. Inde nata *Ariadna* Zenonis Aug. uxor, unde natus Leo II. junior Augustus. Alteris deinde nuptiis haec Ariadna Anastasii Aug. uxor exstitit.

Numi:

D. N. LEO. PERPET. AVG.

Caput diadematum cum margaritis.

Protome adversa d. hastam, s. clypeum, vel d. volumen, s. sceptrum crucigerum.

Partes aversae:

IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. *Mulier galeata sedens*, ut in numis Theodosii II., ad quem hanc aversam pertinere, palam est. AV. (Mus. olim de France.)

VICTORIA. AVGG. AVGGG. AVGVSTORVM. *variis typis.* AV. AE. IV. (Mus. Caes.)

* * *

VIRTVS. AVGVSTI. *Imperator paludatus stans d. crucem, s. labarum.* AV. (Mus. Caes.)

* * *

D. N. LEO. P. F. AVG. *Caput diadematum.*

Leo animal jacens, infra CON. AE. IV. (Pellerin Mel. I. p. 218. Tanini.)

Horum numorum typi ad nomen imperatoris adludunt.

* * *

Sine epigraphe. *Crux in laurea.* AV. (Banduri.)

PRETIVM.

Aurei . . . . C.
Argentei . . . . O.
Aenei IV. . . . . RR.

AEL. VERINA.

Leonis I uxor. Mortuo marito multarum ipsa turbarum causa. Moritur anno 484. De prolibus egimus in Leone.

Numi:

AEL. VERINA. AVG. *Ejus caput, quod ab imminente supra manu coronatur.*

VICTORIA. AVGGG. *addita nota arithmetica Graeca. Victoria stans d. crucem oblongam.* AV. (Mus. Caes. Tanini.)

* * *

Eadem epigraphe. Hujus caput. Sine epigraphe. *Crux in laurea.* AV. (Band.)

PRETIVM.

Aurei tantum . . . . RRR.

IVL. MAIORIANVS.

Avito Ricimeris ope imperio dejecto ipse purpuram anno 457 Ravennae sumit. Bello a Theodorico Visigotho, et Burgundionibus petitus fortiter tamen resistit, non aeque felix in expeditione adversus Gensericum suscepta. Denique Ricimeris insidiis e medio tollitur anno 461. Vir belli pacisque artibus, tum et justitiae laude summus, sed cui, ut dignum quid praestare posset, alius populus optandus fuit.

Numi:

D. N. IVL. vel IVLIVS. MAIORIANVS. P. F. AVG.

D. N. MAIORIANVS. P. F. AVG. Caput diadematum cum margaritis. Protome galeata d. hastam, s. clypeum, in quo XP.

Partes aversae:

VICTORIA. AVGGG. *variis typis.* AV. AR. (Mus. Caes. Band.) AE. IV. (Band. Tanini.)

* * *

VIRT. EXERC. ROM. *Imperator paludatus d. captivum trahit, s. tropaeum super humero.* AV. (Tanini.)

* * *

VOTIS. MVLTIS. *Impp. duo sedentes d. volumen, s. crucem.* AV. (Band.) In aliis: *Miles stans d. hastam, s. clypeum.* AR. (Band.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux in laurea.* AV. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	RR.
Aenei IV.	RR.

LIBIVS SEVERVS III.

Natione Lucanus Ricimeris opera imperator constituitur anno 461. Sub hoc nihil amplius Galliae Romanis reliquere barbari. Vivere desiit anno 465. In lāmina aerea legitur [a]).

SALVIS DD NN
LEONE ET LIBIO
SEVERO PP AVGG
CELIVS ACONIV
PROBIANVS PRAE
PRAET FECIT

D. N. LIB. vel LIBIVS. SEVERVS. P. F. AVG.

Caput diadematum cum margaritis.

Partes aversae:

SALVS. REIPVBLICAE *scriptum extra coronam*, *intus* XP. AV. (Band.)

* * *

VICTORIA. AVGGG. vel AVGVSTORVM *typis solitis.* AV. AR. (Mus. Caes. Band.)

* * *

VRBS. ROMA. *Roma sedens.* AR. (Tanini.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux*, *vel* XP. *in laurea.* AV. AR. (Mus. Caes. Band. Tanini.) AE. IV. (Tanini.)

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	RRR.
Aenei	RRRR.

PROCOP. ANTHEMIVS.

Nobili prosapia, et propriis per Orientem meritis illustris Euphemiam Marciani Aug. filiam uxorem duxit. Cum post Lib. Severi mortem senatus R., et Ricimer rei summam administrarent, atque interim Italiam lacerarent Vandali,

a) Mus. Veron. pag. 254.

Romani imperatorem sibi a Leone I. petiere, a quo missus Anthemius imperium adivit anno 467. Ortis inter ipsum ac Ricimerem simultatibus Romae occiditur anno 472.

Vxor *Euphemia*, de qua infra.

Numi:

D. N. ANTHEMIVS. P. F. AVG. vel PP. AVG. vel PERPET. AVG.

D. N. PROC. ANTHEMIVS. P. F. AVG. (Band. Tanini.)

Addit Bandurius epigraphen aliam ex Mediobarbo: D. N. ANTHEMIVS. VC., id est: *Vir Clarissimus*, ex quo suspicatur, numum cusum fuisse, quando destinatus quidem in Oriente fuit imperator, at nondum Romae acclamatus. Taninius in similium uno legit PERPET. VIC., in alio PERPET. N. C. quae explicat, PERPET*uus* VIC*tor*, et PERPET*uus* N*obilis Caesar*. At vero omnes has explicationes irritas existimo. Omnes hi numi sunt quinarii aurei, et typo crucis intra lauream, et est horum similis in museo Caesareo, in quo distincte legitur: PERPET. VVC., quod potius pro contracto, sed monetarii ruditate luxato AVG. habendum videtur. Sed confer etiam numos Zenonis infra pag. 200.

Caput diadematum cum margaritis.

Protome adversa galeata cum hasta et clypeo, in quo eques.

Partes aversae:

SALVS. REIPVBLICAE. *Duae figurae militares stantes globum crucigerum una tenent, in imo* COMOB, *sed pro hoc in tribus musei Caesarei* CORNOB. AV. AR. AE. (Mus. Caes. Band.) In aliis: *praeterea pendens in aere laurea, intra quam* PAX. Est AV. In aliis: *Duae figurae paludatae tenentes clypeum, in quo* PAX. Est AV. (Band.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux vel* XP. *in laurea.* AV. AR. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei . . . . R.
Argentei . . . . RRR.
Aenei, dubium, an vere existant. Vide Bandurium.

AEL. MARC. EVPHEMIA.

Marciani Aug. et matris anonymae filia Anthemio Aug. denupta. Ejus reliqua vita incognita.

Numi:

D. N. AEL. MARC. EVFEMIAE.

PP. AVG. *Caput diadematum cum margaritis.*

VICTORIA. AVGGG. *Victoria stans d. oblongam crucem, in imo* CORMOB. AV. (Ducange, Band.)

Bandurius hos numos sub Euphemia, Iustini I. uxore recenset, dubitat tamen,

an non potius in illos jus sit Euphemiae Anthemii. Audentior Taninius neglecta Ducangii et Bandurii auctoritate eos Euphemiae nostrae vindicat. Iure istud. Nam *Aeliae* nomen passim hac aetate hujus aevi feminis tributum fuit, et *Marciana* jure dicta fuit haec Euphemia, quia Marciani filia, nulla vero apparet causa, cur eodem nomine uteretur Euphemia Iustini. Denique sententiam confirmat scriptum CORMOB pro CONOB., quod tantum in Anthemii numis hactenus observavi.

PRETIVM.

Aurei tantum cogniti, iique . . . . . RRR.

ANICIVS OLYBRIVS.

Vir illustris prosapiae, et maritus Placidiae, Valentiniani III. et Lic. Eudoxiae filiae. Mortuo Anthemio imperator acclamatur anno 472, sed post tres menses morbo interit.

Numi:

D. N. ANIC. vel ANICIVS. OLYBRIVS. P. F. AVG.

Caput diadematum cum margaritis, vel: Protome adversa.

Partes aversae.

SALVS. MVNDI. *Crux in numi medio.* AV. (Band.)

VIRTVS. ROMANORVM. *Roma sedens.* AV. (Tanini.)

Sine epigraphe. *Crux in corona.* AV. (Band)

PRETIVM.

Aurei tantum, iique . . . . RRR.

GLYCERIVS.

Imperium arripit anno 473, anno sequente deturbatur, episcopatu Salonae deinceps contentus.

Numi:

D. N. GLYCERIVS. P. F. AVG.

Caput diadematum cum margaritis.

Partes aversae:

VICTORIA. AVG. *vel* AVGG. *vel* AVGGG. *typis variis.* AV. AR. (Band. Tanini.)

Sine epigraphe. *Crux in laurea.* Quin. AV. (Mus. Caes. Band.)

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	RRRR.
Aenei	O.

LEO II.

Zenonis subinde Augusti et Ariadnae filius avum maternum habuit Leonem I., qui nepotem imperatorem designavit anno 473, et anno sequente e vivis ereptus Augustum reliquit. Patrem Zenonem conlegam adscivit, ipse eodem anno 474 post X. mensium imperium mortuus est annos natus XVII.

Numi:

D. N. LEO. ET. ZENO. PP. AVG. Caput diadematum cum margaritis. Protome adversa galeata d. hastam, s. clypeum, in quo eques.

Partes aversae:

SALVS. REIPVBLICAE. *Impp. duo nimbati sedentes, minor is, qui a dexteris.* AV. (Band.)

Honoratiorem locum obtinet filius, nimirum qui patrem sibi conlegam adscivit, sed in sequentibus Zenonis numis videbimus, patrem quoque filio praelatum.

* * *

VICTORIA. AVGGG. vel AVGVSTORVM. *Typis variis.* AV. (Band.)

* * *

Non exstant numi hujus Leonis sine addita Zenonis patris mentione, aut si exstant, non dignoscuntur a numis Leonis avi.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei et aenei	O.

ZENO.

Natione Isaurus, ducta Ariadna Leonis I. et Verinae filia domui Augustae adfinis. Mortuo anno 474. Leone I. hujus ex Ariadna filia nepos Leo II. imperium auspicatus patrem Zenonem sibi sociavit, sed paullo post exstinctus patrem sine conlega imperatorem reliquit. Gravem aemulum expertus est

Basiliscum, qui Augusti nomen invasit, quem aegre victum captumque ad mortem adegit. Variis deinde aliis bellis civilibus turbatum habuit imperium. Fertur haereticis fuisse addictus, tum et crudelis, et in victu intemperans, et denique ex crapula sui impos vivus sepulchro inlatus anno 491.

Vxor *Ariadna* Leonis I. filia, ut dictum. Mortuo marito nupsit successori Anastasio.

Numi:

D. N. ZENO. PERP. AVG., vel PERP. F. AVG.

D. N. ZENO. PERP. NC. Vide, quae de hac epigraphe mox notabimus.

IMP. ZENO. FEL. PERP. in AE. II.

IMP. ZENO. SEMPER. AVG. in AE. I. et II.

D. N. ZENO. SEMPER. AVG.

D. N. ZENO. ET. LEO. NOV. CAE. vel CAES. Singularis haec epigraphe est in insigni aureo cum aversa VICTORIA. AVG., quem Bandurius narrat repertum fuisse Tornaci in tumulo Childerici regis [a]), et in alio AE. I. formae cum aversa INVICTA. ROMA apud Taninium. Fuere, qui NOV. CAES. legerent NOV*us* CAES*ar*, at verisimilius est, scriptum NOV. pro NOB., et legendum: *Nobilissimus Caesar*, quemadmodum in hujus aevi numis legitur ORVIS. TERRAR. pro ORBIS. At mirarer vehementer, quid sit, cur Zeno et Leo dicantur Nobilissimi Caesares, qui Augusti certe fuere, tum et Zenonem praeponi in his numis Leoni, qui posterior haud dubie primus Augustus fuit, ut in hujus numis diximus, mirarer inquam, nisi constaret, de titulorum hac aetate confusione. Vidimus paullo supra, in hujus Zenonis numis legi epigraphen D. N. ZENO. PERP. N. C. Ait Bandurius [b]), eam male lectam, et, quod Nvidebatur, esse contractum AV. Verum in aureo integerrimo musei Caesarei est manifestum NC. Ad haec si Zeno et Leo simul sumpti potuere dici Nobilissimi Caesares, nescio, cur non et Zeno solus.

Caput diadematum cum margaritis.

Protome adversa galeata d. hastam, s. clypeum, in quo eques.

Partes aversae:

D. N. ZENO. ET. LEO. NOV. CAES. *Caput Zenonis barbatum diadematum cum margaritis*, *in imo* IIII.

INVICTA. ROMA. *Victoria gradiens d. coronam*, *s. tropaeum super humero*, *in area* S. C. *in imo* XL. AE. I. (Tanini.) AE. II. sed cum alia anticae epigraphe. (Band. Mus. Caes.)

De inscriptione partis adversae egi paullo supra. Mirum, post tot annos iterum in aeneos revocari notam S. C.

* * *

VICTORIA. AVGG. vel AVGGG. vel AVGVSTORVM. *variis typis*, *inter quos memorandus: Victoria spoliis insidens clypeo inscribit* XXXX. AV. (Band.)

Vota XXXX. in numo Zenonis, qui annos tantum XVII. imperando exegit, magnas Bandurio molestias dedere. Cre-

---

a) Pag. 600. in nota. b) Pag. 602.

dam, in hac perversitate omnem critices moram esse certam temporis jacturam. Similis est in moneta Basilisci, et Anastasii.

* * *

Sine epigraphe. *Crux in laurea.* Quin. AV. AR. (Band.) In aliis: *Victoria gradiens.* Quin. (Mus. Caes.) In aliis: *Miles stans d. hastam, s. cornucopiae, pede d. prorae navis insistit, in area* RV. Quin. (Mus. Caes.) In aliis: *Aquila expansis alis.* Quin. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	RR.
Aenei I. et II.	RR.

LEONTIVS I.

Pa . icius, instigante Illo Orientis praeside adversus Zenonem Tarsi Ciliciae Augustus appellatur circa annum 482, subinde victus captusque Constantinopoli obtruncatus anno 488.

Numi:

D. N. LEONTIVS. PERP. AVG. *Protome adversa galeata d. hastam super humero, s. clypeum, in quo monogr.* XP.

VICTORIA. AVG. CONO. *Victoria stans d. crucem oblongam, in imo* CONOB. Est AV., ut videtur. (Ducange.)

D. N. LEONTIO. PERPS. AVG. *Protome adversa galeata d. hastam super humero, s. clypeum, in quo eques.*

VICTORIA. AVGG. *Victoria stans d. crucem oblongam, in imo* ANT. AV. (Ducange.)

D. N. LEONTIVS. P. F. AVG. *Idem typus.*

VICTORIA. AVGq. *Victoria adversa stans d. crucem in monogramma Christi exiens, s. globum crucigerum, in imo* CONOB. AV. (Mus. Caes.)

D. N. LEONTIVS. PERPET. AVG. *Protome adversa galeata d. hastam super humero, s. clypeum.*

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Roma sedens d. hastam, s. porrecta globum crucigerum.* Est AV., ut videtur. (Ducange.)

Omnes hos numos Ducangius Leontio illi largitus est, qui Iustinianum II. Rhinotmetum imperio dejecit. Verum adcuratus Bandurius monendum lectorem duxit, idem in iis artificium, eosdem typos, easdem inscriptiones, quae in Leonis et Zenonis numis occurrunt, adverti, nec illius temporis numis magis similes eos esse, quam diversos a ceteris hujus aetatis. Quamobrem si revera Leontii numi dicendi sint, nec ullum in iis falsarii artificium deprehendatur, ei Leontio adscribendos videri, qui sub Zenone in Oriente rebellavit, et IV. ferme annos aequo Marte bel-

lum cum eo gessit. Haec praeclare Bandurius a). Idem cum viro erudito ferre judicium me jubet numus Leontii, qui est in museo Caesareo, in quo video omnia cum Bandurii sententia plane conspirare. Addo, non leve adferre pondus numum ex descriptis alterum, in cujus segmento legitur ANT. Vocabulum istud si, ut dubium non videtur, significat, eum Antiochiae fuisse percussum, Leontio alteri plane adversatur, cujus aetate principibus Orientis in Syriam pridem a Saracenis occupatam jus amplius non fuit.

PRETIVM.

Aurei . . . . RRR.
Ex alio metallo non observati.

IVL. NEPOS.

Deturbato Glycerio imperium adit anno 474, quo vertente ipse quoque dejectus ab Oreste magistro militum, et in Dalmatia occisus est.

Numi:

D. N. IVL. vel IVLIVS. AVG. vel: P. F. AVG., vel: PERP. P. F. AVG.

Caput diadematum cum margaritis.

Protome adversa galeata d. hastam, s. clypeum, in quo eques.

Partes aversae.

SALVS. REIP. *extra lauream, intra quam monogramma* XP. AV. (Tanini.) In alio: *Victoria gradiens d. tropaeum, s. captivum trahit.* AE. III. (Tanini.)

* * *

VICTORIA. AVGGG. *Victoria stans d. crucem oblongam.* AV. (Mus. Caes.)

* * *

VOT. V. MVLT. XX. *intra lauream.* AR. (Band.) Forte melius: VOT. V. MVLT. X., ut est apud Taninium. AR.

* * *

VRBS. ROMA. *Roma sedens.* AV. (Band.) AR. (Tanini.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux, vel* XP. *intra lauream.* AV. (Mus. Caes. Band.) In aliis: *Miles stans d. hastam, s. cornucopiae, pede d. prorae navis insistit, in area* RV. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei . . . . RR.
Argentei . . . . RRR.
Aenei . . . . RRRR.

a) Pag. 697.

ROMVLVS.

Eum pater Orestes magister militum Augustum constituit anno 475. Verum Odoacer*) Herulus Italiam ingressus capta Roma Italiae se regem anno 476 appellavit Romulo in Campaniam relegato, atque in hoc occidentale Romanorum imperium desinit.

Numi:

D. N. ROMVLVS. AVGVSTVS. P. F. AVG.

Postremum hunc imperatorem per ludibrium pro *Augusto* appellatum fuisse *Augustulum*, testantur ipsi scriptores veteres, quos inter video Procopium [a]), et Evagrium Scholasticum [b]). Neque defuere antiquarii, qui hanc *Augustuli* appellationem in numis aut viderunt, aut videre sibi visi sunt, aut more Goltziano adfinxerunt. Nihilo mitius actum cum vero ejus nomine ROMVLVS, pro quo in numis nonnullis legerunt *Momulus*, vel *Momylus*. Nihil horum monstrorum in moneta vetere aut Bandurius, aut nobiles alii, adcuratique antiquarii deprehendere, statque illaesa vetus regula saepe a nobis repetita, vix exstare exemplum nominis, aut tituli infamis monetae publicae inserti. Quare vehementer miror cl. Taninium, qui hoc *Augustuli* commentum recoxit, sed nimirum ex numis Arschotanis, quos jam olim Bandurio, et nunc palam fastiditos nimium saepe per opus suum restituit. Sed idem ex numo musei sui nomen quoque MOMYLVS nobis offert. Istud si vere, ac citra dubium, et nulla lapsus monetarii suspicione sic scriptum legitur, justum hercle fuerat, lectorem certae hujus scripturae commonefacere, cum noverit, esse eruditos, qui obtrusis his nominibus fidem non habent.

Caput diadematum cum margaritis.

Protome adversa galeata d. hastam, s. clypeum, in quo eques.

Partes aversae.

SALVS. REIPVBLICAE. *Victoria gradiens d. tropaeum super humero, s. captivum trahens.* AE. IV. (Tanini.)

* * *

VICTORIA. AVGGG. *Victoria stans d. crucem oblongam.* AV. (Mus. Caes.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux intra lauream.* AV. In alio: *Miles stans d. hastam, s. cornucopiae, in area* RV. AV. (Band.)

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	O.
Aenei IV.	RRRR.

---

a) de Bello Goth. L. I. c. 1. b) Hist. eccles. L. II. c. 16.

*) *Hujus Odoacris numum argenteum (Quin.) ex Museo Caesareo publici juris factum et aeri incisum vide in dissertatione gallice edita quam supra p.* 82. *indicavimus.* Not. ed.

BASILISCVS, MARCVS.

Fiducia Verinae Leonis I. uxoris, cujus frater fuit, exercitibus praepositus rem adversus Gensericum praeclare gessit, Carthaginem recepit, sed muneribus illectus hostes mari evadere passus est, cujus causa proditionis Perinthum relegatus ibi usque ad annum 471 delituit. Instigante postea Verina sorore Zenonem in Isauriam ejicit, et Constantinopoli Augusti nomen sibi adsciscit anno 476, verum anno sequente a Zenone bellum reparante ad obsequium revocatus, et cum familia fame enectus est.

Vxorem habuit *Zenonidem*, ex qua natus *Marcus*, quem pater Augustum dixit, et sibi in numis sociavit, sed una cum patre Zeno interemit.

Numi:

D. N. BASILISCVS. P. F. AVG. — PERP. AVG. — P. AVG. — PP. AVG.

D. N. BASILISCVS, (vel BASILISCI) ET. MARC. P. AVG. nimirum Marcus filius cum patre sociatus, ut diximus.

Caput diadematum cum m[illegible] ga[illegible]. Protome adversa galeata d. hasta[illegible] s. clypeum, in quo eques.

Partes aversae.

SALVS. REIPVBLICAE. Γ. *Basiliscus et Marcus filius nimbati sedentes in throno, d. volumen, s. globum, infra* CONOB. AV. (Mus. Caes.)

Antica rarissimi hujus numi habet epigraphen utriusque hujus Augusti supra recitatam.

* * *

VICTORIA. AVGG. *Victoria sedens clypeo inscribit* XXXX. AV. (Band.)

Vide, quae supra ad numum similem Zenonis monui.

VICTORIA. AVGGG. vel AVGVSTORVM. *variis typis.* AV.

* * *

Sine epigraphe. *Miles stans d. hastam, s. cornucopiae, d. pede prorae navis insistit, in area* RV. AR. (Band.) In aliis: *Crux, vel* XP. *intra lauream.* AV. AR. (Band.)

PRETIVM.

Aurei	RR
Argentei	RRR.
Aenei	O.

AEL. ZENONIS.

Basilisci uxor, idem denique cum marito fatum nacta.

Numi:

AEL. ZENONIS. AVG. *Hujus caput.*

VICTORIA. AVGGG. *Victoria stans d. crucem oblongam.* AV. (Tanini.)

Numi hujus Augustae jam meminit Beauvais, sed eum more suo non descripsit.

PRETIVM.

Aurei, iique . . . . RRRR.

MARCVS.

Vide numos patris Zenonis.

ANASTASIVS.

Domo Dyrrhachenus juvante Ariadna Zenonis vidua, quam paullo post hujus mortem uxorem duxit, Augustus appellatus est anno 491. Teste epigrammate Christodori credebatur genus ducere a Pompejo M. a) Cum Bulgaris, qui hoc imperante primum Thraciam incursaverunt, deinde Persis bella varia fortuna gessit. Reliquae illi turbae a pertinace religionis studio accessere, quando Eutychianis placitis imbutus, quod ipse credidit, stupido consilio ab aliis etiam toto imperio omnibus credi voluit, saepe adeo praevalentibus orthodoxorum viribus ad extrema deductus. Princeps fuit aequitatis studiosus, qui remp. foedis tributis adflictam sublevavit. Senio gravis fulmine, ut fertur, tactus obit anno 518.

Numi:

D. N. ANASTASIVS. AVG. — P. F. AVG. — PERP. P. F. AVG. — P. P. AVG. — PERP. AVG. — P. AVG. — P. A.

Caput diadematum cum margaritis.

Protome adversa galeata d. hastam, s. clypeum, in quo eques.

Partes aversae.

CONCORD. *praefixa nota arithmetica* Γ, Δ, I *etc.* I *magnum in medio numi.* AE. II. III. IV. (Band. Tanini.)

* * *

INVICTA. ROMA. *Victoria gradiens, in area* S. C. Quin. (Mus. Caes.)

* * *

VICTORIA. AVGG. *vel* AVGGG. *addita saepe nota arithmetica Graeca, variis typis.* Inter hos notandus sequens: *Victoria sedens inscribit clypeo* XXXX. Sunt AV. obvii. Posterior rarissimus. (Tanini.)

a) Brunck Analecta. T. II. pag. 471.

Vide de miris his votis quae dixi supra ad numum similem Zenonis.

VICTORIA. AVGVSTORVM. *typis variis*, quos inter: *Victoria thoraci insidens clypeum una cum genio alato tenet, cui inscriptum:* VOT. PC. AV. (Tanini.)

Clypei epigraphen explico: VOT*a* P*opuli* C*onstantinopolitani*.

* * *

Sine epigraphe. *Monogramma* XP. *in corona.* AV. AR. (Band. Tanini.)

* * *

De literis Є, I, K, M, quae majore forma inde ab hoc Augusto, et deinceps per plures imperatores aream mediam numorum aeneorum omnis magnitudinis occupant, agetur opportunius in tractatu de numis inferioris aevi.

* * *

Numos regum Gothorum Theodorici, Baduilae, Theiae, in quorum aversa est epigraphe, et caput Anastasii, infra perpetua serie recensebimus post numos Iustiniani.

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	R.
Aenei omnis formae, etiam m. m.	C.

IVSTINVS I.

Natus in Thracia, ab Anastasio praefectus praetorio, hoc vita functo praeter spem, jam in senium vergens, literarumque rudis summae rei admovetur anno 518. Imperio per annos IX. cum laude administrato moritur anno 527.

Vxor *Euphemia*, et prolium, et haud dubie numorum quoque sterilis. Nam quos illi adjudicarunt antiquarii, esse verisimilius Euphemiae Anthemii, in hac dictum.

Numi:

D. N. IVSTINVS. AVG. vel: P. F. AVG., plerumque PP. AVG.

Protome adversa galeata, d. hastam, s. clypeum, in quo eques, in denariis aureis, rarius in aeneis III. formae.

Caput diadematum cum margaritis, in aureis minoris formae, et in omnibus aeneis cujuscunque formae.

D. N. IVSTIN. ET. IVSTINI. (vel IVSTINIAN.) PP. AVG. *Impp. duo nimbati sedentes.* AV. (Band. Tanini.)

D. N. IVSTINVS. IVSTINI. AVG. *Caput diadematum*, in AE. I. (Mus. Caes.)

Posteriores hi modi eloquuntur, sociantque Iustinum, ejusque successorem Iustinianum, quem Iustinus mensibus IV. ante suam mortem sibi sociavit.

* * *

Fatentur candide Ducangius et Bandurius, distinguere numos Iustini I. et II. laborem sibi videri, quem suas excedere vires semper sunt experti. Lege hoc super argumento justam fere dis-

seitationem Bandurii [a]). Istuc posse eniti cum negarent viri, quibus hujus aetatis moneta praecipuum fuit negotium, veniam merebor, si et mihi permissum putem desperare, atque in disponendis utriusque Augusti numis sequi legem quantumcunque vagam incertamque, quam sibi praefixit Bandurius.

Partes aversae:

ANNO. PRIMO., *in medio numi monogramma* XP., vel *Crux in corona*. AE. I. (Band.) AE. III. (Tanini.)

Iam nunc anni imperii monetae aeneae inscribi incipiunt, praecipue illi, in cujus medio sunt majoris formae literae I, K, M.

* * *

CONCORP. *(sic) praefixo* Є. I *crucigerum inter duo astra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Similes aversae frequentius occurrunt sub Anastasio.

* * *

FLVRENS *(sic)* SEMPER. *Mulier stans d. hastam, s. clypeum humi attinet.* AE. II. (Band.)

Mendose scriptum FLVRENS pro FLOREAS. Eadem aversa est etiam in numis Baduilae, quos vide.

* * *

GLORIA. ROMANORVM. *Imperator paludatus stans d. elata, s. globum.* AR. (Mus. d'Ennery.)

* * *

VICTORIA. AVGGG. *addita nota arithmetica Graeca. Victoria stans d. crucem oblongam.* AV. AR. (Band.)

VICTORIA. AVGVSTORVM. *Victoria stans*, vel *sedens*, vel *gradiens*. AV. AR. (Band.)

* * *

VOT. XIII. *intra lauream.* AE. IV. (Mus. Caes.)

Novus vota computandi modus, nisi forte tum placuit vota secundum imperii annos numerare, ac tum numus praesens esset Iustini II.

* * *

Sine epigraphe. *Monogramma* XP. In aliis: CN. *intra lauream.* Quin. (Band. Mus. Caes.)

* * *

I. K. M. V. *majore forma in medio numi, eodem modo, ut in numis Anastasii. Additur saepe* ANNO *cum suo numero.* In AE. omnis formae.

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	R.
Aenei omnis formae	C.

VITALIANVS.

Asparis Alani, ducis, magni sub Leone I. nominis nepos. Anastasio, quod

a) Pag. 624.

Eutychetis dogmata propugnaverat, omnibus palam exoso, cum valido exercitu Thraciam intrat, et a Constantinopolitanis imperator agnoscitur. Redactus in arctum Anastasius his legibus cum Vitaliano convenit, ut in orthodoxos saevire desineret, et exules episcopos revocaret. Ad sua regressus Vitalianus mortuo Anastasio a Iustino revocatur, et consulatu ornatur, verum Iustiniani, cujus obstruere spebus videbatur, technis interficitur.

Numi:

D. N. VITALIANVS. PP. AVG. *Caput diadematum* ✠ VICTORIA. AVGOSTOR. *Victoria stans d. coronam, s. globum crucigerum, in imo* CONONV. *(sic)* AV. (Mus. d'Enneiy.)

Eadem adversa, sed corrupta barbare epigraphe. ✠ VICTORIA. AVSTO. *(sic) Victoria gradiens.* AV. (Tanini.)

PRETIVM.

Aurei tantum, iique . . . . RRR.

HILDERICVS.

Vandalorum in Africa rex. Ejus numos dedimus in moneta Carthaginis, cujus nomen praeferunt.

IVSTINIANVS I.

Iustini ex sorore nepos Augustus dicitur anno 527, et mortuo post IV. menses avunculo solus imperat. Plura bella Belisarii et Narsetis opera, praestantissimorum ejus aetatis ducum, feliciter gessit. Ille victo Gilimere Vandalorum in Africa regnum exstinxit, eamque imperio iterum vindicavit. Narsetis virtuti debetur eversum in Italia Gothorum regnum, jam antea victo captoque Vitige Belisarii ductu ad extrema redactum. Non pari semper fortuna bella cum Persis gesta sunt. Moritur in extrema senecta anno 565 a multis vitiis rumoris haud sane prosperi, e bellorum tamen gloria, etsi per duces gestorum, substructionum magnificentia, et vulgato juris codice, cui Iustinianei nomen inditum est, illustrem famam adeptus, illustriorem habiturus, si, quod queritur Procopius [a]), magis ad se imperii curas, quam episcoporum de religione dissidia pertinere putasset.

Vxor *Theodora* matrimonio sterili, e scena in aulam accita, mulier foedis, et truculentis moribus. Lege Procopii Historiam arcanam

D. N. IVSTINIANVS. P. F. AV(

a) Bell. Goth. L. III. c. 35.

vel PP. AVG. aut similiter, saepe etiam valde mendose monetariorum ruditate.

Caput diadematum cum margaritis.

Protome adversa galeata d. globum crucigerum, vel hastam, s. clypeum, in quo eques.

Imperator adversus sedens d. hastam, s. globum crucigerum.

Alium anticae typum vide infra in SALVS.

Partes aversae:

ANNO *scilicet imperii, addito numero, plerumque scriptum juxta* I. K. M. in AE. omnis formae.

* * *

CONCORDI. *praefixa litera Graeca arithmetica, in medio numi* I *magnum.* AE. II. III.

* * *

GLORIA. ROMANORVM. *Imperator paludatus stans d. hastam, s. globum crucigerum.* AR. (Band.)

Huic addendus alius ex praestantissimis unus:

D. N. IVSTINIANVS. PP. AVG. *Protome adversa galeata nimbata d. hastam praetendit, s. clypeum post humeros rejectum gestat.*

SALVS. ET. GLORIA. ROMANORVM. *Imperator eques capite galeato nimbato d. hastam praecurrente Victoria d. viam monstrante, s. tropaeum super humero tenente, in imo* CONOB. AV. max. mod.

Numi prioris aversa satis jam ex moneta praecedentium Augustorum cognita. At multo illustrior alter causa voluminis ac ponderis insoliti, nam diameter tres pollices Parisinos aliquantum excedit, et adpendit unicas V, drachmas fere III. Repertus est anno 1751 prope Caesaream Cappadociae inter rudera veteris substructionis egesta ad pedes XX. terra, et Ludovico XV. oblatus, eximium nunc publici, qui Lutetiae est, thesauri ornamentum. Reliqua ex dissertatione Bozii singulare istud cimelium illustrantis pete [a]). Ad ejus explicatum praetereundum non fuerat, quod de numis Iustiniani, inscriptis: GLORIA. ROMANORVM, perhibet Cedrenus [b]), nimirum tantam Iustinianum ex bellica Belisarii virtute cepisse voluptatem, ὥϛε ἐν μεν τῳ ἑνὶ μερει τȣ νομισματος ἑαυτον ἐγχαραξαι, ἐν δε τῳ ἑτερῳ Βελισαριον ἐνοπλον, και ἐπιγραψαι: ΒΕΛΙΣΑΡΙΟΣ Η ΔΟΞΑ ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ, *ut uni numi parti effigiem suam insculpendam curaret, alteri Belisarium armatum, scripto juxta:* BELISARIVS GLORIA ROMANORVM. Numus similis cum expresso Belisarii nomine hactenus compertus non est, si illum demas, quem ex museo Petri Gyllii recitat Ducangius [c]), sed quem confictum suspicor; at fieri poterat, ut Cedreno numismata alterutrius generis, qualia modo descripsimus, cum epigraphe: GLORIA. ROMANORVM in oculos incurrerent, atque ipse in eorum aversa sisti Belisarium putaret. Atque hanc *gloriam Romanorum* victis tot imperii

a) Mem. B. L. Tom. XXVI. pag. 523. b) in Iustiniano. c) Dissert. de num. inf. aevi §. LXII.

hostibus non dubitavit Iustinianus suam quoque facere tribuendo sibi agmen cognominum a devictis gentibus captorum, *Alemanici*, *Gotthici*, *Francici*, *Germanici*, *Antici*, *Alanici*, *Vandalici*, *Africani*, quae praescripta leguntur variis legibus a se latis, et quidem statim prooemio suarum Institutionum, et exstant eodem ordine inscripta Graece in marmore, quod edidit Muratorius a). Tametsi horum aliquibus nimium προληπτικως usus est. Nam intolerandum plane visum Theodiberto Francorum regi, quod ille se Francicum, Alemannicum, tum et Gipedicum et Langobardicum appellaret, perinde quasi omnes hos populos sibi subjecisset, cepitque adeo consilium praeceps sane atque inconsultum, per Thraciam ad ipsam Constantinopolin penetrandi, sed quod effectu caruit illo fortuita morte interempto. Vide haec apud Agathiam Scholasticum scriptorem coaevum b). Verius sibi post annos plures Francici cognomen jure emeruit Francis teste eodem Agathia c) a Narsete apud Capuam ingenti clade fusis fugatisque. Video, titulis his omnibus, dempto *Antici*, usum quoque fuisse Ti. Constantinum Iustiniani successorem post Iustinum II. in prooemio Novellae suae. Ex quo verisimile, haec nomina tum quoque sic fluxisse in heredes, ut olim nomina Germanici, Parthici etc.

* * *

VICTORIA. AVGVSTI. — AVGG. — AVGGG. — AVGVSTORVM, *variis typis*. AV. AR.

VICTORIA. PRINCIPVM. *Victoria gradiens*, *in area* SC. AR. (Band.)

* * *

VOT. MVLT. HTI. *intra lauream*. Quin. (Mus. Caes.)

* * *

Sine epigraphe. *Monogramma* XP. *in laurea*. AR. (Band.)

* * *

I. K. M. Є. V. majore forma in medio numi, de quorum sensu, si qua dici possunt, agemus alibi. Praetereo insuper copiosos alios Iustiniani numos, in quorum aversa aliud non est, quam CN — PK, aliaeve literae vel solitariae, vel cum aliis junctae, quarum sensum nemo hactenus est adsecutus. Enimvero tuto potest omitti, quod sine fructu foret commemorandum, et si quis tanti putat, adire potest amplos catalogos Bandurii et Taninii.

* * *

Singularis est numus aeneus III. formae a Bandurio citatus, in cujus aversa est: THC. CЄB. KAICAPЄIAC, de quo vide quae notavimus in numis Caesareae Paniadis, cui numum hunc tribuendum existimo.

PRETIVM.

Aurei	C.
Aurei m. m.	RRRR.
Argentei	R.
Aenei omnis formae, etiam max. mod.	C.

a) Pag. 467. 7. b) de imperio Iust. L. I. c) ibid. II.

REGES GOTHI.

Reges Ostrogothi fundato in Italia regno, ut continuo dicetur, numos quoque in monetam signavere, eosque partim autonomos, id est, nullum cum imperatoribus Orientis nexum professos, partim inserta horum effigie, quia horum tamen captare benevolentiam, multis in causis sibi profuturam, voluere.

THEODORICVS.

Rex Ostrogothorum, qui avitis circa pontum Euxinum sedibus pulsi Pannoniam obtinuere. Ipse navata Zenoni Aug. adversus Basiliscum eximia opera consulatus honorem abstulit. Italiam anno 489 ingressus Odoacrem Herulum acie saepius victum et Ravennae clausum ad deditionem et mortem adigit. Novi regni confirmandi causa cum vicinis Francorum, Visigothorum, Burgundionum regibus suarum matrimoniis adfinitatem contrahit. Multis rebus pace et bello summa virtute, consilio, ac moderatione gestis, etsi extremis annis in saevitiam flecteret, Boethio et Symmacho, viris praestantissimis et consularibus mori jussis, inchoato XXXIV. regni anno, secundum Procopium [a]) XXXVII. animam efflat anno 526.

Numi autonomi:

D. N. THEODORICVS. REX. *intra coronam.*

INVICTA. ROMA. *Protome galeata Romae.* AE. III. (Pembrock P. III. tab. 32.)

Narrat Procopius [b]), Theodoricum imperatoris Romani nomen respuisse, sola regis appellatione contentum.

* * *

D. N. THEODORICVS - - *scriptum in orbem.* V *in medio numo.*

Eadem aversa. AE. incertae formae.

Alterum hunc numum Mediobarbus ex Strada recitat. Verius in hoc numo videtur legendum ATHALARICVS, et erit ejus Athalarici, cujus numos paullo infra dabimus, quos inter unus est huic plane simillimus.

* * *

Numi cum capitibus Anastasii et Iustini I.

INVICTA. ROMA, *in medio numi* THEODORICVS *in monogrammate, superne crux.*

Epigraphe, et caput Anastasii, in aliis Iustini I. Quin. (Mus. Caes.)

THEODORICVS *in monogrammate intra lauream.*

Epigraphe, et caput Iustini I. Quin. (Mus. Caes.)

* * *

a) Bell. Goth. L. I. c. 1. b) l. c.

Meminit Gibbonus a) numi Veronae signati, qui sistit picturam palatii, quod sibi Theodoricus hac in urbe exstruxit, additque, in eo exhiberi imaginem antiquissimam et fidelissimam architecturae Gothicae. Ejus numi praeconem laudat Scipionem Maffeium b). At enim perperam numum vocat, qui aliud non est, quam sigillum, qualia ex aevo, quod medium vocamus, innumera supersunt, neque adeo tantae antiquitatis, quod facile peritus quisque inspecta ejus imagine intelliget.

PRETIVM.

Argentei . . . . C.
Aenei . . . . RRRR.

BADVILA incertus.

Baduilam regem memorant numi Anastasii, et Iustiniani, qui unus idemque esse non potest, quia Anastasius vivere desiit anno 518, et Baduila alter, cui et Totilae nomen, nonnisi anno 541 Gothorum regnum adivit, ut jam recte observavit Bandurius c). Accedit, inde a Theodorico, qui sub Anastasio regnavit, a scriptoribus et numis certos prodi ejus successores reges, Athalaricum, Theodahatum, Vitigem etc., denique Baduilam Totilam, quos inter Baduilae illi, saltem quod ex historia constet, locus esse nequit. Necesse ergo est, Baduilam, in quo sumus, fuisse regem quempiam barbarum, qui sub Anastasio vixit, sed cujus regnum ab historicis proditum non fuit. Vide et Bimardum d).

Numi cum capite Anastasii.

D. N. BADVILA. REX. *vel* RIX. *intra coronam.*
Epigraphe et caput Anastasii. Quin. (Mus. Caes.)

THEIA vel THELA incertus.

DOMNVS. THEIA. REX. *intra coronam.*
Epigraphe et caput Anastasii. Quin. (Band. pag. 612.)

Alius, sed: DOMNVS. THEIA. P. REX. Quin. (Bimard. ad Iobert. T. I. p. 463.)

D. N. THELA. REX. *intra coronam.*
Epigraphe et caput Anastasii. Quin. (Bimard. ad Iobert. T. I. p. 115.)

---

a) Hist. of the decline etc. ch. 39 pag. m. 27. b) Veron. ill. P. I. p. 231. c) Pag. 612. d) ad Iobert. T. I. p. 114.

Exhibent numi prioris loci Theiam regem, sed qui idem esse nequit cum Theia ultimo Gothorum in Italia rege, qui, ut infra dicetur, imperante Iustiniano periit, et forte imperante Anastasio, cujus imaginem partes anticae exhibent, necdum forte natus fuerit. Ergo Theia hic, vel Thela, sive idem uterque est, sive diversus, fuit barbarus quidam sub Anastasio rex, quem historia nominandum non putavit aeque ac Baduilam, de quo continuo egimus. Lege et Bimardum locis citatis.

ATHALARICVS.

Amalasuntha Theodorici filia natus avo succedit anno 526. Regno sub matris tutela probe administrato moritur anno 534.

Numi autonomi:

D. N. ATHALARICVS. REX. *intra coronam.*
INVICTA. ROMA. *Protome galeata Romae.* AE. III. (Mus. Caes.)

D. N. ATHALARICVS. REX. *scriptum in orbem, in medio numo* V *magnum.*
Eadem aversa. AE. IV. (Tanini.)

D. N. ATHALARICVS. *Rex paludatus stans d. hastam, s. clypeum humi attinet, in area* S. C.
Eadem aversa. AE. III. (Mus. Caes.)

Numi cum capite Iustini I. et Iustiniani.

D. N. ATHALARICVS. REX. *intra coronam.*
Epigraphe et caput Iustini I. Quin. (Mus. Caes.)

D. N. ATHALARICVS. REX. *vel* RIX. *intra coronam.*
Epigraphe et caput Iustiniani. Quin. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Argentei et aenei . . . . R.

THEODAHATVS.

Filius Amalafredae Theodorici sororis, suasu Amalasunthae consobrinae post Athalarici mortem anno 534 Gothorum regno praeficitur, paullo post eam ipsam, cui beneficium debuit, enecat. Tantum scelus graviter ferens Iustinianus arma in perfidum movet, eique Dalmatiam ac Siciliam extorquet, rex a Vitige in ejus locum suffecto interficitur anno 536.

Numi autonomi:

D. N. THEODAHATHVS. REX. *intra lauream.*

INVICTA. ROMA. *Protome galeata Romae.* AE. III. (Mus. Caes.)

D. N. THEODAHATVS. REX. *Protome regis corona arcuata redimita.*

VICTORIA. PRINCIPVM. *Victoria gradiens, in area* S. C. AE. II. (Mus. Caes.)

Numi cum capite Iustiniani.

D. N. THEODAHATHVS. REX. *intra coronam.*

Epigraphe et caput Iustiniani. Quin. (Mus. Caes.)

His adde quinarios complures, quos inter Bandurius aureum quoque ex Brandenburgico citat, in quorum antica est caput Iustiniani, in aversa monogramma, quod videtur in THEODAHATHVS resolvi posse, sententia tamen minus certa.

PRETIVM.

Argentei	R.
Aenei II. et III. formae	C.

VITIGES.

In Theodahati locum, ut diximus, electus anno 536, sed a Iustiniani ducibus bello petitus, denique captus Ravennae Constantinopolin abducitur anno 540.

Numi autonomi:

D. N. VVITIGES. REX *vel* RIX. *intra lauream.*

INVICTA. ROMA. *Protome Romae galeata.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Numi cum capite Iustiniani.

D. N. VVITIGES. REX. *intra coronam.*

Epigraphe et caput Iustiniani. Quin. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Argentei	RR.
Aenei	R.

BADVILA.

Qui Vitigem secuti sunt, Hildibadus, et Eraricus, paullo post aditum regnum a suis occisi sunt, numisque carent.

His anno 541 succedit Baduila Hildibadi consobrinus, qui idem esse creditur, quem scriptores Graeci *Totilam* ap-

pellant, de quo vide Bandurium [a]). Adversus Belisarium res suas utcunque tuetur, sed á Narsete victus in praelio occumbit anno 552.

* * *

Supra post numos Theodorici Baduilae numos dedimus, sed quem ab hoc Baduila Totila esse diversum diximus.

Numi autonomi:

D. N. BADVILA. (in aliis BADVELA) REX. *Protome regis adversa.*

D. N. BADVILA. REX. *intra coronam.* AR. (Tanini.) AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

FELIX. TICINVS. *Caput turritum.* AR. (Mus. de France, nunc Hunter.) AE. (Band.)

De his numis vide quae diximus in numis Ticini, nunc Papiae, quae est urbs Italiae superae.

* * *

FLOREAS. SEMPER, *quod variis modis, ac valde mendosis in numis scribitur. Miles stans d. hastam, s. clypeum humi tenet.* AE. III. (Mus. Caes. Band.)

Similem aversam vidimus in numis Iustini I. Quare suspicor, numos hos forte certius esse Baduilae alterius, quem, ut altius diximus, certum est sub Anastasio vixisse, et qui forte regnum in Iustini imperium porrexerit, unde videtur aversam mutuatus. Forte eidem debebuntur plures alii ex autonomis his numis, quia temporis notam non continent, utri potius tribuendi videantur, Baduilae illi, an praesenti.

* * *

VIRTVS. EXERCIT. *Miles stans d. hastam, s. clypeum.* AE. III. (Band.)

* * *

Sine epigraphe. *Leo gradiens.* AE. IV. (Tanini.)

Numi cum capite Iustiniani.

D. N. BADVILA. REX. *vel* RIX *intra lauream.*

Epigraphe et caput Iustiniani. Quin. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Argentei	RRR.
Aenei	O.

THEIAS.

Baduilae succedit, sed sequente anno 553 in acie victus caesusque Gothorum in Italia regnum secum tumulo infert.

* * *

Ait cl. Beauvais, exstare hujus regis numos argenteos cum aversa Iustiniani [b]), at horum ego nullum hactenus

a) Pag. 612. b) Tom. III. pag. 49.

in catalogis citatum reperi. Memoravimus supra numos inscriptos THEIA, vel THELA, sed qui Theiae praesentis esse non possunt, quia in aversa caput Anastasii offerunt.

Autonomi urbis Romae.

Regibus Gothis adpendicis instar subjicio numos sequentes, quos autonomos Romae jure dixeris.

INVICTA. ROMA. *Protome Romae galeata.* ℞ *Aquila stans, in area* X *infra* A, *vel* ·D· *vel* ·E· In aliis: *Duae aquilae alis expansis stantes sub arbore, in imo* XX. In aliis: *Lupa gemellos lactans, supra* XL, *infra* ·V·, *vel: supra duo astra, infra* XX. Sunt omnes AE. II. (Mus. Caes.)

Cum omnes hi numi ejusdem secundum omnes causas rationis sint, eandem etiam sibi aetatem postulant. Non longe erravero, si eos his temporibus tribuam. In hujus aevi numis nihil, ut vidimus, frequentius occurrit, quam INVICTA. ROMA, similisque protome. Ad eadem haud dubie tempora pertinent numi, hi quoque aenei II. formae: KARTHAGO typo militis stantis, in aversa caput equi, additis quoque variis numeris, quos descripsimus in numis Carthaginis. Quibus collatis jure licet conjicere, utriusque generis numos signatos imperante Iustiniano, ex quo is devictis Vandalis Africam, eversis Gothis Italiam Romano imperio restituit, iisque illatos typos utriusque urbis originem indicantes, nimirum Romae lactantes geminos, Carthaginis caput acris equi, tum aquilam imperii quoque R. vetus insigne, aquilas binas, quibus utraque Roma, vetus et nova, designatur. Ergo hoc adhuc aevo gemini a lupa nutriti veteris hujus Romae symbolum sunt habiti, et quidem quando jam priscae mythologiae miraculis ex novi etiam cultus praeceptis fides non amplius est habita. At poterat innoxie credi, etiam citra deorum opem infantibus maternam hanc curam a fera fuisse impensam, quando eadem hac Iustiniani aetate, qua numos hos cusos conjicio, in Piceno Italiae compertum fuit, infantem recens natum, solumque dilapsa metu matre domi relictum a capra praebito statis intervallis lacte fuisse sustentatum, cujus facti testis est Procopius αὐτοπτης [a]).

IVSTINVS II.

Iustiniani ex sorore Vigilantia nepos avunculo successit anno 565. Biennio post Narses multarum bellidux palmarum a Sophia Iustini uxore irritatus Longobardos arcessit, qui anno sequente Italiam occupant, novumque ibi regnum fundant, sola Roma imperatoribus relicta, et Ravenna, quae deinceps exarchatus Graeci nomine per annos 185 missis eo Constantinopoli praesidibus re-

a) Bell. Goth. L. II. c. 17.

gebatur. Bellum grave cum Persis gestum; utrique parti per vices fatale. Moritur Iustinus jam pridem ex morbis invalidus anno 578.

Numi:

D. N. IVSTINVS. P. F. AVG. vel PP. AVG. vel literis prave formatis.

Inscriptiones, in quibus Iustinus cum Sophia uxore jungitur, in hac vide.

Partes aversae:

ANNO *addito vario numero. In medio numi litera magna* K *vel* M *vel* I. AE. II. III.

Annus imperii postremus legitur XIII. apud Taninium, quem a Iustino inchoatum constat.

* * *

CONCORDIA. I. *magnum.* AE. III. (Band.)

* * *

FELIX. RESPVBL. *in corona.* Quin. (Band. Tanini.)

* * *

VICTORIA. AVGGG. *additis variis notis arithmeticis Graecis. Typi varii.* AV.

* * *

Є, I, K, M *forma majore, vel numeri* X, XX *intra coronam.* AE. II. III.

* * *

Sine epigraphe. *Monogramma Christi intra lauream.* AR. (Band.)

* * *

Commemorandus denique numulus aureus, in cujus antica est epigraphe, et caput Iustini, in ☧ GABALORVM. De hoc numo, qui est apud Bandurium, et in museo Caesareo, egi in numis Gabalorum Syriae.

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	RRR.
Aenei m. m.	RR.
Aenei sequentium formarum	C.

SOPHIA.

Ex aliquorum sententia neptis Theodorae Aug. Iustiniani uxoris. Ejus culpa perditam Italiam, in Iustino diximus. Per mariti valetudinem imperii res ipsa procurat. Vixit in Mauricii usque tempora.

Numi:

D. N. IVSTINO. ET. SOFIE. AVG. *Iustinus et Sophia sedentes media inter utrumque cruce.*

ANNO. KA. *in medio* X *et* M. AE. m. m. (Pellerin Mel. I. pag. 219.)

D. N. IVSTIN. ET. SOFIA. *Augustus et Augusta sedentes.*
Sine epigraphe. *Duae Victoriae alatae clypeum tenent, in cujus medio stella, subtus* K, *in imo* HM. AE. II. (Tanini.)

Ad utrumque pertinet marmor Africanum laudatum a Maffeio a): SALVIS. DOMINIS. NOSTRIS. CHRISTIANISSIMIS. ET. INVICTISSIMIS. IMPERATORIBVS. IVSTINO. ET. SOFIA. AVGVSTIS. etc.

PRETIVM.

Hi soli hactenus cogniti, et adeo . . . RRRR.

TIBERIVS II. CONSTANTINVS.

Thrax, post insignia reip. munia a Iustino anno 574 dictus Caesar, anno 578 Augustus, illo paullo post mortuo imperium solus obtinuit. Persas gravissimis cladibus duce praecipue Mauricio usus repressit. A prudentia, morumque lenitate insigne nomen adeptus anno 582 in vivis esse desiit.

Numi:

D. N. TIB. CONSTANT. (rarius CONSTANTINVS.) PP. AVG.

D. N. CONSTANTINVS. PP. A.

D. N. TIBERIVS. P. A. in AE. III. (Band.)

D. m. frequenter pro D. N.

Protome adversa cum stemmate crucigero d. globum crucigerum, s. clypeum, in quo eques, *vel*: d. volumen, s. aquilam consularem, *vel:* d. hastam super humero, s. clypeum, in quo eques.

Caput diadematum cum margaritis, in quinariis AV.

Partes aversae:

ANNO *additis numeris. In medio* M *vel* K *magnum.* AE. omnis formae.

* * *

VICTORIA. AVG. AVGG. AVGGG. *additis numeris Graecis. Typi varii.* AV. AE. II. (Band. Tanini.)

D. m. CONSTANTINVS. PP. AI. *(sic) Ejus caput.*
VICTOR. TIBERI. AVS. *(sic) Crux, infra* CONOB. Quin. AV. (Mus. Caes.)

D. N. TIBERI. PP. AVG. *Hujus caput.*
VICTOR. MAVRI. AVS. *(sic) Crux, infra* CONOB. Quin. AV. (Mus. Caes.)

Postremus hic numus facile Mauricii insignes de Persis victorias depraedicat, verum explicare difficilius, quo pacto Mauricius in numo vivi adhuc Tiberii dici possit Augustus, qui nonnisi pridie mortis Tiberii nomen Augusti abstulit. Vide similes in sequente Mauricio.

* * *

I. K. M. *magnum*, *vel numeri* X. XX. in aeneis omnis formae.

---

a) Mus. Veron. pag. 460.

* * *

Sine epigraphe. *Crux in gradibus.* AV. (Band.) AR. (Tanini.) In alio: *Duae cruces, major altera, altera minor.* AR. (Tanini.)

* * *

Narrat Gregorius Turonensis [a]), a Chilperico rege ostensos sibi aureos librales, donum Tib. Constantini, in quorum antica erat hujus epigraphe et caput, in aversa: GLORIA. ROMANORVM, idem imperator in quadrigis triumphalibus. Id genus numi hactenus reperti non sunt. Similem citavit Mediobarbus, sed jure propterea a Bandurio perstrictus [b]).

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	RRR.
Aenei omnis formae	C.

MAVRICIVS.

Ti. Mauricius Cappadox ob res adversum Persas magna cum virtute gestas a Tiberio primum Caesar, serius dictus Augustus ei postridie mortuo successit anno 582, et continuo ejus filiam Constantinam sibi copulavit. Bella cum Persis, quae XX. jam annos duravere, composuit. Multa ab Avarum incursionibus perpessus, a Phoca, quem milites per seditionem ducem sibi praefecere, una cum uxore ac liberis interficitur anno 602.

Numi:

D. N. MAVRICIVS. P. F. AVG.

D. N. MAVRI. (vel MAVRIC.) TIB. (vel TIBER.) PP. AVG.

Dicitur *Mauricius Tiberius*, nimirum, ut ait Zonaras [c]): ἐγράφετο δ' ἐν τοῖς συμβολαίοις, Μαυρίκιος ὁ καὶ Τιβέριος. *Scribebatur in contractibus: Mauricius, qui et Tiberius.*

Protome adversa galeata d. globum crucigerum, s. clypeum, in quo eques, vel s. aquilam consularem, vel d. volumen.

Caput diadematum cum margaritis, in quinariis aureis.

Partes aversae:

ANNO *addito numero. In medio* I. K. M. *magnum*, *vel* XX. In AE. omnis formae.

ANNO. QVINT. *in medio* M *magnum, superne crucula, infra* E. *in imo* RAVEN. AE. II. (Mus. M. Ducis, Com. Vitzai.)

* * *

VICTORIA. AVGG. *vel* AVGVSTORVM. *variis typis.* AV.

a) Hist. L. VI. c. 2. b) Pag. 658. in nota. c) L. XIV. c. 12.

* * *

D. N. MAVRI. TIB. PP. AVG. *Hujus caput.*

VICTOR. TIBER. AVG. *Crux, infra* CONOB. AV. (Tanini.)

D. N. TIBER. MAVRI. PP. *Hujus caput.*

VICTORI. MAVRI. AVG. *Crux, in imo* CONOB. AV. (Tanini.)

Vt supra vidimus, Tiberium II. suas et Mauricii victorias in numis jactare, sic idem nunc a Mauricio factum videmus. Vide, quae ad numos similes in Tiberio monuimus.

* * *

D. N. MAVRIꝏCIVS. *(sic)* PP. AV. *Caput diadematum cum margaritis.*

VIENNA. DE. OFFICINA. LAVRENTI. *Monogramma* XP., *hinc* A, *illinc* ω. Quin. AV.

Singularis hic numus fuit olim in museo Petri Seguini subinde cum regia Parisina gaza unito, aliud deinde ejus exemplum reperit cl. Boze, qui prolixam de hoc cimelio dissertationem scripsit, in qua Bouterovii et Ducangii sententias et conjecturas refutat [a]). Ejus commentarii summa est, signatos eos esse Viennae Allobrogum, non, quod parum concinne credidit Bouterovius, Viennae Austriae, non vero jussu Gontrani, vel Childeberti, qui Mauricii aetate Burgundionum reges fuere, sed nomine ecclesiae Viennensis, quae magnam tum auctoritatem, et testibus aliis ejus numis monetae signandae jus habuit. Haec cum a multis jam annis patronum habuerit Mauricium martyrem sub Maximiano Herculeo in vicinia pro fide caesum, videri verisimile, episcopum Viennensem in memoriam Mauricii Aug. hos cudisse numos, quod is non modo idem cum sancto suo patrono nomen, sed commune etiam quoddam fatum habuit, nam violenter a tyranno Phoca ad mortem raptus inter sanctas, et martyre dignas preces jugulum percussori obtulit. Haec conjectura utrum, ut est speciosa, ita aeque sit solida, dubitare licet.

* * *

Sine epigraphe. *Monogramma* XP. *vel crux in gradibus.* AV. AR. (Band. Tanini.)

* * *

D. N. MAVRIC. PP. AVG. AVG. *Mauricius capite nimbato togatus stans d. globum crucigerum, ei a sinistris adstat mulier capite nimbato s. crucem.*

Sine epigraphe. *Iuvenis togatus capite nimbato stans d. scipionem monogrammate* XP. *praefixum, juxta* H *magnum.* AE. I.

Similem Bandurius, sed exesa inscriptionis parte ex Ducangio vulgavit. Magis incolumem in museo Ainslieano conspicatus abbas Sestinius, eum, ut hic descriptum dedi, vulgavit, statuitque, in parte adversa exhiberi Mauricium cum uxore Constantina stantem, et ad utrumque referendum esse duplicatum in epigraphe AVG. In aversa sisti Theodosium juvenem, quem pater Mauricius quinquennem Augusti titulo decoravit. Iudicium istud tam certum putavit eruditus auctor, ut non dubitaret in

a) Mem. B. L. Tom. XV. p. 480.

ſine addere: *quod erat demonstrandum* [a]). Neque ego existimo, hac meliorem explicationem posse adferri, quam jam praeparaverat Bandurius [b]), ac propterea nescio, cur serius suae videatur sententiae diffisus; nam cum eandem epistolam ad verbum restitueret [c]), hanc certitudinis magistram formulam, quod solum utriusque epistolae discrimen constituit, omittere placuit.

* * *

H. I. K. M. *magnum* in AE. omnis formae.

* * *

Indictiones nunc primum notari in numis incipiunt formula IND. II. in AE. III. (Band.)

* * *

De officina CAT*anensi* Sicula, quae tantum Mauricii numis inscripta legitur, agemus in tractatu de officinis monetariis inferioris aevi.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	O.
Aenei omnis formae	C.

PHOCAS.

Mauricii caede imperium, perfidiae et crudelitatis praemium, consequitur anno 602. In bello praeterea contra Persas admodum infelix, cum undique civitates in tyrannum insurgerent, ab Heraclio Heraclii Africae praefecti filio in ipsa Constantinopoli obsessus, et a suis proditus infami, sed merito supplicio e medio tollitur anno 610.

Numi:

D. N. FOCAS. (vel FOCA) PP. AVG. vel PERP. AVG. vel P. F. A.

D. N. FOCA. NEPE. AVG. *Augustus et Augusta stantes, ille cum globo crucigero, haec cum cruce oblonga.*

NEPE istud tantum tunc additur, quando in parte antica Augustus et Augusta stantes proponuntur. Videri ergo posset, esse nomen uxoris Phocae, verum hanc dictam fuisse Leontiam constat. Nihil, quo nodum hunc solveret, reperit Bandurius.

FLAVIII. FOCAS. PERP. AVG.

Ait Bandurius, nullum sibi hactenus occurrisse Phocae numum cum addito Flavii nomine, miraturque adeo Mediobarbum, tot cum hoc nomine numos recitantem. Epigraphen, quam hic dedi, ipse non vidit, sed ex Ducangio excepit.

FOCA tantum, in AE. III.

Caput adversum cum stemmate crucigero d. crucem, vel d. volumen, s. crucem etc.

---

a) Tom. I. lettera XXI. b) Pag. 667. c) Tom. II. lettera VIII.

Caput diadematum cum margaritis, in quinariis AV.

Augustus et Augusta stantes, ut altius dictum.

Partes aversae:

ANNO *additis numeris, quorum maximus apud Bandurium reperitur* IIG, *qui videtur notare* VIII. in AE. omnis formae.

* * *

VICTORIA. AVG. — AVGG. — AVGGG. *additis frequenter numeris*, AVGVSTA — AVGVSTI — AVGVSTORVM, *typis variis*. AV.

VICTORI. FOCAS. AVG. *Crux*. AV. (Band.)

* * *

ΦK. *in laurea*. Quin. (Mus. Caes. Band.)

Vide infra numum Heraclii HK.

* * *

X. XX. XXX. XXXX. *vel sola in medio numo, vel adstituto* ANNO *cum suis numeris*. AE. variae formae.

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	RR.
Aenei omnis formae	C.

HERACLIVS I.

Heraclii praefecti Africae filius a Constantinopolitanorum factione ad eripiendum Phocae tyranno imperium arcessitus, ex Africa cum classe appulsus, capto et interfecto Phoca delatum sibi Augusti nomen accipit anno 610. A Chosroe Persa in maximas primum angustias redactus, unitis deinde viribus in aciem progressus non omissa modo recuperat, sed Persidem ipsam depopulatur, et Chosroem ad mortem adigit. Heraclio imperante Muhammedes sectam suam condit, cujus successores Saraceni Syriam, Palaestinam, Aegyptum Romanis extorquent. Moritur anno 641.

Vxor I. *Fl. Eudocia*, mater *Heraclii Constantini*.

Vxor II. *Martina* sororis filia.

Numi:

D. N. HERACLI. vel HERACLIVS. PERP. AVG. vel PP. AVG. vel P. F. AVG.

Protome adversa d. globum crucigerum, aut similiter.

Caput diadematum cum margaritis, in quinariis AV.

Partes aversae.

ANNO *additis numeris*, in AE. omnis formae.

* * *

VICTORIA. AVG. AVGG. aut similiter. AV. AR. (Band.)

VICTORIA. HERACLI. AVG. *Crux, infra* CONOB. Quin. AV. (Mus. Caes.)

* * *

VIRTVS. *Victoria gradiens.* Quin. (Tanini.)

* * *

HK *simul juncta in medio numo, supra* XX. *infra* RAV. AE. III. (Band.)

Literas HK esse monogramma Heraclii existimat Bandurius, quo modo, inquit, et literae ΦK in numis Phocae hujus nomen continent. Verum et in numis Iustini I. leguntur literae CN, quae sane ad nomen referri nequeunt, ut adeo conjecturae hae debili fundamento nitantur.

* * *

I. M. *magna, tum et numerus* XX. AE. III. (Band.)

* * *

Sine epigraphe. *Crux in medio numi.* AR. (Band.)

* * *

Non moror numum aureum praegrandis moduli, quem ex museo regis Galliarum pictum sistere Ducangius, et Bandurius, qui exhibet triumphum Heraclii, et oneratur multis sententiis partim Graecis, partim Latinis, ex sacra scriptura haustis. Non esse synchronum Heraclio, jam agnovit Bandurius. Videtur ejusdem, aut similis prosapiae esse cum illis, qui serius eodem volumine confecti fuere, et se opus Pisani pictoris, Sperandei etc. profitentur. Similis, sed argenteus est etiam in museo Caesareo.

HERACLIVS cum filio HERACL. CONSTANTINO.

DD. NN. HERACLIVS. ET. HERA. CONST. (vel ERACLI. ET. ERA.) PP. AVG. vel: PERP. AVG.

Protomae duae cultu solito patris et filii, quarum quae a dexteris est, major, quae a sinistris, minor est.

Pater et filius sedentes d. globum crucigerum.

DD. NN. ERACLIORVM. Duae utriusque protomae.

Hanc epigraphen primus in aeneo III. formae reperit Pellerinius [a]). Reperit deinde similes Taninius III. et IV. formae.

Partes aversae:

ANNO. III. *in medio* M *magnum.* AE. III. (Band.)

Numi cum ANNO I. et II. nondum filium cum patre sociant; at perhibent etiam scriptores, ut recte observat Bandurius, filium nonnisi tertio imperantis patris anno Augustum fuisse appellatum.

* * *

DEVS. ADIVTA. ROMANIS. *Crux insistens gradibus, in nonnullorum area variae literae.* AR. m. m.

Quatuor hujus numi exemplaria sunt in museo Caesareo. Haec formula nunc primum comparet, deinceps frequentius, et Graece quidem. Videtur pia haec moneta signata ex eo argento, quod bellum Persis facturus deficiente aerario ex sacris aedibus ad hunc usum deprompsit [b]).

a) Mel. I. pag. 220. b) Zonaras L. XIV. cap. 15.

* * *

INDICTIONE. ZIII. *Crux globo insistens, in imo* XX. AE. III. (Band.)

Indictionum jam in numo Mauricii vidimus fieri mentionem.

HERACLIVS cum binis filiis.

Sine epigraphe. *Tres impp. stantes cum stemmatibus crucigeris d. globos crucigeros tenent.*

Aversae variae. AV. AE. m. m. AE. II. III. (Band.)

Ducangius Constantem II. cum binis conlegis in his numis exhiberi putat, contra Bandurius Heraclium cum Heracl. Constantino, ac altero quodam ex Martina nato, ex qua plures suscepit brevis plerosque aevi. Lege ejus notam III. pag. 685 et 690.

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	RR.
Aurei max. mod.	RR.
Aenei reliqui	C.

HERACLIVS II. CONSTANTINVS.

Heraclii I. et Eudociae filius nascitur anno 612, anno sequente Augustus salutatur. Patre anno 641 mortuo imperium rexit una cum Heraclio, vulgo Heracleona fratre germano, et Martina noverca, sed hac venenum propinante quarto post mense exstinguitur.

Vxor *Gregoria*, ex qua natus *Constans II.*

Numus Heraclii II. consulis.

EPACΛIO. CONSVΛI. *(sic) Protome juvenilis cum cruce in capite d. scipionem.*

X *in medio numi, in area hinc* N *illinc* M, *supra crux, infra astrum.* AE. III. (Pellerin Mel. I. p. 220.)

Vnicum istud est exemplum notati hoc aevo in numis consulatus. Ait Pellerinius, non constare, Heraclium nostrum a patre consulem fuisse creatum, at docemur testimonio Nicephori, eum quinquennem anno 617 processisse consulem, qua adeo occasione dubium non est singularem hunc numum fuisse signatum.

Numi Heraclii II.

Numos omnis metalli, qui eum cum patre sociant, jam in hujus moneta dedimus. Sequuntur numi ejus solius.

D. N. ЄRAKLIO. KONST. vel similiter.

Protome adversa d. globum crucigerum.

Protomae duae, una Heraclii II., altera vel filii Constantis, vel fratris Heracleonae.

Partes aversae:

DEVS. ADIVTA. ROMANIS, *ut in numis patris.* AR. max. mod. (Tanini.)

VICTORIA. AVG. *Crux.* AV. (ibid.)

M *magnum*, *vel* XX *in medio numi.* AE. III. (Band.)

Sine epigraphe. *Crux super gradibus.* Quin. (Tanini.)

PRETIVM.

Aurei	RRRR.
Argentei	RRR.
Aenei	RR.

CONSTANS II. qui et CONSTANTINVS.

Heraclii II. et Gregoriae filius, patre mortuo ab Heracleone avunculo Augustus dicitur anno 641, hocque paullo post relegato solus imperat. A Saracenis victus Africam, Aegyptum, Cyprum ab imperio avulsas vidit. Tot taediis animum depascentibus vagus deinceps in Italiam trajicit, belloque Longobardis indicto victor primum, deinde victus, expilata Roma in Siciliam transit, et aliquot ibi annis exactis Syracusis interficitur anno 668. Tanta mala orthodoxi scite a divina ira repetivere, quod is avi Heraclii exemplo Monothelitas impensius fovit.

Numi:

D. N. CONSTANTINVS. PP. AVG. aut similiter.

Protome adversa cum prolixa et lata barba (quae fere criterium numorum hujus Augusti constituit) d. globum crucigerum.

D. N. CONSTANTINVS. C. CONSTAN. aut similiter.

Protomae duae, quarum illa, quae a dexteris est, similem barbam promissam habet.

Partes aversae:

ANNO *additis variis numeris.* AE. variae formae.

Annus postremus hactenus repertus XXII.

* * *

DEVS. ADIVTA. ROMANIS. *Crux insistens gradibus.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Hoc numorum genus inde ab Heraclio I. non infrequens.

* * *

VICTORIA. AVG. *additis notis arithmeticis. Duo impp. stantes cultu solito.* In aliis: *Crux insistens gradibus.* AV.

* * *

M *magnum*, in AE. variae formae.

* * *

VICTORIA. AVGϤΘ. *Protome*

adversa cum barba prolixa, d. globum crucigerum.

Sine epigraphe. *Tres imperatores cum suis singuli globis crucigeris, in imo* CONOB. AV. (Mus. Caes.) AR. (Band.)

* * *

Epigraphe dubia. *Protomae duae adversae, altera major cum prolixa barba, altera minor imberbis.*

Sine epigraphe. *Duae protomae adversae imberbes media inter eas cruce.* AV. (Mus. Caes.)

Sunt hi numi voluminis exigui, sed metalli crassi et globosi, eorumque bina exempla sunt in museo Caesareo. Barba hirta et expansa haud dubie eos Constanti II. vindicat. Ergo qui illi in parte antica sociatur, est ejus filius Constantinus, qui successit, et, quos aversa sistit, duo alii ejus filii Heraclius et Tiberius, quos Caesares appellavit.

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	RR.
Aurei variae formae	RR.

CONSTANTINVS IV. Pogonatus.

A patre Constante II. ad Augusteam dignitatem vocatus anno 654, cujus deinde in Sicilia anno 668 caesi mortem acerrimis poenis vindicavit. A Saracenis ipsam Constantinopolin classe infestantibus in arctum redactus, eos tamen non minus suorum virtute, quam artificio, adustis nimirum igne Graeco navibus, redire ad sua coegit. A Bulgaris, qui tum primum Romanorum ditionem vexare coeperunt, pacem tributo redemit. Moritur anno 685. Dictus fuit *Pogonatus*, etsi ejus barba in numis non tam appareat explicata, quam patris Constantis, nimirum sic vocatus a Constantinopolitanis, quia tenera cum lanugine Byzantio cum patre profectus, redux e Sicilia promissam barbam retulit [a]).

Vxor *Anastasia*, ex qua natus *Iustinianus*, qui successit.

Numi:

D. N. CONSTANTINVS. PP. AV. aut modo simili, plerumque plane barbaro, literis aut confusis, aut ex quibus vix sanum vocabulum conficias. Hujus Augusti numos per epigraphen, quae fere eadem est, vix a patris Constantis numis dignoscas. Igitur solum discrimen adferet diversus barbae modus, ut mox dictum.

Protome adversa cum stemmate crucigero d. globum crucigerum, s. clypeum, in quo eques, aut etiam sine hoc.

a) Zonaras L. XIV. cap. 20.

Caput diadematum cum margaritis, in quinariis AV.

Duae protomae impp. cum stemmatibus crucigeris, nempe Pogonati et filii Iustiniani.

Partes aversae:

ANNO *additis variis numeris*, *et* K *vel* M *magno*. AE. variae formae. (Band. Tanini.)

Numerus maxime provectus est XqIII. in aeneo maximi moduli apud Tanium.

* * *

VICTORIA. AVG. *scriptura plerumque barbara*, *et variis typis*, *ut in moneta patris.* AV.

* * *

I. *vel* K. *vel* M *magnum*, *vel numerus* XX. AE. omnis formae.

* * *

D. N. SVICTORIA. *Protome adversa.*

VICTORIA. AVGVSTV. *scriptura barbara. Crux super gradibus*, *in imo* CONOB. AV. (Mus. Caes.)

Mira capitis epigraphe, si quod hoc aevo mirum videri potest.

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	RR.
Aenei max. mod.	RRR.
Aenei reliqui	RR.

IVSTINIANVS II. Rhinotmetus.

Duodennis a patre Constantino Pogonato imperator dicitur anno 670, post cujus anno 685 excessum solus imperio praeest. Bella cum Saracenis et Bulgaris vario Marte gessit. Cum propter avaritiam et crudelitatem omnium in se odia concitasset, a Leontio copiarum Orientis duce capitur, resectisque naribus, unde *Rhinotmeti* illi nomen haesit, Chersonam mittitur anno 695. Tolerato X annorum exilio ope Bulgarorum restituitur quidem, verum cum crudelitatem supra quam credi potest, intenderet, in ejus locum Philippicus Bardanes imperator acclamatur, ipse inter has turbas violenta morte occumbit anno 711.

Vxor *Theodora*, mater *Tiberii IV.* qui in numis saepe cum patre sociatur, idem quoque cum patre fatum expertus.

Numi:

D. N. IVSTINIAN. PP. AV.

D. IVSTINIANVS. SERV. CHRISTI. *Imperator stans d. crucem gradibus insistentem apprehendit.*

Novus Augustorum titulus se *servos Christi* profitentium.

D. N. IVSTINIANVS. MVLTVS. A. vel AN.

Nova formula, qua Augustis *multos annos* precabantur, et quae in locum VOTIS. V. MVLTIS. X. successit. Dicebatur autem: *πολυχρονιζειν τυς βασιλεις*, *imperatoribus longam vitam precari.* Vide, quae ad numos similes notavit Ducangius [a]).

Protome adversa cum stemmate crucigero d. crucem, s. globum crucigerum, globo inscriptum PAX.

D. N. IVSTINIANVS. ET. TIBERIVS. PP. Protomae duae, Iustiniani major et barbata, filii Tiberii IV. minor et imberbis, dexteris stantem inter eos crucem adprehendunt.

De sociato filio Tiberio IV. paullo altius egimus.

Partes aversae.

ANN. XX. *in medio magnum* K *vel* M. AE. III. (Tanini.)

* * *

D. N. IhS. ChS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi prominente pone cruce dexteram benedicentis more erigit, s. librum Evangeliorum.* AV.

Nova epigraphe et typus, deinceps in numis perfrequentes.

IhS. CRIST. D. F. REX. REGNANTIVM. *Similis protome.* AV. (Mus. Com de Vitzai.)

Singulare in hoc literae initiales D F. id est: *Dei Filius.*

* * *

VICTORIA. AVGV. *Crux insistens gradibus.* AV. (Band. Tanini.)

* * *

K *inter duas cruces, in imo* PAX. AE, III. (Tanini.)

Apparet ex numis, *Pacem* Iustiniano magnopere fuisse expetitam. Eam etiam supra globo crucigero inscriptam vidimus.

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	O.
Aenei	RRR.

TIBERIVS IV.

Iustiniani II. filius, de quo, et de cujus numis egimus in moneta patris.

LEONTIVS II.

Orientalis exercitus dux primum, dein regendae Graeciae praefectus exoso

a) Dissert. de inf. aevi num. §. 43.

omnibus Iustiniano ad capiendam purpuram arcessitus imperatorem facile in potestatem redigit, et truncato naso Chersonam relegat anno 695. At cum bellum cum Saracenis infeliciter caderet, in ejus locum Tiberius V. vulgo Absimarus sufficitur, qui victum Leontium resectis naribus in monasterium detrudit anno 698. Eum post annos VII. Iustinianus II. solio restitutus in Circo ultimo supplicio adfecit.

Numi:

D. LEONTI. A. *Protome adversa diademata d. globum crucigerum.*

VICTORIA. AVGVSꝏ *Crux oblonga, in imo* CONOB. AV. (Tanini.)

* * *

Numos alios, qui hactenus ab antiquariis huic Leontio tribui consuevere, restituendos censemus Leontio I. Eos vide descriptos post monetam Zenonis Aug. pag. 201.

PRETIVM.

Aurei . . . . RRRR.

TIBERIVS V. Absimarus.

Tiberius, cum privatus adhuc esset, dictus *Absimarus*, adversus Leontium creatus Augustus in Creta, et Constantinopolin appulsus aemulum solio deturbat anno 698. Ipse a Iustiniano II. exule in urbem furtive illapso capitur, et vita privatur anno 705.

Numi:

D. TIBERIVS. PER. vel: PP. vel PE. AV.

Protome adversa cum stemmate crucigero d. hastam transversam pectori praetentam, s. clypeum, in quo eques.

Partes aversae:

VICTORIA. AVG. *vel similiter, scriptura valde barbara. Crux super gradibus, in imo* CONOB. AV. (Mus. Caes. Band.) AR. (Tanini.)

PRETIVM.

Aurei . . . . RR.
Argentei . . . . RRRR.

FILEPICVS Bardanes.

Bardanes Iustiniani II. odio dictus Augustus urbe regia facili victoria potitus

aemulum cum filio occidit, et Filepici sibi nomen imponit anno 711. Ipse propter vitae improbitatem ac sordes a conjuratis purpura et oculis privatur anno 713, cum annum cum semisse regnasset.

Numi:

D. N. FILEPICVS. MVLTVS. AN. *Protome adversa cum stemmate crucigero d. globum crucigerum, s. scipionem cum aquila.*
VICTORIA. AVGV. *additis numeris Graecis. Crux super gradibus, in imo* CONOB. AV. (Mus. Caes.) AR. (Tanini.)

* * *

D. N. FILEPICVS. MVLTOC. AN. *Idem typus.*
VICTORIA. IVSTA. *Crux super gradibus, in imo* CONOB. AV. (Band.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRRR.
Aenei	O.

ARTEMIVS ANASTASIVS II.

Pro Filepico ad purpuram vocatus anno 713, quo minus impendere curas reip. posset, militum seditione avocatus est, qui Theodosium quemdam Augustum constituerunt. Bello civili inferior imperium abdicat, et Thessalonicam recedit anno 716. Amissa subinde recuperandi cupidus ab imperante tum Leone III. mori jubetur anno 719.

Numi:

D. N. APTEMIVS. *(sic)* ANASTASIVS. MVL. *Protome adversa cum stemmate crucigero d. globum crucigerum, s. volumen.*
VICTORIA. AVGV. *additis numeris Graecis. Crux super gradibus, in imo* CONOB. AV. (Mus. Caes. Tanini.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei et aenei	O.

THEODOSIVS III. Adramytenus.

Tributorum apud Adramytium exactor a refractariis Anastasio militibus fa-reluctans imperator creatur anno 715, verum comperto, eum bello adversum Saracenos gerendo imparem fore, facile, ut purpuram poneret, persuaderi

se passus est, quo facto inter clericos adscriptus est anno 717.

Numi:

D. N. THEODOSIVS. AVG.

Protome adversa cum stemmate crucigero d. globum crucigerum, s. volumen.

VICTORIA. AVG. *Crux super gradibus, in imo* CONOB. AV. (Band. Tanini.)

PRETIVM.

Aurei . . . . RRR.

Argentei et aenei . . . . O.

LEO III. Isaurus.

Obscura in Isauria prosapia genitum fortuna ad summa primum munia evexit, deinde ad imperium ipsum, posteaquam Theodosius purpuram sponte abjecit anno 717. Saracenos Constantinopolin ipsam obsidentes fortiter repressit. Illato sacris imaginibus bello piorum animos plane a se avertit, quo factum, ut passim provinciae ab eo deficerent, et Italia in libertatem sese adsereret. Moritur anno 741.

Vxor *Maria*, ex qua nata *Anna* nupta Artavasdo, de quo infra, et *Constantinus* Copronymus, qui successit.

Numi:

Vt multa in disponendis hujus aevi numis sunt incerta, sic ratio nulla satis idonea, quae persuadeat, qui numi Leoni III., qui IV, V, VI sint applicandi. Postremus post alios in his figendis laboravit Sestinius [a]), deditque amplum numorum catalogum, qui Leonis nomen inscriptum offerunt, eosque singulos certo cuipiam Leoni, ut sibi visum est, tributos. Verum neque hic, ut optaveram, satisfecit, cum plerumque judicii sui causam nullam adferat, raro solidam, quod evenire debuit nullis, aut infirmis ad dispellendas has tenebras subsidiis adjuto. Quo minus addita filiorum nomina possint lucem suppeditare, in causa est, quod forte accidit, ut omnes hi quatuor postremi Leones filium singuli haberent dictum Constantinum. Nos horum numos verisimili quadam ratione collocabimus, atque ubi ne veri quidem speciem habebimus, istud ipsum incertum indicare non verebimur.

Numi Leonis III. solius.

D. LEON. PP. AV. *vel:*
NO. LEON. P. A. MVL. *vel similiter. Protome adversa cum stemmate crucigero d. volumen, s. globum crucigerum.*

a) Lettere Tom. II. pag. 91.

VICTORIA. AVGV. *vel similiter. Crux insistens gradibus.* AV. (Mus. Caes. Tanini.) AE. III. (Tanini.)

Numi Leonis III. et Constantini V. filii.

Sunt numero praecedentibus multo frequentiores.

D. N. LEON. P. A. MVL. *Protome adversa cum stemmate crucigero d. globum crucigerum, s. volumen.*

D. N. CONSTANTINVS. NE. *Similis protome.* AV. AR. AE. III. (Mus. Caes. Tanini, Sestini.)

D. N. LEO. P. A. MVL. *Similis protome.*

D. N. CONSTANTINVS. *Protome super basi, ad ejus sinistram crux, infra* M, *ad latera hinc* ANNO, *inde* XX. AE. II. (Mus. Caes.)

LEON. S. CONST. *Protome Leonis et Constantini cum stemmate crucigero.*

M, *ad cujus latera hinc* XXX, *illinc* NNN, *supra crux.* AE. II. (Mus. Caes.)

Taedet omnes epigraphes modos, sola plerumque monetariorum ruditate diversos, nullumque adeo facturos operae pretium commemorare. Hos qui plene nosse volet, adeat Bandurium, Taninium, Sestinium.

Numi Leonis III., Constantini V. filii, et Leonis IV. nepotis.

D. LEON. P. A. MVL. *Protome adversa cum stemmate crucigero d. crucem.*

CONSTANTINOS. S. LEON. O. NEOS. *Protomae duae adversae.* AV. (Mus. Caes.)

Numi hi imperante Leone III. signari non potuere; nam quo is tempore fatis cessit, Leo IV. nepos natus nondum fuit. Cusi ergo sunt intra imperium Constantini V., qui patris memoriam renovatam voluit. Eundem Leonem III., sed ut avum, propositum videbimus in numis Leonis IV.

PRETIVM.

Aurei	C.
Argentei	RR.
Aenei	R.

CONSTANTINVS V. Copronymus.

Leonis III. Isauri filius, quod baptismo admotus lustralem aquam inquinaverat, unde ejus impietatem praesagivit urbis patriarcha haruspex, convicio *Copronymus* dictus est. Annus illi natalis 719, sequente dictus imperator, patrique successit anno 741. Artavasdum sui odio Augustum renunciatum vincit, et oculis orbat. In bellis adversum Bulgaros et Saracenos felix, sed laboravit crudelitatis infamia. Sacris etiam imaginibus patris exemplo

bellum indixit, quin negasse Christum ipsum, ejusque matrem fertur. Moritur anno 775.

Vxor I. *Irene*, mater *Leonis IV.*, qui successit.

Numi:

Eos, in quibus jungitur cum patre Leone III., vide in hujus moneta.

D. N. CONSTANTINO. PP. *Protome imberbis cum stemmate crucigero d. globum crucigerum.*

VICTORIA. AVG - - *Crux.* AV. AR. (Band. Tanini.)

Vix alii certi hujus Augusti numi habentur. Si qui sunt alii, forte cum aliorum Constantinorum numis permixti sunt.

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	RR.
Aenei	RRR.

ARTAVASDVS et filius NICEPHORVS I.

Artavasdus thematis Armeniaci dux a Leone III. ob praestitam sibi fidem conjugium filiae Annae et Curopalatae dignitatem adeptus est. Mortuo Leone anno 741, cum aversos a filio Constantino V. omnium animos videret, obsequium exuit, eoque fugato Constantinopoli imperator agnoscitur circa annum 742, et sequente filium Nicephorum conlegam cooptat. Versa fortuna ab aemulo Constantino V. vincitur, et cum filiis oculis privatur anno 743.

Numi:

Hos Bandurio ignotos serius aevum protulit.

D. NO. ARTAVASDO. *Protome adversa d. globum crucigerum.*

D. NO. CONSTANTINV. *Protome adversa d. globum crucigerum, in area duo astra.* AV.

Numum hunc, olim musei de Cleves, edidit Iobertus addito iconismo [a]). Quod in numo sibi sociaverit Constantinum V. aemulum, et natura hostem, istud mirum sane videatur. Neque enim historia meminit, inter utrumque aliquando pacem et foedus constitisse.

* * *

G. ARTAVASDOS. MVLT. *Protome adversa cum stemmate crucigero d. crucem ante pectus.*

L. NICHFORVS. MVLTV. A. *Protome juvenilis simili cultu.* AV. AR.

Aureum dedit Pellerinius [b]), argen-

a) Science des Med. Tom. II. p. 386.

b) Mel. I. pag. 171.

teos binos addidit Taninius. Praeclare confirmant ea, quae de Nicephoro filio imperii conlega prodidere scriptores.

PRETIVM.

Aurei et argentei . . . . RRRR.

LEO IV. Chazarus.

Pater illi Constantinus V. Copronymus, mater Irene Chazarorum Chagani filia, a qua illi *Chazari* cognomen adhaesit. Natus anno 750, sequente imperator dicitur. Patris anno 775 mortui successor, quod haereticum se palam professus est, popularium odium incurrit. Gemmarum taetus cupidine cum coronam pretiosis lapillis distinctam, quam Mauricius in ecclesia dedicaverat, capiti imposuisset, erumpentibus ex capite carbunculis, ut ferunt ejus aevi scriptores, paullo post diem obiit anno 780.

Vxor *Irene* Attica, unde filius *Constantinus VI.*, qui successit.

Numi:

Praefatus sum ad numos Leonis III., difficile esse inter numos trium postremorum Leonum discrimen. Neque etiam Bandurius reperit numum vel unicum, quem Leoni IV. confidenter tribueret. Monui eodem loco, cl. Sestinium ope numorum musei Ainslieani certiora constituere fuisse conatum, ex cujus dictatis en tibi numos, quos Leoni huic commode proprios dabimus.

LEON. VSSESSON. CONSTANTINOS. O. NEOS. *Leo IV. et Constantinus VI. cum stemmatibus crucigeris sedentes d. volumen tenent*, *superne crux.*

LEON. PAP. CONSTANTINOS. PATHR. *Protomae duae Leonis III. et Constantini V. cum stemmate crucigero*, *in medio crux.* AV.

Numum hunc dedere Bandurius, et auctor musei Theupoli. Vterque eum Leoni VI. adjudicavit, et in excipienda vera inscriptione peccavit. Epigraphen, quam coram dedi, hausit Sestinius ex binis musei Ainslieani. Praeclare is conjecit [a]), in hujus numi antica sisti Leonem IV., et hujus filium Constantinum VI., in aversa Leonem III., et Constantinum V., Leonis nostri avum et patrem, quam sententiam addita quoque vocabula stabiliunt. Nam Leo partis aversae dicitur PAP., et vox παππος significat *avum*, non quidem, ut ait Sestinius, tanquam *vox vernacula barbara*, sed pure et antique Graeca, nam ea usi jam sunt Plato et Aeschines, aliique. Atqui Leonis IV. avus fuit Leo III. CONSTANTINOC. PATHR pro PATER se ipsum explicat. Quid significet barbarum verbum VS-

a) Lettere Tom. II. pag. 95.

SESSON partis anticae, nemo hactenus idonee explicare potuit.

* * *

Numos alios quos Sestinius Leoni IV. largitur, vide descriptos in moneta Leonis VI.

* * *

ΛЄΟ. *Imperator stans cum diademate crucigero d. crucem oblongam, s. globum crucigerum.*

Epigraphe Arabica. M *magnum*, *superne monogramma* XP. AE. III.

ΔΑΜΑCΚΟC. *Idem imperatoris stantis typus.*

Eadem aversa. AE. III.

ΔΑΜΑΣΚΟΣ. *Idem imperatoris stantis typus.*

P
A M ✦
N Ω ✦ *nullo alio typo.* AE.
O ✦
ΔΑΜΑ.

Dedit hos numos Sestinius variis operis sui locis, et quidem Tomo II. pag. 87, 97 et 201, Tomo III. pag. 180. Aliquorum iconismi sunt tabula V. n. 6. 7. 8. Sunt in museo Ainslieano, et teste Taninio, qui eosdem numos restituit [a]), etiam in Borgiano. Sestinius, quem sequitur quoque Taninius, epigraphen Arabicam reddit: *Chazarus cusus Damasci.* Erit ergo verbum *Chazarus* nomen, quod Leoni IV. a materna origine inditum fuit, ut diximus. Cl. Adlerus, qui serius binos numos priores vulgavit quoque [b]), legit: *Cusus Damasci. Chazarus.* Interea non obstare existimat Sestinius, pro *Chazar* legi etiam posse *Chadar* reddito Arabice *Leonis* nomine, nam vocabulum illud Arabibus leonem significat. Quae posterior sententia multo mihi videtur probabilior, quia *Chazarus* verum ac legitimum nomen Leonis nostri non fuit, sed tractum a matre, et tantum a vulgo superadditum, qualia nomina a variis causis adjecta non facile monumentis publicis inseri consuevere. Causas, cur hos numos Sestinius huic potius Leoni, quam ejus nominis alteri proprios velit, auctor copiose proponit, quem adi [c]).

PRETIUM.

Aurei	RRR.
Argentei	RRRR.
Aenei	RR.

IRENE.

Athenis oriunda Leonis IV. uxor. Marito anno 780 vita functo imperium

a) Pag. 416. b) Mus. Cufic. Borg. Pars II. edit. II. Altonae 1795. pag. 170. c) Tom. II. pag. 87.

pro filio Constantino VI. tutorio nomine administravit. Imaginum cultum coacto Nicaeae concilio restituit. Post annos X. a filio materni jugi impatiente in ordinem redigitur, rursum praevalet, filioque effossis oculis inutili reddito veterem auctoritatem usurpat, donec a Nicephoro Logotheta capta anno 802, et in Lesbum deportata est, ubi anno sequente exstinguitur.

Numi:

ΕΙΡΙΝΗ. BASILISSH. *Protome Irenes adversa d. globum crucigerum, s. crucem.*

Eadem in aversa epigraphe, et typus. AV. (Band. Tanini.)

* * *

Numos, in quibus jungitur cum Constantino VI. filio, vide continuo in hujus moneta.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei in numis filii	RRR.
Aenei	O.

CONSTANTINVS VI.

Ex Leone IV. et Irene natus anno 771. Mortuo anno 780 patre, cum ipsum decennium matris tutelam pati cogeretur, hac tandem per vim amota solus imperat. Post annos VII. mater impotens et ambitiosa suae ope factionis filio oculos eruit, qui paullo post vivendi finem fecit anno 797.

Numi:

CONSTANTINOS. BAS. *Caput diadematum d. globum crucigerum.*

IRINH. AΓOVSTI. *Caput Irenes d. globum crucigerum, s. crucem.* AV. (Tanini.)

* * *

CONSTANTINOS. S. IRINI. EC. ΘEV. BASILIS. *scriptum in area numi.*

IHSVS. XPISTVS. NICA. *Crux insistens gradibus.* AR. (Tanini. Com. Vitzai.)

Numum similem vide in moneta patris Leonis IV. EC. ΘEV Graecum est, sed scriptum literis mixtis Graecis et Latinis pro EK. ΘΕΟΥ.

* * *

† CѠNSTAN. *Protome adversa d. sceptrum.*

O. A. ΔIMITPI. *Protome adversa nimbata S. Demetrii d. hastam.* AE. III. (Pellerin Mel. I. pag. 222.)

Proponitur in aversa O Αγιος ΔΗΜΗΤΡΙος, qui imperante Gal. Maximiano martyrium Thessalonicae passus est, de quo vide plura in numis Theodori Ducae. Sitne hic numus hujus Constantini, et non potius alterius ex sequentibus, minus certum, dubitante etiam ejus numi praecone Pellerinio.

* * *

Taninius huic Augusto plures aureos applicat, in quorum aversa legitur: IHS. XS. REX. REGNANTIVM, verum non probat, eos alterius Constantini esse non posse. Bandurius hujus Augusti numum unicum adfert, eumque singularem captum ex Octavio Strada, sublestae adeo fidei.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	RRRR.
Aenei incerti.	

NICEPHORVS II. Logotheta.

Seleucia advectus, patricius et logotheta generalis Irenen Augustam solio deturbavit anno 802. Non multo post filium Stauracium sibi sociat. Homo omnibus vitiis coopertus in praelio adversum Bulgaros perit anno 811.

Numi:

NICEFOROS. BASILE. *Protome adversa cum stemmate crucigero d. crucem, s. volumen.*

STAVRACIS. DESPOIE. *(sic) Protome juvenilis cum stemmate crucigero d. globum crucigerum.* AV. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
In aliis metallis	O.

STAVRACIVS.

Nicephori filius, et in imperio conlega. In praelio adversum Bulgaros, in quo pater periit, ipse graviter sauciatus, delatusque Constantinopolin vicariam potestatem transferre in uxorem Theophaniam parabat, sed praevenit Michael Rhangabe, quo sibi purpuram vindicante anno 811 Stauracius monasterio se inclusit, ibique anno sequente vitam finiit.

Numi:

In his cum patre junctum jam vidimus, neque ejus solius alii exstant. Quem citat Bandurius, nonnisi Stradam auctorem habet.

MICHAEL I. Rhangabe et Curopalata.

Theophylacti filius, ab avo dictus Rhangabe, subinde, ducta Procopia Ni-

cephori II. filia, Curopalata. Hoc in pugna caeso delatum sibi imperium primo recusavit, verum audito, a Stauracio oculis suis insidias comparari, purpuram induit anno 811. Vt praeclaris animi dotibus ornatus fuit, sic in praelio adversum Bulgaros infelix. Hinc concepta aegritudine, cum nuncii venirent, Leonem Armenium a militibus imperatorem adclamatum, lubens purpuram monachi habitu mutavit, cum annum unum, menses IX. imperasset.

Numi:

MIXAHΛ. BACIΛE. *Protome d. labarum, s. globum crucigerum.* IC. XC. *Protome Christi.* AV. AE. II. (Band.)

MIXAHL. *Similis protome.* MIXAHL. *Similis protome.* AV. (Band.)

Nulla certa est ratio, numos hos huic Michaeli prae aliis tribuendi. In hoc ambiguo hanc illis stationem adsignare aliis, mihique placuit.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	O.
Aenei	R.

LEO V. Armenius.

Natione Armenius, unde et cognomen illi accessit. Imperatoriam majestatem deturbato Michaele sibi paravit anno 813. Hominem scelestum, ac perjurum, tantoque magis scriptorum calumniis petitum, quanto monachis ac clero infensiorem se praebuit, inter sacra conjurati confecerunt anno 820.

Filium habuit *Constantinum*, quem sibi conlegam adscivit, sed qui post patris caedem membris mutilatus, relegatusque miseram deinceps vitam duxit.

Numi:

Nullum hujus Leonis numum conspiciendum dedit Bandurius. Sequentem dedit Sestinius [a]), et pictum stitit tabula III. postremum:

ΛЄO. ΔЄCΠ. *Leo adversus stans,* KωNS. ΔЄC. *Constantinus filius adversus stans.* AE. III.

Quatuor fuere Leones, III. IV. V. et VI, qui Constantinum filium imperii conlegam habuere. Cur numum hunc Leoni V. adscribat, in causa est, quod vocabulum ΔЄCΠOTHC nonnisi post Leonem IV. usurpari in numis coepit. Possumus in hoc judicio acquiescere, quando solidius aliud praesto non est.

Alii, quos variorum catalogi huc vocavere, nullum idoneum criterium suppeditant. At enim numi plerique, quos in Leonem VI. transferunt antiquarii,

a) Lettere Tom. II, pag. 84.

et quos in hoc describemus, nescio, cur non et huic nostro possint applicari. Examina, si tanti putas.

MICHAEL II. Balbus.

Phryx Amorianus propter linguae vitium vocatus Balbus, Leoni V. primum charus, deinde propter conviciorum acrimoniam conjectus in vincula in eo erat, ut temeritatem morte lueret, cum a conjuratis caeso Leone e carcere protractus summae rei praeficeretur anno 820. Multa a Saracenis patitur, qui imperio Cretam et Siciliam detraxere. Mortuus ipse anno 829.

Vxor *Thecla*, ex qua natus *Theophilus*, de quo infra.

Numi Michaelis II. solius.

MIHAIL. BASILEYS. RM. *(sic) Protome adversa cum stemmate crucigero d. labarum, s. globum crucigerum, a dexteris e coelo manus apparet.*

IHS. XIS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Tanini.)

MIXAHL. EC. ΘET. PISTOS. BASILEVS. POMAIΩN *scriptum in medio numo.*

IHSVS. XRISTVS. NICA. *Crux gradibus insistens.* AR. (Tanini.)

Vtrumque numum Taninius nulla satis certa causa huc transfert, et nescio, cur prior aureus potius sit Michaeli II., quam hujus nominis primo tribuendus. Vox ΠISTOS, *fidelis*, hoc adhuc aevo infrequens, post II. saecula frequentior. Bandurius nullum Balbi solius numum recensuit, omnes cum sociato Theophilo.

Numi Michaelis II. cum filio Theophilo.

MIXAHΛ. *vel:* MIXAHL. BASILEVS. *vel* BA. *Protome cum stemmate et globo crucigeris.*

ΘEOFIL. *vel:* ΘEOFILO. DESPIX *vel similiter barbare. Protome similis.* AV. (Band. Mus. Caes.)

MIXAHL. S. ΘEOFILE. EC. ΘET. BASILIS. ROMAION. *scriptum in area numi.*

IHSVS. XPISTVS. NICA. *Crux super gradibus.* AR. (Tanini.)

MIXAHL. S. ΘEOFILOS. *Protomae utriusque.*

M *magnum, hinc* XXX. *illinc* NNN, *supra crucicula, infra* Θ. AE. I. II. III. (Mus. Caes. Band.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRRR.
Aenei	R.

THEOPHILVS.

Michaelis II. Balbi filius patri sociatur anno 821, eique anno 829 mortuo succedit. Gravissimis bellis a Saracenis exagitatus moritur anno 842.

Vxor *Theodora*, unde *Michael III.* et forte *Constantinus* imperii conlegae.

Numi:

Eos, in quibus jungitur cum patre, vide in hujus moneta.

Numi Theophili solius.

ΘEOFILOS. *Protome cum stemmate crucigero, d. globum crucigerum.*
ΘEOFILOS. *Similis Protome.* Quin. AV. (Mus. Caes.)

ΘEOFILOS. BA. *Protome similis.*
ΘEOFILOS. BA. *Imperator crucem tenens.* AV. (Band.)

ΘEOFIL. BASIL. *Imperator stans galea cristata d. labarum, s. globum crucigerum.*
ΘEOFILE. AVGOVSTE. SV. NICAS, *sine typo*, AE. II. (Mus. Caes.)

ΘEOFILOS. BASILE. *Protome d. globum crucigerum.*
CVRIE. BOHΘH. TO. SO.)OVLO. E. *Crux.* AV. (Mus. Caes.)

Numum hunc jam olim vulgavi [a]), dixique, aversae epigraphen hactenus novam sic purius Graece efferendam: ΚΥΡΙΕ. ΒΟΗΘΕΙ. ΤΩ. ΣΩ. ΔΟΥΛΩ. *Domine, auxiliare tuo servo.*

ΘЄOFIL. BASIL. *Protome cum stemmate crucigero d. crucem, s. volumen.*
M *magnum, ad cujus latera hinc* XXX, *illinc* NNN, *supra crux, infra* Θ. AE. II. (Mus. Caes.)

* * *

Numi Theophili cum filiis Michaele III. et Constantino.

Vtrum sociati in his numis Michael et Constantinus Theophili filii sint putandi, gravissima dubia, ac jure quidem movet Begerus, ac primum quidem causa Michaelis, quem numi hi barbatum proponunt, cum tamen puer admodum fuerit, quando pater diem obiit. Constantini ex Theophilo nati veterum nullus meminit. Iusta esse haec dubia non inficiatur Bandurius, sed causam rejicit partim in historiae ejus aevi caliginem, partim in monetariorum ruditatem, infirmo sane effugio, sed quo tamen nos ipsos solamur; nam etsi difficultatem agnoscimus, adferre tamen causae desperatae remedium non valemus.

ΘEOFILOS. BASILE. Θ. *Protome cum stemmate crucigero, d. crucem, s. volumen.*
MIXAHL. S. CONSTANTIN. *Protomae duae Michaelis barbata, Constantini imberbis cum stemmate crucigero.* AV. AE. III. (Mus. Caes.)

a) Sylloge I. pag. 112.

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	O.
Aenei variae formae	C.

THEODORA Theophili cum filia THECLA.

Mortuo marito pro filio puero Michaele III., donec adolesceret, imperium administravit. A filio subinde palatio pulsa in monasterium migravit anno 857.

Thecla Theophili et Theodorae filia a fratre Michaele eodem quo mater anno ex aula exacta palatii tum turbas monasterii solitudine commutavit.

Numi:

ΘEODORA. DESPOVNA. *Protome adversa cum stemmate crucigero d. globum crucigerum, s. crucem oblongam transversam,*

MIXAHL. S. ΘECLA. *Michael III. puer stans a dexteris cum stemmate crucigero, a sinistris Thecla cum stemmate crucigero d. crucem.* AV.

Primus hunc numum vulgavit Ducangius, sed metallum non addidit, secutus Taninius aureos binos ejusdem argumenti reperit. Numi hi sunt rarissimi.

* * *

Numum, in quo Theodora jungitur cum Michaele filio, vide continuo in hujus moneta.

MICHAEL III.

Theophili et Theodorae filius natus anno 836 continuo Augustus a patre appellatur. Mortuo anno 842 Theophilo mater pro filio impubere reip. praeest, sed hanc filius anno 857 materna monita pertaesus aula ejicit, solusque deinceps imperans Ignatio patriarchae Constantinopolitana sede deturbato famigeratum Photium sufficit. A Basilio Macedone, quem anno 866 imperatorem dixerat, vir omnium flagitiorum occiditur anno 867. Caruit prolibus.

Numi:

MIXAHL. S. ΘEODORA. *Duae protomae, a dexteris Michaelis, a sinistris matris Theodorae.*

IHSVS. XRISTOS. *Protome Christi.* AV. (Mus. Caes.)

Eadem adversa.

IHS. XIS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Tanini.)

MIXAHΛ. *Protome adversa cum stemmate crucigero d. globum crucigerum.*

Eadem adversa. AV. (Tanini.)

MIXHAEL. IMPERAT. *Protome adversa d. globum crucigerum.*

BASILIVS. REX. *Protome Basilii adversa.* AE. I.

Singularem hunc numum narrat Taninius exstitisse in museo Savorgnan, et a cl. Liruti vulgatum, et illustratum. Nuper etiam museo Caesareo accessit.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	O.
Aenei	RRRR.

BASILIVS I. Macedo.

Humili prosapia in Thracia natus, e Macedonia Constantinopolin profectus, commendatusque Michaeli III. ad amplissimos ab hoc honores evectus, quin et adoptatus et imperator appellatus est anno 866. Ejus alienatum a se animum cum videret, et in alium inclinare studia, praeveniendum periculo ratus suum ingratus benefactorem obtruncat anno 867, et imperium solus retinet. Anno sequente Ignatium patriarcham exulem pulso Photio restituit quidem, eum tamen mortuo post Ignatio revocat, auctorem continuo schismatis, quod hodieque Latinam Graecamque ecclesiam separat. Moritur Basilius anno 886.

Vxor *Eudocia Ingerina*, ex qua nati *Constantinus* vivo adhuc patre mortuus, *Leo VI.*, et *Alexander.*

Numi Basilii I. solius.

BASILIVS. BASILEVS. *Basilius adversus sedens cum stemmate crucigero dextera quid tenet.*

BASILIOS. EN. ΘEO. BASILEVS. ROMEON. *scriptum in medio numo.* AR. AE. II. (Band. Mus. Caes.) In aliis: IHS. XPS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Band.)

* * *

Numi Basilii I. cum filiis Constantino VIII. et Leone VI.

BASIL. C. CONSTANTI. BA. in aliis:
BASILIOS. ET. CONSTANT. AVGG. B.
Protomae duae cum stemmate crucigero d. crucem una tenent.

IHS. XRS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Mus. Caes.)

BASILIOS. CE. CONSTANTIN. PISTV. BASILIS. ROMEO. *in area numi.*

IHSVS. XRISTVS. NIKA. *Crux super gradibus.* AR. m. m. (Tanini.)

BASIL. S. CONST. BA. *Duo imperatores sedentes labarum una tenent.*

BASILIVS. S. CONSTANTINOS. EN. ΘΟ. BASILEIS. POMAION. *scriptum in medio numo.*

Video, ab antiquariis omnibus numos, quos hoc articulo descripsi, huic Basilio, filioque Constantino tribui, neque causam adferri, cur huic potius, quam Basilio II. sint adjudicandi, qui fratrem Constantinum imperii socium habuit. Certus hujus Basilii est sequens, qui filiorum alterum Leonem conjungit.

* * *

LEON. BASIL. CONST. AVGG. *Protome media altior Basilii inter duas minores Leonis VI. et Constantini filiorum.*

BASIL. CONSTANT. S. LEON. EN. ΘΟ. BASILS. ROMEON. *scriptum in medio numo.*

PRETIVM.

Aurei	R.
Argentei	RRR.
Aenei	C.

CONSTANTINVS VIII.

Basilii I. et Eudociae filius, anno 868 dictus Augustus ante patrem puer moritur anno 879.

Numi:

Eos, in quibus sociatur cum patre, et fratre Leone VI., continuo vidimus, neque alii hactenus reperti, qui eum solum sisterent.

LEO VI. Sapiens.

Basilii I. filius alter quinquennis imperator dicitur anno 870, insidiarum in patrem accusatus in vincula conjicitur, sed non convictus absolvitur, mortuoque paullo post patri succedit anno 886. Varia, ac plerumque infelicia cum barbaris bella gessit. Moritur anno 911.

Vxor IV. *Zoe Carbonopsina*, mater *Constantini X. Porphyrogeniti*, et cum hoc in numis juncta.

Numi Leonis VI. solius.

LEON. EN. XW. BASILEVS. ROM. *Protome crucigera adversa cum stemmate crucigero d. labarum, s. volumen.*

IHS. XPS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Tanini.)

LEωN. EN. Xω. EVSEBHS. BASILEVS. RωMAIωN, *scriptum in medio numo.*
IHSVS. XRISTVS. NICA. *Crux super gradibus.* AR. (Mus. Caes.)

LEON. BASILEVS. ROM. *Imperator cum stemmate crucigero, s. volumen.*
LEON. EN. ΘEO. BASILEVS. ROMEON, *in medio numo.* AE. omnis formae. (Band. Tanini. Mus. Caes.)

Hos numos Leoni VI. dedicant Bandurius, Taninius, Sestinius, at cur exclusum velint Leonem V., rationem justam non adferunt. Ego sane ejus judicii causam idoneam non reperio.

* * *

LEON. EN. Xω. BASILEVS. ROMAIωN. *Protome adversa barbata cum stemmate crucigero.*
MARIA. MA. ΘV. *Protome adversa velata deiparae expansis manibus.* AV. (Pellerin Mel. I. pag. 172.)

Praeclarum hunc numum hujus esse Leonis modeste tantum conjicit Pellerinius.

* * *

Numi Leonis VI. cum filio Constantino X.

LEON. S. CONSTANTINE. EC. ΘEV. BASILIS, *scriptum in area numi.*
IHSVS. XRISTVS. NICA. *Crux gradibus insistens.* AR. (Sestini Tom. II. pag. 96.)

LEON. S. CONSTANTINE. EC. ΘEV. BASILIS. ROMAION, *scriptum in area numi.*
IHSVS. XRISTVS. NICA. *Crux gradibus insistens.* AR. (Sestini Tom. II. pag. 99.)

Numum priorem Sestinius tribuit Leoni IV., alterum Leoni VI. In utroque nullum reperias discrimen, nisi quod in altero additur vocabulum ROMAION, quod sive additum, sive omissum an utrumque numum satis discriminet, mecum credo omnes ambigent. Nullus dubito, utrumque unius esse Leonis, an Leonis IV., an VI., an etiam V., quia rationem discriminis aptam non reperio, non decido.

* * *

Numi Leonis VI. cum fratre Alexandro.

Soli hi in certis hujus Leonis numis sunt habendi, sed quos proxime dabimus.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	RR.
Aenei	R.

ALEXANDER.

Tertius Basilii filius jam a patre Augustus appellatus honorem hunc per fratris

etiam imperium retinuit. Hic posteaquam decessit, tutorem Constantini impuberis Leonis filii egit, sequente anno 912 exstinguitur.

Numi:

LEON. S. ALEXANGROS. *(sic)* *Vterque imp. sedens cum stemmate crucigero d. labarum una tenet.*

LEON. S. ALEXANGROS. BASIL. ROMEON, *scriptum in medio numo.* AE. I. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aenei tantum I. et II. formae . . . . RR.

ROMANVS I. Lecapenus, *et filii CHRISTOPHORVS, STEPHANVS, CONSTANTINVS IX.*

Sub Leone VI. inter imperii proceres, ejus deinde filio Constantino X. imperante in aulam vocatus, hujus primum gener, subinde eidem sociatus ad summum imperii fastigium ascendit anno 919. Elatior inde factus non se modo, sed et filium Christophorum, quem Augustum dixit, praeferre Constantino ipsi coepit. In mortui Christophori locum Stephanum et Constantinum filios Augustos dixit. Cum mortem sibi vicinam persentisceret, supremis tabulis primum Constantino X. locum reddidit, quod gravate ferens Stephanus, patrem in insulam Proten ejecit anno 944, ubi monachi institutum professus biennio post exspirat.

Vxor *Theodora*, ex qua nati *Christophorus*, *Stephanus*, *Constantinus IX.* Augusti omnes, et memorati in numis.

Numi:

ROMAN. ET. XPISTOFO. AVGG. *additis notis arithmeticis Graecis. Protomae duae cum stemmate crucigero patris Romani, et filii Christophori crucem una tenent.*

IHS. XPS. REX. REGNANTIVM. *Christus sedens.* AV. (Mus. Caes.)

* * *

ROMANO. XPISTOFOR. CE. CONSTAN. EN. XΩ. EVSEB. BASIL. R. *scriptum in area numi.*

IHSVS. XRISTVS. NICA. *Crux super gradibus.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Praeclare confirmat hic numus, quod jam observavit Bandurius, Romanum non se modo, sed filium quoque Christophorum Constantino praeferri voluisse.

* * *

CONS. C. RNOS. C. SHFM. *Tres impp. stantes cum stemmate crucigero.*

XRIST - - SΩPHA. *Protomae duae, quarum dexterior globum crucigerum, sinisterior d. globum crucigerum, s. crucem inclinatam tenet.* AV. [a])

a) Sestini Lettere T. II. pag. 20 et 202.

Sestinio interprete imperator medius est Romanus contracto RNOS indicatus, cui adstant filii Constantinus et Stephanus suis quoque indicati nominibus, literis SHFM barbare quidem, tamen satis commode Stephanum arguentibus. In parte aversa ait proponi Christophorum, hunc quoque Romani filium et Augustum, hujusque uxorem Sophiam, sed quod aegre persuaserit. Nam primum, cum Christophorus inter filios fuerit senior Augustus, verisimile non est, factum fuisse, ut a patre divulsus in aversam trajiceretur praelatis fratribus junioribus. Deinde quia verisimile est, ut comprobat Ducangius [a]), Stephanum et Constantinum Christophoro fratre vivo nondum fuisse Augustos, sed nonnisi post hujus mortem suffectos, qui tamen ex Sestinii mente in hoc numo cum fratre conjunguntur, tanquam una Augusti fuissent. Denique fatetur ipse vir eruditus, aversae epigraphen obscuram esse et mancam. Exspectandus igitur numus alter magis nitidus sanusque, qui nos de partis aversae causis certius instruat.

Addo illustrem numum alium, cujus descriptionem nuper mecum communicavit cl. Cousineryus:

ROMANO. CONSTANT. STЄFANOS. CЄ. CONSTANT. ЄN. XΩ. B. R. *scriptum in area numi.*

IHSVS. XRISTVS. NICA. *Crux, in cujus medio clypeus cum effigie Romani, juxta scriptum* RΩMA. AR.

Primum inscriptionis hujus vocabulum eloquitur Romanum nostrum, quod sequitur CONSTANT., Constantinum X, filium Leonis VI., imperii conlegam, sed, ut dixi, postpositum, reliqua duo Stephanum et Constantinum IX. filios Romani. Apparet, Christophorum Romani filium natu maximum tum in vivis amplius non fuisse, quia in filiorum serie omittitur. Vide haec omnia congruentia cum iis, quae supra in Romani vita enarravi. Stephanus nunc primum certa fide in moneta comparet.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRR.

CONSTANTINVS X. Porphyrogenitus.

Leonis VI. et Zoes filius, quia natus in Porphyra, quod nomen palatii parti fuit, dictus Porphyrogenitus. Patre anno 911 composito sub tutela avunculi Alexandri Aug. fuit, quo paullo post e vivis erepto imperavit solus septennis, remp. administrantibus primum variis proceribus, deinde matre Zoe, denique Romano Lecapeno, qui filiam illi Helenam copulavit, et imperatoriam

a) Famil. Byz. pag. 146. 148.

insuper dignitatem sibi addidit. Subinde cum annos omnino XXV. cum Romano imperasset, primum hunc, deinde ejus filios Stephanum et Constantinum, hos quoque Augustos astu in exilium ejecit, solusque deinceps imperans Saracenos per tres orbis partes variis praeliis fregit. Literarum studiis delectatus scripsit libros, qui supersunt. Moritur anno 959.

Vxor *Helena*, ex qua nati *Romanus II.*, *Theodora* Ioanni Zimisci nupta, aliique.

Numi Constantini X. solius.

CONSTANTIN. A. *Protome adversa cum stemmate crucigero d. crucem, s. globum crucigerum.*
IHS. XPS. REX. REGNAT. *(sic) Protome Christi.* AV. (Tanini.)

CONSTANT. BASIL. RωM. *Protome similis.*
CONST. EN. ΘEO. BASILEVS. ROMEON *scriptum in medio numo.* AE. I. II. (Mus. Caes. Band. Tanini.)

Vtrum uterque hic numus tam certo sit hujus Constantini, ut alteri homonymo tribui non possit, nolim pertinacius pugnare.

* * *

Numum argenteum inscriptum in antica: EN. TOVTω. NICAT. BASILIS. CONS., quem Taninius huic Constantino obtulit, esse Basilii II., in hujus moneta demonstrabimus.

Numi Constantini X. cum matre Zoe.

CONSTANT. CE. ZOH. b. *Protomae Constantini et Zoes d. crucem mediam tenent.*
CONSTANTINO. CE. ZOH. bASILIS. ROMEON. *scriptum in medio numo.* AE. I. II. III. (Mus. Caes. Band. Tanini.)

Numi Constantini X. cum filio Romano II.

CONSTANT. ET. ROMAN. AVCC. bA. *Duae protomae cum stemmate crucigero d. crucem una tenent.*
IHS. XPS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Mus. Caes.)

CONST. ΠORFYROS. CE. ROMANO. EN. Xω. EVSEB. Rω-MEON. *scriptum in medio numo.*
IHSVS. XRISTVS. NICA. *Crux gradibus insistens.* AR. (Tanini.)

Illustris hic numus *Porphyrogeniti* cognomen insuper commemorat. Repetitum videbimus in Basilio II.

* * *

CONST. ET. ROMAN. b. ROM. *Duo impp. cum stemmate crucigero globum crucigerum una tenent.*
CONST. ET. ROMAN. EN. XRIST. b. ROMEO. *scriptum in area numi.* AE. II. (Band.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRRR.
Aenei	R.

ZOE Carbonopsina.

Vxor Leonis VI., mater Constantini X., cum quo in numis jungitur, ut continuo diximus.

ROMANVS II.

Constantini X., et Helenae filius anno 959 patri succedit annos natus XXI. Per duces, ac praecipue Nicephorum Phocam multis cladibus Saracenos adficit. Ipse suapte mollis inglorium imperium morte finit anno 963.

Vxor II. *Theophano*, de qua mox. Ex ea nati *Basilius II.*, et *Constantinus XI.*

Numi:

Eos, in quibus sociatur cum patre Constantino X., in hoc vide.

* * *

RωMAN. BASIL. RωM. *Protome cum stemmate crucigero d. sceptrum, s. globum crucigerum.*
RωMAN. EN. ΘEω. BASILEVS. RωMAIωN. *scriptum in area numi.* AE. I. (Mus. Caes.) AE. II. (Mus. Vitzai.)

PRETIVM.

Aenei tantum, iique . . . . R.

THEOPHANO.

Hanc sibi Romanus II. vili genere ortam alteris nuptiis copulavit. Hoc e vivis sublato aliquot menses pro filiis impuberibus Basilio II. et Constantino XI. imperium administravit, donec Nicephorus Phocas a militibus Augustus dictus est, cujus deinde ipsa connubio potita est. Alteri quoque huic marito superstes vixit.

Numus:

ΘEOΦAN. AVΓOΥ. *Protome Theophanonis adversa d. sceptrum, s. globum crucigerum.*
ΘEOTOC. COMOSA. *Protome deiparae.* AE. II. (Band.)

Numi hujus unici iconem illustris Cuperus Bandurio miserat. Fecere detritae partis aversae literae, ut de epigraphe minus recte judicare possimus. Quanquam et vocabulum ΘEOΦAN partis anticae non satis videatur probandum, cum aevi hujus mos ΘEOFAN exigat. Numus hic haud dubie tum cusus est, cum post mariti Romani mortem aliquamdiu sola imperio praefuit.

NICEPHORVS II. Phocas.

Illustri genere natus, et per Constantini X. et Romani II. imperia multarum dux palmarum, hoc mortuo insidiarum metu in Cappadociam abiit, ubi ab exercitu imperator est proclamatus anno 963. Constantinopolin profectus, coronatusque Theophanonem Romani II. viduam uxorem sumit, bellisque deinde contra Saracenos gerendis sedulo vacat. Ioannis Zimiscae ac Theophanonis insidiis denique succumbit anno 969.

Numi Nicephori II. solius.

ΘΕΟΤΟC. bHΘ. *(sic)* NICHF. DES. *Protome deiparae nimbata, juxta quam* M. Θ., *et altera Nicephori crucem una tenent.*

IHS. XRS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Mus. Caes.)

NICHF. EN. XΩ. AVTOCRAT. EVSE. BASILEVS. RΩMAIΩ. *scriptum in area numi.*

IHS. XRISTVS. NICA. *Crux, cui insertus clypeus, in quo protome Nicephori, juxta literae ejus initiales* NICF. AR. (Tanini.)

Vide numum similis modi mox in Zimisce.

NICHF. BASILEV. RΩM. *Protome cum stemmate crucigero d. crucem.*

NICHF. EN. ΘΕΩ. BASILEVS. RΩMAIΩN. *in area numi.* AE. I. II.

Numi Nicephori II. cum Basilio II. privigno.

NIKH†OP. KAI. BACIL. AVG. B. P. *Nicephori et Basilii protomae crucem una tenent.*

IHS. XPS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Olim Vindob. in mus. de France, nunc Hunter.)

NICHFOP. CE. BASIL. AVGG. SA. *Protomae, ut supra.*

Eadem aversa. AV. (Tanini.)

Numi prioris iconem ipsam dedit Khellius a). Basilium II. jam a patre Romano II. dictum fuisse Augustum constat. Docet deinde Ducangius ex Scylitze, eum septennem a Zimisce ad imperii consortium fuisse admissum b). Numi praesentes, testes synchroni et sinceri, diserte docent, eum a Nicephoro quoque pro Augusto observatum, et citat Khellius ad hunc numum testimonium Constantini Manassis, narrantis c), Nicephorum filiis Romani adfectum patris impendisse. Falsum igitur etiam, quod ait Bandurius, Basilium II. sub Nicephoro vitam privatam duxisse.

a) Subplem. ad Vaill. pag. 305. b) Famil. Byzant. pag. 144. c) Compend. chron. pag. 117.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRRR.
Aenei	R.

IOANNES I. Zimisces.

Nobilissimo natus genere Nicephoro ad occupandum contra Romani II. filios imperium auctor fuit, subinde incautum, quod offensam passus fuerat, oppressit, et semet imperatorem dixit anno 969. Solita illi cum Saracenis, Bulgaris, Russis bella. Veneno e medio tollitur anno 975.

Vxor altera *Theodora* Constantini X. filia.

Numi:

IHSVS. XRISTVS. NICA. *Protome in clypeo, quem quatuor cruces ambiunt, cui inscriptum:* IωAN. IωANN. EN. Xω. AVTOCRAT. EVSEB. BASILEVS. RωMAIω. *scriptum in area numi.* AR.

Singularem hunc numum olim ex museo M. Ducis vulgavi [a]). Mirus mihi tum, ac insolens hujus numi typus est visus, at is nunc socium in numo Nicephori II. Phocae, quem proxime dedi, nactus est. Quare recte etiam tum conjeci, eum nulli alteri, qui deinceps Ioannis nomen tulere, tutius posse tribui. Eo etiam praedicandum jure cimelium istud, quod nullus exstat alius, qui certo sit hujus Augusti. Nam alii copiosi, quos in eum conferre solemus, incerti sunt.

PRETIVM.

Argenteus tantum, isque . . . . RRRR.

NVMI IOANNI ZIMISCI VVLGO TRIBVTI.

EMMANOVHL. *Protome Christi, juxta* IC. XC.

IHSVS. XRISTVS. BASILEV. BASILE. *in area numi.* AE. II. (Mus. Caes.)

Hos numos ubique obvios Ducangius praeclare explicat ex iis, quae Scylitzes et ex hoc Cedrenus de Zimisce perhibent: *προσεταξε δε, και ἐν τῳ νομισματι και ἐν τῳ ὀβολῳ ἑικονα ἐγγραφεσθαι τȣ σωτηρος, μη προτερον τȣτȣ γενομενȣ. ἐγραφοντο δε και γραμματα Ρωμαΐςι ἐν θατερῳ μερει ὡδεπη διεξιοντα:* ΙΗΣΟΤΣ ΧΡΙΣΤΟΣ ΒΑΣΙΛΕΤΣ ΒΑΣΙΛΕΩΝ, *jussit in numis et obolis proponi imaginem serva-*

a) Num. vet. pag. 317.

toris, *quod antehac factum non est. In altera vero parte exarabantur literae Latinae in hanc sententiam: IESVS CHRISTVS REX REGVM.* Vide hoc testimonium praeclare cum his numis conspirans, in quo tamen verba: *quod antehac factum non est*, sic sunt explicanda: antehac in numorum parte antica effictam protomen imperantis, at nunc protomen Christi. Vide haec apud Ducangium [a]).

* * *

His numis vere Zimiscianis conjungi solent numi copiosi alii, qui omissa imperantis vel effigie vel inscriptione imaginem Christi, vel crucis, vel sancti offerunt, atque istud hac una de causa, quia iis recensendis opportunior alius locus non est, cum de tempore non constet, quo signati sint. En horum illustriores aliquos.

EMMANTHΛ. *Protome Christi. Deipara cum infante sedens, ad quam accedunt tres magi munera offerentes, superne stella, in imo duae columbae.* Metalli incerti. (Band. ex du Cange.)

EMMAN8HΛ. *Servator stans. Crux, intra cujus radios distributa epigraphe:* IC. XC. NICA. AE. II. (Band.)

IC. XC. *Protome Christi.*

MP. ΘV. *Protome deiparae capite nimbato elatis manibus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Vide numos similis argumenti alios apud Bandurium, et passim in catalogis. Ad eandem classem voco numum sequentem:

Protome adversa nimbata servatoris prominentibus pone crucis radiis.

ANACTACIC. *Templum rotundum, hinc et illinc miles excubitor humi jacens.* AE. II. (Tanini pag. 280.)

Numus hic, quem Taninius ex museo Card. Borgia protulit, pridem fuit cognitus, causaque dissidiorum Sirmondum inter et Tristanum. Sistit aversa templum, quod Constantinus M. aedificandum Hierosolymis curavit eo loco, ubi fuit sepulcrum Christi, et ex quo surrexit, unde sacra haec aedes dicta fuit ANACTACIC, id est: *Resurrectio*. Hujus fabricam copiose celebrat Eusebius [b]), et multa huc congessit Henricus Valesius in epistola, quae exstat sub finem Epiphanii a se editi pag. 304, et in fine historiae ecclesiasticae Eusebii. Taninius hunc numum in moneta Constantini M. recensuit, at enim ex omnibus ejus causis satis apparet, eum multo serius fuisse signatum, et verisimiliter circum tempora, in quibus sumus. Neque etiam satis causae video, cur viri eruditi, quos memoravi, causam typi ab Hierosolymis usque petant, cum illustris ejusdem nominis ecclesia Constantinopoli quoque steterit. Narrat Sozomenus [c]), Gregorium Nazianzenum ibi in exigua quadam domo cum suis orationi vacare solitum, quae subinde in ecclesiae speciem fuerat commutata. Eam processu temporis prae ceteris regiae urbis ecclesiis evasisse illustrem non solum ob structurae elegantiam et amplitudinem, verum etiam ob

a) Dissert. de num. inf. aevi num. 26. 27. b) in vita Const. M. L. III. Orat. de laudib. Const. M. cap. IX. c) Hist. eccl. L VII. c. 5.

assiduas, quae ex divini numinis praesentia ibi percipiuntur, utilitates. Vocatam autem fuisse *Anastasiam*, sive quod, ut existimat Sozomenus, Nicaenae fidei doctrina aliquamdiu ab haereticis oppressa Gregorii eo in loco concionibus *suscitata revixit*, sive quod secundum alios, cum aliquando populus collectas ibi celebraret, ac forte mulier praegnans ex superiore porticu delapsa illico exspirasset, facta continuo ab omnibus oratione confestim illa revixit, et una cum foetu servata est.

BASILIVS II.

Romani II. et Theophanonis filius a patre dictus imperator, neque hac dignitate exutus est, ut aliquibus visum, a successore Nicephoro Phoca, ut in hujus numis comprobavimus. Mortuo anno 975 Zemisci, a quo pariter honorifice habitus est, successit. Plus illi turbarum a seditionibus suorum, quam bellis externis accessit, quas tamen feliciter composuit. Bulgariam victis exactisque regibus in provinciam redegit. Moritur anno 1025, posteaquam annos omnino L. imperio praefuisset.

Numi:

Illos, in quibus cum vitrico Nicephoro II. Phoca jungitur, quaere in hujus moneta.

Reliqui ejus numi perpetuo fratrem Constantinum XI. sociant.

BASILIOS. ET. CONSTANT. AVGGV. *Protomae duae cum stemmate crucigero globum una tenent.*

IHS. XPS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Band. Tanini.)

BASILIOS. CE. CONSTANTIN. PISTV. BASILIS. ROMEON, *scriptum in area numi.*

IHSVS. XRISTVS. NICA. *Crux super gradibus.* AV. AR. m. m. (Tanini. Mus. Caes.)

Vt Basilius II. fratrem Constantinum conlegam habuit, ita Basilius I. filium Constantinum. Arduum igitur est, rite collocare numos, qui Basilium et Constantinum sociant, ut jam observavi ad numos Basilii I. Taninius utriusque generis numos, quos hic apposui, et sub Basilio I. et II. recenset nulla discriminis, quod certe nullum est, addita causa, cum satis tamen appareat, eos alterutri tantum esse tribuendos, at cui, difficilis sane quaestio, cum utriusque imperium non magnopere distet.

* * *

EN. TOTTω. NICAT. BASILEI. C. CωNST. *Protomae binae Basilii et Constantini media inter has elegante cruce.*

BASIL. C. CωNSTAN. ΠORFΥROG. ΠISTV. BAS. RωMAIω. *scriptum in area numi.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Hunc numum latius olim in Catalogo musei Caesarei explicavi [a]), quia vidi, eum a Frölichio perperam Con-

a) P. II. pag. 552.

stantino X. Porphyrogenito adjudicatum a). Nolo, quae ibi dixeram, repetere, cum alioqui cuivis facile pateat, utriusque partis epigraphen pronum hunc, facilemque sensum efficere: EN. ΤΟΥΤΩ. ΝΙΚΑΤε. ΒΑΣΙΛΕΙος Και ΚΟΝΣΤαντινος, et in aversa: ΒΑΣΙΛειος Και ΚΟΝΣΤΑΝτινος ΠΟΡΦΥΡΟΓεννητοι ΠΙΣΤΟΙ. ΒΑΣΙΛΕΙΣ. ΡΩΜΑΙΩν. Vterque imperator frater in his numis dicitur *Porphyrogenitus*. Et vero istud nomen ambo obtinuere teste inscriptione, quam ad Basilii II. numos citat Bandurius: ΕΠΙ. ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ. ΚΑΙ. ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ. ΤΩΝ. ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤΩΝ. κ. τ. λ. ex quo patet etiam, in hos numos Basilio I. et Constantino VIII. jus esse non posse, cum neuter Porphyrogenitus dictus fuerit. Numi ergo praesentes sunt soli, qui nostris tantum fratribus sine dubio competunt, cum alii omnes ut diximus, neque Basilium I. et eius filium fastidiant. Post haec satis mirari non possum, quo pacto Taninius unum eundemque hunc numum potuerit in moneta et Constantini III. et Basilii II. recensere.

* * *

BASILIOS. S. CONST. BASIL. *Vterque imperator crucem una tenet.*

BASILO. S. CONSTANTINOS. EN. ΘΟ. BASILEIS. ROMAION. *in area numi.* AE. II. (Mus. Caes. et alibi passim.)

Neque etiam de his satis certum, an ad Basilium I., an II. pertineant.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRR.
Aenei	C.

CONSTANTINVS XI.

Alter Romani II. et Theophanonis filius, Basilii II. frater, et in imperio conlega, hoc anno 1025 mortuo solus regnat. Cum prolibus masculis careret, Romano Argyro filiam Zoen despondet, eumque successorem designat. Moritur anno 1028.

Numi:

Obvius est in numis fratris Basilii II., quos vide.

* * *

CωNSTANTIN. BASIL. EVSEB. RωM. *Ejus protome.*

IHS. XIS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV.

Hunc numum Taninius ad Constantinum XI. refert, quia concavus, seu scyphatus est, qui fabricae modus sub praecedentibus Augustis nondum valuit. De hoc numorum genere pauca delibavimus Vol. I. in Proleg. gen. p. LXIV.,

---

a) Cimel. Vindob. pag. XLVI.

neque immorari longius operae pretium visum, cum de ipsa vocis *scyphati* origine non satis constet. Vide du Cangium [a]). Satis esto, hoc nomine nunc passim intelligi numos hujus aevi concavos in omni metallo.

ROMANVS III. Argyrus.

MICHAEL IV. Paphlago.

MICHAEL V. Calaphates.

Omnes hi numis carent.

CONSTANTINVS XII. MONOMACHVS.

Gente nobilissima prognatus, beneficio Zoes uxoris, de qua infra, Augusti titulum consequitur anno 1042. Imperium habuit turbis domesticis, et vicinorum barbarorum graviter concussum. Moritur anno 1054 nullo relicto herede.

Numi:

ƆωNSTANT. ΛOSILE. *(sic)* Rω. *Protome adversa cum stemmate crucigero d. labarum, s. globum crucigerum.*

IHS. XIS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Pellerin Mel. I. pag. 172.)

Cur numum hunc Pellerinius Monomacho tribuat, causa illi una, quod ejusdem plane est fabricae cum altero Theodorae coaevae, quem paullo post dabimus.

* * *

ЄV - - - MONOMAXON. *Imp. stemmate crucigero et paludatus stans d. crucem oblongam, s. gladium vagina conditum tenet.*

ΔЄCΠOINA. CωZOIC. *Deiparanimbata stans expansis manibus, juxta* MH. ΘV. AR. m. m.

Praestantem hunc numum ex museo cl. Cajetani Marini edidit nuper Antonius Benedictus in opusculo *Numismata Graeca* etc. p. 107. Literas ЄV commode auctor explet legendo ЄVσεβη, qui titulus in imperatorum hujus aevi moneta rarus non est. Typum stantis hoc cultu imperatoris auctor eruditus explicare quidem conatus est, at recte addidit, fore ut ea, quae dixit, divinatio potius, quam conjectura non nemini videantur. Non scripsisset haec, si

a) de num. inf. aevi §. 98. 99.

animum advertisset, eodem plane modo Isaacium in numis proponi, item Michaelem VII. Sed mox praeclara de nomine ΔΕϹΠΟΙΝΑ deiparae dato disserit. Sensus epigraphes ordiendo a parte aversa est: *Domina serva pium Monomachum.*

* * *

- - MONOMAX - - *Imp. togatus adversus stans d. crucem oblongam, s. globum crucigerum.*

IHS. XC. *Christus sedens.* AR. concavus. (Tanini.)

PRETIVM.

Aurei et argentei . . . . RRRR.

Z O E.

Constantini XI. filia, uxor primum Romani III. Argyri, deinde Michaelis IV. Paphlagonis. A Michaele V. Calaphate mulieris impotentiam verito in exilium pulsa favore plebis patriam, veteremque dignitatem recuperat, dejectoque Calaphate una cum Theodora sorore imperio praeficitur anno 1042, quo adhuc labente jam in grave senium vergens conjugem sibi Monomachum adsciscit, et marito adhuc superstite moritur anno 1050.

Numi:

Binos Ducangius ex Octavio Strada citat, sed haud dubie confictos, partim quia a nemine alio sunt conspecti, et auctor ipse eorum fidem elevat, partim quia ipsi hi numi naturae sunt ab hoc aevo alienae.

THEODORA.

Trium Constantini XI. filiarum postrema, Zoes, de qua continuo actum, soror. Detruso Michaele Calaphate anno 1042 cum sorore imperium administrat, donec Monomachus Augustus dictus est. Hoc anno 1054 et jam antea sorore Zoe e vivis ereptis summam potestatem recipit, et remp. cum laude sola gubernat. Moritur anno 1056.

Numi:

ΘΕΟΔΩΡΑ. ΑΥΓΟΥϹΤΑ. *Deipara capite nimbato, et Theodora cultu regio stantes defixum in medio labarum una tenent.*

IHS. XIS. REX. REGNANTIVM. *Christus stans.* AV. m. m. (Pellerin Mel. I. pag. 164.)

ΘΕΟΔΩΡΑ. ΑΥΓΟΥϹ. *Protome Theodorae cum stemmate crucigero d. sceptrum, s. globum crucigerum.*

IC. XC. *Protome Christi.* AV. (Pellerin Mel. I. pag. 172.)

ΘΕΟΔΩ. AVG. *reliqua ut in praecedente.* AV. (Mus. Caes.).

PRETIVM.

Aurei tantum, iique . . . . RRR.

MICHAEL VI. Stratioticus.

Desunt numi.

ISAACIVS Comnenus.

A Theodora Aug. nuper Orienti praefectus deturbato Michaele VI. anno 1057 coronatur. Causa valetudinis imperium abdicat, et monachum induit 1059 designato successore Constantino Duca.

Numi:

ICAAKIOC. BACIΛЄYC. PΩM. *Imp. paludatus stans d. gladium nudum, s. vaginam.*

IHS. XPS. REX. REGNANTIVM. *Christus sedens.* AV. m. m. (Mus. Caes.)

De hoc numo sic Zonaras [a]). Quod Isaacius summum fastigium non deo, sed sibi adscripserit, argumento esse, quod in numis *ξιφηρη ἑαυτον*, *se gladium tenentem* proponi curavit. Melius ad numi imaginem mox infra: *τῳ στατηρι ἑαυτον ἀνεστηλωσεν, ἀνατεταμενον την χειρα φερουσαν το ξιφος γυμνον*, *in statere se fingi jussit nudum gladium manu extenta gestantem.* Vide similia apud Ioannem Scylitzen sub hoc Isaacio.

Eadem epigraphe. *Imp. paludatus stans d. labarum, s. gladium vagina inclusum.*

Eadem aversa. AV. m. m. (Mus. Caes.)

ICAAKIOC. ΔЄCΠOTHC. *Imp. stans d. crucem, s. volumen.*

MP. ΘT. *Deipara stans manibus expansis.* AE. III. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei . . . . RRR.
Aenei . . . . RRR.

CONSTANTINVS XIII. DVCAS.

Ab Isaacio ad imperium vocatus illud suscepit anno 1059, illudque inter so-

---

a) Lib. XVIII. cap. 4.

lita cum barbaris bella vexatum a morte avocatus posuit anno 1067.

Vxor *Eudocia*, de qua in Romano Diogene. Ex ea nati *Michael VII. Ducas*, *Constantinus Porphyrogenitus*, *Andronicus*, quos continuo in numis Romani IV. conjunctos videbis.

Numi:

CONSTANTIN. O. ΔOVKAS. *Protome adversa cum stemmate crucigero, d. crucem, s. globum crucigerum.*

IHS. XPS. REX. REGNANTIVM. *Protome Christi.* AV. (Olim musei de France Vindob., nunc Hunter.)

CONSTANTINOS. O. ΔOΥKAS. *Imp. stans d. globum crucigerum, cui adstat deipara d. elata, juxta quam* M. Θ.

Eadem epigraphe. Christus sedens. AV. concavus. (Ibidem et Tanini.)

KωNΠ. ΔC. O. ΔOΥKAC. *Imp. stans d. labarum, s. globum crucigerum.*

Eadem aversa. AV. (Mus. M. Ducis.) In alio: *Christus stans.* AR. concavus. (Tanini.)

CωNSTANTIN. BASILEVS. Rω. *Protome, ut supra.*

Eadem aversa. AV. concavus. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRRR.

EVDOCIA.

Vxor primum Constantini XIII., deinde Romani IV. De ea actum in praecedente Augusto, et agetur in sequente.

Numi:

MIX. ЄVΔK. - - - *Eudocia stans altior super pulvillo d. sceptrum inter filios Michaelem, et forte Constantinum.*

IhS. XPIS. REX. REGNANTIVM. *Christus sedens more solito.* AV. (Mus. com. de Vitzai.)

Hactenus numus Eudociae sine consortio alterius mariti Romani IV. vulgatus non est.

Numos ejus alios vide in moneta sequentis Romani IV.

ROMANVS IV. DIOGENES.

Moriens Constantinus uxori Eudociae ea lege imperium pro filiis administran-

dum reliquit, ne iis vitricum induceret. At illa spreta jurisjurandi religione Kal. Ian. 1068 Romanum Diogenem in thalami, et imperii consortium vocavit. Ipse in pugna a Turcis captus, et pacis spe honorifice dimissus eandem, quam a barbaris foris, domi humanitatem expertus non est, a Michaele Duca privigno oculis privatus, et paullo post ex his vulneribus mortuus anno 1071.

Vxor *Eudocia* Constantini Ducae vidua, ut dictum. Iunctam cum marito, filiisque ex priore toro susceptis continuo dabimus.

Numi Romani IV. solius.

ΘΕΟΤΟC. ΒΟΗΘ. RΩΜΑΝΩ, vel: PΩ. DΕSP. *vel similiter. Imp. stans s. globum crucigerum, cujus capiti deipara adstans, supra quam* M. Θ., *dexteram imponit.* In aliis: *praeterea supra imperatoris caput ex alto manus porrigitur.*

IHS. XPS. REX. REGNANTIVM. *Christus sedens.* AV. (Mus. Caes. Band.)

ΘΕΟΤΟΚΟC. RΩΜΑΝΩ. *Similis typus.*

IC. XC. *Christus sedens.* AE. concavus. (Mus. Caes. Band.)

ΘΗΚΟ. RΩΜΑΝΩ. ΔΕCΠΟΤΗ. ΤΩ. ΔΙΟΓΕΝΕΙ. *in medio numo.*

MP. Θ. *Deipara cum figura Christi.* AE. incert. mod. (Ducange.)

Numi Romani IV. cum Eudocia uxore.

ΡΩΜΑΝΩ. ΛΥVΟΜΕ. *(sic) Romanus et Eudocia stantes globum crucigerum una tenent.*

ΘΚΕ. ΒΟΗΘ. *Protome deiparae cum figura Christi in pectore, in area* MP. ΘV. AV. (Band.)

Numi Romani IV. cum Eudocia, et privignis Michaele, Constantino, Andronico.

ΡΩΜΑΝ. ΕΤΔΚΡΙΝ. *(sic) Christus, juxta quem scriptum* IC. XC., *insistens pulvillo manus imponit capiti Romani a dextris cum globo crucigero adstantis, et Eudociae, quae ad sinistram cum simili globo adstat.*

ΚΩΝ. ΜΧ. ΑΝΔ. *Michael altior stans in medio d. labarum adstantibus ad dexteram Constantino, ad sinistram Andronico, utroque cum globo crucigero.* AV. concavi. (Mus. Caes., de France olim Vindob., nunc Hunter.)

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	O.
Aenei	RR.

MICHAEL VII. DVCAS et MARIA.

Constantini XIII. et Eudociae filius. A patre moribundo dictus Augustus an-

no 1067, non tamen regnare coepit ante annum 1071, quo Romanus IV. a Turcis captus, atque inde redux orbatus oculis periit. Eo imperante Turci oram Ponticam occupant, et Turcomaniae regnum statuunt. Deturbatus a Nicephoro Botaniata anno 1078 in monasterium migrat.

Vxor *Maria* marito in numis juncta, unde natus *Constantinus Porphyrogenitus.* Privato marito, et adhuc vivo Nicephoro Botaniatae nubit.

Numi Michaelis VII. solius.

ΜΙΧΑΗΛ. ΒΑCΙΛΕV. *vel* ΒΑCΙΛΟΔ. *vel similiter. Protome adversa cum stemmate crucigero d. labarum, s. globum crucigerum.*

IC. XC. *Protome Christi.* AV. concavi. (Mus. Caes. Band.)

ΜΙΧΑΗΛ. ΔΕCΠΟΤ. *Deipara et imp. stantes labarum una tenent.*

IHS. XIS. REX. REGNANTIVM. *Christus sedens.* AV. (Tanini.)

ΜΙΧΑΗΛ. ΔVΚΟC. ΒΑC. *Imp. stans ab adstante deipara coronatur.*

Eadem aversa. AV. (Band.)

ΜΙΧΑΛ. ΒΑCΙΛΟ. AVG. *(sic) Imp. adversus stans cum stemmate crucigero et paludatus, d. cruci, s. gladio innixus.*

ΘΚΙΧΛΘΙ. ΤΟV. ωΔΟΗΛ. *(sic) Deipara stans, manibus expansis.* AR. concavus. (Tanini.)

Numi Michaelis VII. cum Maria uxore.

ΜΙΧΑΗΛ. S. ΜΑΡΙΑ. *Michael et Maria stantes crucem una tenent.*

ΘΚΕ. ΒΟΗΘ. *Protome deiparae Christum infantem in clypeo effictum in pectore tenens.* AV. (Band.)

ΜΙΧ - - - ΜΑΡΙΑ. ΕΝ. ΧΡΙCΤω. ΝΙΚΑΤΕ. *Crux ornatior insistens gradibus, ad cujus dexteram protome Michaelis, ad s. protome Mariae.*

ΜΙΧΑΗΛ. ΚΑΙ. ΜΑΡΙΑ. ΠΙCΤΟΙ. ΒΑCΙΛΕΙC. ΡωΜΑΙωV. *scriptum in area numi.* AR. (Pellerin Suppl. IV. p. 19.)

Insolens Pellerinio visus est titulus ΠΙΣΤΟΣ, *fidelis*, quia hactenus imperatoribus hujus aevi, saltem in numis, non tributus, et causam adeo in Michaelis historia quaerit, cur eo usus fuerit. Perperam, nam posthac plurium imperatorum numi reperti sunt hunc titulum praeferentes, ut hactenus vidimus.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRRR.
Aenei	O.

NICEPHORVS III. BOTANIATES.

Orientis exercitui praefectus, nixus foedere cum Turcis inito imperium adfectat anno 1078, et Constantinopoli facile potitur Michaele vix audita ejus defectione monasterium incerto bello praeferente. Triennio post eandem experitur fortunam ab Alexio Comneno subactus, et in monasterium relegatus anno 1081.

Numi:

ΝΙΚΗΦΟS. ΔЄCΠΟΤ. vel: ΝΙΚΗΦ. ΔЄC. ΤΩ. ΒΟΤΑΝΙ. *Imp. stans d. labarum, s. globum crucigerum.*

IC. XC. *Christus sedens.* AV. (Band.)

PRETIVM.

Aurei tantum, iique . . . . RRR.

ALEXIVS I. COMNENVS.

A Nicephoro ad amplissimos honores promotus oppresso benefactore imperium sibi vindicat anno 1081. Hoc imperante prima a Gallis ad recuperandam terram sanctam expeditio suscepta est, Alexio eorum consilia, quod suspecta sibi visa essent, clam saepe corrumpente. Moritur anno 1118. Ejus res gestas prolixe descripsit filia Anna Comnena in Alexiade sua.

Vxor *Irene Ducaena*, ex qua natus *Joannes II. Comnenus*, qui successit.

Numi:

ΑΛЄΞΙΩ. ΔЄCΠΟΤΗ. ΤΩ. ΚΟΜΝΗΝΩ. *Imp. stans d. labarum, s. globum crucigerum.*

ΚЄ. ΒΟΗΘЄΙ. *Christus sedens, juxta quem* IC. XC. AV. m. m. (Mus. Caes.)

Inscriptio utriusque paginae conjuncta hunc sensum facit: Κυριε ΒΟΗΘЄΙ. ΑΛЄΞΙΩ etc. Hi numi perinde convenire possunt Alexio II. Comneno. Taninius eos perinde Alexio I. et II. tribuit.

ΑΛЄΞΙ - - - *Protome d. sceptrum, s. globum crucigerum.*

ΜΡ. ΘΥ. *Protome deiparae manibus expansis, ad ejus pectus protome Christi infantis.* AR. III. (Mus. Caes.)

* * *

ΑΛЄΞΙΟC. ΔЄCΠΟΤΗC. *Imperator stans d. labarum, s. globum crucigerum.*

Ο. ΓЄΩΡΓΙΟC. *Protome S. Georgii.* AE. III. (Mus. Caes.)

Aenei hi numi, quia Comneni nomen non addunt, perinde referri possunt ad Alexium III. Angelum. Hoc incerto eos Bandurius in utriusque moneta commemoravit.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRRR.
Aenei	R.

IOANNES II. COMNENVS PORPHYROGENITVS.

Alexii I. et Irenes filius, natus anno 1088 quadriennis Augustus dictus est, patrique anno 1118 successit. Cum cruce signatis parum prospere aliquoties pugnavit, felicius in Asia cum Saracenis. Contacta incautius teli cuspide toxico imbuta serpente latius tabo moritur anno 1143.

Vxor *Irene* Ladislai Hungariae regis filia, unde natus *Manuel* successor.

Numi:

ΙΩ. ΔЄСΠΟΤ. vel ΙΩ. ΔЄСΠΟΤ.ΤΩ.ΠΟΡΦΥΡΟΓЄΝΗΤ. *Deipara et imp. stantes, ut hactenus.*

IC. XC. *Christus sedens.* AV. concavi. (Mus. Caes.)

ΙΩ. ΔЄСΠΟΤΗ, *illinc retrograde* ΓЄΩΡΓΙ. *Imp. cum stemmate crucigera, et S. Georgius nimbatus paludatus s. nudum gladium tenens stantes crucem oblongam tenent.*

Eadem aversa. AV. max. mod. (Pellerin Mel. I. pag. 159.) AR. (Band. ex mus. Brandeburg.)

* * *

ΙΩ. ΔЄС. ΠΟΡΦΥΡ. *Imperator d. crucem, s. globum crucigerum, a sinistris sedet deipara manibus expansis in throno sublimiore.*

ΜΡ. ΘΥ. *Deipara sedet cum nimbo, d. elata, ante eam stant tres viri cum cucullis supplicum ritu.* AE. II. (Band.)

* * *

Supersunt hujus Augusti plures alii AEnei III. formae, sed cum notis inscriptionibus, et typis.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRR.
Aenei	R.

MANVEL I. COMNENVS PORPHYROGENITVS DVCAS.

Ioannis II. Comneni et Irenes filius natu minimus, quem pater praeterito propter crudelitatis indicia primogenito Isaacio ad imperium destinavit, quod

deinde adivit anno 1143. Manuelis infame est in historia cruce signatorum nomen, quorum exercitus insidiis et perfidia saepe attrivit. Post multa vulgata amentiae argumenta moritur anno 1180.

Vxor altera *Maria*, unde *Alexius II.*, qui successit.

Numi:

ΜΑΝ8ΗΛ. ΔΕϹΠΟΤΗ. ΤѠ. ΠΟΡΦΥΡΟΓΕΝΝΗΤѠ. *Imperator stans d. labarum, s. globum crucigerum, cujus caput imminens ex alto manus contingit.*
ΚΕ. ΒΟΗΘΕΙ. *Protome Christi, juxta* IC. XC. AV. AR. concavi. (Mus. Caes.)

ΜΑΝ8ΗΛ. ΔΕϹΠ. *Imp. stans ab adstante deipara coronatus.*
IC. XC. *Christus sedens.* Potin scyphatus. (Mus. Caes.)

ΜΑΝΥ - - ΚΟΝ - - *Imp. stans d. labarum, s. gladium.*
Ο. ΑΓΙΟ. ΕΥΓΕΝΙΟ. *S. Eugenius nimbatus stans d. cruci innixus, s. pectori admota.* AR (Tanini.)

ΜΑΝΥΗΛ. Ο. ΘΕΟΔѠΡΟ. *Imp. stans a dexteris d. gladium, et S. Theodorus habitu militari s. gladium, crucem una tenent.*
IS. XP. *Protome Christi.* AR. (Tanini.)

* * *

ΜΑΝ8ΗΛ. ΔΕϹΠΟΤΗϹ.ΚΟΜΝΗΝΟ.ΔΟΥΚΑϹ. *Manuel stans d. palmam, s. sceptrum.*
IC. XP. Ο. ΕΜΑΝ8ΗΛ. *Protome Christi.* AE. m. m. (Tanini.)

Eadem epigraphe. Manuel stans d. sceptrum, s. ad pectus, cui manus ex alto coronam imponit.
Eadem aversa. AE. m. m. (ibid.)

* * *

ΜΑΝ. ΔΕϹΠ. *Ejus protome.*
ΓΕΟΡΓΙΟϹ. *Protome S. Georgii.* AE. IV. (ibid.)

* * *

Exstant praeterea copiosi AEnei omnis formae cum aversa Christi, vel deiparae.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRR.
Aenei	C.

ALEXIVS II. COMNENVS.

Manuelis I. et Mariae filius. Mortuo anno 1180 patre sub tutela matris imperium auspicatus est, triennio post jussu Andronici Comneni strangulatur anno 1183.

Numi:

Qui Alexii Comneni inscriptum nomen offerunt, nullum certum discrimen offerunt, sintne Alexio I., an II. adju-

dicandi. Si quos ergo huic II. largiri malis, eos in moneta Alexii I. quaere.

ANDRONICVS I. Comnenus.

Alexii I. nepos, impia Alexii II. caede imperio potitus anno 1183, cum in omnium odia propter crudelitatem incurrisset, a furibunda plebe discerpitur anno 1185.

Numi:

ΑΝΔΡΟΝΙΚΟϹ. ΔΕϹΠΟΤΗϹ. *Imp. stans d. sceptrum, s. globum crucigerum, cujus capiti adstans Christus coronam imponit.*

$\overline{\text{MP}}$. $\overline{\Theta\text{T}}$. *Deipara sedens manibus veste obvolutis.* AV. concavi. (Tanini.)

Similis utrinque epigraphe, et typus aversae in AE. II. *et* III. (Band. Tanini.)

Omnes hi numi utrum sint Andronici I., an alicujus ejusdem nominis ex iis, qui sequuntur, incertum sane.

Edidit Taninius aeneum II. formae: ΑΝΔΡΟΝΙΚΟϹ. ΔΕϹΠΟΤΗϹ. *Imperator et angelus stantes etc.* Numos cum simili typo habet proximus Isaacius Angelus, et est in his typus angeli adlusio ad nomen, neque is hactenus ante hunc Isaacium in numis compertus est. Viderit ergo eruditus ejus cimelii praeco, an certa hoc in numo sit lectio ΑΝΔΡΟΝΙΚΟϹ, et pro hoc non potius legendum ΙϹΑΑΚΙΟϹ.

* * *

Numum aureum cum typo urbis Constantinopolis, quem Bandurius post Ducangium Andronico I. dedit, esse Andronici II. Palaeologi, in hoc disputabimus.

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Aenei	R.

ISAACIVS II. Angelus.

Andronico atrociter a plebe, ut diximus, interfecto imperator salutatur anno 1185. Fridericum Ahenobarbum gravem vindicem expertus est, quod sibi Palaestinam per Thraciam petenti obstitisset. A fratre Alexio oculis orbatus, et in carcerem conjectus est anno 1195, inde serius eductus, et dignitati restitutus armis filii Alexii, cum hunc quoque caesum intellexisset, moerore exstinguitur anno 1204.

Numi:

ΙϹΑΑΚΙΟϹ. ΔΕϹΠ. *Imperator stans, cujus caput superne coelestis manus contingit, d. crucem, s. gladium vagina clausum una cum*

adstante angelo tenet, *juxta quem superne scriptum* MAI. *inferne* XM. In alio: *juxta angelum inferne scriptum* XOXM. In alio: XXM.
MHP. ΘV. *Deipara sedens.* AV. concavi. (Mus. Caes.) AR. concavus. (Mus. Caes.)

Sunt etiam similes aenei cum vel sine adstante angelo, cujus imago haud dubie est adlusio ad nomen imperantis, quique propterea hunc coeli ministrum praecipue sibi propitium speraverit.

PRETIVM.

Aurei	RR.
Argentei	RRR.
Aenei	R.

ALEXIVS III. Angelus.

Amoto per vim, et oculis multato fratre Isaacio imperium invadit anno 1195, verum a ducibus sacrae militiae, quos in patris vindictam animavit filius Alexius IV., bello petitus fugam arripuit anno 1203, subinde captus in carcere vitam clausit.

Numi:

Horum si quos habuit, pete ex numis Alexii I. Comneni, ut in hoc monuimus.

ALEXIVS IV. Angelus.

Isaacii II. filius, patre ex vinculis erepto imperator dicitur anno 1203, anno sequente ab Alexio V. Duca Murzuphlo occiditur.

Numi:

Hujus quoque aut nulli, aut incerti.

ALEXIVS V. Ducas Murzuphlus.

Alexii IV. sicarius anno 1204, eodem adhuc anno ex urbe fugitivus, in Peloponneso apprehensus inter cruciatus animam efflat.

Numi:

Vt in praecedente.

* * *

Cruce signati capta anno 1204 Constantinopoli, ejectoque Alexio V., cum adserere sibi Orientis imperium constituissent, BALDVINVM Flandriae comitem imperatorem dixere, quem secuti HENRICVS frater, PETRVS Alti-

siodori comes, ROBERTVS Petri F., BALDVINVS II. Roberti frater, quo imperante Michael Palaeologus Constantinopolin expugnavit anno 1261, et Latinorum in Oriente imperio finem fecit.

Omnium horum numi hactenus cogniti non sunt *. Dubius omnino est is, quem ad horum aliquem pertinere leviter conjecit Pellerinius a).

* * *

Ejecti urbe principe Graeci alibi sibi imperatores suae gentis constituerunt, quos modo una cum numis recensebimus.

THEODORVS. I. LASCARIS. Adhuc privatus Annam Comnenam Alexii III. Angeli filiam uxorem duxit, qua fiducia Latinis imperio interim potitis obsequium negavit, et Nicaeae purpuram induit. A Latinis aeque, ac Graecis exagitatus moritur improlis anno 1222.

* * *

THEODORVS. II. ANGELVS, Ioannis Angeli, qui et Comnenus, filius, Constantini Angeli nepos, qua de stirpe vide Ducangium b). Ditionem suam Epiroticam adhuc privatus justis accessionibus, quas Bulgaris, Latinisque per vim detraxerat, insigniter auget. Petrum Altisiodorensem, a Latinis imperatorem dictum, per insidias capit, et interimit. Hac fortuna elatus Thessalonicae purpuram sumit anno 1222, ibique coronatur. Post multa belli praeclare facta a Bulgaris victus captusque, oculis subinde orbatus liber tamen dimittitur, recuperataque Thessalonica imperium in filium Ioannem transfert, sed quem patre adhuc vivo in ordinem redegit Ioannes Vatatzes.

* * *

IOANNES III. VATATZES, jure uxoris Irenes, quae fuit filia Theodori I., hoc vita functo a Graecis Asiaticis Augustus dicitur. A scriptoribus etiam *Ioannes Ducas* vocatur, forte ex avorum aliqua adfinitate cum Ducaena familia, ut conjicit Ducangius c). Imperium per annos XXXIII. prudenter, ac magna rei bellicae laude administravit, et neglecta diu literarum studia revocare summa contentione adlaboravit, cognita praeclara ejus voce, in hominum coetu nihil esse rege et philosopho praestantius d). Obiit anno 1255.

* * *

THEODORVS III. LASCARIS, Ioannis Vatatzis filius. Lascaris cognomen sumpsit a matre Irene, quae Theodori I. Lascaris filia fuit. Moritur anno 1259.

* * *

IOANNES IV. LASCARIS, Theodori III. et Helenae filius imperium patris morte vacuum puer adit, non multo post a Michaele VIII. Palaeologo oculis erutis in carcerem compingitur, in quo reliquam vitam exegit.

* * *

a) Lettres pag. 184 b) Famil. Byzant. pag. 206. seq. c) Famil. Byzant. pag. 222. d) Greg. Acropolita cap. 32.

*) Sed innotuere serius opera *Cousineryi* et praecipue *N. D. Marchant:* Mélanges de Numismatique et d'histoire ou Correspondance sur les medailles et monnaies des empereurs d'Orient, des princes croisés d'Asie, des Barons français établis dans la Grèce etc. etc. Paris, chez F. J. Fournier le Jeune, libraire, Rue serpente No. 45. Metz, chez L. de Villy libraire. 1818. 8. Not. edit.

Hactenus binos Ioannes, tres Theodoros enarravimus, qui intra tempus, quo Franci Orientis imperium tenuere, in Graeciae parte pro Latinis Augusti sunt agniti. Vtriusque Ioannis numi certi nondum prodivere. Theodori nomine nonnulli sunt vulgati, verum non satis plana ratio, quae suo singulos Theodoro vindicare doceat. En tibi eorum catalogum additis conjecturis, si quae ad manum erunt.

Numi THEODORI nomine.

ΘЄΟΔωΡΟϹ. Δ8ΚΑϹ. — Ο. ΑΓΙΟϹ. ΔΗΜΗΤΡΙΟϹ. *Theodorus habitu regio indutus, et S. Demetrius nimbatus paludatus stantes una crucem oblongam tenent.*
IC. XC. *Christus sedens in throno, juxta quem hinc* IC *illinc* AK. AR. m. m. a)

ΘЄΟΔΟΡΟϹ. ΔЄϹΠΟΤΗϹ. ΚΟΜΝΗΝΟϹ. Ο. Δ8ΚΑϹ. *Imp. stans d. sceptrum, s. globum crucigerum, ejus capiti manus coelestis desuper imminet.*
IC. XC. ЄΜΜΑΝ8ΗΛ. *Protome Christi.* AE. concavus. (Tanini.)

ΘЄΟΔωΡΟϹ. — Ο. ΑΓΙΟϹ. ΜΙ. *Crux gradibus insistens, hinc protome Theodori, illinc S. Michaelis.*
ΘЄΟΔωΡΟϹ ΔЄϹΠΟΤΗϹ. Ο. ΔΟΥΚΑϹ, *scriptum in area numi.* AE. II. (Tanini, Mus. Caes.)

ΘЄΟΔωΡΟϹ.ΔЄϹΠΟΤΗϹ. *Imperator stans.*
IC. XP. *Protome Christi.* AE. (Tanini.)

Numus I., isque reliquis illustrior, pridem mihi est cognitus, ex quo ejus statum mecum communicavit amicissimus mihi Cousineryus, olim nationis Gallicae apud Thessalonicam consul praeclari hujus cimelii possessor. Vulgavit, ut dixi, abbas Sestinius, et delineatum stitit tab. V. n. 13. Esse Theodoro II. tribuendum, conjecturam habemus probabilem sane. Constat, eum Thessalonicae sedem fixisse, coronatumque in templo urbis principe, quod S. Demetrio sacrum fuit, cujus magnus ibi fuit cultus, quia hac in urbe martyrii palmam Maximiani jussu abstulit, de quo vide Photium b). Cur is se Ducam nominet, tanquam ex illustri Ducarum stirpe prognatus fuerit, ut certa causa dari nequit, ita certum etiam, ex stirpe materna, quin et adfinitatibus, vanitatis plerumque causa, hoc aevo nomina capi consuevisse, ut supra in Ioanne Vatatze diximus. Neque vero etiam propter eandem illustrium cognominum libidinem incredibile, numum loco II. positum, in quo Theodorus praeter Ducam insuper *Comnenus* dicitur ad eundem Theodorum II. pertinere. Sane plures aliae fuere hoc aevo personae nobiles, quae aliis suis nominibus addidere nomina *Ducae Comneni*, ut videre est apud Ducangium c). Hanc in Theodoro nostro adscitorum nominum varietatem praeclare confirmat decretum Graecum, quo idem ille metropolitanae Corcyrensis ecclesiae vetera jura rata esse jubet, quodque aeri incisum et commentario illustratum ex praeclaro museo Iacobi Nanii Veneti vulgavit eruditus Clemens Biagius d). Desi-

a) Sestini Lettere T. II. p. 20 et 203. b) Cod. 255. c) Famil. Byzant. pag. 209 et 235. d) Monum. Graec. Lat. pag. 209.

nit illũ in haec verba: *μηνι Ιȣνιῳ ήμεϱᾳ πϱωτη ἐτει ϛψλϛ Θεοδωϱος ἐν Χϱιϛῳ τῳ Θεῳ- - ὁ βασιλευς και ἀυτοκϱατωϱ Ρωμαιων Κομνηνος ὁ Δȣκας.* *Mense Iunio die primo anno 6736. Theodorus in Christo deo rex et imperator Romanorum Comnenus Ducas.* Decreti hujus conditorem Theodorum eundem esse cum Theodoro, de quo agimus, dubitari vix potest, quia et tempus, et locus conspirant. Vulgatum se profitetur anno ϛψλϛ, id est: 6736, qui fuit annus orbis conditi in computu Graecorum, qui incunabula orbis fixerunt ad annum 5508 ante Christum, quem numerum si a priore auferas, habebis annum post Christum 1228 vulgati decreti, quo ipso tempore floruisse Theodorum II. diximus. At diximus etiam, illum in Epirum fuisse dominatum, et plane verisimile adeo, in ipsam quoque Corcyram insulam, quae Epiro adsita fuit. Cum ergo is in eodem decreto se vocet et Comnenum, et Ducam, facile illi largiemur numum praesentem, quin etiam, qui sequitur, addito utroque nomine: ΚΟΜΝΗΝΟC. Ο. Δ8ΚΑC. De reliquis tribus numis, cujus sint Theodori, cum hoc nomine plures fuerint despotae, minus certum judicium.

Numum III. jam edideram ego in Catalogo musei Caesarei pag. 554, et ante me Frölichius, qui praeterea nonnulla de variis his Theodoris disseruit [a]). Ambo in parte antica deiparam Theodoro junctam vidimus, cum pro hac ponendus sit S. Michael. Nimirum in nostro extritae sunt literae Ο. ΑΓΙΟC. ΜΙ., quas offert Taninianus.

* * *

Numi duo, quos sub Theodoro Lascari descripsit Ducangius, hausti sunt, ut ipse fatetur, ex Strada, et fidei adeo dubiae. Vide ejus dissertationem de numis inf. aevi §. 68.

PRETIVM.

Argentei	RRRR.
Aenei	RR.

MICHAEL VIII. PALAEOLOGVS.

Dejecto Ioanne IV. imperium occupat anno 1260, et capta anno sequente Constantinopoli Balduini II. et Latinorum in Oriente imperium finit. Ecclesiam Graecam cum Romana conciliat. Moritur anno 1282.

Vxor *Theodora*, ex qua natus *Andronicus II.* successor.

Numi Michaelis VIII. solius.

ΜΙΧΑΗΛ. ΔЄCΠΟΤ. Ο. ΠΑΛЄΟ. *Christus, juxta quem* $\overline{\text{IC}}$. $\overline{\text{XC}}$., *pro cujus pedibus imp. genuflexus, quem stans pone deipara Christo sistit.*

$\overline{\text{MP}}$. $\overline{\Theta\text{Y}}$. *Protome deiparae manibus ex-*

a) Animadv. in num. vet. urb. pag. 129. edit. Florent.

pansis circumdata moenibus ac turribus Constantinopolis. AV. concavus. (Pellerin Lettres pag. 180. Tanini.)

Praeclaros hos numos explicabimus in numis proximi Andronici II.

Numus Michaelis VIII. et Andronici II. filii.

ΜΙΧΑΗΛ. ΔЄϹΠΟΤΗϹ. ΠΑΛ - - *Imp. adversus stans d. femori admota, s. volumen.*

ΑΝΔΡΟΝΙΚΟϹ. ΔЄϹΠ - - ΠΑΛ. *Idem typus.* AE. III. (Tanini.)

* * *

In numo, quem Ducangius huc vocat, nullam probabilem, cur hujus Michaelis sit, causam video.

PRETIVM.

Aurei et aenei . . . . RRRR.

ANDRONICVS II. PALAEOLOGVS.

Michaelis VIII. et Theodorae filius hoc mortuo imperium adit anno 1282. Ab Andronico III. nepote bello petitus abdicat anno 1328, et aliquot post annis privatus moritur.

Vxor *Anna* Stephani V. Hungariae regis filia, ex qua natus *Michael IX.* a patre dictus Augustus, sed ante hunc mortuus. Vxorem is habuit *Xenen*, unde *Andronicus III.*, qui successit.

Numi Andronici II. solius.

ΑΝΔΡΝΙϹΟϹ. ЄΝ. ΧѠ. ΔЄϹΠΟΤ. ΠΟΛ. ΡΟΜ. *(sic) Christus stans dexteram imponit capiti Andronici genuflexi.*

Protome deiparae manibus expansis, circumdata moenibus ac turribus urbis Constantinopolitanae. AV. concavus. (Liebe Goth. num. pag. 93.)

Numum huic similem Ducangius, ejusque assecla Bandurius in moneta Andronici I. Comneni descripsere, et Ducangius quidem in Familiis Byzantinis pag. 169, etsi olim in Andronicum nostrum Palaeologum inclinaret animus, scilicet in Dissertatione de inferioris aevi numis §. 68, et, quod magis mirum, ipse adferret argumentum, quod ad eum Palaeologo tribuendum maxime hortari debuerat, testimonium intelligo Pachymeris narrantis [a]), Michaelem Andronici nostri patrem immutasse veteres numorum typos, et parti eorum aversae urbem, sc. Constantinopolin, insculpendam curasse. Nihil hac Pachymeris narratione potest esse luculentius. Iam vero cum hoc ejus testimonium confirmetur insuper auctoritate numorum Michaelis VIII. Palaeologi, novi hujus instituti auctoris, in

a) L. XII. cap. 8.

quorum, ut vidimus, parte aversa similis urbis Constantinopolitanae imago efficta est, an dubitare adhuc possumus, procul ab iis habendum Andronicum Comnenum, hosque, in quibus sumus, numos vindicandos Andronico Palaeologo, coeptum nimirum a patre Michaele modum prosequenti? Idem confirmabunt continuo numi Andronici cum eodem urbis typo, qui filium Michaelem sociant. Epigraphen aversae praeclare Liebeus puritati restituit legendo: Ανδρονικος ἐν Χριςῳ Δεσποτης πολεως Ρωμαιων.

* * *

- - ΑΝΔ - - *Protome d. hastam cruce praefixam, s. globum crucigerum.*

ΚΤΡΙЄ. ΒΟΗΘЄΙ. *Crux intra clypeum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numum hunc hujus esse Andronici, conjeci propterea, quia fabrica et typo similis est sequentibus, qui certe sunt Andronici II.

* * *

ΑΝΔΡΟΝΙΚΟC. — Ο. ΑΓ. ΔΗΜΗΤΡΟC. *Andronicus, et S. Demetrius stantes.*

ΙC. XC. *Christus sedens.* AV. a)

Sestinio videtur tribuendus Andronico III. Sed idem in eum jus est Andronico II. Arbitretur lector.

Numi Andronici II. cum filio Michaele IX.

ΑΝΔ. - - ΧΑΗΛ. *Christus stans, juxta quem* ΙC. XC., *dextera protegit adstantem Andronicum II., sinistra Michaelem IX.*

Sine epigraphe. *Protome deiparae inter urbis moenia, ut supra.* AV. (Tanini.)

ΑΝΔΡΟΝΙΚ. ΜΧΑΗΛ. *Duo impp. stantes medium labarum una tenent.*

ΑΝΔΡΟΝΙΚΟC. ΔЄCΠΟΤΗC. *Crux intra clypeum.* AR. III. AE. III. (Mus. Caes.)

PRETIVM.

Aurei	RRR.
Argentei	RRRR.
Aenei	RRR.

MICHAEL IX. Palaeologus.

De hoc, ejusque numis vide dicta in moneta Andronici II. patris.

ANDRONICVS III. Palaeologus.

Michaelis IX. filius, Andronici II. nepos, patre praemature mortuo ab avo

a) Sestini Lettere Tom. II. pag. 21 et 203.

in consortium adoptatus, subinde avum sibi beneficum solio dejicit anno 1328. Moritur anno 1341.

Vxor *Ioanna*, vel *Anna* Amedaei Sabaudiae comitis filia, ex qua natus *Ioannes V.*, successor.

* * *

Numos, si quos habet, selige ex dubiis Andronici II. numis.

IOANNES V. Palaeologus.

Andronici III. filius, illo anno 1341 mortuo novennis sub matris et Ioannis Cantacuzeni tutela imperium auspicatur. Multa adversa a tutore Ioanne, deinde filio Andronico passus, denique Turcis obnoxius post L. annorum imperium vivere desiit anno 1391.

Vxor *Helena Cantacuzena*, ex qua nati *Andronicus IV. Palaeologus*, in patrem primum rebellis, subinde privatus ante patrem moritur, et *Manuel II.*, qui post patris mortem imperavit.

* * *

Desunt hujus imperatoris numi.

IOANNES VI. Cantacuzenus.

Andronicus III. moriturus Ioannem Cantacuzenum Magnum Domesticum filio impuberi Ioanni una cum matre Anna tutorem reliquit. Hic cum filiam Helenam jungere cum pupillo cuperet, istud tamen per Annam non liceret, arma respicit, et Constantinopolin occupat anno 1347, mox imperii cum Ioanne V. Palaeologo consors filiam illi Helenam despondet. Orto iterum bello Turcis Ioanni Palaeologo opem ferentibus ponere imperium coactus monachi habitum induit anno 1355. Scripsit commentarios de vita sua.

Numus:

Plumbeus quidem, et haud dubie sigilli vice, dignus tamen, qui hic locum obtineat. Eum nuper edidit abbas Sestinius ex museo Ainslieano a), et delineatum dedit tabula V. n. 16.

O. ΔΗΜΗΤΡΙΟC. *Protome S. Demetrii nimbata d. hastam.*

ΙΩ. CЄΒΑϚΟC. ΚΑΙ. ΜЄΓΑC. ΔΟΜЄCΤΙΚΟC. *scriptum in area.* Pl. m. m.

Ioannem nostrum primo fuisse nominatum magnum Domesticum, at hoc nondum honore contentum arripuisse imperium, continuo diximus, et copiose narratur a Ducangio b), quam utramque dignitatem nunc in praeclaro hoc monumento conjunctam intuemur. Fuit autem Magnus Domesticus apud Byzantios is, qui copiis terrestribus praeerat, ut maritimis Magnus Dux, de quo vide iterum Ducangium c).

---

a) Lettere Tom. II. pag. 21 et 183. b) Famil. Byzant. pag. 260. c) Gloss. inf. Lat.

MATTHAEVS Cantacuzenus.

Prioris filius, post patrem item abdicat.

ANDRONICVS Palaeologus.

Ioannis V. et Helenae filius. In patrem rebellis, subinde poenitens abdicat translato in fratrem imperii jure.

MANVEL II. Palaeologus.

Ioannis V. et Helenae filius alter. Patri anno 1391 succedit, et cum imperio Turcorum vicinia, et Ioannis VII. ex fratre Andronico nepotis seditione multum turbato annis XXXV. praefuisset, moritur anno 1425, cum antea filio Ioanni imperium, quo se abdicaverat, permisisset.

Vxor I. *Irene*, ex qua nati *Ioannes VIII.* et *Constantinus XIV.*

IOANNES VII. Palaeologus.

Andronici, qui Manuelis II. frater fuit, filius, a patruo, cui molestus esse non desiit, in ordinem redigitur, subinde Thessalonicae principatum aufert.

IOANNES VIII. PALAEOLOGVS.

Manuelis II. filius, eoque mortuo successor. In Italiam profectus auxilii adversum Turcos impetrandi causa in concilio generali Florentiae acto utriusque ecclesiae concordiam peragit. Moritur improlis anno 1448.

Numi:

ΙΩ. ЄΝ. ΧΩ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. Ο. ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟϹ. *Imp. adversus stans d. crucem, s. aliquid cornui simile.*

IC. XC. *Christus stans d. elata crucem, s. librum Evangeliorum.* AV. M. M.

Singulare istud cimelium Gorius ex gazophylacio M. ducis Etruriae delineatum dedit in Museo Florentino [a]), illud deinde his verbis explicat [b]): *Aureum sigillum, quod insertum serico funi-*

a) Tomo IV. tab. VI. n. 2. b) Tom. V. p. VIII.

culo pendet ex autographo membranaceo, in quo solennis consensus ecclesiae Graecae cum Romana stipulatus est, cui Eugenius IV. summus pontifex, Graecorum imperator Ioannes, itemque Latini et Graeci patres manu sua omnes subscripsere. Copiosius subinde de eo agit infra [a]), quod, quia memoria dignum nihil continet, omitto. Huic pluribus causis simillimum continuo in Constantino XIV. dabimus.

* * *

Alium etiam aureum praegrandis moduli hujus Ioannis, opus Pisani pictoris, eodem opere ac tabula vulgavit Gorius. Eundem etiam, sed aeneum, jam dedere Ducangius, et Bandurius, et vidi ipse plures ejus generis. Verum hujus naturae numos mei instituti non esse existimo, ut jam supra in numis Heraclii I. pag. 228 monui.

CONSTANTINVS XIV. PALAEOLOGVS.

Manuelis II. hic quoque filius fratri Ioanni VIII. mortuo succedit anno 1448. In ejus tempora fatum inexsuperabile exitium imperii Graecorum distulit. Nam Muhammedes II. occupatis jam provinciis omnibus Constantinopolin ipsam obsidione cinxit, et expugnavit anno 1453 IV. Kal. Iun., cui procellae involutus imperator ipse misere interiit.

Numus:

ΚωΝϚΑΝΤΙΝΟϹ. ЄΝ. ΧΩ̅. ΑΥΤΟΚΡΑΤωΡ. Ο. ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟϹ. *Ipse adversus stans d. crucem, s. volumen.*

IC̅. XC̅. *Christus nimbatus adversus stans d. extenta, s. librum Evangeliorum, in area* Φ. ΑΥ. Μ. Μ.

Non poteram praesentis operis partem illustriore numo terminare, qui velut alter quidam limes est, in quo scilicet vetus res numismatica desinit. Et vero cimelium tam insignis meriti tanto lubentius cum erudito lectore communico, quod illud aliquot abhinc annis Vindobonae jam furno destinatum ex flammis eripui, et in honorificam musei Caesarei stationem intuli. Quapropter dignum quoque judicavi, quem in partis hujus coronide adcurate depictum eruditorum oculis subjicerem.


Ad causas ejus mechanicas quod attinet, auri est purissimi, volumen, quanti est subjecta imago. Pondus duorum aureorum Hungaricorum, minus granis sex. Tenuis ergo pro amplo suo volumine metalli est. Numus ipse constat ex duabus laminis valde subtilibus invicem conjunctis, quae junctio aliquot in margine locis tenui hiatu facile se prodit. Figurae et literae satis alte exstant. Typos, picturae stilum, literarum formam imago inspecta suppeditabit.

Satis apparet, numum hunc ejus plane esse modi, cujus est numus fratris Ioannis VIII., quem continuo supra descripsimus, sic ut ne litera quidem Φ in

a) l. c. pag. 31.

area absit. Tamen volumine multum esse illo inferiorem, docebit collata Gorii pictura, tum et restitutoris Taninii. Quem usum cimelium istud praestiterit, definire vereor. Sigillo, instar Goriani illius, servire non potuisse, inde arguo, quia nulla adparent trajecti fili vestigia, neque etiam laminarum tenuitas filo iter fecisset. Verisimile omnino videtur, numum hunc in moneta, sed haud dubie extraordinaria, putandum *).

Tanto vero ille magis est suspiciendus, quod hactenus in Constantini XIV. moneta socium non reperit, sive aliud quoddam ejus exemplum spectes, sive numum qualemcunque alterius generis, qui huic imperatori tuto possit vindicari. Ejus numum praegrandem argenteum olim edidit Marquardus Freherus, et singulari dissertatione illustravit, sed quam, quia is haud dubie novicii est operis, copiose refutavit Iosephus Scaliger in epistola, quae inter Scaligerianas est CXXXIII., et quam Ducangius in fine Dissertationis suae de inferioris aevi numis una cum numi pictura restituit. Atqui et Bandurius hanc Freheri lucubrationem *plane ineptam* vocat [a]).



*) Attentius intuenti tamen certum sigillum est, quo facile etiam partis aversae literam solitariam, nimirum σφραγισματος indicium, referas. Not. edit.

a) Bibl. num. n. XXX.

PSEVDOMONETA.

PSEVDOMONETA.

Hoc nomine comprehendimus quaedam veterum monumenta, quae monetam veram modis plerisque imitantur, sed monetae verae usum nunquam praestitere, neque auctoritate publica, sed privata collegiorum, corporum, aut cujuscunque ad privatos suos usus, et ut voluntas, ac libido tulit, signata sunt. Vniversam ejus materiem binis sectionibus definimus, quarum I. continebit numos contorniatos, II. tesseras, spintrias, aliaque varii argumenti.

SECTIO I.

DE NVMIS CONTORNIATIS.

In pseudomoneta cum propter copiam, tum qualemcunque excellentiam primum locum tenent numi, quos *contorniatos* vocamus. Appellationis hujus, etsi recentis, et veteri Latio ignotae, tamen veram causam ignoramus, quo minus indignemur, si qua etyma vetera non percipimus, quando in origine vocabulorum, quae aetas nostra parturivit, adhaeremus. Verisimile est, sic dictos a verbo Italico *contorno*, aut Gallico *contour*, quod extremam cujuscunque rei lineam, aut circumscriptionem significat, ut revera plerique hi numi in extremo utrinque margine lineam in orbem ductam, et altius insculptam offerunt. Placuit Erizzo *crotoniatos* eos appellare a Crotone Italiae urbe, sed causam non adfert. Nobis isthaec perinde sunto. Qui auctorem magis in his curiosum desiderat, adeat Olearium mox laudandum.

Iam in primis artis nostrae incunabulis hos inter rei monetariae abortus

veramque monetam discretum est, et fuere non pauci, qui in earum naturam inquirerent. Vt vetustiorum conatus praeteream, quorum vix jam aliquis usus, pauca de his monuit *Carolus Patinus* in Suetonio suo [a]), adjecto promisso, se aliquando eorum explicandorum provinciam in se suscepturum, sed fidem vir praestans non liberavit. Pauca item, eaque praeclara de iis scripsit *Andreas Morellius* in Specimine suo [b]). Nonnulla observata habes in *Ioberti* Scientia numorum, quorum partem correxit *Baro Bimardus* [c]). Varia de iis congessit *Christoph. Wagenseilius* in dissertatione de re monetali veterum Romanorum, ac non multo post *Christophorus Olearius* in epistola de numo contorniato M. Aurelii, quae exstat in Electis Wolterechii pag. 112, tum et *Eucherius Rinck* [d]). At maximum ad eos conscribendos, illustrandosque conatum attulit *Siegebertus Havercampus* in opere, cui titulus: *Dissertationes de Alexandri M. numismate, quo quatuor summa orbis terrarum imperia continentur, ut et de numis contorniatis. Lugd. Batav. 1722 in 4.* Meum de hoc opere si requiras judicium, ajo, molem esse rudem, atque indigestam, consarcinatam partim judiciis alienis plerumque obsoletis, iisque ad verbum descriptis, iterumque obtrusis, partim propriis luti non multo melioris, incertis ac fluctuantibus, ut satis appareat, virum eruditum nullo certo itineris proposito cuivis vento sese permisisse, quod ipsum Bimardo quoque displicuisse video [e]). Aliquot post annis prodiit *Mahudelii* Galli de numis his judicium, sobrium illud quidem, sed arctis nimium finibus circumscriptum [f]), quod deinde in opus suum transtulit *Mangeartus* [g]). Postremus, quod norim, de contorniatis aliqua praecepit *Henricus Cannegieterus* in Miscellaneis observationibus criticis Amstelaed. anno 1736 p. 133, atque iterum in iisdem Miscellaneis, sed *novis*, anni 1740 pag. 7. Iconismi contorniatorum praeter eos, quos stitit Havercampus, sunt in musei Farnesiani Tomo V., in Imperatoribus Morellii, et in Cimelio Caesareo Vindobonensi, quod edidit Froelichius.

Materiam omnem in plura tribuimus capita, quorum I. aget de characteribus contorniatorum, II. de eorum typis in genere, III. de typis in specie, IV. de eorum aetate, V. de usu, VI. de merito.

CAPVT I.

De characteribus contorniatorum.

Sunt hi ejus generis, ut in oculos facile incurrant, et suapte istud pseudomo-

a) Pag. 468. b) Pag. 43. c) ad Iobert. Tom. I. pag. 74. d) de vet. num. pot. c. IV. e) l. c. f) B. L. Tom. V. hist. pag. 284. g) Introd. à la scienc. de méd. pag. 36.

netae genus a moneta vera discernant. Eccos:

I. Linea in numi margine utrinque in gyrum, et in sulci morem ducta, eaque plerumque alte insculpta, quem locum in moneta vera occupant globuli in orbem conjuncti, quos raro in his numis videas. Est is modus contorniati index certissimus, atque ab hac peristasi, ut altius dixeram, verisimile est, his numis *contorniatorum* nomen datum. Video, in re etsi manifesta graviter a viris non paucis praestantibus erratum, dum contorniatos dixere, quos nos *duplicis metalli* numos vocamus. En tibi verba Wagenseilii [a]): *praeterea observatione dignissimum est, quosdam ex his numis limbum ex diverso metallo habere, et quasi praetextatos esse; aereos enim ora ex aurichalco, conflatos ex aurichalco aerea circumdat extremitas. — — — Proprio nomine haec numismata vulgo* crotoniata, *vel* conturniata *vocantur.* Post hunc laudatus supra Olearius loquens de suo M. Aurelii numo [b]): *Limbum habet ex diverso metallo, aereus scilicet numus ora ex aurichalco quasi praetextatus est. Aliter*, addit, *conflatos non vidi contourniatos.* Idem post hos edixit Raschius in suo Lexico rei num. vet. sub *Contorniati*, Io. Ernestus [c]), et eadem injuria Tentzelius insignes maximi moduli numos in vile contorniatorum agmen detrusit [d]). Patet, eruditis his viris veros contorniatos verumque discrimen hos inter, et numos duplicis metalli non fuisse cognitum, qui sic utrumque genus, etsi naturae usque adeo disparis, miscuere. Contorniati additum ex diverso metallo limbum non habent, sed toti constant metallo ejusdem naturae, eoque perpetuo, ut taceam, numos metalli duplicis esse insignis pro varia aetate laboris, crassos, operisque exstantis, quando contorniatorum labor hiulcus fere est, et humilis, et tenue pro volumine metallum. Sane ipse is numus M. Aurelii, quem ibi proponit Olearius, contorniatus non est; nam ejus limbum ambiunt globuli, qui in contorniatis plerumque absunt, sed in quorum locum succedit sulcus, quem dixi. Est idem hic numus etiam in museo Theupoli, at contorniatum M. Aurelii adhuc videre non licuit. Dubium non videtur, sulcum hunc post numum jam cusum scalpro fuisse excavatum; nam in multis videas literarum capita vomere amputata.

II. Monogramma PE vel PE vel inversum R, et sigilla varia anticae capiti adstituta, inter quae frequentissimum *palmae ramus.* Hic, et dictum monogramma cum adsunt, certissimum habeto contorniatum. Sigilla alia, sed rarius, observavi *astrum*, *folium hederae*, *arcum cum pharetra*, *Victoriam volantem*. Sunt tamen etiam contorniati, qui horum nihil adjectum habent. Notandum vero, haec sive monogrammata, sive sigilla non esse exstantia, sed introrsum scalpta, et saepe inserto argento expleta. Dictum monogramma, quod in EP., vel PE. resolvitur, qui probabili aliquo modo explicaret, nemo adhuc repertus. Non dubitavit Mahudelius, in moneta-

a) de re monet. vet. c. 8. b) Pag. 116. c) Archaeolog. lit. cap. IV. §. 12.
d) Sel. numism. ex gazoph. Schwarzburg. pag. 104.

riorum illud notas referre. Sin istud, vellem idoneam causam dari, cur maluerit monetarius monogramma istud altero labore, et in singulis quidem repetito, introrsum scalpere, quam curare, quod alias in similibus notis constanter factum novimus, ut jam principio matrici insculptum succedente subinde malleo opus exstans efficeret. Monogramma vero istud confecto jam numo, atque adeo, quod dixi, altero labore fuisse inductum, eo patet, quod in nonnullis ipsum collum positi juxta capitis, ac pectus pervadit, certo indicio revocati ad opus numi, ut adeo non sint ex earum notarum genere, quas monetariorum appellamus, sed earum, quas *incusas*, et cum Gallis *contremarques* vocamus, de quibus egi volumine I. pag. CVII. Conjecit Cannegieterus, has literas significare posse P*alma* E*merita*, vel P*raemia* E*merita*, vel P*raemii* E*rgo* [a]. Invalidae sane conjecturae. Serius ipsum hoc monogramma EP. scriptum reperi juxta monogramma Christi et palmae ramum in lamina aenea, quam edidit Pignorius in suo de servis opere. Quare cum hae literae EP. vel PE. in hoc monumento jungantur cum palmae ramo, in multis vero contorniatis in hujus rami vices succedant, conjici potest, eas aliquid ad victoriam pertinens significare.

III. Omnes sunt ex aere, eoque vario. Aurei argenteique hujus generis ignoti.

IV. Volumen iis idem est, quod numis maximi moduli, sed deficiunt pondere, nam aeris sunt minus crassi. Sunt tamen nonnulli, etsi admodum rari, voluminis arctioris, et aeris nonnihil crassioris, quales sunt ii, quos Italico vocabulo *medaglioncini* appellamus. Talis est in museo Caesareo numus Constantini M., sed quem insculptum monogramma EP. certum contorniatum facit. Insolentis voluminis unum cum capite Pla. Valentiniani ex museo reginae Christinae post alios edidit Havercampus. (Num. 56.)

V. Fabricam sibi habent propriam, figuris planis, parumque e superficie prominentibus, nimirum quod, ut dixi, metalli sunt tenuioris. Nonnunquam figurae totae introrsum sculptae sunt. Hujusmodi sunt numi, quos recitabimus infra capite III. §. 4. in Decursionibus sub TOXXOTES, COSMVS, et SELEVCVS, immisso etiam in cavum argento, eo modo, ut mox §. II. dixeram. Ars in his, si optima, mediocritatem non superat. Saepe opus rude, et indoctam manum profitentur. Hujus caussa ruditatis videtur Baudelotius, etsi perperam, binos Metropolis Ioniae numos Graecos in contorniatorum numero posuisse [b].

VI. Typos etiam, et inscriptiones sibi proprios vendicant, sed de quibus hic non ago, quod eorum ratio ex sequentibus patebit.

---

a) Miscell. observ. anni 1736, pag. 137.

b) B. L. Tom. III. pag. 251.

CAPVT II.

De typis contorniatorum in genere.

Partes anticae in hujus quoque classis numis caput aliquod, vel protomen plerumque offerunt. Partium aversarum typi majorem partem ex ludis Circensibus, aliisque spectaculis sunt petiti, quanquam non desint capti ex cyclo mythico et heroico, et non pauci argumento sint abstruso, aut plane ignoto, quae singula docebunt numi infra descripti.

Istud habent hi numi singulare, quod fere nunquam appareat aliquis partis anticae cum aversa nexus, saltem certus ac perspicuus, sed plane arbitrarius, atque ut libido tulit. Nemo enim facile componet caput Alexandri M. cum circo Romano, Scylla, vel raptu Sabinarum, aut Horatium, Apollonium Tyanensem, Sallustium cum agitatoribus circensibus, planis, et agyrtis, Neronem cum Faustina juniore. Arbitrium istud eo maxime elucescit, quod saepenumero eosdem plane typos cum variis capitibus conjunctos videmus. Sic fabulam Scyllae conjunctam habemus cum capite Alexandri M., Neronis, Trajani, urbis Romae, Cybelen in consortio Atyos sui vectam cum capite Homeri, Neronis, Vespasiani, Trajani. Plura exempla alia habebis infra. Novi, nonnullis antiquariis rem non maximi negotii visam, hujus nexus caussam reperire. Non nego, ingenii et cruditionis ope posse in singulis aliquid probabile adferri. Verum si probabili conjectura extudisti denique nexum v. g. Alexandri M. cum Scylla, an eadem valere etiam poterit ad explicandum nexum Neronis vel Trajani cum eodem maris portento? Quam fuerit bonus Havercampus gratis anhelans, multaque agendo nihil agens, cum in singulis conciliare utràmque partem niteretur, toto opere, quod de contorniatis conscripserat, luculente comprobavit, cujus infausti conatus exemplum streperum dabimus infra capite III. §. 7 sub numo primo.

Capita, quae partem anticam occupant, sunt hominum variae fortunae, ordinis, instituti, summorum aeque ac infimorum. Numinis certam effigiem nondum in his observavi. In nonnullis tamen est caput Romae addito ROMA. Vide infra cap. III. §. 1 sub *Scylla*, aut addito INVICTA. ROMA. FELIX. SENATVS. Vide cap. III. §. 4 in venationibus. Eorum major pars imperatorum Rom. effigiem sistunt, frequens in his etiam Alexander M., tum et viri illustres Homerus, Terentius, Horatius, aliique, quos omnes infra enumerabimus. Denique non pauci offerunt protomen d. flagellum tenentem, s. equum freno ducentem, quo typo multis creditum repraesentari variorum imperantium effigiem, sed docebimus infra in animadversionibus, quae decursionum numis subjiciuntur, esse imagines aurigarum.

Restat, ut quorum imperantium habeamus contorniatos, adhibita nonnul-

la crisi investigemus; nam virorum illustrium catalogum infra dabimus. Havercampus priores Nerone non vidit, ut ipse testatur [a]), at comperti sunt serius non pauci, qui Neronem antevertunt. En tibi imperantium omnium catalogum ex probis auctoribus haustum:

* * *

Iulius Caesar. Ejus binos vulgavit Morellius in Thesauro impp.

M. Antonius IIIvir. Sub Herculis effigie proponitur in contorniato musei Caesarei, qui describetur infra in mythologicis sub *Hercule.*

Augustus. Ejus plures edidit Morellius in laudato opere, sed qui plerique sunt Goltziani. Vnus est in museo Caesareo typo venationis, alius in Catalogo d'Ennery.

Agrippina senior. Numos vide capite seq. §. II. et V.

Caligula, cujus numum dabimus infra in numis Decursionum sub CHRYSOPOLVS.

Nero. Numi obvii.

Galba. Hujus unum exhibet Morellius in Thesauro impp.

Vespasianus. Ejus contorniati Havercampo ignoti. Complures exstant in Thesauro Morelliano, et museo Caesareo.

Domitianus. Binos dedit idem Morellius.

Trajanus. Numi obvii.

Antinous. Ejus numos binos vide infra §. V.

Antoninus Pius. Ejus numum vide cap. seq. §. VI. sub OLEXIVS.

Faustina senior. Ejus numus est in museo Caesareo cum epigraphe: MATRI. DEVM. SALVTARI, de quo agemus mox in *mythologicis.*

M. Aurelius. Huic contorniatum tribuit Olearius in epistola, quae est in Electis Woltereckii pag. 112, sed jam supra cap. I. monui, eum, quod duplicis metalli est, hujus classis non esse.

Faustina junior. Ejus quidem caput in contorniatis usque modo ignotum, verum stans proponitur in numo, quem dabimus cap. seq. §. 5.

Lucilla. Vide numum in catalogo d' Ennery pag. 410.

Severus. Hujus binos Havercampus ex Panvinio hausit [b]). Verum cum eruditus Batavus tantum conjecerit, in horum antica esse caput Severi, et praeterea nusquam alibi ejus contorniatum reperire licuerit, lubet fidem differre.

Caracalla. Ejus aliquot exstant apud Havercampum, in museo Caesareo, et alibi.

Alexander Severus. Huic Havercampus, aliique tribuunt numos, in quibus caput leonis exuviis tectum adscripto: ALEXANDER, sistitur, verum hos esse potius Alexandri M., statuimus capite seq. §. 3.

Constantinus M. Contorniatum habes capite seq. §. 5. Ei etiam Havercampus binos largitus est num. 50 et 51, sed perperam, ut probabimus infra in animadvers. ad decursionum numos. Insignem alium dabimus §. IV. sub *Pugilatu.*

Magnentius. De numo male huic ab Havercampo tributo agimus infra loco mox laudato.

Desiderius. Creditus Havercampo De-

---

a) Pag. 49. b) Pag. 136.

siderius Caesar est potius Desiderius auriga. Vide infra capite seq. in Decursionibus sub DESID. NC.

Iulianus. Advocatus ex numo male lecto, qui est Antonini Pii. Vide infra capite seq. §. 6 sub OLEXIVS. Est tamen in museo Princ. de Waldeck contorniatus, in cujus antica est protome Iuliani galeata s. clypeum.

Iovianus. Hujus numum, ut mihi videtur, ambiguum, aut spurium producam infra in animadversionibus ad decursionum numos.

Honorius. Binos dedit Havercampus, aliumque museum Theupoli.

Theodosius II. Ejus contorniatum vulgavit Taninius in suo Supplemento ad Bandurium.

Pla. Valentinianus. Quinque varios reperit Havercampus.

Anthemius. Ejus numi epigraphe vitiata - - - ILOS. HERACLEOS. *Hercules d. clavam, s. leonis exuvias puerulum nudum sibi blandientem sustinet, in imo:* ANDREA. (Tanini Suppl. Bandur. p. 373.) Videtur puerulus esse Telephus.

* * *

Ex hoc catalogo perspicimus, Augustorum aliis nullos, aliis perpaucos, Neroni ac Trajano magno numero fuisse dedicatos. Cur in duobus his observandis tam fuerint seduli ii, qui hos numos feriundos curavere, probabilem aliquam causam capite V. proferemus. At in aliis sive negligendis, sive parcius inserendis solum eos arbitrium secutos plane existimo, atque eidem nos causae debere, cur iis arcessere placuerit Homerum, Horatium, etc. neglectis aliis non minoris famae Graecos inter atque Romanos.

CAPVT III.

De typis contorniatorum in specie.

Havercampus catalogum contorniatorum secundum capita imperatorum, et virorum illustrium digessit, quo factum, ut easdem aversas, quoniam hae cum pluribus imperantibus sunt communes, saepius opus esset repetere. Ego, qui in his numis partes aversas prae capitibus imperatorum jam aliunde cognitis magis spectandas puto, rectius me facturum existimo, si in iis enumerandis explicandisque plerumque aversas praeferam. Quoniam vero hae multiplicis sunt, variaeque naturae, necesse puto in varios eas articulos tribuere, quorum I. complectetur mythologica, II. historica, III. personas illustres, ac primum quidem heroes, heroides, reges, deinde viros eruditione claros. IV. Spectacula, quae dividimus 1 in decursiones, 2 in venationes, 3 in pugilatus, 4 in scenica. V. Contorniatos cum typis domesticis cognitis. VI. Numos explicatus ambigui.

§. I. *Mythologica.*

Cybele et Atys in citis leonum quadrigis.

Caput Homeri. (Gessner impp. tab. XLV. num. 30.) *Augusti*, (Catal. d'Ennery.)

Neronis, (Morelli Impp.) *Vespasiani*, *Trajani*. (Mus. Farn. Haverc.) In numo Vespasiani *supra quadrigas sunt duo clypei, quorum uni insculptus leo, alteri cancer, in imo mulier humi sedens*. (Mus. Farnes.)

De Cybeles et Atyos turpi commercio adfatim egere mythologi omnes. Additus in Vespasiani numo leo et cancer haud dubie ad astrologiam pertinent, quorum cum Cybele nexum inquirere taedet. Mulier humi sedens certa est Tellus, cui Cybele praesidet.

* * *

MATRI. DEVM. SALVTARI. *Templum, pro cujus aditu sedens Cybele inter duos leones, s. tympanum, extra illud stat Atys d. pedum, s. pinum arborem contingens.*

AGRIPPINA. MATER. AVGVSTI. *Caput Agrippinae senioris*. (Morelli in Agrippina sen.) In alio: DIVA AVGVSTA. FAVSTINA. *Caput Faustinae sen. velatum*. (Mus. Caes.)

Iterum Cybele cum suo Atye, quem typum explicavi in numis Faustinae senioris. Nam idem est in numo max. mod. cum capite hujus Augustae in museo regis Galliarum, tametsi suspicer, hunc quoque esse ex contorniatorum familia, quia secundum omnes causas simillimus est laudato numo musei Caesarei, quem insculptus pone caput Faustinae ramus contorniatum haud dubie facit. Exstant vero etiam ejusdem Augustae numi aenei cum eadem inscriptione, et eodem Cybeles sedentis typo, sed absunt templum, et Atys. Atque hunc modo typum monetarius, incertum, qua de causa, cum Agrippina sen. communicavit.

Argumenti causa conjungo numum sequentem:

Gallus sibi ipsi genitalia praecidens, jacet humi pileus Phrygius.

Caput Vespasiani. (Morelli Impp.)

Notus furor sacerdotum Cybeles, qui *galli* vocabantur, et Atyos exemplo in proprium corpus exercuere saevitiem, quam honestius tegendam numus hic nulla verecundia revelat aeterno corruptae mentis argumento. Iacet juxta pileus Phrygius; nimirum ea rabies Phrygas potissimum, Galatasque occupavit.

* * *

Iuppiter rupi insidens excubante juxta aquila; adstat figura militaris equum freno retinens.

DIVO. IVLIO. *Caput Iulii Caesaris*. (Morelli Impp. et in num. fam. Iuliae.)

Difficilis typi hujus solutio. Numum Schlegelius ipsi Caesari coaevum facit, quo certe fallitur. Havercampus equi traductionem exhiberi existimat [a]).

* * *

Bacchus nudus stans botrum adstanti pantherae porrigit, s. thyrsum; circum eum saltant hinc tibicina, et mulier alia thyrsum jactans, inde puer unus pedum, alter ramum gestans.

Caput Trajani, (Mus. Caes.) *Caracallae*. (Mus. Caes. Havercamp.)

Bacchus vectus in pantherarum bigis praecedente Satyro, comitante tibicina.

---

a) ad Morelli num. fam. pag. 219.

Caput Neronis. (Haverc. Morelli.) *Trajani.* (Haverc. n. 20 et 70.)

Typi et aliorsum abunde cogniti.

* * *

Mars nudus s. pede prorae navis imposito irruit cum hasta, et scala.

Caput Neronis, in alio *Vespasiani.* (Morelli Impp.)

Mars gradiens d. hastam, s. tropaeum, et hostem prostratum calcans.

Caput Vespasiani. (Theupoli.)

Mars scalas deferens est πολιορκητης, *urbium expugnator*, quo cultu exstat etiam in numis Bizyae Thraciae.

* * *

Diana sedens ex adverso Endymionis dormientis, cui adcubat canis, superne volitans Cupido.

Caput Neronis. (Mus. Farn.) *Trajani.* (Haverc.) *Lucillae.* (Catal. d'Ennery.)

Notus Dianae in pastorem Latmium adfectus, ab amoris negotio cetera alienae, at huic uni, ut ferunt, culpae succumbentis. Cum haec numismata, ut plane verisimile est, in circi ac scenae usum cesserint, et eorum multa relatas in iis victorias jactent, videri possit, aliquam hoc typo allegoriam recondi, qualem nobis offert epigramma Leontii [a]):

Αγχισην Κυθερεια, και Ενδυμιωνα Σεληνη
Φιλατο· μυθευνται τοια παλαιγενεες.
Νυν δε νεος τις μυθος αεισεται, ως ταχα Νικη
Ομματα και διφρους φιλατο Πορφυριου.

Anchisen Venus, et Endymionem Luna
Amavit; fabulantur ejusmodi veteres.
At nunc nova quaepiam cantabitur fabula, quam prompte Victoria
Faciem, et currus amaverit Porphyrii,

nempe aurigatoris.

* * *

Herculis cum Nesso Centauro pugna.

Caput Alexandri M. (Catal. d'Ennery.)

Caput Herculis nudum, pone clava.

Hercules cum leone luctans. (Mus. Caes.)

In posteriore hoc numo lineamenta capitis M. Antonium referunt; at constat etiam de hujus cum Hercule nexu, et exstat numus Alexandrinus, in quo is Herculis quoque ritu proponitur.

* * *

Scylla canibus succincta, et in binas delphinûm caudas desinens late divergentes et erectas, s. gubernaculum tenens, d. vectorem crinibus prehensum ex navi deturbat, adstante figura pileata socium adducto pugione defendente; apparent alii in gurgite natantes, retro arbor.

Caput Alexandri M. leonis exuviis tectum. (Mus. Caes. Haverc. num. 64.) *Neronis*, (Morelli Impp.) *Vespasiani*, (Catal. d'Ennery) *Trajani*, (Mus. Caes. Haverc. num. 22 et 36. Mus. Farn.) ROMA. *Caput Romae galeatum.* (Theup. p. 772.)

Illustrem hunc typum male ab eruditis intellectum male etiam explicari necesse fuit. Et Havercampus quidem, qui eum ter stitit, refutatis veterum antiquariorum judiciis parum sane dexteris sua deinde protulit, sed adeo va-

a) Brunck Anal. Tom. III. pag. 105.

ga et fluctuantia, ut denique, ubi consistendum sit, non satis reperiret. Enimvero ipse ac plerique alii plerumque agnovere propositam hoc typo Scyllam, sed partim non intellexere, quodnam hujus monstri facinus eo exprimatur, partim eo peccavere, quod argumentum istud ex ejus principis vita, quem antica sistit, putaverunt explicandum, et quod sequitur, unus idemque typus cum principibus tam aetate, quam moribus diversissimis fuit componendus, nimirum cum Alexandro M., Nerone, Trajano, ac denique Roma, quod cum difficile esset, placuit allegorias subsidio vocare, quas, si parum dexter es, in omnes potes formas convertere. Atque vel sola haec cum Scyllae effigie numismata satis per se comprobant, quod capite superiore occupaveram, in hac numorum classe partibus anticis eandem cum aversis esse concordiam, lupis et agnis quanta sortito obtigit. Ad typum ut redeam, graphice is proponit, quod Homerus de Vlyssis per fretum Siculum itinere, Scyllae insidiis, et sociorum calamitate cecinit a). Ex tribus viris, qui tabulato navis insistunt, medius causa pilei, quo caput operitur, certus est Vlysses. Dextera gladium intentat, sinistra clypeum gestat. Atqui is teste Homero, cum Scyllae jam stabulis appropinquaret,

Αυταρ ἐγω καταδυς κλυτα τευχεα, και δυο δȣρε
Μακρ' ἐν χερσιν ἑλων, ἐις ἰκρια νηος ἐβαινον.

Ceterum ego indutus splendida arma, et duabus hastis
Longis in manus acceptis, in tabulata navis conscendebam.

Sociorum vero interitum eleganter monetarius secundum poetae verba expressit:

Τοφρα δε μοι Σκυλλη γλαφυρης ἐκ νηος ἑταιρȣς
Εξ ἑλεθ', ὁι χερσιν τε, βιηφι τε φερτεροι ἠσαν.

Interea autem mihi Scylla cava ex navi socios
Sex abstulit, qui manibus et virtute optimi erant.

Ad Scyllae formam quod attinet, nolo recoquere, quae ad denarios Sex. Pompeji latius commemoravi. Id unum addo, egregie in his numis adumbratam Virgilii Scyllam, qui commemorat additas inferne huic monstro delphinum caudas, et canes, quos lupos appellat b):

Delphinum caudas utero commissa luporum.

Simulacrum aeneum idem Scyllae et Vlyssis argumentum exhibens stetisse Constantinopoli, refert Nicephorus Choniatas c).

Mirum, quam et operose, et inconcinne Addisonus, qui forte postremus in hunc numum commentatus est, haud dubie vitiato usus exemplari, argumentum istud explicare sit conatus d).

* * *

Bellerophon ex Pegaso cum Chimaera dimicans.

---

a) Odyss. M. 228. seq. b) Aen. III. 430. c) Bandur. Imper. Orient. L. VI. p. 110. d) Dial. upon the usefuln. of anc. med.

Caput Alexandri M.

Angelonus, qui numum hunc edidit a), non Bellerophontem ex Pegaso, sed Alexandrum Severum, cui caput anticae tribuit, ex equo cum Chimaera certantem vidit. Mallem heroem Corinthium in sua jura restitui, nam numi iconismus haud dubium alae indicium facit uni Pegaso propriae.

* * *

Amphion et Zethus novercam Dircen tauro alligatam raptantes.

Protome divi Trajani. (Mus. Com. Vitzai.)

Eundem typum jam vidimus in numis Acrasi, et Thyatirae Lydiae urbium.

* * *

SOLI. INVICTO. *Sol adversus in quadrigis.*

Caput Alexandri M. (Haverc. p. 38.)

ROMA. *Caput galeatum Romae.*

Scylla canibus succincta etc. ut mox supra. (Theupoli p. 772.)

SAPIENTIA. *Pallas stans d. lauri, vel olei ramum.*

HONORIO. AVGVSTO. *Caput Honorii.* (Tanini Suppl.)

In numis Constantini M. legitur SAPIENTIA. PRINCIPIS typo noctuae.

§. II. *Historica.*

Vnicum tantum exemplum reperi ex historia veteris aevi haustum.

SABINAE. *Milites Romani Sabinarum rapina occupati; pone tres obelisci metarum Circensium unam constituentes.*

Caput Alexandri M. (Haverc. p. 1.) *Neronis*, (Morelli Impp.) *Constantii II.* (Banduri T. II. p. 378. Mus. Florent. tab. C.) Item *Agrippinae sen. cum epigraphe:* AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI. (Mus. Princ. de Waldeck.)

Illatam universae Sabinorum genti injuriam, quam honestius tacendam Tituriae quoque gentis denarii sistunt, in his etiam contorniatis restituere placuit. Meta adstituitur, ut peractae contumeliae locus intelligatur, Circus nimirum; nam ludos hos Consualium nomine actos, Circenses dixit Val. Maximus b), aliique.

§. III. *Personae illustres.*

Eas I. in heroes, heroides, reges, II. in viros eruditione, aut aliter claros tribuimus.

Heroes, heroides, reges.

ACHILLIS. PENTESILEA. *Achilles armatus stratam humi Penthesileam erigit, pone equus item prostratus.*

Caput divi Trajani.

Numum hunc primus edidit Occo, unde eum hausit Harduinus, ejusque sibi imaginem finxit, qualem voluit, proposuitque in suo Plinio c). Verum deinde iconismum vulgavit museum Farnesianum d), sed in quo, aetatis sine dubio injuria, desideratur vocabulum PENTESILEA, quo factum, ut ejus

a) Hist. Aug. p. 230. b) L. II. c. 4. c) Tom. I. tab. VII. num. 2. d) Tom. V. tab. VII. n. 2.

praeco Pedrusius in explicando aversae typo longe a vero aberraret. Sincerum igitur numi statum collatus uterque numus suppeditavit. Argumentum praeclare explicat Q. Calaber, qui cum Penthesileam Amazonum reginam, quae a Trojanis stabat, iniquo cum Achille Marte congressam narraret, refert, Pelei filium uno ictu Amazonem, et cui insederat, equum transverberasse, ipsam vero equo delapsam cum contemplaretur Achilles, tantae pulchritudinis attonitum miraculo sublevasse eam manibus, ejusque caesae poenitentia ductum Trojanis humi mandandam additis regiis donis tradidisse [a]). Haec omnia secundum Calabri orationem numus hic rite proponit. Confer cum hoc numo gemmam, quae exstat in musei Florent. Tom. II. tab. XXXIII. num. 2, tum et lucernam fictilem apud Licettum [b]), et vas Campanum, quod ex museo Hamiltoni edidit Tischbeinius [c]).

* * *

AENEAS. *Aeneas Anchisen humero efferens, et Ascanium d. prehensum trahens.*

Caput Neronis. (Morelli Impp.) *Trajani.* (Mus. Caes. Haverc.)

Cognitum argumentum ex numis aliis cum Graecis, tum Latinis.

* * *

HERO ex turri LEANDRVM mari innatantem opperiens volante supra Cupidine. In alio: *Hero stans in turri d. lampadem protendit, natat inferne Leander, sedet in litore piscator jacto in mare hamo.*

Caput Vespasiani. (Morelli Impp. Mus. Farn.)

* * *

LAOCOON cum duobus filiis serpentum spiris implicatus.

Caput Neronis. (Mus. Caes.) *Vespasiani.* (Morelli Impp.)

Sumpta imago ex illustribus Laocoontis signis, quorum unum, olim hortorum Vaticanorum gloria, nunc Lutetiae Parisiorum cum admiratione visitur.

* * *

PENTHESILEA. Vide supra in *Achille.*

* * *

AGIT. SPE. TESEVS. *Theseus galeatus nudus stans cum hasta et clypeo Centaurum lyram tenentem admota collo manu in genua procumbere cogit.*

Caput Neronis. (Morelli Impp.)

Theseum cum Centauris in amici Pirithoi nuptiis congressum, aliosque inter bimembres stravisse Eurytum, tradit Ovidius [d]). Quis sit sententiae juxta scriptae sensus, et quo pacto cum hoc Thesei facto colliganda, inquirant alii. Si luberet scribere inconsulte, nullaque adeo lectorum reverentia, dicerem cum Havercampo: *Theseus fingitur sibi proposuisse Achillem ut exemplar, quod imitaretur* [e]). Papae! ergo Theseus sibi proposuit Achillem multis post se annis natum. Centauros etiam musicam excoluisse Chironis exemplo docemur. Vide argumentum non absimile in gemma Musei Florentini [f]).

* * *

a) Paralip. L. I. v. 566. seq. b) de Lucern. ant. p. 886. c) Vol. II. tab. 5.
d) Metam. XII. 227. e) ad Impp. Morellii T. II. p. 93. f) Tom. II. tab. 39 n. 1.

1) *Sine epigraphe. Caput Alexandri M. nudum, coelum suspiciens.*
Mulier sedens capite turrito etc. reliqua vide infra §. VI. n. 1. (Haverc. p. 1.)

2) *Sine epigraphe. Caput Alexandri M. diadematum.*
STEFANAS. *Hieronica in quadrigis d. coronam, s. palmam.* (Theupoli.)

3) *Sine epigraphe. Caput Alexandri M. diadematum, coelum suspiciens.*
ALEXANDER. MAG. MACEDON. *Alexander eques hastam in barbarum prostratum intorquens.* (Mus. Caes.)

4) ALEXANDER. MAGNVS. MACEDON. *Caput diadematum coelum suspiciens.*
Raptus Sabinarum ut supra. (Haverc. pag. 1.)

5) ALEXANDER. MAGNVS. MACEDON. *Caput Alexandri M. leonis exuviis tectum.*
SOLI. INVICTO. *Sol in quadrigis.* (Theupoli.)

6) ALEXANDER. MAG. *Caput simile.*
NVSMACCONMONIMVS. *Vir rupi insidens, et respiciens.* (Theupoli.)

7) *Sine epigraphe. Caput Alexandri M. diadematum, et cum cornu arietino, coelum suspiciens.*
Vir nudus stans d. flagellum, s. anguem adsurgentem stringit. (Mus. Caes.)

8) ALEXANDER. *Caput Alexandri M. leonis exuviis tectum.*
Circus. (Haverc. n. 48.) *Bellerophon cum Chimaera pugnans.* (ibid. n. 49.) *Scylla, ut supra.* (Mus. Caes.)

9) ALEXANDER. MAGNVS. MACEDON. *Caput leonis exuviis tectum.*
OLYMPIAS. REGINA. *Typus, ut infra.* (Mus. Princ. de Waldeck.)

10) ALEXANDER. *Caput leonis exuviis tectum.*
D. N. IHS. XPS. DEI. FILIVS. *Asina capite erecto pullum lactat.* De singulari hoc numo abunde egi altius pag. 174.

Non repetimus hic ea, quae de vario capitis cultu, tum et capite in coelum verso in ejus regis moneta abunde docuimus. Non tamen omnium sententiae concordant, cui Alexandro omnes hi numi sint tribuendi. Etenim in numis octava sede descriptis antiquarii jam inde ab Erizzo plerique, ac postremo ipse etiam Havercampus propositum Alexandrum Severum dixere. Iuvat eorum causas paucis simul cognoscere, simul refutare. Ajunt primum, ex vultu agnosci Mamaeae filium, nullo vero pacto Macedonum regem; et hunc quidem revera agnoscendum, in quibus coelum suspicit, at non in his, de quibus agimus. At enim fatebor equidem, effictum in his vultum parum Alexandro M. convenire; verum an et confidenter poterit adfirmari, illum cognito Alexandri Sev. vultui esse similem? Sane ex numis iis Graecis, aut etiam simulacris, in quibus certum habemus ejus regis caput, apparet, quam varia et divergentia ei ab artificibus lineamenta tribui sint solita, sic ut hodieque de ejus certa, veraque forma saepe multumque litigetur. Facile igitur erit Alexander M., quomodocunque infeliciter expressus, quemadmodum saepe habemus Neronem quoque, et Trajanum, quos in compluribus hiulcae hujus classis numis non dignosceres, nisi

juvaret inscriptio. Denique in numo quinto caput habes idem prorsus, quale in numo sedis octavae conspicitur; atqui illud nemo dubitabit propter additum MAGNVS esse Alexandri M.; ex quo sequitur, ejus etiam esse reliquos huic plane similes, etsi in his το MAGNVS desideretur. At enim, inquiunt, idem fuit nomen et Philippi II. et Mamaeae filio, cumque constet ex Lampridio, delatum huic fuisse a senatu *Magni* nomen, etsi non acceptatum, poterant eum posterioris aevi artifices Alexandri M. habitu effingere. At cuperem ex toto hoc contorniatorum agmine vel unicum adferri exemplum, quod doceat, solum principis Romani nomen iis fuisse inscribi solitum subtracto omni imperatoriae majestatis titulo, sic ut legeretur tantum NERO, vel TRAIANVS, ut in his tantum ALEXANDER. Accedit, fuisse revera nonnullos imperatores, qui non contenti honore, quem imperii majestas dabat, alienos invasere; sic Commodus *Hercules*, Caracalla *Alexander M.* dici propalam voluere. At nunquam in numis Commodus dicitur *Hercules* tantum, sed vel *Hercules Augustus*, vel *Romanus*, nunquam Caracalla tantum *Alexander*, vel *Magnus*, sed DIVO. ANTONINO. MAGNO. Quocirca si caput in his numis esset Alexandri Severi, nequaquam sane aliqua ejus saltem aut nomina, aut tituli fuissent omissi, et quod sequitur, eos omnes regi Macedoni tuto tribues. Causam, cur is tam frequenter in hanc numorum classem receptus sit, non aliam esse conjicio, quam quod ejus nomen a victoriarum et excellentia et numero fuit inclytum, quod utrumque decus adfectabant etiam athletae Circenses horum numorum fabri.

* * *

OLYMPIAS. *(in plerisque* OLIMPIAS.*)* REGINA. *Olympias velata in lecto cubans dexteram versus serpentem adsurgentem extendit, s. delphino innititur.*

Caput Neronis. (Morelli Impp.) *Trajani.* (Havercamp. num. 68.) *Caracallae.* (Cat. d'Ennery.) *Alexandri M.* (Mus. Pric. de Waldeck.)

Sine epigraphe. Typus idem, nisi quod pro delphino sit simplex lectuli fulcrum.

Caput Neronis. (Mus. Caes. et alibi.)

Olympiadem ex dracone Alexandrum M. concepisse, a pluribus proditum, ac praecipue Plutarcho in ejus regis vita, quorsum adludunt praesentium numorum typi. Olympiadem etiam citra miraculum draconem potuisse in lectum recipere, existimat Lucianus, quoniam apud Pellam Macedoniae cicur quoddam fuit et tractabile serpentum genus, quae forte cognita reginae cum dracone familiaritas occasionem dederit vulgati rumoris de concepto, ut Lucianus ipse conjicit, ex dracone Alexandro [a]). Delphinus, cui regina innititur, purum putum videtur lectuli ornamentum, et nihil ad typum conferre.

* * *

NIKOKPEΩN. Vide infra in *Anaxarcho.*

* * *

PETRONIVS. MAXSIMVS. (sic)

a) in Pseudomantie.

V. C. CONS. *Petronius consulari habitu indutus sedet, d. volumen, s. scipionem cum aquila, in imo duae crumenae numis refertae, ex quarum una soluta numi protuberant.*

Caput Valentiniani III. (Bandur. Theupoli pag. 824.) Imaginem hujus numi vide apud Taninium Tab. VIII. loco ultimo.

Sistunt hi numi Petronium Maximum a Valentiniano III. ad maximos honores promotum, sed ingratum, qui benefactorem dolo occidit, imperiumque arripuit. Ejus imperantis numos in eodem hoc volumine pag. 190 dedimus. Contorniati hujus, qui Petronii adhuc privati est, pars una eundem Valentinianum sistit, altera Petronium, ut dixi, privatum, dictumque adeo V*irum* C*larissimum*, et CONS*ulem*. Revera bis eum a Valentiniano renunciatum fuisse consulem, fasti docent. Proponitur etiam cum consulatus insignibus, ut trabea et sceptro aquilifero, quod quidem utrumque in numis obvium. At nunquam adhuc conspecta marsupia numis referta, sed quae etiam ad consulatus ornamenta pertinuere. Nimirum qui consulatum adiverunt, in solenni pompa spargere pecuniam sunt soliti. Constat istud ex Novella Iustiniani a): *Soli aurum spargere damus imperio, cui soli etiam aurum contemnere praestat fortunae fastigium. Argentum vero, quod mox post aurum pretiosissimum fiet, et aliis consulibus largimur decens.* Vide, quae de hoc more adhuc observabo infra in tractatu de *Consulibus Caesaribus* in fine.

Viri eruditione, aut aliter clari.

ωΜΗΡΟC. *Caput Homeri nudum barbatum.*

Vir equum freno ducens. (Mus. Caes.) *Cybele cum Atye in quadrigis leonum.* (Gessner ex museo Pfau Impp. tab. XLV. 30.) *Vir galeatus et paludatus stans etc. vide reliqua infra ∬. VI.*

De Homero longum inferre sermonem, non attinet. Aversas suis locis explicatas vide.

* * *

SOCRATES. Bini feruntur summi hujus philosophi contorniati. Horum unum hausit Havercampus ex Vrsino: CΩΚΡΑΤΗC. *Caput nudum barbatum.* Quae fuerit ejus aversa, non additur. Alium protulit Pedrusius ex museo Farnesiano b), in cujus antica est caput barbatum nulla addita epigraphe, neque etiam satis adsequor, quibus is impulsus causis caput illud esse Socratis potuerit adserere.

* * *

ΑΝΑΞΑΡΚΟΣ *scriptum juxta caput senile calvum, ex adverso caput juvenile, scripto juxta:* ΝΙΚΟΚΡΕΩΝ.

ΟΥΔΕΝ. ΕΜΟΥ. ΣΟΥ. ΕΣΤΑΙ. ΑΚΚΙΖΩΜΕΝΟΥ.

His verbis numus hic describitur in Catalogo d'Ennery pag. 443, exhibens imaginem philosophi Anaxarchi, ejusque dictum, cum a Nicocreonte Cypri regulo in mortario contunderetur,

a) CIII. Tit. VI. c. 2. b) Tom. V. tab. I. n. 2.

de quo Diogenes Laertius, Plutarchus, Val. Maximus. Sed vereor, ut antiquus sit hic numus*) causa potissimum depravatae orthographiae Graecae, tum et insolentiam insertae illi sententiae ejus philosophi ore prolatae.

* * *

TERENTIVS. *Caput nudum imberbe.*

- - - IVS. *Vir equum freno ducens.* (Morelli Specim. pag. 47.)

P. Terentius Carthaginiensis a scriptis fabulis notissimus.

* * *

SALVSTIVS. AVTOR. *Caput nudum barbatum, in aliis imberbe.*

PETRONI. PLACEAS. *Tres viri togati stantes etc. vide reliqua infra in scenicis. In aliis aliae aversae jam cognitae.*

Est hic C. Sallustius Crispus rerum Romanarum scriptor celeberrimus.

* * *

HORATIVS. *Caput nudum imberbe.*

ALSAN. *Vir equum freno ducens.* (Haverc. p. 152.)

Alium cum alia aversa, sed cujus typum ex sola descriptione non satis intelligo, vide in Catalogo d'Ennery p. 444.

Exhibet numus Q. Horatium Flaccum Romanae lyrae principem.

* * *

APOLONIVS. TYANEVS. *Caput laureatum barbatum.*

STEFAN. NIKA. *Stephanus auriga in quadrigis.* (Haverc. p. 152.)

Habes imaginem Apollonii Tyanei, inter veteres thaumaturgi, cujus praestigias, et indigna philosopho insomnia Philostratus pluribus libris enarravit, et laudibus efferre potuit. Conjecturam tenuem, cur in hunc numum admissus sit, vide infra in Decursionibus sub *Stephanus.*

* * *

APVLEIVS. *Caput juvenile revinctis filo crinibus.*

Miles barbatus stans et suspiciens templum distylum, cujus fastigio tria capita humana imposita sunt. (Morelli Spec. p. 45.)

L. Apuleius natus Madaurae Numidiae, altero post Christum natum saeculo inter illustriores philosophos habitus, quem Constantinopoli stetisse marmoreum in gymnasio Zeuxippi, narrat Christodorus [a]).

* * *

Alios praeterea in hujus classis numis se vidisse testatus est Patinus, Pythagoram, Solonem, Diogenem, Virgilium, Ovidium, Senecam [b]), sed quos adhuc inter contorniatos non reperi.

§. IV. *Spectacula.*

Iuvat horum typos, quibus nihil hoc numorum genere frequentius, in quatuor classes dividere, in *decursiones*, *venationes*, *pugilatus*, *scenica.* Non tamen postulet a me lector, ut, cum similes typos commemoro, iis etiam explicandis longius inhaeream, partim quod longiores in ignobili causa commentarii taedium adferunt, partim quod ea, quae ad spectaculorum veterum naturam pertinent, pridem a viris doctis

---

a) Anal. Brunck Tom. II. pag. 467. b) in Suetonio suo pag. 468.

*) Vere antiquum, sed non ex classe contorniatorum, spondere possum, qui ipse vidi et manibus tractavi in museo com. Vitzay. Not. edit.

occupata sunt, quorum lucubrationes vide in Graevii tomo IX., et Gronovii tomo VIII.

Decursiones.

Circus maximus cum omni suo ornatu, et decurrentibus quadrigis.
Caput Alexandri M., *Neronis*, *Trajani*, *Caracallae etc.* Numi in catalogis obvii.

Commode hanc classem a Circo maximo auspicamur, in quo peracta fuere, quorum imaginem numi sequentes dabunt. Numi praesentes multum valent ad cognoscendam Circi veteris formam, et ornamenta.

Succedant jam ipsa aurigarum, sive equitum nomina.

* * *

ALSAN. *Vir equum palmae ramo ornatum freno ducens.*
Caput Horatii, *de quo supra.* (Haverc.)

ARTEMIVS. VINCAS. IMPERATOR. PLENA. *Victor in quadrigis d. flagrum et coronam*, *s. palmam.*
Caput Honorii. (Theupoli.)

Altera inscriptionis pars mira, quam explicare non tento *).

AVRELIANVS. *Hieronica stans in curru*, *quem quatuor equi palmiferi lente incedentes trahunt*, *d. tenens coronam cum scutica*, *s. palmam*, *et respiciens.*
Caput Neronis. (Mus. Caes.) *Trajani.* (Princ. de Waldeck.)

BABVLVS. *Hieronica medio corpore d. flagellum*, *s. equum freno retinens*, *pone ejus pileus.*

OLIMPIAS. REGINA, *de qua supra.* (Princ. de Waldeck.)

* * *

BONIFATIVS. *Hieronica d. coronam cum scutica*, *s. palmae ramum tenens in lentis quadrigis adversus vehitur*, *imam partem occupant quatuor monogrammata plures singula literas continentia.*
Caput Placidii Valentiniani.

Numum hunc pridem Ducangius in suis inferioris aevi numismatibus ex museo regis Galliarum edidit, restituerunt Bandurius, Havercampus num. 55, aliumque habes in museo Theupoli. Multo ante simillimus alter editus est ab Octavio Strada, nisi quod hic aureus fertur, et currus a cervis, non equis tractus. At enim aliorum quoque judicio Stradanus hic numus perinde aeneus est, et idem cum illo, quem hoc loco dedimus. Iam vero et suspicatus est Ducangius, perperam a Strada habitos cervos, qui equi sunt, et quae illi cornua sunt visa, aliud non esse, quam palmarum ramos ex capite adsurgentes, quem cultum equis victoribus tributum passim haec numorum classis offert. Verum haec leviora. Majus operae pretium cognoscere, quis sit *Bonifatius* in hoc numo propositus. Ducangius a), Bandurius, Havercampus, et horum auctoritate fretus Gibbonus b) in eo conspirant omnes, intelligendum Bonifacium, virum imperante Honorio artibus bellicis clarum, praefectum Africae, custodem primum defensoremque imperii, deinde proditorem, postquam Vandalos ex Hispania in Africam acci-

---

a) Dissert. de num. inf. aevi §. LX. b) Hist. of the decline Ch. XXXIII. nota 32.
*) Nomina equorum existimes, vide infra in TOXXOTES. Not. edit.

vit, quo tempore imperavit Pla. Valentinianus, cujus caput altera numi pagina offert. Ab hoc ergo imperatore ajunt permissum fuisse Bonifacio ob res nuper pro imperio praeclare gestas triumphum in hoc numo expressum. At vero in aliam me sententiam impellunt rationes graves. Ac primum quidem, nullum habemus exemplum facti alicujus praeclari, ejusque synchroni in hanc numorum classem illati, quale esset triumphus viro de rep. egregie promerito concessus; deinde an dignum fuisset Bonifacii virtute praemium, rei praeclare gestae memoriam monetariis his sordibus committere? Atqui mirum etiam videatur, virum usque adeo nobilem, et primi tum inter proceres subsellii, cui nomina sane alia ac tituli honorifici non defuere, simplice nomine BONIFACIVS notari, nullo alio dignitatis addito argumento, eumque publice sic memorari, ut scriptum in iisdem numis legimus EYTIMIVS, STEFANVS, OLIMPIVS etc. qui ex faece hominum fuere, aurigae, pugiles, bestiarii etc. Nonne supra vidimus in hac ipsa numorum classe, Petronium Maximum Bonifacio coaevum non modo dici V*irum* C*larissimum*, et CONS*ulem*, sed et consulari habitu sedentem proponi? Eodem modo facile fuerat, et ex communi ejus praecipue aetatis more, illustrem hunc Bonifacium addito aliquo honoris titulo exornare, quod et praestitit lapis Africanus editus a Scipione Maffeio [a]):

FELICI. HVIVS. VRBIS. RESTAVRA
TORI. COM. BONIFACIO. V. C.

Denique si numum hunc velis cum fratribus conferre, videbis facile, bello huic triumphatori non alia addita insignia, quam quae aurigae quoque manu jactant, ne quidem omissa scutica, insigni, aurigis, non vero triumphatoribus proprio. Tutius ergo Bonifacium hunc, qui aurigae more proponitur, aurigam dicemus, et casui dabimus, fuisse eodem tempore aurigam ejusdem cum vindice imperii nominis, quemadmodum eodem Valentiniano imperante fuit Petronius vir consularis, qui subinde imperium invasit, et Petronius scenicus, de quo infra in *Scenicis*, tum et Eugenius Augustus, et Eugenius auriga.

Literae in imo positae, et inter se nexae ejusdem sunt naturae, cujus tot aliae in numis regum Gothorum inde ab Anastasio frequenter occurrunt. Earum tentare explicatum reformidavit Ducangius, sed tentavit, qui alia omnia, Havercampus [b]), qua fortuna, arbitrentur eruditi. Verisimile est, quatuor his monogrammatis indicari nomina quatuor equorum, infra quos exarantur, quem morem ea aetate viguisse, dicemus infra in TOXXOTES. Similes siglae sunt etiam in contorniato uno Trajani, altero Caracallae musei Princ. de Waldeck.

* * *

CERVOMTIVS. *Hieronica in curru a quatuor citatis equis vectus stans et respiciens d. coronam cum scutica, s. palmae ramum.*

Caput Caracallae. (Haverc.)

CHRYSOPOLVS. Numum cum hujus mentione his verbis descriptum re-

a) Mus. Veron. pag. 165. 7. b) Pag. 126.

perio in museo Theupoli inter numos max. mod. [a])

C. CAESAR. AVG. GERMANICVS. PON. M. TR. P. *Caput Caligulae laureatum, ante caput* CHRYSOPOLVS. (sed literis introrsum scalptis)

Victor in quadrigis d. coronam, s. palmam.

Dubium non est, numum hunc esse ex Contorniatis unum, sed neque dubium, το *Chrysopolus* esse nomen agitatoris partis aversae, sed cur illud in anticam trajectum sit, ignoro, neque investigare operae pretium.

COSMVS. *Victor stans d. flagrum, s. hastam, in concavo.*

SERACVSVS. *Equus victor cum palma in capite, in concavo.* (Theupoli.)

Seracusus esse nomen equi, cujus aversa typum exhibet, dicetur infra sub TOXXOTES.

* * *

DESID. NC. *Protome virilis capite barbato, ac nudo s. equum freno retinet, d. scuticam.*

MACCOMMO. *Vir rupi insidens caput sinistra sustentans, et respectans.* (Haverc. num. 72.) In alio: FELICITATI. AVGG. *Navis.* (Catal. d'Ennery p. 440.)

Omnes, qui hujus numi meminere, protomen anticae statuerunt esse Desiderii, quem frater Magnentius Caesareo titulo donavit, quemque, ut ajunt, manifestum facit epigraphe DESID. NC., id est: N*obilissimus* C*aesar.* Nolim tenuem hunc honorem invidere Caesari infelici, praecipue cum ejus certus alterius generis numus nondum sit cognitus, sed reor, hunc illi honorem ex alieno datum. Enimvero huc quoque pertinent, quae supra in Bonifacio attuli. An enim possumus propositum Caesarem putare, quem scutica manu gestata certum aurigam praestat? Quae quidem causa tanti mihi videtur, ut prorsus evanidum putem argumentum cetera validissimum ex addito NC. petitum. Neque enim mihi cum viris eruditis convenit adfirmantibus, iis literis Nobilissimum Caesarem indicari, sed potius esse contractum N*i*C*as*, ut mox infra habebimus IOHANNES. NICAS. Sic et in numis Salonini legimus CS pro CAESAR, ut copiosis aliis saeculi inferioris exemplis abstineam. Denique an verisimile videatur, Romae in monumento publico ejus hominis honorificam fieri mentionem, qui una cum fratribus Magnentio, et Decentio cruentum cum Constantini filiis bellum gessit?

De epigraphe MACCOMMO male lecta vide infra §. VI. in NVSMACCONMONIMVS.

* * *

DOMNINVS. *Hieronica d. habenas, s. palmae ramum tenens in lentis quadrigis equorum palmiferorum.*

Caput D. Trajani. (Mus. Caes.) *Alexandri M.* (C. Vitzai.)

DOMNVS. PHILOCOMVS. *Hieronica d. scuticam, s. palmae ramum in lentis quadrigis adversus vehitur.*

Caput Severi. (Haverc. num. 63.)

ELIANVS. *Hieronica stans in curru, quem quatuor equi palmati*

---

a) Pag. 772.

trahunt, *et respiciens d. scuticam*, *s. palmae ramum.*

Protome virilis capite nudo d. scuticam, *s. equum freno retinet*, *circum literae* MVPR *introrsum scalptae*, *et argento expletae.* (Mus. Princ. de Waldeck. C. Vitzai.)

EVGENIVS. *Hieronica d. coronam*, *s. palmae ramum adversus vehitur in quadrigis lentis quatuor equorum palmiferorum*, *quibus adscripta nomina* SPECIOSVS DIGNVS.ACHILL.DESIDEREVS.

Caput Honorii. (Havercamp. num. 54.)

Addita haec quatuor nomina referenda ad ipsos equos, docebimus infra in TOXXOTES.

EYTHYMIVS, *vel* EVTVMIVS, *vel* EVTIMIVS. *Hieronica d. scuticam cum corona*, *s. palmae ramum in lentis quadrigis equorum palmiferorum adversus vehitur.*

Caput Neronis, *vel Trajani*, *vel Honorii.* (Haverc. Mus. Caes. alibi.)

EVTIMI. VINCAS. *Protome virilis capite barbato ac nudo s. equum freno retinet*, *d. scuticam*, *pone galea.*

Imperator eques citato cursu d. elata, *humi leo hasta transfixus.* (Mus. Caes.)

EVTIMI. VINICAS. *(sic) Auriga adversus in lentis quadrigis d. coronam*, *s. palmae ramum*, *in imo* MVSALLIGER. *(sic)*

Caput et epigraphe Theodosii M., *in alio Honorii.* (Tanini. Suppl. ad Bandur.)

EVTIMIVS, infra: TYRIEI. CAT - - - *Hieronica stans in medio duorum equorum palmiferorum.*

Caput Trajani. (Havercamp. num. 30.)

Haud dubie Euthymius hic variis modis scriptus unus est idemque, orthographiae legibus tum misere perversis. Iudice Havercampo [a]) hoc nomine proponitur athleta, qui Xerxis temporibus floruit, cujus insignes victorias laudibus prosecuti sunt Pausanias, Plinius, et in variis historiis Aelianus. At enim omnibus his scriptoribus dicitur *Euthymus*, non, ut numi hi omnes eloquuntur, *Euthymius;* deinde ex horum testimonio auctorum Euthymus hic fuit pycta, at secundum numos praesentes, ac praecipue postremum, auriga. Denique acclamatio EVTIMI. VINCAS hominem etiam tempore cum reliquis, qui in his numis memorantur, sociat, videturque floruisse sub Theodosio M. et Honorio, quorum capita in horum aliquibus proponuntur.

Verba TYRIEI. CAT - - numi postremi, quod manca sunt, explicare non tento. Iudice Taninio dividendum vocabulum MVSALLIGER, sic ut MVS significet equum sic dictum a muris colore, ALLIGER pro ALIGER equum alium sic vocatum a pernicitate.

* * *

LISIFONVS. *Hieronica d. scuticam cum corona*, *s. palmae ramum in lentis quadrigis equorum palmiferorum vectus.*

Caput laureatum divi Augusti patris. (Morelli Impp. in Aug. tab. XXIII.)

MANAS. *Hieronica in quadrigis.*

Caput Neronis. (Theupoli.)

OLIMPIODORVS. *Hieronica in quadrigis.*

Duo aurigae stantes cum flagellis. (Theup.)

---

a) Pag. 58.

OLIMPIVS. *Ipse loricatus stans d. scuticam, s. palmae ramum.*

Caput imberbe galeatum, Constantini M. visum Havercampo num. 51.

OLVMPI. NIKA. *Hieronica nudus stans in bigis citatis, et respiciens d. scuticam, s. coronam.*

Caput Neronis. (Haverc. num. 14.)

Habemus hic ex numis binis aurigam Olympium. Havercampus, qui more suo aversam cum antica componere amat, nequaquam in aversa hominem ex circo, sed ipsos Augustos, quorum imaginem antica sistit, effictos existimat, atque hos honoris causa dictos Olympios, perinde atque Hadrianum testibus numis. Nostro judicio Olympius hic nulla magni nominis rapina aurigae sorte contentus esto.

* * *

PANNONI. NIKA. *Hieronica in lentis quadrigis equorum palmiferorum vectus, et respiciens d. scuticam cum corona, s. palmae ramum.*

Protome capite nudo barbato d. scuticam, s. equum freno retinens. (Haverc. num. 71.) *Caput Honorii.* (Tanini Suppl. ad Bandur.)

SELEVCVS. *Hieronica stans d. scuticam. s. palmae ramum, pro pedibus hinc et illinc ara exsurgentibus palmae ramis.*

Hieronica in citis bigis. Typus utrinque incusus. (Pembrock P. III. tab. 118.)

STEFANVS. *Hieronica in quadrigis.*

Caput Alexandri M. (Theupoli.) *Neronis.* (Haverc. Morelli Impp.)

STEFANVS. *Hieronica nudus d. scuticam, s. palmae ramum vectus quadrigis equorum palmiferorum.*

Caput divi Trajani. (Mus. Farnes.)

STEFAN. NIKA. *Hieronica in lentis quadrigis adversus vehitur d. scuticam, s. palmam.*

Caput Apollonii Tyanensis. (Haverc.)

Si aliquando in his numis aliquis utriusque partis inter se nexus intentus fuit, forte non inconcinnum erit conjicere, lectum a Stephano hieronica ominis causa Apollonii Tyanensis caput, quod is Ephesi publice disputans ea ipsa hora, qua Stephanus libertus Domitianum Romae interfecit, inhibita repente voce, et attonito similis, mox velut recepto animo exclamare coepit: *καλως Στεφανε, ἐυγε Στεφανε, παιε τον μιαιφονον, ἐπληξας, ἐτρωσας, ἀπεκτεινας, recte Stephane, bene Stephane, feri homicidam, percussisti, vulnerasti, occidisti*, quam quidem fabulam, sed tum passim creditam enarrant Dio a), et Philostratus b).

* * *

VRSE. VINCAS. *Vir nudus stans d. elata flagellum, s. demissa palmae ramum.*

Protome capite nudo d. hastam (verius scuticam) s. equum freno retinens, pone palmae ramus. (Haverc. num. 50.)

* * *

Habes hic numos omnes aurigarum nomine notatos, quotquot reperire potui. Testatur tamen Erizzus, ut refert Havercampus c), alia sibi adhuc reperta

a) L. LXVII. §. 18. b) Vita Apollonii L. VIII. c. 26. c) Pag. 156.

nomina, nempe: *Olynthonius*, *Nicaenetas*, *Olymenus*, *Lasyllas*, *Lachryscus*, *Menestheus*, *Cratilaus*, *Hermagoras*, *Minophanes*, *Olympiodorus*, *Dominicus Folobacus*, *Lampria*, *Olympiadoxilus*, verum cum non addatur, quam artem professi sint, eos in suas classes tribuere non possum. Alia adhuc nomina excerpi possent ex catalogo reginae Christinae, quem edidit Franciscus Camelus, nisi ea ab auctore parum erudito misere essent depravata. Vide ibi pag. 124. seq.

Ad idem argumentum pertinent numi sequentes:

> ETERNIT. P. R. *Hieronica d. coronam cum scutica s. palmae ramum adversus vehitur in lento curru, quem quatuor equi palmiferi trahunt.*

DIVO. IVLIO. *Caput Iul. Caesaris laureatum.* (Morelli Impp.)

Numus hic, si quis alius, Romanorum sui aevi mores graphice exprimit. Nam cum veteres illi, inculti adhuc et Marte suo pleni *aeternitatem* sibi ab unis victoriis externis sponderent, eam sibi degeneres nimio nepotes, et uno jam pane et circensibus contenti ludicris hisce victoriis adsertum iri aut speraverant, aut sibi libenter finxerant, etsi tum maxime hostes externi illatis quaquaversum cladibus vecordem populum ad seria Martis negotia excitarent. Hos suorum mores cum nosset numi hujus quadrigarius, ausus est profiteri, suo quoque scenico triumpho *aeternitatem populi R.* procuratam.

* * *

> TOXXOTES. *Equus gradiens impressa femori nota, prae quo palmae ramus.*

AMOR. *Equus stans cum impressa item nota, et palmae ramo. Vterque equus introrsum scalptus est, et argento expletus.* (Morelli Specim. p. 43.)

Res in vulgus nota, veteres equis suis perinde dedisse nomina, atque istud hodieque fieri videmus. Notus ex Homero Achillis Xanthus, ex Marone Pallantis Aethon, Mezentii Rhoebus, ex Suetonio Caligulae Incitatus privatis heri sui comitiis consul designatus, ex Dione Hadriani Borysthenes, ex Capitolino L. Veri Volucris. Qui plura equorum nomina nosse cupiet, adeat tabulas marmoreas, quarum unam edidit Panvinius [a]), alteram Sponius [b]). Data illis nomina ab indole sive corporis, ut colore, velocitate etc. sive animi, ut generositate, ingenio etc. Saepe patriae nomen adhaesit, qualis est SERACVSVS pro SYRACVSIVS, quem vidimus supra in auriga COSMVS. Numi praesentis TOXXOTES, male geminato X scriptus, haud dubie sic dictus est a pernicitate; nam τοξοτης Graecis *sagittarius;* alter AMOR ab affectu herili. Vterque ergo equus ob partam victoriam, cujus indicium facit adstitutus palmae ramus, illatus numo, qui honor meritis caballinis videri major non debet, quando constat, equorum memoriae sumptuosa erecta monumenta, quin et ab Alexandro M. honori Bucephali sui aedificatam urbem. De hoc argumento vide notam Fabricii ad Dionis L. LXIX. §. 10. Notae femori im-

a) de Lud. Circ. L. I. c. 13.

b) Voyage Tom. III. pag. 23.

pressae veterum etiam morem indicant, quo discriminis causa varia inurere signa fronti aut femori placuit, quo modo Alexandri equum a capitis bovini cauterio dictum Bucephalum refert Arrianus [a]), de quo vide plura in notis eruditissimi Argoli ad laudatum Panvinii marmor. Signo femori inusto, draconis scilicet, ne ipsum quidem equorum prodigium Pegasus caruit, ut docet vas Campanum antiquissimum ex museo Hamiltoni a Tischbeinio editum [b]). Toxotes noster ex impresso femori *Koppa* haud dubius est Koppatias, quo de equorum genere et vocabulo egimus in Characteribus chronologicis Vol. IV. p. 390. Parapamisadas Indos bobus causa Herculis inussisse clavam, alibi diximus [c]). Non unus hic equus nomen suum in hoc numorum genere jactat. Supra in hieronica Eugenio circum quatuor equos currui junctos vidimus scripta totidem nomina: SPECIOSVS. DIGNVS. ACHILL*es*. DESIDEREVS, addito superne quadrigarii nomine EVGENIVS. Havercampus omnes hos titulos Honorio Aug. applicat, cujus effigiem pars numi antica exhibet, eosque faustam continere adclamationem adserit, cum tamen dubitari nequeat, esse equorum nomina. Et vero uni ex Eugenii quadriga praeclaro sonipedi eodem jure poterat tribui *Achillis* nomen, quo data *Romuli*, *Ajacis*, aliaque magnifica nomina in laudatis tabulis marmoreis legimus. Denique dubium omne eximit marmor a Fabretto bis editum [d]), in quo proponitur auriga SCORPVS regens equos quatuor additis eorum nominibus INGENVO. ADMETO. PASSERINO. ATMETO. At cum primis hic memoranda lamella vitrea picta, quam idem Fabrettus iisdem pariter locis edidit [e]). Ea laudato Eugenii numo simillima exhibet agitatorem addito nomine: LEAENI. NICA vectum lento curru, cui junguntur quatuor equi palmigeri additis nominibus NICEFORVS. AEROPETES. BOTROCALENES. ACCIATVS. In annulo musei Florentini legitur insculptum POMPHI. NIKA, juxta sunt binae equorum protomae additis horum nominibus AMOR et OSPIS [f]). Igitur varii hi equi augebunt equorum catalogum, quorum nomina ex stabulis veterum collegit Montfauconius [g]).

Animadversiones
in hos decursionum numos.

Lubet in quadrigariorum cultum et insignia nonnihil adcuratius inquirere, labore nequaquam otioso, ut mox patebit. Omitto coronam et palmae ramum, quod utrumque cujuscunque fuit victoriae insigne. Omitto etiam tunicam, qua amicti fuere saltem plerumque, nam et nudi nonnunquam proponuntur non modo in nonnullis contorniatis, quos descripsimus, sed et in aliis monumentis apud Montfauconium, quae decursionum modos proponunt. Cer-

a) de Exped. Alex. L. V. c. 19. b) Vol. I. tab. I. c) Vol. II. p. 204. d) ad tabell. Iliad. p. 238. et Inscript. pag. 273. e) Pag. 310 et 537. f) Tom. I. tab. XI. g) Ant. expl. Tom. III. p. 285.

tissima agitatorum insignia sunt galea, ac praecipue scutica. Galeae hujus, seu petasi meminit Athenaeus in enarratione pompae Bacchicae Ptolemaei, cui interfuere *παιδαρια χιτωνας ἐχοντα ἡνιοχικυς και πετασυς*, *pueri aurigarum tunicis petasisque induti* a). Etiam Nero ad circensia studia conversus *ἡρματηλατησε*, inquit Dio b) *την τε στολην την πρασινον ἐνδεδυμενος, και το κρανος το ἡνιοχικον περικειμενος*, *currus egit, prasina veste et galea aurigarum ornatus.* Vide de hac galea plura in nota Fabricii ad hunc Dionis locum. Circensis hujus tegumenti formam habes in area numi, qui fertur esse Ioviani Aug., apud Havercampum pag. 160 num. XII., positi pone caput protomes equestris. Non raro ex galea juxta aurem utrinque pendet lacinia, quam offendicem appellat Festus, quae infra mentum colligata firmius faceret galeam adhaerescere. Sic ea proponitur in numis, quorum unum Neroni, alterum Magnentio tribuit Havercampus c), et sic clauso mento plerumque videas propositos agitatores in monumentis veterum. Tamen et galea aperta, et cristis decora tegitur agitator Olympius apud Havercampum d), et saepe quadrigarii tam in numis, quam marmoribus nudo sunt capite. Scutica seu flagellum necessaria iis arma, qui rei equestri dant operam, sive equitibus, sive agitatoribus. Quare hanc artem professi raro in monumentis sine scutica comparent, et potest hic ipse ejus defectus agitatori esse honorificus. Nam fuere, qui nullo scuticae subsidio ausi sunt sperare victoriam, et si eam forte adepti sunt, res digna visa est, quae memoriae proderetur. Sic in marmore Gruteri celebratur Diocles agitator, quod SINE. FLAGELLO. VICTOR. EMINVIT e), et insigne anaglyphum, quod supra ex Fabretto produxi, offert Scorpum citatis quadrigis vectum nulla praeterea flagelli ope. At fuit etiam hic Scorpus Romani circi gloria, cujus merita Martialis binis elegantissimis elogiis celebrat f). Fieri igitur potest, ut signum quodpiam agitatorem sistat, etsi absit flagellum, at cum istud manu tenet, certum puta aut aurigam, aut desultorem, aut cuicunque equestri studio deditum.

Venio nunc illuc, cujus fere unius causa haec liberalius disputaveram. Proposuit Havercampus in suo de Contorniatis tractatu numos complures, in quorum antica fingitur protome virilis tunicata capite nudo, dextera tenens vel scuticam, vel hastam, s. equum freno cohibens, in nonnullorum area pone caput adstituitur galea ejus formae, qualem mox dedimus. Epigraphe in his omnis abest, si Ioviani numum demas, quem exhibet p. 60. n. 12. Omnes hos vir eruditus aut Augustos, aut Caesares facit, consultisque oris lineamentis nobis obtrudit Neronem g), Constantinum M. h), Magnentium i), Desiderium k), Iovianum l), Pla. Valentinianum m). At vero multa sunt, quae judicio huic plane adver-

a) L. V pag. 200. F. b) L. LXIII. §. 6. c) num. 59 et 71. d) num. 51. e) Pag. 337. f) L. X. epigr. 50. 53. g) num. 59. h) num. 50. i) num. 71. k) num. 72. l) Pag. 160. num. 12. m) Pag. 160. num. 13.

santur, ac vel illud maxime, sitne ullo pacto verisimile, imperatorem Romanum habitu, insignibus, omnique cetero cultu sic in monumentis publicis proponi, ut inter eum, infimamque ex cavea gentem nihil differret? nam eodem cultu effictos fuisse aurigas, docet numus supra propositus scripto juxta protomen EYTIMI. VINCAS. Non me fugit, extra hos contorniatos exstare numos, qui imperatoris protomen cum equo et hasta offerunt, quales sunt Constantini M., aliorumque bene multorum. At in his caput est decore galeatum, additur solita principis epigraphe, et pro aurigantium flagello hasta militaris principe digna. Video equidem, in multis contorniatis id, quod protome dextera manu tenet, instar verae hastae formatum videri. At enim quovis pignore certarem, si omnes hi numi adcuratius inspiciantur, adpariturum lorum ex summo hastae apice defluum, et retortum instar harpae Perseiae, quae fuit usitatior scuticae aurigariae forma. Lorum illud tenuius si aevo vitium est passum, facile hastae speciem praebet, quae reipsa flagellum est. Et vero haec licentia, imperatores agitatorum habitu proponendi etiam propterea nullo est pacto verisimilis, quod ex Theodosii M. constitutione ne permissum quidem fuit, in eodem loco promiscue et imperatorum et circensium simulacra statui. Ejus verba haec sunt [a]): *Si qua in publicis porticibus, vel in his civitatum locis, in quibus nostrae solent imagines consecrari, pictura pantomimum veste humili, et rugosis sinibus agitatorem, aut vilem offerat histrionem, illico revellatur, neque unquam posthac liceat in loco honesto inhonestas adnotare personas.* His disputatis adversatur contorniatus, quem Havercampus p. 160 n. 12 ex Numis max. mod. reg. Gall. restituit, quo in opere exstat tab. XL. n. 4. In hoc fertur epigraphe: D. N. FL. C. IOVIANVS. P. F. AVG., typus: *Vir loricatus medio corpore, capite nudo, d. hastam, s. equum freno retinens, pone petasus.* Sin numus vere sic habet, habebis Augustum aurigae cultu propositum jubente istud praecipue petaso. At enim Ducangius, qui in Familiis Byzantinis ejusdem numi iconem dedit, petasum, qui haud dubie abest, omisit, et culpanda potius videtur pictura, quae exstat in laudatis Numis max. mod., in quibus edendis saepe desiderari adcurationem, alibi conquestus sum [b]).

EVTIMI. VINCAS. — OLVMPI. NIKA vel NICAS, et similia sunt acclamationes, quibus sedens in orbem populus factionis suae agitatori elata voce bene precari consuevit. NIKA Graecum est, et ejusdem cum VINCAS significationis. Eundem sensum faciunt literae in perpendiculum scriptae: GARAMANTI. NICA — GENTI. NICA in celebri marmore, sed male explicato a Panvinio [c]), et Grutero [d]). Ejusmodi acclamationes affectus testes offerunt quoque gemmae veteres, sed et hae inferioris aevi. Mox infra habebis affine PETRONI. PLACEAS.

---

a) Cod. Iust. L. XI. tit. XL. §. 4. b) in praefat. ad Vol. VI. c) de Lud. Circ. L. I. c. 10. d) Pag. 338 2.

Venationes.

Venatio cervorum et leporum intra amphitheatrum.

Caput divi Augusti. (Mus Caes. Morelli Impp.) *Neronis.* (Morelli Impp.) *Trajani.* (Haverc. num. 67.)

COLENDVS. *Venator eques cervum et leporem intento arcu in amphitheatro insequitur.*

Caput Trajani. (Mus. Farnes.)

Venator aprum venabulo petens, quem et canis adsilit.

Caput Neronis. (Haverc. n. 5. Morelli Impp.) *Vespasiani.* (Mus. Caes.)

Venatores duo, unus ex equo ursum, alter e plano aprum impetentes.

Caput Neronis. (Morelli Impp.)

Venator adversus irruentem ursum opposita machina se tuetur, desuper quinque spectatores pugnae eventum attoniti exspectant.

Caput Neronis. (Morelli Impp. Mus. Farn.)

Vir unus duos tauros ferocientes cornibus retinet.

Caput Neronis. (Morelli Impp.)

Imperator eques leonem jaculo feriens.

Caput Neronis. (Morelli Impp.) *Trajani.* (Haverc. num. 21.) *Protome Eutimii agitatoris.* (Vide supra in Eutimio.)

Vir in tauro equitans cum urso commissus.

Caput Neronis. (Morelli Impp.)

Bestiarius stans d. hastam, s. quid globo simile, pro pedibus panthera prostrata, in area hinc tres metae, inde quid specui simile.

Protome aurigae d. scuticam, s. equum freno retinentis. (Mus. Caes. Pellerin Suppl. II. tab. 7.)

REPARATIO. MVNERIS. FELICITER. *Venator irruentem ursum opposita hasta excipit.*

INVICTA. ROMA. FELIX. SENATVS. *Caput Romae galeatum.* (Morelli num. fam. tab. I. Romae.)

Argumenta horum numorum commemorasse sufficiat, explicationem facile quivis ex auctoribus, quos initio hujus capitis praecipuos nominavi, petet.

Pugilatus.

MILO. CROTON. *Leonis exuviae e clava suspensae.*

Bos cornupeta.

Prosper Parisius numum hunc inter rariora M. Graeciae numismata edidit tab. IV., Havercampus in fronte operis de Alexandri M. numo, et de numis contorniatis restituit. Non dubitat hic, esse ex contorniatorum genere, at ego non hoc solum, sed etiam vix in genuinis habendum censeo. De Milone Crotoniata virium humanarum miraculo, artisque adeo athleticae facile principe copiosa habemus veterum testimonia.

* * *

FILINVS. *Athleta nudus d. elata coronam, s. palmae ramum stat inter duas figuras togatas, quarum dexterior scipionem elatum, sinisterior tibiam tenet.*

Caput Neronis. (Mus. C. Vitzai.) *Trajani.* (Mus. Farnes. Haverc. num. 69.)

Numus jam ex Tristano et Angelono cognitus. Censent plerique, eo exhiberi Philinum Coum celebrem Olympionicam, in cujus laudibus facundi fuere Pausanias, et Plutarchus in Symposia-

cis. De figuris adstantibus varia iidem conjecere, quae recoquere piget.

* * *

IOHANNES. NICAS. *Athleta et aliptes stantes.*

Caput Pla. Valentiniani [a]).

Pugil nudus humi sedens alterius pugilis caput ad terram adactum pedibus implicat, ejusque manum manu sua cohibet.

D. N. CONSTANTINVS. MAX. AVG. *Imperator medio corpore cum corona gemmata d. sceptrum, s. globum.* (Mus. Princ. de Waldeck.)

Scenica.

Vir nudus praegrandem personam scenicam utraque manu gestans, pone arbor.

Caput Neronis. (Mus. Farnes.)

Duae personae comicae hiante turpiter rictu

Mulier sedens capite turrito etc. Vide reliqua infra §. VI. sub numo I.

* * *

Organum hydraulicum adstante hinc et illinc figura, quarum dexterior instrumentum quoddam flabello simile elata manu ostentat.

Caput Neronis. (Mus. Caes. Haverc. n. 11.) *Trajani.* (Haverc. n. 27.)

LAVRENTI. NICA. *Organum hydraulicum, stat hinc figura d. ostentans aliquid flabello simile, adstituuntur praeterea duo vasa, ut videtur, illinc folia humi sparsa.*

Caput Neronis. (Mus. Caes.)

Havercampus in simili legit LAVRENTIN. AVG. [b]) Morellius: LAVRENTINVS (Impp. in Nerone), Tristanus: LAVRENTINVM [c]).

PETRONI. PLACEAS. *Tres figurae togatae stantes, quarum media minutum organum hydraulicum tenet, altera tibiam, tertia colloquentis more gesticulatur.*

Caput et epigraphe Sallustii. (Mus. Caes. Havercamp. pag. 150, alii.)

PLACEAS. PETRI. *Organum hydraulicum, adstat utrinqne figura illud, ut videtur, animans, juxta terminus Solis.*

Caput Pla. Valentiniani. Numus insignis magnitudinis olim reginae Christinae.

In explicandis his numis eruditi omnes facile conspirant, hoc typo sisti *organum musicum*, unis fere his numis praeclari hujus artefacti jam veteribus cogniti, et quod nostrae quoque aetati ad varios usus servit, imaginem exhibentibus. Fuit autem illud duplicis generis, *hydraulicum*, quod aquae motu, et *pneumaticum*, quod follibus animabatur. Prioris frequentior apud auctores veteres mentio. Nero, ait Suetonius [d]), urgentibus jam maxime inimicis *primores viros per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxit.* Alterius testimonium jam viderunt eruditi apud Manilium [e]), at multo certiora sunt bina alia, primum apud Theodoretum [f]): Οργανῳ γαρ ἐοικεν ἀπο χαλκων συγκειμενῳ καλαμων, και ὑπ' ἀσκων ἐκφυσȣμενῳ, και κινȣμενῳ ὑπο των τȣ τεχνιτȣ δακτυλων, και ἀποτελȣντι την ἐναρμονιον

a) Marini Iscriz. Alban. p. 129. b) num. 10. c) Tom. I. p. 218. d) in Ner. c. 41. e) L. V. v. 329. f) de Provident. Orat. 3.

ἐκεινην ηχην. *Ejusdem enim fuit formae cum organo aeneis tubis composito et follibus animato, quod artificis digitis motum harmonicos illos concentus efficit.* Iulianus Aug. in epigrammate, quod est in Brunckianis Vol. II. pag. 403, in similis organi descriptione meminit *aenearum fistularum*, δονακων χαλκειης ἀρερης, non nostro flatu animatarum, sed vento *ex taurino specu*, ἀπο ταυρειης σπηλυγγος, i. e. follibus, prorumpente, qui se in earum radicem insinuat, dum interim vir quidam peritus *celerum digitorum* ope, ἔχων θοα δακτυλα χειρος, suavem concentum elicit. Ytrius generis fuerit propositum in his numis organum, an hydraulicum, an pneumaticum, non satis constat. Sed de horum initiis, usu, progressu vide, quae laudatis omnis aevi auctoribus magna cum eruditione congessit Christianus Wernsdorfius ad Publilii Optatiani Porphyrii carmen, ut ineptum, ita laboriosum, quod *Organon* inscripsit [a]. Causa illati his numis hujus artefacti visa antiquariis, quia, ut altius diximus, illo delectabatur Nero, cujus caput in antica conspexere. Verum an et Trajanus illo, et Valentinianus delectabantur, quorum item in similibus aliis occurrunt capita? Satis esto, fuisse haec organa inter παιγνια circorum et scenarum, ac propterea dignum horum numorum argumentum, ut sane simile artefactum inter alia circi ludicra exhibetur in elegante diptycho apud Maffeium [b].

In eorum inscriptionibus primum recitandis, deinde explicandis incredibile, quanta absurda ab eruditis sint prolata. Lege primum Tristani, deinde qui hunc in pejus corrigit, Havercampi judicium de vocabulo LAVRENTIN. [c] Numus integerrimus musei Caesarei habet, ut dixi, LAVRENTI. NICA. Numum postremum sic describit Franc. Camelus in catalogo numorum thesauri reginae Christinae: *Aedificium cum tribus figuris:* PLATEA. S. PETRI. [d] quo quid magis ridiculum? Verisimile est, secundum numum praecedentem legendum in hoc quoque PLACEAS. PETRONI.

* * *

MAR - - - INC. *Mulier stans d. elata coronam, adstant juxta quatuor puellae, pone duo pueri.*

Caput Theodosii II. (Tanini Suppl. ad Band. tab. XVIII.)

MARGARITA. VINCAS. *Mulier stans d. elata coronam, s. vestem colligit; ei advolans Victoriola coronam offert, infra duo palmae rami.*

Caput Pla. Valentiniani. (Tanini ibid. Pembrock P. III. tab. 102. Mus. Princ. de Waldeck.)

Vitiatam numi prioris epigraphen Taninius explendam conjicit: *Margarita vincas*, ut in numo sequente, ejus vero typo proponi Margaritam coryphaeam, quae publicum puerorum puellarumque cantum moderatur. In numo altero eadem Margarita proponitur in arte sua victrix, indicantibus istud advolante Victoria, et palmae ramis.

a) Poet. Lat. min. T. II. p. 394. et Tom. IV. in Addend. p. 823. b) Mus. Veron. p. 111. c) Pag. 73. d) Pag. 124.

§. V. *Contorniati cum typis domesticis cognitis.*

Hactenus typos vidimus, qui fere uni huic numorum classi proprii sunt. Verum exstant etiam, etsi non magno numero, qui typos ex vera Romanorum moneta jam cognitos recepere. En aliquot exempla, ut ab his contorniatorum fines plenius intelligamus. Horum aliqui tam anxie numos veteres domesticos imitantur, ut jure in restitutionum numis possint putari, et ab archetypis non differant nisi siglis juxta caput introrsum scalptis, ambiente marginem sulco, et opere rudiore, certis, ut supra dixeram, contorniatorum signis. Tales sunt:

* * *

Caput Agrippinae sen. cum epigraphe: AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI. ☧ S. P. Q. R. MEMORIAE. AGRIPPINAE. *Thensa.* (Mus. Caes. Morelli Impp.)

Caput Neronis. ☧ PACE. P. R. *etc. Templum Iani.* (Mus. Caes) In alio: ROMA. *Roma galeata sedens addito etiam* S. C. (Morelli Impp.) In alio: DECVRSIO. *Eques decurrens.* (Morelli Impp.) In alio: *Duo equites decurrentes*, ut in numis Neronis.

Caput Galbae. ☧ LIBERTAS. PVBLICA. S. C. *Libertas stans.* (Morelli Impp.)

* * *

In aliis numis cum parte antica junguntur aversae alieni temporis, sic:

ANNONA. AVGVSTA. CERES. *Ceres sedens etc.* ☧ *Caput Trajani.* (Theupoli.)

Hic typus obvius est in moneta Neronis.

DIVA. FAVSTINA. AVG. *Faustina junior stans d. pateram, s. cornucopiae ad aram sacrificat.* ☧ *Caput Neronis.* (Morelli Impp.)

Mira profecto Neronis et Faustinae in eodem numo societas, cujus causam nexus non facile alius praeter ipsum numi architectum dabit.

* * *

Caput Constantini M. ☧ VICTORIA. CONSTANTINI. - - - *Victoria sedens inscribit clypeo.*

VOTA. XX. *Circus, in quo duae quadrigae decurrunt, et venatores cum belluis pugnant.* ☧ *Caput Pla. Valentiniani.* (Mus. d'Ennery.)

* * *

ANTINOOΥ. ΗΡΩΟC. *Caput nudum.* In alio: ANTINOΩ. ΠΑΝΙ. *Protome Antinoi s. pedum super humero.* ☧ VICTORIA. AVG. *Victoria gradiens.* (Prior apud Vaillant. num. Graeci, alter in museo princ. de Waldeck.)

En tibi et contorniatos bilingues, sic tamen, ut Antinoi nomen, velut dei extranei, Graece scribatur, ex quacunque demum causa eum his monumentis inserere placuit. Quae alia in his numis ad Antinoum pertinent, vide explicata in ejus moneta Vol. V. p. 536.

§. VI. *Numi explicatus ambigui.*

Mulier sedens capite turrito d. elata, s. hastam; ei ad dexteram adstat vir pileatus d. bipennem, s. hastam, ad sinistram stans mulier turrita mulierem sedentem coronat, s. hastam tenet; pro pedibus adstant quatuor animalia alata instar Sphingum, ara utrumque extremum claudit,

in imo duae figurae instar fluviorum humi procumbentes. ✕ *Duae personae comicae hiante turpiter rictu.* In alio: *Caput Alexandri M. nudum.* (Haverc. num. 1. 2.) In alio: *Caput Neronis.* (Morelli Impp. Mus. Farn.)

Patinus, qui id genus numos primus vulgavit, prospere adventurum edixit, qui horum solvet numorum aenigmata. Objecta haec difficultas invitavit Havercampum, ut in iis enodandis vires suas experiretur, eique causae potissimum debemus dissertationem, quam de Alexandri M. numismate conscripsit, qua simul aliorum contorniatorum catalogum, et usum complexus est. Eo in opere profitetur vir eruditus, insolente hac horum numorum imagine indicari summum imperium Orientis et Occidentis, (quam utramque plagam notant binae personae partis alterius) quod per rapaces homines in quatuor decantatis monarchiis Chaldaeorum, Persarum, Graecorum, Romanorum (harum symbolum sunt quatuor animalia alata) violentissime fuit exercitum, quin adeo cupide devoratum (et graphice id quidem adumbratum horrendo duorum capitum oris hiatu). Et ne conjecisse solum videretur, addit: *nullum in hoc numismate vel punctum esse, quod non examussim in formadibilem istam quadret potestatem* [a]). Haec cum tibi, Sigeberte, tam certa explorataque viderentur, cur aliquot post annis, cum eundem typum explicare intenderes, destitutum te in vado quereris, ejusque te intellectum non posse adsequi [b])? An oblitus eras operis, quod olim totum hujus unius causa typi, et cum tanto eruditionis nisu conscripseras? An vetus confidentia vertit in diffidentiam? Possumus ex hoc exemplo intelligere, quam inanes saepe sint virorum praestantissimorum sane et eruditorum conatus, cum nihil in omni retro antiquitate tam arduum, tam invium putant, quorsum ingenio et eruditionis copiis non possint pertingere. Ceterum si liberet etiam, vererer in typi hujus sensum studiosius inquirere, quod iconismos usque modo vulgatos nimium video discrepare. Nam quae figura Patino et Havercampo dicitur manu tenere bipennem, ea secundum iconismum Morellii tenet pedum, et caput pileo Phrygio obtegit [c]), certus adeo per haec indicia Atys, quo verisimile fit, mulierem in medio considentem esse Cybelen cum Atye suo, quin et adstituta quatuor animalia aliud forte non esse, quam sacros huic deae leones. Cybelen cum Atye in leonum quadrigis vectam supra in Mythologicis vidimus. Typus duarum personarum scenam olet, ut alii contorniatorum typi circum et amphitheatrum, easque non esse connectendas cum averso numi argumento, inde patet, quod numi alii pro his offerunt caput Alexandri M., vel Neronis.

* * *

Serpens adsurgens fruges in ara positas adlambit, pone arbor. ✕ *Caput Neronis.* (Haverc. num. 6. 12. Morelli Impp.) *Trajani.* (Haverc. num. 34.)

Havercampus typum hunc ex Neronis vita explicat, nequaquam absterreri se passus, quod idem Trajano quo-

---

a) Pag. 4. b) Morelli Impp. Tom. II. pag. 93. c) in Nerone tab. VIII. n. 18.

que tribuitur. Fuit serpens comes Aesculapii, Apollinis, Minervae, Hygiae, Hecates etc. tum et heroum, ipse etiam genius et Agathodaemon, ut symbolicos explicatus alios taceam; in mysteriis quoque, ac praecipue in orgiis Bacchi fuit animal religiosum et reconditi sensus. Ob multiplicatos ergo hos ejus honores necesse est serpentum typos, nisi ab aliis causis juventur, impeditam habere significationem. Typus, quo is modo his in numis proponitur, videtur indicare inferiarum ritum, et felix in iis omen. In his dapes arae imponi sunt solitae; quae offerebantur diis Manibus, et dicebantur *silicernium*, adlabens vero serpens, epulasque depascens creditus est famulus ejus, cui inferiae actae sunt. Sic cum Aeneas Anchisi post excessum sacra instauraret, ecce anguis agmine longo

Tandem inter pateras, et levia pocula serpens
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo et depasta altaria liquit.

Verba sunt Virgilii a), quae proxime imitatus Valerius Flaccus, cum refert, ad placandos caesorum in acie manes celebratum a Iasone sacrificium, sic ait b):

Dixerat, et summas frondentibus intulit aris,
Libavitque dapes, placidi quas protinus angues
Vmbrarum famuli linguis rapuere coruscis.

* * *

Mulier moesta rupi insidens, ex adverso stans vir nudus manibus post tergum revinctis, quem suspicit figura alia humi sedens. X *Caput Neronis.* (Haverc. num. 2. Morelli Impp.) *Trajani.* (Haverc. num. 25. Pellerin Suppl. II. tab. 7.)

Similem edidit Begerus, et in homine vincto Tiridatem Armeniae regem agnovit c). Havercampus in genere Parthum designari putat, atque eodem typo in numo Trajani adludi ad victoriam Armeniacam, Dacicam, Germanicam. Ergo judice Havercampo idem typus in diversis imperatoribus lectus est ad diversas res gestas designandas? Praestat illum in incertis putare. Habet is nonnihil adfine cum Marsyae supplicio, Scytha humi considente, et ad sumendam poenam parato.

* * *

Porticus binis columnis fulta, intra quam vir stans ad mensam numis refertam cum binis viris togatis colloquitur. X *Caput Neronis.* (Mus. Caes. alibi.)

Havercampus singulari hoc, et nusquam alias conspicuo typo indicari putat abacum et locum, ubi dividebantur contorniati in usum Circensium d). Sed levior haec videtur causa, quam ut vel abjectis his numis typi materiam sufficere potuerit. Verisimilius videtur, propositum argentarium in foro fenus exercentem. Hujus προαιρεσεως homines variis nominibus dicti fuere *argentarii*, *numularii*, *danistae*, *collybistae*, tum et *mensarii* et *trapezitae* a Graeco τραπεζα, *mensa*, quod pecuniae posita

a) Aen. V. 90. b) Argon. III. 456. c) Thes. Br. T. II. p. 622. d) Morel. Impp. T. II. p. 82.

mensa numerabantur. Sic Tullius [a]): *Quid? stipendium militibus per omnes annos a civitatibus, MENSIS PALAM PROPOSITIS esse numeratum.* Narrat Plutarchus [b]), candidatos in comitiis honores non jam tecte, sed *positis in medio mensis*, ἐν μεσῳ θεμενοι τραπεζας, a populo fuisse mercatos. Illustrior adhuc locus Martialis, qui in causis, quae clamores strepitumque urbis augent, refert etiam forensia numulariorum negotia [c]).

Hinc otiosus sordidam quatit mensam
Neroniana numularius massa,

nimirum numis omnis metalli Neronis imagine insignibus, et Martialis aetate maxime obviis. In elegia, quae *Nux* inscribitur, et Ovidio tribuitur, descriptum habes patentem facile ad similes tabernas accessum [d]),

Quilibet argentum prima de fronte tabernae
Tollat.

Locus, in quo fenus istud exercebatur, Ciceroni, Horatio, aliisque dictus plerumque *medius Ianus*. Vide eruditorum observata ad Ciceronis de Offic. L. II. c. 25. Idem mos apud Graecos quoque valuit. Narrat Polyaenus [e]), Alexandrum Pheraeum clam cum militibus in Piraeeum advectum dato signo ex omnibus mensis pecunias diripuisse.

* * *

Clypeus, in cujus medio capita Solis et Lunae zodiaci signis clausa, juxta sedens vir expansis manibus, capite elephanti proboscide ornato, pone statua Palladis. ☧ *Caput Trajani.* (Haverc. n. 29. Theupoli.)

Obscurum, inquit Havercampus [f]), mihi fateor esse aenigma, ne tamen nihil adferam, dicam id, quod in mentem venit, etc. At mihi, qui simplicem neque longe arcessitam explicationem praeferre amo, videtur vir ante astrorum et Zodiaci imaginem considens esse ex eorum genere, qui astrologiae, et rimandis ex hujus disciplina naturae arcanis dedere operam, quales perversa ea aetas copiosos tulit, et ex quorum ingenio prodivere tot numi et gemmae zodiaci imagine insignes. Homines Circensibus studiis deditos prae aliis hac superstitione laborasse, aliorsum satis constat.

* * *

Vir galeatus solo amictus palliolo taurum cornibus retinet, quem sibi intentata clava vir alter solo item palliolo amictus vindicat; juxta e terra existit draco alatus ignes spargens. ☧ *Caput Trajani.* (Mus. Pisani.)

Hunc quoque typum in incertis habeo. Mazzoleni praeconis explicationem qui adprobet, nemo facile erit *).

* * *

Pisces quatuor, polypus, sepia, cammarus, pompilus. ☧ *Caput Neronis.*

Hujus numi meminere Erizzus, Tristanus, Spanhemius, quorum ampla judicia ad verbum recitat Havercampus [g]), ac fatetur denique, nihil de hoc typo certi adfirmari posse. Tanti fuerat, tot obsoleta verba recoquere.

---

a) Orat. in Pison. c. 88. b) in Iul. Caes. pag. 721. c) L. XII. 57. d) vers. 139. e) Strat. L. VI. c. 2. §. 2. f) Pag. 97. g) Impp. Morelli Tom. II. p. 94.

*) Amphionem et Zethum puta, novercam Dircen tauro alligatam raptantes, quem typum supra pag. 287. descriptum habes, numumque male delineatum, sic ut draco sit, quod figura mulieris esse debuit. Not. edit.

* * *

Area quadrifariam divisa, intra quam BC. RS. TG. FB. ☓ *Caput Neronis sine epigraphe.*

Prodigio simile fuisset, si Harduinus cibum palato suo tam suaviter adridentem respuisset. Explicationem vide in ejus Operib. sel. p. 724, sed quam intactam relinquo, quod somnia a scriptis meis longe abesse volo. Numus hic frequenter in catalogis occurrit. Quos ipse viderim, omnes spurios agnovi.

* * *

SABVCIVS. PINIAN - - - *Vir baculo percutit arborem, ad arboris pedem serpens.* ☓ *Caput Caracallae.* (Theup.)

Forte est Hercules Hesperidum serpentem clava comminuens.

* * *

NVSMACCONMONIMVS. *Vir rupi insidens et respiciens.*

Incertus est epigraphes et typi sensus, etsi haec aversa obvia, et, ut per intervalla vidimus, juncta cum variis anticis, in quibus vel Alexander M., vel Sallustius auctor, vel Desiderius auriga proponuntur. Similem ex Strada restituit Havercampus [a]), sed in quo, haud dubie vitiato, jactatur scriptum MACCOMMO. Cannegieterus in insolentem hanc epigraphen commentatus operose conjecit, vocabulum MACCO designare *stultum*, nomine in fabulis Atellanis usitato [b]). At enim omnes in hac pugna eruditionis suae vires in ventum effudit. Epigraphen enim, qualem dedi, offerunt numus musei Caesarei, duo alii, qui citantur in museo Theupoli [c]), unus in museo Pembrock [d]), et alius in museo Princ. de Waldeck.

* * *

OLEXIVS. *Aries stans ante aram luculentam.* ☓ ANTONINVS. PIVS. *Caput Antonini Pii.*

Fuit hic numus olim Romae in museo Carthusianorum, translatusque inde in museum Caesareum editus est a Froelichio in Cimelio Vindob. Part. II. pag. XXVII. Verum triplex vir illustris in eo promulgando admisit peccatum, primum, quod spurios ejus natales indicare neglexit, deinde quod in eo scriptum adserit: D. N. IVLIANVS. AVG., cum certa sit lectio ANTONINVS. PIVS, quem lapsum jam memoravi in Catalogo musei Caesarei. Tertium, quod epigraphen aversae legit OLENIVM, quam iniquam lectionem corrigere tum non satis poteram, quod eam numus non satis integer revera praeferre videbatur. Serius similem magis valentem probumque nactus legendum vidi OLEXIVS, quod nomen haud dubie est aurigae, aut certe cujuspiam ex cavea; verum quis sit ejus nexus cum ariete ad sacrificium parato, non intelligo. Monere juvat, similem typum occurrere in ejusdem Pii numis Alexandrinis.

* * *

Basis juxta rupem, cui impositum signum Iovis cum modio in capite d. fulmen, s. hastam, pro pedibus aquila, ad quem vir tunicatus tectus galea militari, et caduceum tenens equum adducit. (Mus. Princ. de Waldeck.)

---

a) num. 72. b) Misc. observ. crit. Vol. VII. pag. 135. c) Pag. 826. 827. d) Part. III. tab. 98.

Argumentum hercle obscurum. An Mercurium putem, cujus caput galea tegitur plane militari, id est: cristata? an militem, cujus sinistra caduceum praefert?

CAPVT IV.

De aetate contorniatorum.

De aetate, qua contorniatorum usus coeperit, variae fuerunt eruditorum sententiae. Non defuere, qui, saltem numos hujus classis illos, qui imperantium capita offerunt, esse coaevos iis existimarunt, quorum in iis imagines continentur, quos inter fuit ipse Spanhemius, qui Neronis numum, tanquam eo imperante cusum, explicat [a]), tum et Ducangius [b]), et nuper cl. Pinkertonus [c]). Verum jure hanc sententiam refellimus, ac primum quidem ex lege fabricae, quam ad explicandam aetatem aliorum quoque numorum, quae aliis classibus subsunt, multum valere novimus. Docuit experientia, singulis imperantium saeculis alium fuisse in numis fabricae modum. Istud si verum, ut sane est verissimum, et si hac sola jam differunt numi Augusti a numis Trajani, quanto magis necesse est differre numos Augusti a numis Pla. Valentiniani? Atqui videmus, in omnibus contorniatis inesse eundem tenorem, eundem cultum habitumque, certum adeo testem, eorum aetatem non magnopere divergere, ac propterea certi sumus, numos Iul. Caesaris, Augusti, ac proxime sequentium propter eandem hanc cum numis Honorii et Valentiniani adfinitatem cum his quoque tempore jungendos, et quod sequitur, Iul. Caesaris, Augustique numos non esse horum temporibus coaevos. Ex eadem causa pridem consensere eruditi antiquarii, numos quosdam consecrationum imperatorios, quod omnes eadem fabrica, eadem vilis argenti mixtione essent, eadem etiam aetate signatos. Quocirca necesse est statuere, sequiori aetati tribuendos contorniatos omnes eorum imperatorum, qui praecedentia saecula occupavere. Adde argumenta alia luce ipsa clariora. Multa videmus in his numis priorum saeculorum imperatoribus tribui, quae horum aetate fuerunt ignota, aut inusitata. Caput Iul. Caesaris praeter lauream ambit diadema, quod ex causis cognitis procul habent ejus numi synchroni. Trajanus in numo musei Caesarei *Pius Felix*, qui tituli conjuncti ante Commodum ignoti fuere. In alio musei Caesarei idem Trajanus dicitur *Proconsul*, qui titulus nonnisi numis inferioris saeculi inscriptus legitur. Nimirum qui numos hos feriundos curaverunt, eorum modos et epigraphen ad aevi sui ingenium adcom-

a) Tom. I, pag. 231. b) Aevi inf. num. §. LXIV. c) Essay on medals Tom. I. pag. 231.

modaverunt. Denique vel unus is numus, qui in antica habet caput Neronis, in aversa Faustinam juniorem, quem descripsi supra cap. III. §. 5, satis per se probat, eum numum imperante Nerone signari non potuisse. Ioberti sententia, quae contorniatos jam Gallieno imperante cusos conjicit, jam a Bimardo refutata est [a]), neque jam digna, qua refutanda amplius occupemur. Magis sobrium Morellii et Mahudelii judicium, qui istud numorum genus circum Constantini M. tempora feriri coeptum, et per proxime sequentes imperatores usque ad Plą. Valentinianum continuatum adseruere, in quo totum contorniatorum agmen fere desinit. De Havercampo praeceptore nihil est, quod memorem, nam etsi ipse arbitretur, eorum natales intra ipsum illud tempus, quod modo designavi, constringendos, tamen solita sua inconstantia variis per opus suum locis sic de eorum ortu disserit, ut satis appareat, multos imperatoribus, quorum imaginem praeferunt, synchronos illi fuisse creditos, quod quidem aperte in dedicatione operis, tum etiam pag. 49 et 80 statuit.

CAPVT V.

De usu contorniatorum.

Ad hunc quod attinet, video inter omnes convenire, contorniatos monetae modum ac potentiam non habuisse, nimirum quod tot modis, quos capite I. descripsi, a moneta ordinaria differrent. Facile etiam inter omnes convenit, non fuisse eos auctoritate publica signatos, sed instituto privatorum, hominumque ex plebe parum eruditorum, cum typos in iis viderent plerumque ex humili fortuna captos, consociata temere ac fortuito, quae natura sunt disjunctissima, et non frequentia modo, sed et abnormia in orthographiae legibus peccata, quae luteo etiam aevo auctoritatem publicam diffiterentur, et quorum specimina capite sequente colligam. Est in museo principis de Waldeck contorniatus Trajani, in cujus aversa sunt duo equites cum hastis decurrentes, scripto infra S. C. Alios cum iisdem notis dedi supra §. V. Nolim quis ex his siglis arguat, hos numos senatusconsulto fuisse signatos, sed potius hos decursionum typos ex numis Neronis non omissis etiam his siglis, petitos. Denique cum viderent eruditi, plerosque typos captos ex studiis athleticis, ac circensibus, facile sanxere eorum plerique, circi et arenae usibus numos hos fuisse destinatos. Circensia sane studia eloquuntur effícti in his agitatores adscriptis plerumque nominibus quadrigis suis invecti, aut eorum protomae, equi victores, pugiles, bestiarii, venationes, palmae victoriarum

a) ad Iob. Tom. I. pag. 87.

praemia. Ad haec inscriptae formulae: VRSE. VINCAS — OLVMPI. NIKA — PETRONI. PLACEAS, et similia, bona verba sunt, omina, et εὐφημισμοί, quae spectatores ex cuneis adclamare soliti sunt suae factionis hominibus. Praeterea quod prae Augustis aliis Neronem et Trajanum frequentius videmus his numis illatos, istud quoque luculente comprobat, eos Circensium causa fuisse signatos. Neque enim adsentior Mahudelio adserenti, praelatos fuisse eos principes, qui Circensibus magis fuere addicti. Ac propterea praelatum etiam Neronem plerique adserunt, quod de ejus incredibili in hos ludos adfectu constabat, qui teste Dione a) victores equos, et jam senio confectos stola forensi ornavit, et alimenti nomine pecuniam adsignavit, et quo imperante agitatores eam sibi sumpsere arrogantiam, ut adversari consulum praetorumque imperio auderent. At sin istud, cur, ut alios praeteream, non etiam iisdem honoribus mactatus Commodus? cujus sane non remissior fuit ad haec studia contentio, qui quadrigas ipse egit, et feras propalam manu sua confecit, quin tamen vel unicus ejus contorniatus adhuc sit cognitus. Atque his quidem omissis cur Trajanum tanta horum numorum frequentia ornare placuit, quem Circensibus eodem impenso studio delectatum nemo scriptorum meminit? Alia igitur inquirenda causa, cur Neronem ac Trajanum frequentius in hos numos vocare libuerit; nimirum quod ille certamen quinquennale Romae constituit, in hujus vero mortui honorem ludi Parthici, seu triumphales acti fuere, de quibus, ne jam dicta repetam, vide, quae indicavi in numis Neronis ad annum V. C. 813, et in numis divi Trajani. Accedit, hunc eundem Augustum magnos sumptus in ornandum amplificandumque Circum effudisse, ut diximus in hujus moneta ad annum V. C. 864. Placuit igitur rerum Circensium ministris eorum saepius memoriam restituere, qui victoriae sibi, ac praemiorum materiem dedere. Neronis memoriam propter haec ipsa studia non modo pluribus post saeculis gratam fuisse posteritati Circensi, sed et lubenter ab arena Constantinopolitana receptam, insigniter comprobat gemma anaglypha, quam vulgavit Comes Caylus b). Sistit illa Neronem capite radiato quadrigis vectum, et quidem adversum, ut in contorniatis mos obtinuit; dextera effert mappam, sinistra sceptrum consulare tenet, addita epigraphe: NЄPƱN AΓOYCTЄ. (sic) Pictura, et universus cultus, tum et inscriptionis perversa lex perspicue docent, sculpturam hanc inferioris esse aevi opus, et propter epigraphen Graecam nequaquam coeli Latini, et haud dubie Constantinopolis, qua in urbe satis constat majore adhuc rabie factiones Circenses fuisse bacchatas, quam in ipsa metropoli Roma.

At quem definite usum in Circensibus praestabant contorniati? Istud enimvero silentibus veteribus, numis ipsis non satis loquacibus evinci confidenter nequit. Quae recentiores attulerunt, merae sunt conjecturae. Suspicatur Mo-

a) L. LXI. §. 6. b) Rec. d'Antiq. Tom. I. tab. 86.

rellius, eos esse cusos, ut in ludis athleticis praemiorum loco essent [a]). Secundum Havercampum cusi videntur ab ipsis dominis et victoribus Circensibus, qui equos suos palmam adeptos hoc modo celebrari voluerunt [b]). Verum haec judicia valere tantum possunt ad numos, quibus inscripti equi. Singularis est opinio Cannegieteri, ab aurigarum fautoribus haec per cuneos distributa numismata, ut per bona verba his saepe inscripta, et insculptas imagines eorum juvaretur victoria. In vulgus enim fuisse creditum, artibus magicis equorum cursum aut posse incitari, aut figi retardarique. Ad has ergo praestigias sive exercendas, sive disturbandas inventos contorniatos faustas adclamationes et omina continentes, in quibus maximam inesse vim olim credebatur, atque eadem vi pollere creditas imagines Alexandri M., Olympiadis, Neronis, Virgilii, Apollonii Tyanensis, Appuleii, Anchisae, Aeneae etc. quod constabat, hos artibus magicis aut fuisse deditos, aut saltem earum peritos; tum vero eandem virtutem praestare dracones saepe his impressos, ac denique crucis signum in numo Havercampiano num. 54 quadrigis insculptum validis jam tum Christianorum rebus. Lege haec ab auctore erudito fuse exposita in Misc. observat. crit. novis Tomo I. anni 1740 inde a pag. 6., sed facile etiam advertet lector, opinioni huic nihilo plus inesse meriti, quam quantum conjecturis, utut eruditis navisque, tribui potest. Existimavit nuper cl. Pinkertonus, fuisse eos instar tesserarum *(tikets)*, quae ante ludorum initia in vulgus distribuebantur, quibus singuli acceptis jus habuere certum quempiam ac definitum in subselliis locum occupandi [c]).

CAPVT VI.

De merito contorniatorum.

Qualecunque istud numorum genus suos habuit patronos, quorum judicio expetendi viderentur, et ad varias causas prodesse. De iis multo prae aliis indulgentius judicavit Patinus, cum dignos est arbitratus, quorum describendis elegantiis et enodandis aenigmatibus eruditi opem impenderent [d]). Neque etiam suis eos laudibus fraudavit Mahudelius. At vero aliorum de iis judicia inclementiora, nimirum quod utramque numi partem temere, nullo apparente idoneo nexu plerumque consociatam, rudem imaginum picturam, argumenta fere tantum ex aurigarum pugilumque conlegiis petita offerrent, nullo adeo idoneo sive eruditioni, sive oculis pabulo. Offenderunt etiam delicatiores indecora adversum orthographiam peccata, ut: TESEVS, PENTESILEA,

a) Specim. pag. 49. b) Pag. 157. c) Essay on med. Tom. I. pag. 232. d) Introd. ad hist. num. pag. 43 et in Suetonio suo pag. 468.

STEFANVS, OLIMPIAS, SALVSTIVS, APOLONIVS, ETERNITAS, et similia, ac perpetuum illud ωMHPOC pro OMHPOC, certo indicio, aetate lutea, et ab infimae classis hominibus, nulla certa aucteritate publica has esse sordes imperatas. Videri possit, iconologiam ab his numis juvari, quod in iis variorum virorum illustrium capita proponuntur, quae in aliis veterum monumentis frustra quaeras. Verum quantam fidem mereantur effigies pluribus serius saeculis insculptae, quam illustres hi viri vixere, tum et aevo artibus inimico, et ab imperita plerumque manu, nemo non videt. Quibus de causis factum, ut et Pellerinius alieno se ab his numis animo profiteretur [a]), et cum ab aliis in catalogum numorum maximi moduli reciperentur, excluderentur ab aliis. Haec inter dissidia praestabit mediam tenere viam, sic ut huic numorum classi neque tribuamus nimium, neque detrahamus. Nam etsi horum auctoritate parum possimus niti, sunt tamen testes aevi sui, morumque, et cogniti Romanorum in ludicra studii et adfectus, quorum et volupe est ipsas videre imagines, ut Circi, omnisque ejus apparatus, aurigationum, venationum, tum et quo cultu fuerint aurigae, quae aut horum, aut equorum nomina, qui faustarum adclamationum modi, et similia. Denique in nonnullis argumenta videas non illepida et inerudita, quorum non pauca in aliis veterum monumentis non reperias, quin etiam, etsi in rarissimis, opus meliore saeculo dignum, cujus generis est insignis protome Antinoi in numo bilingui, quem obtulimus supra pag. 305 ex museo principis de Waldeck.

SECTIO II.

DE NVMIS TESSERIS, SPINTRIIS, ALIISQVE VARII ARGVMENTI.

En tibi ignobile rei numismaticae vulgus, ut in claro exercitu lixas, calones, copas, scorta, in extremum agmen conjectum, magis memorandum, ne quid in universo opere ad causam pertinens desideretur, quam ad eruditionem dignamque vetustatis scientiam profuturum. Sed et paucis tantum exemplis molestum examen definiemus.

* * *

Caput Augusti radiatum. ℞ *Corona laurea, intra quam numeri varii:* I. II. V. XIII. *etc. In aliis pro his scriptum* AVG. AE. III. (Mus. Caes. Theup.)

D. N. FL. CL. IVLIANVS. P. F. AVG. *Iulianus capite barbato et galeato cum hasta et clypeo.* ℞ IIII. *vel* IV. *vel* VIII. *vel* XIII. *in circulo.* AE. III. [b])

---

a) Suppl. II. p. 87. b) Bandur. Tom. II. pag. 434.

C. MITREIVS. L. F. MAG. IVVENT. *Caput virile nudum.* X XI. *vel* XII. *intra lauream.* AE. III. (Morelli fam. Mitreia, Pembrock P. III. tab. 97.)

Turpes et monstrosi concubitus. X *Laurea, intra quam numeri varii* I. II. III. - XV. XVI. XXIX. AE. III. (Theupoli p. 391. Pembrock P. III. tab. 97.) *In horum uno* A. XVI. Princ. de Waldeck.)

Conjecturarum opus est, in similium usum numorum inquirere, et si saepe difficile est, verum monumenti publici explicatum reperire, quanto res magis impedita, cum explicandae reliquiae veteres usus privati, et quae, ut hae ipsae, de quibus agimus, infinitis, sed quas ignoramus, poterant causis servire? Minus longe aberraveris, si statuas fuisse tesseras, vel symbola certae cujuspiam in ludis publicis, corporibus vel conlegiis, fratriis et coetibus, vel etiam in re militari significationis, quibus exhibitis aut permittebatur accessus, aut repraesentabatur illud, quod significabat; aut fuere in lusu vice pecuniae verae, qui lusu finito vera redimuntur. Vide similes tesseras, sed osseas, propositas in praefatione ad Tomum IV. picturarum Herculanensium, et ab auctore anonymo amplis commentariis illustratas, quos cum denique perlegeris, vitio non dabis, si in argumento adfini nolo esse longior.

De numis C. Mitreii vide, quae pauca monui in numis gentis Mitreiae, quo loco adverti etiam, ejusdem esse naturae numulos notos Ephesios inscriptos ЄФ. CKωΠΙ, de quibus paullo infra.

Quos postremo loco proposui, argumenti causa ab antiquariis *Spintriae* solent appellari, quod vocabulum hominem notat, corpus suum alienae libidini patienter permittentem, atque hoc sensu aliquoties a Suetonio, tum et Tacito et Lampridio usurpatur. Vetus est conjectura, infame istud numorum genus auctore Tiberio repertum, de cujus incredibili, et honestis linguis melius tacenda libidine haec refert Suetonius [a]): *Secessu vero Capreensi sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum, in quam undique conquisiti puellarum et exoletorum greges monstrosique concubitus repertores, quos SPINTRIAS appellabat. — — — Cubicula plurifariam disposita tabellis ac sigillis lascivissimarum picturarum et figurarum adornavit etc.* Creditum etiam, hos numos esse ex eorum genere, quos Martialis edente ludos Stella in vulgus jactos refert [b]):

Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis.

At enim Tiberium non injuria absolvit Spanhemius, qui de hoc argumento cumprimis consulendus [c]), primum, quod istud numi nullo indicio testantur, deinde quod Tiberius foedas suas voluptates in secessu Capreensi occultari potius voluerat, quam publicis exemplis revelari. Neque etiam viro erudito satis cum Martialis lascivis numismatibus convenit, et existimat potius, turpes hos numos reliquae Floralium aut similium ludorum infamiae sub impuris principibus accessisse. Sed taedet

a) Cap. 43. b) L. VIII. ep. 78. c) Tom. II. pag. 520 seq.

in anquirendo rei sordidae usu esse curiosiorem. Addit Spanhemius, in Romanorum antiquariorum scriniis numos similes haberi usque ad inscriptum numerum XXIX., turpes vero concubitus saltem quadragies varios teste Pyrrho Ligorio ex iis capi posse, quem numerum auget Beauvaisius apud Blondium in Descriptione gemmarum Ducis Aurelian. Tom. II. p. 63.

* * *

Caput muliebre nudum, *hinc* C *inde* S. ℞ QVI. LVDIT. ARRAM. DET. QVOD. SATIS. SIT. *Quatuor astragali*, *seu tali lusorii.* AE. III. (Seguin. Sel. num. p. 14.)

Conjicit Seguinus, caput anticae esse deae *Sortis*, et positas juxta literas C. S. explendas C*asus*, S*ors*, quae nimirum in ludo quovis, at praecipue talorum, dominantur. Aversa edictum lusorium continet, nimirum ut is, qui ludit, arram deponat, sive pignus ejus summae pecuniariae, de qua ex lege conventum est. Ad quos ergo usus pertinuerint similes numuli, ipsum argumentum manifestat. *Det*, *quod satis sit*, nota juris formula. Epicurus in testamento, ut est apud Ciceronem [a]), sanxit, *ut Amynomachus et Timocrates heredes sui dent*, *quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis.* Similia exempla habent etiam marmora.

* * *

IO. IO. TRIVMP. *Lauri ramus.* ℞ Binae equorum soleae, ut videtur, inter duos angues. AE. III. (Mus. Caes.)

IO. SAT. IO. *Palmae ramus infixus* F *inverso.* ℞ *Corona laurea.* Plumbeus III. (Seguin Sel. num. pag. 195.)

Adclamationem faustam uterque numus continet, et prior quidem triumphalem, sed triumphi haud dubie Circensis ab auriga victore acti, ut ex equorum soleis conjicere licet. Alterius numi epigraphen explet Seguinus legendo: IO. SAT*urnalia* IO, ejusque natales propter inversum F, seu digamma Aeolicum in Claudii tempora confert, quod haec litera ab hoc in alphabetum Latinum invecta, et eo mortuo denuo abolita fuit, argumentum vero inscriptionis Narcissi liberti contumeliae applicat, cui a Claudio in Galliam misso, ut contumaces legiones ad obsequium revocaret, ausoque tribunal conscendere, moti indigno facto milites occlamare coeperunt: *io Saturnalia* [b]).

* * *

SAT. *Caput barbatum crinibus filo revinctis*, *infra falx longior manubrio adfixa.* ℞ *Sine epigraphe.* *Cometes*, *luna crescens*, *phallus*, *serpens*, *et duo astra.* AR. forma denarii, et quinarii. (Morelli inc. fam. tab. IV. Catalog. d'Ennery pag. 165.)

Hos quoque numos adludere ad Saturnalia existimo proposito in adversa Saturno, qui Saturnalibus causam dedit. Partis aversae typus mysteria continet, quae, qui his initiati sunt, me melius explicabunt. Ceterum monumenta pleraque, in quibus Saturni falx fingitur porrectior, et longo manubrio praefixa, nimirum ad eum modum, quo illam nostra aetate inter artis rusticae instrumenta formatam conspicimus, dubiae mihi videntur antiquitatis, inter quae

---

a) de Finib. L. II. c. 31. b) Dio L. LX. §. 19.

numerari forte poterunt gemmae duae olim regis Galliarum [a]). Verum falcis Saturninae typum dedimus in denariis gentis Neriae, et praecipue Valeriani Aug. inscriptis: AETERNITATI. AVGG.

* * *

His addimus notos numulos Ephesios:

ЄФ. CKωΠI. *Cervus humi jacens et respiciens.*

KHPIΛICωΔЄΠPOCΠΛΛTPPIN. *Apis.* AE. III.

Tres hujus generis sunt in museo Caesareo, iique integerrimi, et indubitatae vetustatis. Similem primus edidit Edmundus Chishull, cujus dissertatio erudita praefixa est Tomo II. Haymii, verum in eo aversae inscriptio legitur KHPIΛΛICωΔЄΠPOCΠΛΛTPN. Facile consentio cum viro erudito, hos numulos monetam non fuisse, verum tesserae quoddam genus aut quidquid aliud, quod pharmacopolae servierit ad divulgandam medicinam suam. Ipsa formula, ac bina vocabula ejus fidem faciunt: KHPIA, ductum a κηρίον, *favus mellis*, quod ad usum medicum fuerit praeparatum, et ΠPOC, quod indicat, cui malo pellendò servierit illud remedium. Comprobant hanc sententiam plures lapides formae quadratae, inscripti v. g. C. CAP. SABINIANI. DIABSORICVM. AD. CALIG., cujus exemplum jam eodem loco attulit Chishull. Sed haec materia adcuratius et prolixius tractatur apud Com. Caylus [b]), et Walchium in Antiquitatibus medicis selectis Ienae editis 1772. et exempla alia suppeditat Maffeius [c]), et Muratorius [d]). *) In cervo jacente et respiciente idem Chishull nimis acute orchestram theatri Ephesii et satyricam saltationis speciem retorto cervi collo adumbratam videt. Haec sententia vel eo corruit, quod cervus simili colli motu in obviis Ephesi numis tam argenteis quam aeneis observatur.

* * *

Ad hanc classem pertinent etiam numi aenei imperatorum max. formae:

Caput et epigraphe Antonini Pii. ✠ *Sine ullo typo, aut epigraphe.* (Iobert. T. I. p. 94.)

Caput et epigraphe L. Veri Graeca. ✠ *Sine ullo typo, aut epigraphe.* (Ibid.)

Caput et epigraphe M. Aurelii. ✠ *Area excavata, in qua defixus index in gyrum mobilis.* (Mus. Albani tab. 37.)

Caput et epigraphe Commodi. ✠ - - - COS. IIII. *Iuppiter stans etc.* Numus insolentius crassus, foramine pertusus, et intus cavus. (Mus. Caes.)

Caput et epigraphe Commodi. ✠ *Pro aversa est operculum, quod ab antica potest separari, sic ut numus intus cavus sit instar pyxidis.* (Buonarroti Osserv. istor. tab. 36.)

Alius similis Domnae. (ibid.)

In explicandis similium monumentorum causis, sive ad certos illa usus, sive ad ludicra valebant, piget immorari. Qui conjecturas volet, adeat citatum opus Buonarrotii [e]). In museo Albani plura id genus alia exhibentur.

* * *

Superest, ut agamus de numis *plum-*

a) Mariette n. 2 et 3. b) Rec. Tom. I. p. 224. c) Mus. Veron. pag. 135. d) Thes. inscr. pag. 508. e) Pag. 406.

*) Novissime prodiit: Dissertation sur l'inscription grecque IACONOC. ΛVKION. et sur les pierres antiques qui servaient de cachets aux medecins oculistes, par Tochon d'Anneci. Paris. MDCCCXVI. 4to. Not. edit.

beis, quorum ex antiquitate justum numerum habemus superstitem. Duplicis eos esse generis, jam dixi in Proleg. general. Vol. I. c. 5, alios nimirum esse animas argenteorum, qui huc non pertinent, alios typis utrinque admodum variis, quos recensere inutile puto; nam descriptos illos, explicatos, quantum satis est, et aeri incisos habes in praeclaro opere Francisci Ficoroni, quod *i Piombi antichi* inscribitur. Fuisse eos veram monetam, negat, ut oportuit, ipse etiam hic vir eruditus [a]). At vero in quos definite usus parati fuerint, non satis et ipsi liquet. Certum est, eorum non paucos repertos imperatoris cujuspiam capite insignes scapis veterum columnarum inclusos, et multa ibi solertia reconditos, propterea, ut is existimat, ut vultu principis conspecto admoneatur posteritas, quis ejus auctor aedificii fuerit [b]). Aliorum usum verisimilem additae inscriptiones ignorare non patiuntur. En horum aliquos:

VAL. SATVRNALIA. ✠ *Numerus* I. (Ficoroni l. c. Part. II. tab. VII. num. 20.)

IO. SA. IO. *Palmae ramus.* ✠ *Corona.* (Ibid. tab. XV. n. 1.)

Similem jam supra in aeneis dedimus, et quae ibi dixi, confirmantur numo praecedente, in quo vocabulum SATVRNALIA plene perscriptum est.

BRITA. CAESARI. *Caput Britannici nudum.* ✠ MAG. VIIII. IVV. (Ibid. P. II. tab. I. n. 9.)

MAMAG. MINERVALES. *Minerva stans.* ✠ N. F. *Quadratum intra quatuor lineas.* (Ibid. tab. IX. n. 1.)

Vocabula MAG. IVV. id est, *magister juventutis* vel *juvenum*, et MINERVALES facile nos ludorum literariorum admonent. Similes, sed aeneos, dedimus in numis gentis Mitreiae, in quorum uno plenius legitur: MAG. IVVENT. Valuere igitur qualescunque hi numi vilissimi metalli, ut nemo non videt, ad privatum similium ludorum regnum, fine incerto, qui varius sane esse potuit.

Caput Serapidis. ✠ ΦΥΛΑΞΕ, *sine typo.* (Seguin sel. num. p. 2.)

SENTIAM. *Fortuna stans.* ✠ FELICITER, *sine typo.* (Ibid. p. 4.)

SILVANI. *Silvanus nudus stans d. harpam minorem, s. majorem tenens.* ✠ HERMEROTIS. *Ara luculenta.* (Ibid. pag. 21. Morelli Famil. in incert. tab. I.)

Plumbeam hanc mercem liberalius, quam meruisse videatur, explicavit Seguinus, qui labor si recte est impensus, non obsto, quo minus tantundem impendamus literatis aevi inferioris gemmis, quarum majorem partem nemo est aequus judex, atque idoneus, qui non jure aspernetur; neque adeo magnopere culpandi erunt posteri nostri, qui post annos mille operam dabunt examinandis gerris, quisquiliis, ineptiisque numismaticis, quas aevi nostri officinae auctoritate privata ad varios usus parturire non desinunt. Ceterum si quis miseras has veteris aevi reliquias aliquid esse putat, reperiet adfatim, quo

a) Pag. 77. seq. b) Pag. 5.

ingenium exercere possit, in laudato Ficoroni opere.

Non praetereundus denique numus ejusdem metalli prioribus nonnihil illustrior:

FEL. MVNICIPI. VELITER. *Caput virile nudum barbatum*, *pone* V. X FEL - - VENA. VELITER. *Caput juvenile nudum.* Plumb. fere II.

Servatur numus hic in museo olim Regis Galliarum, cujus fidelem imaginem cl. Zoëga autopta anno 1784 cum reverendissimo, nunc eminentissimo S. R. E. cardinali Stephano Borgia communicavit, tanto gratiorem rem facturus, quod *Velitrae* Volscorum oppidum, cujus gentile est *Veliternus*, ut olim Caesaris Augusti, sic et illustris ejus viri est patria, neque in hanc diem loci hujus vetere novaque fama inclyti numus saltem certae fidei reperiri potuit. Primus hoc plumbum aeri insculptum exhibuit eruditus Fridericus Münterus additis opportune paucis observationibus, quae ad illud illustrandum valere possunt [a]). Prolixius subinde in ejus omnes causas inquisivit cl. Sestinius scripta idiomate Italico ad Zoögam epistola, subinde Romae typis Antonii Fulgonii anno 1796 publici juris facta. Dicitur municipium istud *Felix*, quo epitheto jam medio Romae imperantis aevo usae sunt coloniae variae, infimo deinde aevo urbes nonnullae, ut FELIX. TICINVS, FELIX. RAVENNA. Vrbium sic *felicium* alibi catalogum dedi [b]). Epigraphe partis aversae propter attritas literas binas *το* FEL consequentes difficilem reddit explicationem. Sestinius sic eam explendam docet: FELIX IVVENTA. VELITERNA, aitque, intelligendum esse *το* T cum elemento N connexum, etsi ejus nexus neque in numi pictura, quam ipse dedit, neque in ea, quam mihi sinceram cl. Zoëga ante annos complures miserat, vestigium appareat. Ait deinde, ut vocabulo IVVENTA indicantur juniores Veliterni, ita capite senili partis anticae indicari seniores, et forte literam V pone positam significare VETVSTA oppositum *τῳ* IVVENTA, nam, addit, compertum sibi esse, verbum *vetustus* etiam esse substantivum, cujus utinam unum nobis exemplum dedisset. Nimirum, ut fieri solet, numi vitium coegit antiquarium, ut conjecturas subsidio vocaret. Incerta etiam sunt, quae de probabili ejus aetate congessit auctor eruditus. Cum plumbeus sit, cususque adeo ad usus arbitrarios privatosque, quales plures supra commemoravi, nullam video impositam necessitatem, cur, ut Sestinius conjicit, in Iustiniani tempora videatur detrudendus, cum et superiora saecula hanc nihili mercem non fastidiverint, qua in sententia video etiam mecum sentire illustrem Ennium Visconti, cujus ego post haec scripta dissertationem de eodem hoc numo Romae scriptam accepi, qui et verisimile putat, utriusque partis inscriptionem sic posse expleri:

MVNICIPI*bus* VELITER*nis* FELI*citer*
IVVENA*lia* VELITER*na* FEL*iciter*.

---

a) Bibliothek der alten Literatur von Heeren. IX. Stück. Göttingen 1792. b) Vol. IV. pag. 472.

Ceterum possunt boni nostrae aetatis Veliterni monetae veteris apud se cusae defectum aequo animo ferre, cum eminentissimus eorum civis Borgia pro opibus plumbeis Velitras contulerit thesauros vere aureos, quos ab uno homine paucis annis potuisse conquiri compararique, mirabitur is, qui eorum catalogum nuper a Stephano Borsonio Romae vulgatum inspexerit, quod equidem munus ut sit perenne, satisque adversum tristes hujus aevi vices, alienamque cupiditatem munitum, ex animo precor.

Neque silendus hoc loco plumbeus illustris argumenti, qui memorat PAVLLINVM, insignem sub Nerone Britannorum victorem, quem descripsi alibi [a]).

a) Vol. VI. pag. 265.

OBSERVATA GENERALIA

AD PARTEM II. HVIVS OPERIS.

PRAEFATIO.

Quod ad calcem partis I. hujus operis facere institui, nimirum exposito totius argumenti statu subjicere observata generalia, quibus partium per totum opus sparsarum explicatio perageretur, quae commode certo quopiam ac opportuno loco peragi non potuit, idem nunc etiam in hac monetae Romanae, ac imperatoriae quidem expositione constituere, non utile modo, sed et necessarium visum. Sunt enim in hac quoque parte non pauca late per universam hanc disputationem distributa, quae nisi in unum locum colligantur, difficilem impeditumque reddunt de iis recte ac sobrie judicandi laborem. Ita congestis in unum numis omnibus v. c. votorum, consecrationum, legionum, et juxta in conspectum positis multo plenius intelligimus, quid in his similibusque causis fuerit a principibus constitutum, et successu temporis immutatum. Copiosam etiam lucem adfundunt explicati hoc modo principum Romanorum tituli, sive honorifici illi fuere, sive potestatem addidere, neque parum nostra interest novisse ex numis ipsis, monumentis quippe coaevis, publicisque, quo illi tempore conferri coeperint, quo aut negligi, aut plane omitti. At in illustrandis omnibus his argumentis nulla mihi disputatio propter eruditorum incredibilem dissensum magis visa necessaria prae illa, quae in iteratae tribuniciae potestatis modos ac leges inquirit, cui examini in-

tentiore cura studioque immorandum fuit propterea, quod ea probe intellecta maximas, ut vulgo cognitum, ad evolvendam Augustorum chronologiam adfert utilitates. Erunt, qui in hac serie observata adhuc alia addita cupient, v. c. de numinibus allegoricis, eorum προσωποποιια, additisque concinne signis, et quae sunt id genus alia, verum absterrebat moles operis jam nimio excrescentis; ad haec si horum aliqua magis videbantur implexa, et minus parabilem habere explicatum, in ipsis commentariis evolvere non neglexi.

Indicem et materiam capitum dabit conspectus in aditu hujus voluminis positus.

OBSERVATA GENERALIA.

CAPVT I.

DE CONSVLIBVS CAESARIBVS.

Quae fuerit consulatus Romani origo, quae dignitas, quanta potestas, quae vicissitudines, istud omne explicare mei instituti non est, et abunde ex historia Romae liberae cognitum. Posteaquam Iulius Caesar orbem R. sibi subjecit, ipse et successores non modo procedere annuos consules ex vetere instituto passi sunt, etsi nihil iis praeter dignitatis nomen relinquerent, sed et ipsi saepe consulatum additis sibi conlegis etiam privatis suscepere. In hoc consulum Kalendis Ianuariis processu cum fasti Romanorum, et tota adeo temporum series nitantur, et mos inde a I. Caesare usque ad inferius aevum obtinuerit, ut principes consulatus suos, eorumque iterationem monetae inscriberent, dubitare nemo potest, consulatuum Caesareorum intelligentiam ad chronologicam imperatorum, ejusque aetatis historiam insignis esse momenti.

Istud cum intelligerent viri eruditi, et saepe iis in emendandis fastis ad numorum esset auctoritatem recurrendum, non defuere, qui istud consulatuum Caesareorum argumentum in adcuratius examen vocandum existimaverunt. Omnium in hoc argumento industriam superavit Antonius Pagius in sua *disserta-*

tione hypatica, seu de consulibus Caesareis edita Lugduni MDCLXXXII. Quae ex hac ejus lucubratione ad praesentem causam pertinent, sequentia sunt. Regulas VI., quas *hypaticas* appellat, vir eruditus constituit, juxta quas propositum fuit imperatoribus consulatum suscipere, nimirum pro imperii auspicio, propter solennia quinquennalium, et id genus festorum, propter conlegium consulis Caesaris, vel Augusti, propter expeditionem militarem, causa triumphorum, ac denique causa ludorum saecularium. Quod sit de his Pagii regulis ferendum judicium, malim lectorem ab aliis potius, quam a me instrui. Vix celebratum illud Pagii opus in lucem prodiit, reperti continuo, qui latas has a viro erudito leges in judicium vocarent. Hos inter Norisius sub finem praeclarae suae *Epistolae consularis* ad ipsum Pagium datae serio, sed summa cum humanitate, amicum perstrinxit, cum ait: viri alii eruditi *adhuc vulgari opinione tenentur, existimantes, Augustos modo plures, modo pauciores consulatus pro arbitrio suscepisse, teque longiorem operam inani labore lusisse putant, dum eorundem consulatuum causas ac rationes investigasti. Vir sane doctissimus, ac tui nominis cultor datis ad me literis testatus est, ingenii tui semet acumen mirari, dum tot regulas concinnasti, quas tamen nullas ipse putabat, quod tot exceptiones subeant, ut saepius ab imperatoribus contemptae, quam observatae videantur,* post quod causae exordium coepit erudite more suo exponere rationes, ex quarum praecepto diversum ab amico sentire cogeretur, et perstare in vetere sua sententia, imperatores nonnisi ad arbitrium suscipere consulatum consuevisse. In eodem serius argumento versatus est eruditus abbas Mazzolenus, qui, cum in animadversionibus ad numismata maximi moduli musei Pisani praecipuos Caesarum titulos adcurate sibi explicandos sumeret, in animadversione VI. *de Consule* talem in examinandis his Pagii regulis modum tenuit, ut universum istud examen perpetua sit earum, ac justissima reprehensio. Post haec virorum praestantium iudicia possum meam confidentius profiteri sententiam, quae est, nihil his Pagii regulis magis esse fluctuans, incertum, arbitrarium, et quaquaversum a viro erudito ad confirmandam suam opinionem facta historica, ac monumenta eorum ipsorum ingratiis adferri. Enimvero posteaquam magno labore, majore etiam taedio hypaticam hanc ejus dissertationem finiveram, tum sane multo, atque antea apertius intellexi, imperatores in capessendo consulatu nullis se legibus subjecisse, sed, ut in plerisque rebus aliis suam unorum secutos fuisse libidinem, cum tamen ipse contrarium nobis vellet persuadere, sed viribus, ut eventus docuit, post immensam contentionem in ventum denique effusis. Quam is fallacibus regulis cum consulatibus eodem in opere copulaverit etiam votorum quinquennalium nuncupationem, patebit ex iis, quae in horum tractatu docebimus.

His expositis ad explicandam consulatus rationem, qualis inde a Iulio Caesare fuit constituta, et per sequentia imperia usque ad antiquatum eum magistratum valuit, convertemur, omnibus hujus argumenti causis propter materiae varietatem in certos articulos sepositis.

§. I.

In hoc argumento occurrunt primum *consulatus continui* principibus aut sponte delati, aut ab his arbitrarie suscepti. Cautum fuerat antiquissimo plebis scito, ne quis consulatum intra decennium iteraret [a]). Verum tempore exeuntis reipublicae, quo non amplius regebant leges, sed regebantur, vetus institutum infractum. Noti septem Marii consulatus, continuo L. Sulla annis interjectis nonnisi VIII. non modo consul iterum, sed et una dictator, cujus exemplum secutus Iulius Caesar *recepit continuum consulatum*, *perpetuam dictaturam*, quem magistratum continuatum confirmant quoque numi. Expugnatis V. C. 811 a Corbulone Artaxatis senatus Neroni decrevit continuos consulatus [b]), quem tamen is honorem non admisit testibus fastis, et numis. Vitellius se ipsum consulem perpetuum ordinavit [c]), sed propositum eventu caruit. In aliquibus Augustis suscepti consulatus a continuis non multum distabant. Vespasianus annorum fere X. imperator consulatum octies iteravit, faciles etiam in eo admittendo fuere Titus, ac praecipue Domitianus, cujus numerantur consulatus XVII. Adde his Elagabalum. Omnium praecedentium numerum excessit Theodosius II., cujus in fastis, forte et numis, proditur consulatus XVIII.

§. II.

Arbitrium designandorum consulum penes principem stetisse, omnis aevi imperatorii historia docet, neque in ea imperatorum potestate, quae limitibus caruit, vocari in dubium potest. Lepide igitur de Iuliano nominandis consulibus intento dixit Mamertinus [d]): *versari coepit in sacri pectoris comitio consulatus*, tanquam nimirum is unus vetera comitia, in quibus eligebantur consules, repraesentaret. Susceperunt vero Augusti consulatum, etsi una cum imperio consularem semper potestatem haberent conjunctam, sive ut morosis aliquam veteris reip. speciem objicerent, ejus exemplo, ut existimat Appianus [e]), a Sulla petito, sive ut annum, in quem illustrius quoddam festum designatum fuerat, consulatu suo redderent insigniorem, de quo infra, sive ex vanitate, sive invidia alios provehendi, quod in Domitiano diserte carpit Ausonius [f]), sive quacunque alia de causa. Enimvero consulatum rem fuisse principibus gratam, inde potest intelligi, quia nemo fuit imperatorum etiam moderatissimorum, qui eum non aliquoties iterasset.

§. III.

Consules suffectos ignoravit Roma libera, nisi cum consulum unus in magistratu mortuus est, in cujus locum sufflci alium in reliquum anni tempus necesse fuit. Consulum absque hac causa suffectorum primus exemplum dedit Iulius Caesar. Narrat Dio ad annum V. C.

---

a) Liv. L. VII. c. 42. et L. X. c. 13. b) Tacit. Ann. XIII. c. 41. c) Suet. in Vitell. c. XI. d) Gratiar. act. ad Iulian. c. XV. e) Bell. civ. L. I. c. 103. f) in grat act. ad Gratian. §. 27.

709 [a]): *Consulatum is continuo, et antequam in urbem venisset, inivit, non tamen toto anno gessit, sed postquam Romam advenit, eo se abdicavit, eumque Q. Fabio, et C. Trebonio permisit. Cumque Fabius extremo consulatus die mortuus esset, in reliquas horas C. Caninium suffecit.* Quod idem narrans Cicero [b]) lepide addit: *Ita Caninio consule scito neminem prandisse. Nihil tamen eo consule mali factum est. Fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit.* Vide ad similes causas salse dicta apud Macrobium [c]). Vulgato exemplo raro deinceps contigit, ut, qui Kal. Ian. processere, toto anno durarent, nimirum imperatoribus, ut gratiam bene de se meritis referrent, alios ad hujus honoris communionem vocantibus. Et fuit tempus, quo haec licentia modum excessit, quo modo Cleander ex servo praepotens Commodi Aug. cubicularius consules XXV. in unum annum designasse fertur [d]). Sunt praeterea exempla, imperatores, sed stolidi tantum ingenii, dejectis consulibus legitimis in horum se locum intrusisse. Atque hoc modo Caligula, et Elagabalus primum suum consulatum habuere suffectum, Nero postremum, ut ad horum numos diximus.

Qui Kalendis Ian. processerunt, dicti fuere *ordinarii*, iique anno nomen dederunt, majoreque adeo auctoritate pollebant, quam suffecti, qui extra Romam et Italiam fere erant ignoti, ac propterea *consules minores* dicebantur. Vide haec adcurate exposita apud Dionem [e]). Discrimen istud elegante sententia complexus est Seneca [f]): *Dedit* (imperator) *XII. fasces? sed non fecit ordinarium consulem. A me numerari voluit annum? sed deest mihi ad sacerdotium. Cooptatus in conlegium sum? sed cur in unum?*

Consules suffecti, cum subinde consulatum ordinarium sunt adepti, adnumerare suffectum sunt soliti. Octavianus V. C. 711 in locum consulum in acie caesorum suffectus, cum deinde V. C. 721 consul iterum procederet, consul iterum in monumentis omnibus est dictus. Caligula a Kal. Iul. V. C. 790 suffectus consul, processit consul iterum Kal. Ian. V. C. 792. Adnumeravit Domitianus consulatus quinque suffectos, quos gesserat, antequam imperium adivisset. Exempla plura alia in annalibus dedi. Tamen in moneta Domitiani ad annum V. C. 832 numum protuli, in quo ejus quinque suffectorum consulatuum ratio non habetur.

§. IV.

Republica integra non *designabantur consules*, nisi in annum sequentem. At enim etiam istud institutum mature coepit labefactari. V. C. 715 sub imperio IIIvirorum R. P. C. consules in annos VIII. designati fuere, quos inter M. Antonio obvenere anni 720 et 723. Ergo hic ab anno V. C. 710, quo consul primum processit, usque ad dictum annum 715 in numis simpliciter COS. dicitur, deinceps usque ad annum V. C.

---

a) L. XLIII. §. 46. b) L. VII. famil. epist. 30. c) Saturn. L. II. cap. 3. d) Dio L. LXXII. §. 12. e) L. XLVIII. §. 35. f) de ira L. III. c. 31.

720: COS. DESIG. ITER. ET. TERT., ab anno 720: COS. DESIG. III., inde ab anno 723, quo consulatum III. inivit: COS. III., qui ordo in ejus moneta manifestus est. Eandem legem servavit etiam Octavianus, eodem anno V. C. 715 designatus consul in annos 721 et 723. Augustus nepotes ex filia Cajum et Lucium designavit consules, sed sic, ut eum magistratum inirent post quinquennium. Vide dicta in utriusque numis. Nero annos natus XIV. designatus est consul, processurus anno aetatis XX., ex quo in numis COS. DESIGN.

Atque eam quidem designationem imperatores, cum semetipsos constituere consules placuit, addere in monumentis publicis non neglexerunt. Vnde in his obvium est legere v. g. COS. III. DES. IIII. At quaeritur, an nonnunquam imperatores soliti sint, designatos consulatus omissa designationis nota monumentis inscribere, sic ut v. g., cum scribendum fuerat: COS. III. DES. IIII., absolute scriberent: COS. IIII. Adfirmat istud Pagius copiosis adductis argumentis [a]), quorum deinde numerum auxit Mazzolenus Pagii hac in causa assecla [b]). Vterque et marmoribus nititur, et numis, in quibus inscripti consulatus cum trib. potestate collati explicari saepe non possunt, nisi statuatur, designatos tantum consulatus esse intelligendos, etsi absolute notentur. Verum cuperem, eruditos hos viros, priusquam legem tam perversam nobis traderent, de suorum monumentorum aut fide, aut vero praeconio magis fuisse certos, quam securos. Nimirum quam parum in causis chronologicis fidendum sit marmoribus promulgatis, comprobabimus in tractatu de tribunicia potestate. Male vero etiam numis rem agimus, nisi eos aut oculis usurpemus ipsi, aut ab aliorum agnita auctoritate certi simus, tales illos esse, quales vulgo praedicantur. Nolo hic repetere, quae alibi de valore testimoniorum ex numis captorum copiose disputavi. Satis esto, horum unicum in judicium vocare, quo insolens haec promulgandi consulatus lex solet confirmari. Norisius, ut est apud Mazzolenum [e]), ut comprobaret, nonnunquam consulatus absolute fuisse enunciatos, qui reipsa non fuerant, nisi designati, recitat pulcherrimum maximi moduli numisma ex museo ducis Etruriae: IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AVG., et in aversa: IOVI. VLTORI. P. M. TR. P. III. COS. II. P. P. Certum est, Alexandri trib. potestatem III. componi non posse cum ejus consulatu II., si hic jam initus intelligatur; ergo, inquit Norisius, intelligendus est designatus, scriptumque COS. II. pro COS. DES. II. Esto, an vero certum est etiam, eas literas sic, ut testatur Norisius, in illo maximae formae numo esse scriptas? Consului museum Florentinum, quod numos Mediceos maximi moduli complectitur, reperi numum a Norisio indicatum, sed, quod mirere, cum epigraphe: IOVI. VLTORI. P. M. TR. P. III. COS. P. P., quae quidem se chronologiae optime adcommodat nulla

a) Dissert. hypat. p. 7. seq. b) Animadv. VI. de cons. p. 125. seq. c) l. c. 127.

adeo violenti effugii caūsa. Si Norisius vir eruditissimus aeque, atque adcuratissimus, et is quidem αὐτοπτης, fefellit, quam nos esse circumspectos oportet in habenda fide, cum promulgata legimus testimonia, quae historiae, et chronologiae adversantur? Ergo ex iis causis, quas nobis praeclari hi viri attulere, nondum mihi video impositam necessitatem credendi, tam iniquam aliquando numerandi legem valuisse. Tamen intelligi tantum velim saniora imperii R. tempora. Nam quae inde a Gallieno in temporum notis observentur illegitima plane, et absurda, nemini non exploratum. Quod si certum exemplum non habemus omissi in similibus inscriptionibus DES., quia istud temporum rationem turbasset, poterat tamen tuto omitti numerus consulatus το DES. praecedens. Sic v. c. sive scripserant COS. III. DES. IIII., sive COS. DES. IIII., perinde fuerat, nam utrobique consulatus III. jam initus intelligitur. Atqui eundem hunc numerum fuisse etiam nonnunquam neglectum, docent numi M. Antonii IIIviri anno V. C. 720 signati, in quibus is lege ordinaria non dicitur COS. ITER. DES. III., sed simpliciter COS. DES. III., ad quos si animum reflexisset Scipio Maffeius, ausus non fuisset inscriptionem Tergestinam

IMP. CAESAR. COS. DESIG. TERT.
IIIVIR. R. P. C. ITERVM
MVRVM. TVRRESQ. FECIT

inter commentitias referre ex eo etiam capite, quia in ea legitur COS. *nulla adposita numerali nota*, *quamvis* DESIG. TERT. *sequatur* a). Quin hic scripturae modus confirmabit potius ejus fidem epigrammatis, quia hujus, et dictorum Antonii numorum aetas aut est eadem, aut, ut plurimum demus, annorum tantum trium intercapedo.

§. V.

Consulatus quaedam imago fuere *ornamenta consularia* cuipiam sub imperatoribus decreta. Narrat quidem Dio b), jam anno V. C. 687, et stante adeo adhuc republica, C. Carbonem, etsi hactenus tantum tribunatu plebis functum, consularibus honoribus fuisse exornatum, tamen non satis adsequimur, qua in re hi honores constiterint. Vera horum ornamentorum origo haud dubie a Iulio Caesare est repetenda, qui, ut pluribus gratiam referret, cum omnibus consulatum seu ordinarium, seu suffectum conferre non posset, speciosum hunc consulatus honorem excogitavit. Multos, ait Dio c), in patriciorum, et consularium (εἰς τȣς ὑπατευκοτας) numerum retulit, et Suetonius d): *decem praetoriis viris consularia ornamenta tribuit.* Cum Octavianus post Hirtii et Pansae consulum mortem consulatum peteret, senatus, qui tanti fastigii honorem puero tribui noluit, pro consulatu honores tamen illi consulares decrevit e). Plura deinceps occurrunt exempla collatae ejus dignitatis, ac quidem etiam in exteros, quo modo

a) Ars crit. lap. pag. 211. b) L. XXXV. §. 23. c) L. XLIII. §. 47. d) in Caes. c. 76. e) Dio L. XLVI. §. 41.

Claudius Agrippam Herodis M. nepotem illa decoratum voluit a), cum illi jam antea Caligula imperante senatus Romanus ornamenta praetoria decrevisset b).

Quaeritur, utrum hi, qui consularibus ornamentis donati fuere, cum deinde consules processerant, consulatus numerum auxerint? Negat istud in Octaviano Dio c). Nam cum hic primum ornamenta consularia, ut continuo diximus, ac paullo post consulatum ipsum abstulisset, non tamen hunc ambitiosius secundum vocavit. Statim vero subjicit auctor, istud in similibus deinceps omnibus usque ad sua tempora fuisse observatum, primum autem fuisse Severum, qui morem mutavit. Nam cum Plautianum primum his ornamentis, deinde ipso consulatu donasset, eum velut iterum consulem renunciari jussisse, idque deinde ab aliis quoque fuisse factum. Tamen Macrinum in se novum istud institutum observari noluisse, diximus in ejus numis.

§. VI.

Supra §. II. causas nonnullas dedi, quae imperatores ad consulatum sive suscipiendum, sive frequentandum generatim impulere. At nunc curatius explicandum, quae fuerint causae, cur eorum multis placuerit, certo quodam anno suscipere consulatum. Inter regulas hypaticas a Pagio constitutas prima est, principes proximis post aditum imperium Kalendis Ian. procedere consules consuevisse. Vt non negamus, hunc morem multos imperatores esse secutos, tamen certum est, eam regulam saepius fallere. Is mos a Nerone tractus videtur. Certe illi, qui proxime successere, Galba, Vespasianus, Titus, Domitianus, Nerva Neronis exemplo proximis Kalendis Ian. consulatum iniere. Quod cum Trajanus faciendum non putasset, dixit Plinius d): *initio principatus consulatum recusasti, quem novi imperatores destinatum aliis in se transferebant.* Ex ipsis ergo his Plinii verbis jam satis elucet hic mos jam tum ab imperatoribus observari solitus, quod etiam confirmat Spartianus loquens de Aelio Caesare *mox consul creatus, et quia erat deputatus imperio, iterum consul designatus est.* Post Trajanum fuere non pauci, qui ab eo discessere, quos collegit Mazzolenus e), et videre potes in fastis. Dicere ergo possumus morem multis placitum imperatoribus, sed minus concinne regulam.

Factum etiam, ut imperatores variorum solennium causa consulatum sumerent. De Augusto diserte Suetonius f), petiisse eum consulatum XIII. et postremum, ut Cajum et Lucium filios amplissimo praeditus magistratu suo quemque tyrocinio deduceret in forum. Imperatores infimi aevi, saltem eos, qui Orientis consules dicti fuere, ait Themistius, istud sibi semper devitandum existimasse, utne quinquennali, aut decennali vertente curriculo eum magistra-

a) Dio L. LX. §. 8. b) Philo adv. Flacc. p. m. 523. c) L. XLVI. §. 46. d) Paneg. c. 57. e) l. saepe c. p. 131. f) cap. 26.

tum, a quo annus inscribitur, cuiquam concederent. Quare, inquit, insolens plane visum, Theodosium M. hunc honorem in quinquennalibus cessisse Saturnino privato [a]).

Cel. Pagius plures alias suscipiendi consulatus causas contulit, nominatim votorum decennalium solennia, conlegium consulis Caesaris, vel Augusti, expeditiones militares, triumphos, ludos saeculares, atque insuper templorum, theatrorum, colossorum, thermarum dedicationes. Quam is argumentis vagis, incertis, nullumque habituris adsensum universam hanc causam nitatur stabilire, diximus sub initium hujus tractatus. Generatim potest adfirmari, imperatoribus, ut in plerisque rebus aliis, unum arbitrium fuisse adsciscendorum, iterandorumque consulatuum causam.

§. VII.

Ex quo principes omnem arbitrio suo potestatem subjecere, ad consules amplius non pertinuit bella foris gerere, aut providere, ne resp. detrimentum patiatur, sed Romae in una sua trabea conspicui pro magnis imperii negotiis coacti sunt ignobile otium consectari. Recte ergo dixit Mamertinus de consulatibus, sed aevi imperatorii [b]): *in administrationibus labor honori adjungitur, in consulatu honos sine labore suscipitur.* Magis amare Cassiodorius, quem §. X. citabimus, istud consulum otium perstringit, fuitque adeo ex innumeris insaniae argumentis, quibus Caligula se obstrinxerat, maxime ignoscendum illud, quod equum consulatus capacem credidit. Quod igitur unum is magistratus deinceps praestitit, explicavit Iulianus Aug. [c]) nimirum *privatis velut praemium quoddam est, ac merces virtutis, aut fidei, aut benevolentiae erga principes, aut eximii alicujus facinoris, principibus vero ipsis ad ea bona, quae jam possident, velut decoris, et ornatus accessio est.*

§. VIII.

Consulatus, antequam plane occideret, variae adhuc formae sunt observandae, sed quod argumentum paucis persequemur, quia ad historiam quidem ejus aevi plurimum, nihil vero ad rem numismaticam amplius confert. Qui plura cupit, adeat post Panvinium Pagii dissertationis hypaticae partem III. inde a pag. 308.

Consulatus dimidius dicebatur, cum uno tantum consule, nemine conlega, constabat. Talis jam fuit nullo hactenus exemplo anno V. C. 702 consulatus III. Cn. Pompeji M., qui solus in comitiis sine conlega electus est consul. Vt tum dissensus civium insolentis hujus facti causa fuit, ita etiam imperante demum Constantino M. dissensus plurium imperantium. Sane plures veterum fasti annos post Christum 310 et 312 solo Maxentii consulatu notavere. Plures alias manci consulatus causas vide apud Pagium inde a pag. 310 l. c.

Consul orientalis, et occidentalis. Constantinus M. diviso in Orientem, et

---

a) Orat. XVI. b) Gratiar. act. Iuliano c. 2. c) Orat. III.

Occidentem imperio statuit, ut duorum annuorum consulum alter Romae, Constantinopoli alter designaretur. Ei rei factum initium anno Christi 338, cujus Kalendis Ian. mortuo nuper Constantino M., et imperio ex ejus voluntate in tres filios diviso primi hujus generis consules processere, et Vrsus quidem in Occidente, Polemius in Oriente. Vnde factum, ut, si quando de alterius orbis consule nondum constabat, scriberetur in actis publicis v. g. *consulibus N. et qui nunciatus fuerit*, vel: *consulibus, quorum alter est Aristaenetus, conlegam enim ignoro*. Vide similia exempla apud Pagium [a]).

Formula *post consulatum*. Cum sive propter discordias imperantium, sive bella, sive caedes principum, aliasve causas annus suis consulibus, saltem certis, agnitisque careret, factum non raro, ut vacuus hic annus unus, pluresve a consule certo anni praecedentis nomen acciperet, scripto v. g. Basilio V. C. consule, — *Anno secundo post C. Basilii* — *Anno tertio post C. Basilii*, quo designantur anni post Christum 541, 542, 543. Legitur haec formula primum ad annum Christi 307, cum anni praecedentis consules fuissent Constantius Chlorus VI. et Gal. Maximianus VI., frequentius aevo imperatorum infimo, de cujus variis, et saepe confusis legibus vide Pagium [b]), qui et copiosis deinceps exemplis comprobare nititur, inde a Constantino Pogonato consulatus, ut olim tribuniciam potestatem gestos fuisse [c]).

§. IX.

Cum consulatus a veteribus in varii generis monumentis, actisque privatis, praecipue cum fides facienda fuerat, producerentur, tamen in re monetaria mature negligi coepere. Inde a Constantino M., filiisque Caesaribus tandem post longum multorum annorum intervallum Theodosius II. consulatus XVII. et XVIII. iterum numis inscripsit. Postremus fuit Heraclius II. Constantinus Heraclii I. filius, in cujus numo singulari, quem suo loco dedimus, legitur ERACΛIO CONSVΛI. Tandem venerabilis hic magistratus, cui nihil amplius veteris splendoris relictum fuit, ita coepit vilescere, ut Leo VI. Sapiens, qui imperium adivit anno Christi 886, Novellam CV. Iustiniani, quae de consulatu tractat, et legem continet, nihil jam ad remp. pertinentem, cum aliis inutilibus ex legum catalogo eximi jusserit. Lege totam eam Leonis constitutionem, quae ordine est XCIV. Et placuit deinceps in Oriente ad designandos annos uti epocha orbis conditi, qui collectis annis ex computo LXX interpretum, vero an falso, conditus ferebatur die I Septembris anno 5508 mense III. die XXV. ante natum Christum, de quo vide chronologos, et in compendio Gibbonum cap. 40 in fine.

§. X.

Postremo etiam de insignibus, quae consules discrevere, aliqua sunt praecipienda. Ait Florus de Tarquinio Prisco [d]):

---

a) l. c. pag. 310. b) Dissert. hyp. Part. III. cap. II. sec. c) l. c. cap. IV. d) L. I. c. 5.

XII. namque Tusciae populos frequentibus armis subegit, et inde fasces, trabeae, curules, annuli, phalerae, paludamenta, praetexta, inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur, togae pictae, tunicaeque palmatae, omnia denique decora, et insignia, quibus imperii dignitas eminet, sumpta sunt. Dionysius Halic. in insignibus principatus, quae tum Priscus Romam transtulit, nominat *coronam auream, et scipionem habentem in summitate aquilam, tunicam purpuream auro distinctam, et togam purpuream pictam* [a]. Addit, pulsis regibus haec insignia consulibus fuisse permissa, dempta corona, et toga picta, quanquam et his, cum triumpharent, usi sunt. Numi familiarum parum nos instruunt, quantum ex tot insignibus tempore Romae adhuc liberae consulatui fuerit indultum. In numis gentis Iuniae fingitur vetus ille L. Brutus, et ipse post exactos reges primus consul inter duos lictores fascibus, et securi horridos procedere: verum consuli XII. fasces praegestari consuevisse, jam aliorsum satis constabat. In denariis Corn. Sullae, qui par consulum Sullam, et Pompejum Rufum offerunt, ut et in denario Valerii Messallae, inscripto PATRE. COS., consulibus sella curulis tribuitur, sed hanc alii etiam magistratus consulatu inferiores communem habuere. In denario Augusti, quem dedimus in hujus moneta ad annum V. C. 752, proponuntur scipio cum aquila, toga picta, et laurea, sed quae omnia verisimilius ibi dixi pro ornamentis triumphalibus, quam consulatus insignibus habenda. Ad haec quod attinet, sequens aetas plura, et certiora docet. Apud Vopiscum Valerianus Aug. Aurelianum inter alia his verbis adloquitur [b]: *Cape igitur tibi pro rebus gestis tuis — — — togam praetextam, tunicam palmatam, togam pictam, subarmalem profundum, sellam eboratam. Nam te consulem hodie designo scripturus ad senatum, ut tibi deputet scipionem, deputet etiam fasces.* Similia refert Cassiodorius graviter in eos invectus, quos Augusti nullo idoneo merito insignibus consularibus ornaverunt [c]: *Sed nunc sumitis ista felicius, quando nos habemus labores consulum, et vos gaudia dignitatum. — — — Pinge vastos humeros vario colore palmatae, validam manum victoriali scipione nobilita, lares proprios etiam calceis auratis egredere, sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende, ut in otio subjectus merearis, quod nos per maximos labores assumimus imperantes.* Et vero in numis Augustorum inde a declinante imperio saepe occurrit protome imperatoris veste palmata circumdata, et scipionem praefixa aquila manu gestans, quo consulem Augustum intelligas. At totum consulum habitum optime capies ex diptychis eburneis, quorum unum dedit Ducangius in dissertatione de numis inferioris aevi tabula I., et explicavit §. IV., ubi varia idonea de habitu consulari illius aetatis docet. Item ex praeclaro alio diptycho, quod olim fuit Norimbergae in aedibus Negeleinianis, ab auctoribus variis erudite explicatum, at hodie inter praestantissima cimelia, quae insignem thesaurum ill. comitis a

a) Ant. L. III. p. m. 195. b) in Aureliano. c) Variar. L. VI.

Vitzai exornant, conspicitur *). De scipione aquilifero consulibus tribui solito jam nonnulla veterum testimonia adduxi ad laudatum Augusti numum, quem ad annum V. C. 752 descripsi.

Denique adhuc processus consularis, qualis in numis proponitur, expediendus. Procedere dicebantur consules, quando, anno proxime elapso ad consulatum designati, Kalendis Ianuariis consueta pompa et comitatu magistratum inivere, atque solennis hic actus *processus consularis* vulgo consuevit appellari docentibus id ipsum numis per epigraphen FELIX. PROCESS*us* CONSVL. AVG. N., quos paullo post proferemus. Sed et sunt exempla, auctores veteres solo vocabulo *processus*, omissa etiam consulis mentione, processum consularem intelligi voluisse. Iuvenalis objurgans eos, qui viis pravis tortuosisque ex humili ad maximos honores pervenere, sic ait [a]):

Cum te summoveant, qui testamenta merentur
Noctibus, in coelum quos evehit, optima summi
Nunc via processus, *vetulae vesica beatae*,

quibus sane verbis docet, homines nauci primum turpi cum vetulis consuetudine rem fecisse, deinde ad consulatum fuisse evectos, seu honorem *summi processus.* Satis clare etiam poetae mentem explicat adhibita ad hunc locum vox *summoveant,* nimirum praecedentibus in processu lictoribus consulis, viamque populi confluxu impeditam aperientibus, quo modo et convenienter dixit Horatius [b]):

Non enim gazae, neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, et curas laqueata circum
Tecta volantes.

Placuit ad haec Iuvenalis verba aliquantum immorari, quia video, viros eruditos in suis ad illa observatis non satis commode verum eorum sensum evolvisse.

Dixi aliquando [c]), difficile nonnunquam esse definire, quando in numis imperator fingitur quadrigis seu equorum, seu elephantorum vectus, et scipionem cum aquila gestans, utrum hoc typo triumphus, an processus consularis sit intelligendus, quia, ut hactenus vidimus, haec aquila et cum triumphantibus, et consulibus communis est. Tamen non raro numus ipse dictat modos, quibus utramque solennitatem distinguas. Quando similis typus est in numo ejus anni, quo certo constat, imperatorem processisse consulem, ac praecipue, si historia acti eo anno triumphi mentionem non facit, dubitari nequit, processum esse consularem, eumque insertum numis eo modo, quo illustria quaeque facta inseri monetae consuevere. Exstant numi insignes Commodi cum typo simili, in quibus is dicitur TR. P. XV. IMP. VIII. COS. VI., quae sunt certae notae anni V. C. 943, cujus Kalendis Ian. processit consul VI. Alii Caracallae cum TR. P. XI. et XVI.; sunt hae no-

*) Quod tamen anno proxime elapso (1834) in museum nob. viri Fejervary migrasse fama accepimus. Not. edit.

a) Sat. I. 37. b) Carm. L. II. od. 16. c) in num. Aug. ad V. C. 752.

tae annorum V. C. 961 et 966, quorum illo is processit consul III., hoc IV. Insignis numus max. moduli musei Albani in parte antica offert protomen Gordiani cum toga picta, vel palmata, et manu scipionem aquiligerum gestantis: in aversa est: PONTIFEX. MAX. TR. P. IIII. COS. II. P. P. et imperator in quadrigis equorum d. lauri ramum, s. aquilam, pone insistit Victoria, praecedit miles, et figurae aliae cum palmae ramis. Numus est anni V. C. 994., quo inivit consulatum II. Ipse etiam scripturae modus non raro processum consularem praescribit. Noti sunt numi Caracallae: COS. II. typo simili, et alii Getae fratris: COS. typo simili. Numi utrique sunt anni V. C. 958, quo Caracalla processit COS. II., Geta COS. primum. Quoniam hi denarii praeter consulatus notam nihil inscriptum offerunt, certum est, monetariis aliud nihil fuisse propositum, quam ut hac inscriptione celebrarent fratrum consulatum, ergo etiam adstituto typo. Eodem pertinet scriptum in binis numis max. formae Galli et Volusiani COS. II. ET. COS. typo simili a). Nimirum hi Augusti V. C. 1007 una processere consules, pater iterum, filius primum. Ad eandem hanc legem adiges numum insignem aureum Diocletiani, et Maximiani, qui Norisio justae dissertationis materiem suffecit:

IMPP. DIOCLETIANO. ET. MAXIMIANO. AVGG. *Protomae duae laureatae utriusque imperatoris, et consularibus trabeis indutae manu sceptrum cum aquila praeferentes.* X IMPP. DIOCLETIANO. III. ET. MAXIMIANO. COSS. *Currus junctis quatuor elephantis cum rectoribus palmigeris, ei insistit uterque imperator, et his altior Victoria.*

Huic adde alios Maxentii, in quorum aversa:

FELIX. PROCESS. CONSVL. *(in aliis* CONSVLAT.) AVG. N. *Imperator jam in quadrigis elephantorum, jam in sexigis equorum vectus d. lauri ramum, s. scipionem.*

Hos numos adcuratius vide descriptos in moneta Maxentii. Quis negaverit, in numo priore exhiberi processum consularem, cum par consulum Augg. juxta cum ostentatione scriptum compareat? Multo vero istud magis perspicuum ex numo altero, qui ipsum adeo *processum consulatus* pronunciat.

Haec copiosius docenda fuere, quia Norisius in laudata dissertatione persuadere nititur, typum, qui est in suo Diocletiani et Maximiani numo, esse triumphalem, lectumque causa acti ab utroque ob relatas victorias triumphi, etsi idem non inficietur b), in Maxentii numo non triumphum, sed processum consularem exhiberi. Idem in numo Alexandri Severi, in quo hic quadrigis equorum invehitur d. aquilam tenens, additis notis TR. P. VIII. COS. III., rursus triumphum videt c), cum tamen hic typus certissimus sit testis processus consularis juxta legem mox datam; nam Alexander anno V. C. 982, quo trib. potestatem VIII. numeravit, processit consul III. Quo minus in numo Diocletiani processum consulum fateretur, magnum illi momentum qua-

a) Mus. Albani tab. 81. b) Ejusd. dissert. c. V. p. 34. c) l. c. p. 45.

drigae elephantorum. Non ignoro, imperatores non raro in quadrigis hujus animalis triumphasse primum ejus exemplum vulgante Pompejo Magno in triumpho Africano teste Plinio [a]). Narrat Lampridius [b]), Alexandrum Severum, cum ab expeditione Persica redux Capitolium ascenderet, in suo comitatu habuisse currum triumphalem a VI. elephantis tractum. Nunciata Romam Gordiani de Persis victoria, senatus victori quadrigas elephantorum decrevit [c]). Quae causa fuit, cur eos Pacatus vocaret *triumphales belluas* [d]). At certum est etiam, elephantos non ad solum triumphum fuisse adhibitos. Saepe videmus in numis, Augustorum, Augustarumque thensis has belluas fuisse junctas, et diserte perhibet Suetonius [e]), Claudium aviae Liviae divinos honores, et circensi pompa currum elephantorum Augustino similem decernenda curasse, quem ipsum exhibent numi Neronis a nobis ad annum V. C. 808 producti. Ergo quadrigae elephantorum ad alios etiam usus valuere, atque etiam ad processus consulares non invito ipso Norisio, qui ut dictum, in similibus Maxentii quadrigis processum consularem agnovit, quo modo triumphatum quoque fuit jam equis, jam elephantis, et quidem ex lege ordinaria equis, testante etiam Apuleio [f]), proprias esse *triumphantibus quadrigas albas*, *et togam palmatam*. Denique certum puta triumphum, quando similis processus fingitur in numis illius anni, quo eum revera triumphasse constat, neque iterasse consulatum. Hujus exemplum offerunt numi Tiberii ad annum V. C. 766, aliique, certum autem processum consularem, cum illo anno, cujus est numus, de inito quidem consulatu constat, non vero de triumpho quopiam. Est inter numos M. Aurelii adhuc Caesaris numus cum simili typo signatus V. C. 898. Eo is anno consulatum II. inivit, nullo tum triumpho, ac ne bello quidem. Plura similia exempla supra dedimus. Denique ramum lauri, quem in his numis non raro imperatores manu praeferunt, etsi is triumphantes maxime deceat, tamen etiam cum processu consulari posse componi, facile intelliges ex iis, quae in moneta Antonini ad annum V. C. 892, numumque S. P. Q. R. A. N. F. F. de more laureas coronas Kalendis Ian. reparandi disserui.

Per consularem hunc processum solitos fuisse non modo consules Augustos, Caesaresve, sed et privatos pecuniam in populum spargere, constat ex Novella Iustiniani [g]): *Soli aurum spargere damus imperio, cui soli etiam aurum contemnere praestat fortunae fastigium. Argentum vero, quod mox post aurum pretiosissimum fiet, et aliis consulibus largimur decens.* Et paullo infra: *Sed de argento quidem spargendo ita a nobis sancitum sit, et si omnino ad hoc accesserit, licentiam habeat distribuendi argenti munificentiam in suis processionibus, sicut ipse recte se habere putaverit, solo prohibito aurum omnino jaculari, quod imperatori tantum tributum*

a) L. VIII. §. 2. b) in Alexandro. c) Capitolin. in Gord. d) Paneg. Theodos. c. 22. e) in Claud. c. 11. f) Apolog. p. m. 270. g) CIII. Tit. VI. c. 2.

est contingere. Quo in titulo, tum et alibi [a]) plura continentur, quae imperatores de hoc spargendi in his processibus ritu sanxere. Exstat hujus liberalitatis locuples indicium in numo contorniato altius pag. 290 descripto, in cujus aversa est: PETRONIVS. MAXSIMVS. V. C. CONS. *Ipse Petronius consulari habitu indutus sedet, d. volumen, s. scipionem cum aquila, in imo duae crumenae numis refertae, ex quarum una soluta numi protuberant.* Vide, quae ibi ad singularem hunc typum observavimus. Atque hunc spargendae pecuniae morem arcte fuisse cum processu consulari connexum, patet ex historia Clodovei, primi ex Merovingiis Galliae regis, de quo Gregorius Turon. [b]): *Chlodovechus ab Anastasio imperatore codicillos de consulatu accepit, et in basilica beati Martini* (apud Turonos) *tunica blatea indutus est et chlamyde, imponens vertici diadema. Tunc ascenso equite* (equo) *aurum argentumque in itinere illo, quod inter portam atrii basilicae beati Martini et ecclesiam civitatis est, praesentibus populis manu propria spargens voluntate benignissima erogavit, et ab ea die tanquam consul et Augustus est vocitatus.* Aurea haec grando in vulgi capita praeceps adeo in consulari processu valuit, ut serius neglecto etiam jam palam consulatu, quotiescunque imperatores Caesaresve publice progressi pecuniam spargerent, haec ipsa sparsio diceretur *ὑπατεια*, *consulatus*, et ipse hic actus *ὑπατειαν ποιειν*, *consulatum facere*, id est: praestare id, quod consules facere consuevere. De Constantini V. Copronymi filiis narrat Nicephorus Constantinopolitanus in fine Historiae suae: *της δε βασιλικης προοδȣ κατα το ἐιωθος ἐπι την καθολικην ἐκκλησιαν γενομενης ὑπατειων ἐποιησαν, και τοις παρελθȣσι χρηματα διενειμαν, ἐκ τȣ παλατιȣ ἀρξαμενοι της ἐκκλησιας τȣτο ἐπιτελȣντες. Regio processu pro more ad catholicam ecclesiam facto consulatum fecerunt, et in obvios pecuniam sparserunt, inde a palatio usque ad ecclesiam istud agentes.* De Ti. Constantino Iustini II. successore haec Theophanes ad ejus annum primum: *κἀι ἐστεψεν ἀυτην Αυγȣσταν, και ἐρριψεν ὑπατειαν πολλην, et coronavit eam* (Anastasiam) *Augustam, et multum consulatum* (liberale munus consulare) *in populum sparsit.* Vide de nova hac significatione plura apud cel. Ducange in Gloss. med. Graec. sub Ὑπατεια.

CAPVT II.

DE PROCONSVLIBVS CAESARIBVS.

De dignitate, ac potestate proconsulum primum eorum, qui tempore Romae

a) Cod. L. XII. tit. 3. b) Hist. Franc. L. II. c. 38.

liberae in provincias missi sunt, deinde eorum, qui his praefuere, ex quo Augustus imperium in suas, et populi provincias divisit, abunde in animadversionibus ad partem I. hujus operis Vol. IV. pag. 234 egimus, quia multa habemus proconsulum privatorum nomina monetae extra urbem signatae inscripta. At sunt etiam numi, etsi numero pauci, qui ipsis Augustis proconsulis titulum addidere. Sunt vero sequentes:

CONSVL. IIII. P. P. PROCOS., in aliis: CONSVL. VII. P. P. PROCOS. in numis Diocletiani.

COS. III. P. P. PROCOS, in aliis: CONSVL. IIII. VI. VII. VIII. P. P. PROCOS. in numis Maximiani Herc.

CONSVL. V. P. P. PROCOS. in numis Constantii Chlori.

CONSVL. P. P. PROCONSVL, in numis Licinii senioris.

CONSVL. P. P. PROCONSVL, — P. M. TRIB. P. COS. IIII. P. P. PROCOS. — P. M. TRIB. P. COS. VI. P. P. PROCOS. in numis Constantini M.

Praeter hos memorantur adhuc:

ATTOK. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΑΝΘυπατῳ, nimirum proconsulem Graeci dixere ἀνθυπατον. Legit sic Vaillantius in numo Pergameno cum capite Augusti, an satis tuto, videtur dubitari posse.

IMP. CAES. TRAIANVS. AVG. P. M. P. P. PROCONS. in contorniato musei Caesarei, et Theupoli.

Iuvat in originem proconsulatus Augustis, Caesaribusque delati altius inquirere. De proconsulatibus ordinariis privatorum alibi, ut continuo dixi, a me actum. At fuere tempora Romae sive liberae, sive imperantis, quando ad salutem imperii necessarium est visum, proconsulis potestatem amplificare. Ad bellum piraticum sic missus est Cn. Pompejus, uti toto mari, et ad quinquagesimum a mari milliarium proconsularem potestatem haberet, reges nationesque omnes auxilia petenti mitterent etc. a) quo quidem senatusconsulto, ut ait Velleius b), paene totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur, qui continuo addit, idem hoc ante in M. Antonii praetura decretum fuisse, quod ipsum tangit Cicero, cum ait c), Siculos *M. Antonii infinitum illud imperium sensisse*, nimirum ope factionis curationem infinitam totius orae maritimae nacti, ut ad haec Ciceronis verba advertit Asconius, et innuit etiam Lactantius d). Cicero in senatusconsulto, quod Dolabellae per C. Cassium bello persequendi causa suaserat e), inter alia haec sancit: *ut Cassius proconsul provinciam Syriam obtineat, uti qui eam optimo jure provinciam obtinuerit*, - - - *ut imperandi in Syria, Asia, Bithynia, Ponto jus potestatemque habeat, utque, quamcunque in provinciam ejus belli gerendi causa advenerit, ibi majus imperium C. Cassii proconsulis sit, quam ejus erit, qui eam provinciam tum obtinebit, cum C. Cassius proconsul in eam provinciam venerit.* Sunt haec Romae adhuc liberae exempla. Augustus M. Agrippam bis, nimirum annis V. C. 731, et 738 ad regendas Orientis provincias amplissima cum

a) Appian. bell. Mithr. c. 94. b) L. II. c. 31. c) in Verr. L. II. c. 3. d) Instit. L. I. c. 11. e) Philipp. XI. c. 12.

potestate misit a). V. C. 753 Cajus Caesar Agrippae F. in Orientem ad bellum Parthis inferendum cum imperio proconsulari profectus est b). Adserente Tiberio, non posse motum Orientem nisi Germanici sapientia componi, *decreto patrum permissae Germanico provinciae, quae mari dividuntur, majusque imperium, quoquo adisset, quam his, qui sorte, aut missu principis obtinerent* c). Aliquot post annis imminente iterum a Parthis metu Tiberius *cunctis, quae apud Orientem parabantur, L. Vitellium praefecit* d). Adversus eosdem Parthos Corbulonem cum mitteret Nero, *scribitur tetrarchis ac regibus, praefectisque, et procuratoribus, et qui praetorum finitimas provincias regebant, jussis Corbulonis obsequi, in tantum ferme modum aucta potestate, quem populus R. Cn. Pompeio bellum piraticum gesturo dederat* e).

Imperium proconsulare extraordinarium his, quos modo commemoravi, viris delatum nonnisi temporarium fuisse, urgentibus scilicet reip. causis, suapte patet. At vero idem in imperatoribus coepit esse perpetuum. Quae ejus fuerit origo, et quae aliae causae, nemo apertius Dione docuit. Narrat is f), inter alios honores V. C. 731 Augusto delatos fuisse etiam, *ut imperium proconsulare perpetuo haberet, neque id intra pomoerium venienti deponere, neque unquam renovare opus esset, atque ut major ipsi in singulis provinciis, quam praefectis earum semper esset potestas.* Sed constat etiam, Augustos hunc honorem non raro cum iis viris, quos adoptare sibi placuit, communicasse. Auctore senatu decrevit Claudius, ut Nero Caesar *proconsulare imperium extra urbem haberet* g). Antoninus Pius eodem tempore *factus est patri* Hadriano *et in imperio proconsulari, et in tribunicia potestate conlega* h), a quo deinde filius Aurelius Caesar *tribunicia potestate donatus est, atque imperio extra urbem proconsulari* i). Fuere igitur proconsulatuum apud Romanos genera tria, unum ordinarium eorum, qui ad regendas imperii provincias sive sorte, sive comparatione, sive serius missu principis exiverunt, alterum extraordinarium eorum, quibus ad certum tempus majus imperium, quam quod proconsulum fuit, atque in plures provincias delatum est, tertium perpetuum, quod ad omnes provincias valuit, et quod inde ab Augusto imperatoribus omnibus, et ab his non raro Caesaribus, destinatisque successoribus decretum fuit.

Atque ex his, quae modo commemoravimus, non obscure potest intelligi, quae fuerit Caesarei hujus proconsulatus natura, et quantum Caesaribus adnumerata hac dignitate accesserit potestatis. Fuere tamen auctores varii, quibus ejus causae subtilius, adcuratiusque rimandae videbantur, quos inter fuere Salmasius k), Casaubonus l), Pagius m), qui praeterea, qua parte sibi adversatur Norisius, commemorat, Spanhemius n), denique Mazzolenus o). Hos

a) Noris Cenot. Pis. Diss. II. c. 16. §. 8. b) Zonaras ex Dione. c) Tacit. Ann. II. c. 43. d) Tacit. Ann. VI. c. 32. e) Tacit. Ann. XV. c. 25. f) L. LIII. §. 32. g) Tacit. Ann. XII. c. 41. h) Capitolin. in Ant. Pio. i) Capitolin. in M. Aurel. k) ad Capitolinum p. 81. l) ad Capitolinum p. 49. m) Critic. Baronii variis locis. n) Tom. II. Diss. XII. p. 463. seq. o) Animadv. VII. de Proconsule.

inter existimavit Pagius, Caesares a proconsulari imperio praenomen *Imperatoris* habuisse. Adversatur huic Norisius, quia, inquit, inter titulos Augustorum in marmoribus ac numis primo loco notatur titulus imperatoris, postremo proconsulis, ex quo patet, utrumque longe diversae esse rationis, aut saltem unum ab altero nequaquam evidenter derivari. Deinde, quando ab Augustis nomen Caesaris ac imperium proconsulare alteri dabatur, is ab imperio proconsulari non dicebatur imperator, sed proconsul. Sane neque Neronem, neque M. Aurelium Caesares, etsi uterque proconsulari imperio ornatus esset, uspiam legimus imperatoris praenomine usos. Taedet rationes Pagii, quibus is sua fulcit, aut speciosas, aut infirmas, aut nimio subtiles referre, quas, si cupis, collectas habes apud cl. Mazzolenum. At docuit Spanhemius [a]), omnem, aut certe praecipuam vim potestatis proconsularis in imperatoris vocabulo fuisse positam, cujus nempe auspiciis Romani duces bella suscipiebant, quo uno nomine supremum exterarum juxta, et urbanarum rerum arbitrium, omniumque magistratuum jura in Augustum, ut docet Dio, fuere translata. Tamen, etsi proconsulare imperium ab imperatoris titulo duceretur, fuisse proconsulis nomen peculiari de causa, et in Augusti gratiam additum. Divisus nempe ab eo fuerat orbis R. in provincias Caesaris et populi, quarum posterioribus magistratus populi sub proconsulum nomine praeessent. Vnde, ut nihilominus Caesaris auspiciis omnes illas provincias ex aequo administrari singularum praesides facilius intelligerent, nec ullas partes orbis R. imperio illius exemptas, translata est illa proconsulis ad Augustum, et successores nomenclatio. Atque ab hac Spanhemii sententia non magnopere differt illa, quam exposuit Mazzolenus [b]).

Ex dictis luculente perspicimus, quae fuerit imperii proconsularis Caesarei prae illo, quod in alios vario tempore collatum fuit, excellentia. Ex adducto enim altius Dionis testimonio, quo delata Augusto ea potestas narratur, liquet I., fuisse eam majorem in singulis provinciis, quam earum praefectis ordinariis, ex quo jure de sententia Spanhemii fluxit etiam potestas, in proconsulum, qui provinciis populi R. praeessent, facta et mores inquirendi, missis etiam in eas cognitoribus, qui suas ea in re vices implerent, cujus illustre exemplum offert marmor Gruteri [c]). II. fuisse eum proconsulatum perpetuum, non, qualis fuit eorum, quos supra recensuimus, temporarium, neque necesse fuisse, illud semel acceptum deinceps renovari, aut III. eum intra pomoerium deponere, quod tamen aliis fuit imperatum. En tibi proconsulatus Caesarei non amplum modo discrimen, sed et excellentiam. Nam si jam nimia, et libertati inimica plerisque visa fuit proconsularis Pompeji potestas, etsi intra quinquagesimum a mari milliarium contineretur, quanto illustriorem necesse est fuisse proconsulatum Augusteum, cui provinciae omnes, neque tantum earum pars, sed totae fuerunt subjectae? Quapropter ne-

a) Diss. XII. p. 467. b) l. c. p. 156. c) Pag. 381. 3.

quaquam mirum, Augustum, quemadmodum imperia alia, ac dignitates sibi subjecerat, sic etiam imperium istud proconsulare ambivisse, ut nullus esset per orbem R. locus, qui aliquo nomine a summa ejus potestate se posset eximium arbitrari.

Proconsulatus Augustorum Caesarumque haud frequenter legitur monumentis veterum inscriptus. Paucos numos, qui eum offerunt, principio hujus disputationis dedimus. Abbas Mazzolenus, qui eum in marmoribus indagavit, non reperit inter altioris imperii principes nisi unum Caligulae a), unum Hadriani b), unum Aelii Caes. c) Marinius spreto Caligulae monumento primum in marmoribus agnoscit proconsulem Hadrianum d). Frequentius deinde ea dignitas inde ab Antoninis legitur, ut videre est in veterum inscriptionum catalogis, tum et in variis literarum publicarum, edictorumve inscriptionibus.

Cur rarior ejus potestatis mentio in monumentis publicis fuerit, causas adfert Spanhemius e), primo, quia imperatores non semper, nec in urbe, sed extra pomoerium duntaxat proconsulis titulum suscepere, docente Dione f): *ὑπατοι τε γαρ πλειστακις γιγνονται, και ἀνθυπατοι ἀει, ὁσακις ἀν ἐξω του πωμηριου ὠσιν, ὀνομαζονται*, *consules enim saepius fiunt, et proconsules semper, quoties extra pomoerium sunt, vocantur.* Causa verisimilis alia, quia proconsularis haec potestas infra aliarum potestatum fastigium censebatur; unde nec *principis senatus*, nec *juris relationis*, quod Augustis quoque decretum fuit, ullam videmus fieri mentionem.

Istud denique singulare, Augusteis his proconsulatibus nonnunquam numeros adponi. Citat Mazzolenus marmor Severi cum TRIB. POT. VIII. addito in alio PROCOS. ITERVM, in alio PROCOS. III., in alio ejusdem: TRIB. POT. XVII. PROCOS. V. In marmore Valeriani TRIB. POT. III. COS. P. P. PROCOS. II., in alio Maximiani: COS. III. P. P. PROCOS. ITERVM. Quae fuerit iterandi hujus proconsulatus causa, quis modus, non satis intelligo. Conjicit Mazzolenus, hos numeros ad profectiones in provincias, expeditionesque militares referendos, quod Dio verbis, quae mox indicavimus, videtur confirmare, cum ait: *quoties extra pomoerium erant, proconsules vocabantur.* In numis imperante Tiberio cusis, quos in moneta Carthaginis descripsimus, L. Apronius dicitur PROCOS. III., sed in quibus verisimile est, additum III. indicare proconsulatus annum tertium.

---

a) Grut. pag. 188. n. 7. b) ibid. pag. 198. n. 1. c) ibid. p. 252. n. 2. d) Frat. arv. pag. 719. e) Diss. XII. pag. 463. f) L. LIII. §. 17.

CAPVT III.

DE NOMINE IMPERATORIS.

Romanis dictus est *imperator* stante rep. is, qui imperium militare habuit. Ait Appianus a): αὐτοκρατορας δε ὀνομαζουσιν, ὁ και των προσκαιρων στρατηγων ὀνομα ἠν, *imperatores autem vocant* principes suos Romani, *quod olim belliducum ad tempus constitutorum nomen fuit.* Atque in hac significatione professus est Tiberius apud Dionem b) *esse se dominum servorum, imperatorem militum, principem ceterorum.* Et Plautus c):

Sed ubi summus imperator non adest
ad exercitum.

Quo tempore Caesar bellum in Africa cum Pompejanis gessit, Considius captivo, qui sese literas illi a Caesare imperatore ferre dixit, *unus est*, respondit, *Scipio imperator hoc tempore populi Romani* d). Cicero excusans sese Bruto, quod juveni Octaviano in bello adversus M. Antonium imperatoris titulum decreverit, ait e): *Decrevi etiam imperium, quod quanquam videbatur illi aetati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. Quid enim est sine imperio exercitus?* Ad eundem modum supremus quoque Samnitum dux dictus fuit *imperator*, pro quo in numis EMBRATVR, de quo copiose egimus in parte I. hujus operis in tractatu de numis Samniticis. Militaris hujus imperii in varios collati plura exempla dedimus in tractatu praecedente de Proconsulibus Caesaribus.

* * *

Alia imperatoris significatio, sed honoris tantum, fuit, cum quis dux relata victoria in acie a militibus imperator est acclamatus. Etiam a senatu nonnunquam hunc titulum fuisse decretum, sequentia testimonia docebunt. Prioris exemplum integra adhuc rep., et forte primum reperio in Scipione Africano seniore, quem cum Hispani regem vocare vellent, is *sibi maximum nomen imperatoris esse dixit*, *quo se milites sui appellassent* f). De Trajano Plinius g): *Vident enim Romanum ducem, unum ex illis veteribus, et priscis, quibus imperatorium nomen addebant contecti caedibus campi, et infecta victoriis maria.* Istud virtutis testimonium ac honos principio a militibus parce, ac nonnisi post

a) in praefat. hist. cap. 6. b) L. LVII. §. 8. c) Amphitr. act. I. sc. 3. v. 6.
d) Hirt. bell. Afric. c. 4. e) ad Brut. epist. 15. f) Liv. Lib. XXVII. cap. 19.
g) Paneg. cap. 12.

justum experimentum fuit collatum. Ait Diodorus Siculus [a]), morem fuisse militibus Romanis, ut, si quis exercitus dux collatis signis supra sex millia hostium cecidisset, imperator appellaretur. Appianus quoque hunc olim honorem nonnisi post praeclarissimas res gestas fuisse impetratum narrat [b]), quin et addit, illum aetate sua nonnisi caesis decem hostium millibus tribui consuevisse, sed quod testimonium infra revocabimus. Verum, ut fit, tanta laus successu temporis coepit vilescere. Ejus testis locuples Tullius, qui volens persuadere senatui, ut Octavianum, Hirtium, et Pansam imperatores appellandos decerneret, quod praeclaram apud Mutinam de M. Antonio victoriam retulissent, hac utitur oratione [c]): *Etenim cui viginti his annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur aut minimis rebus gestis, aut plerumque nullis?* Et mox infra [d]): *At si quis Hispanorum, aut Gallorum, aut Thracum mille aut duo millia occidisset, non eum hac consuetudine, quae increbruit, imperatorem appellaret senatus?* Ac forte non multo majoris fuit momenti ipsius Tullii victoria de Amani monticolis parta, ac propterea imperatoris nomine decorati, etsi magnum a se hostium numerum caesum, et victoriam justam relatam in epistolis suis ipse scripserit [e]). Quam levis fuerit causa, ob quam in bello civili Africano imperator salutatus est Curio, ex ipsa Caesaris narratione colligitur [f]), et Appiano hanc Curioni vanitatem exprobrante [g]). De L. Pisone Cicero [h]): *appellatus est hic vulturius illius provinciae*, (Macedoniae) *si diis placet*, *imperator.* Nimirum in hunc honorem licentius est involatum, quia avidius ambiri coepit, sive vanitatis impulsu, sive ut plus in castris auctoritatis sibi accederet. Auctore Dione [i]) M. Brutus in Thracas Bessos profectus est, ut nomen sibi dignitatemque imperatoris pararet, quo facilius contra Caesarem et Antonium bellum gerere posset. In eandem ejus tituli communionem ab exercitu receptum Cassium narrat Plutarchus [k]). De Metello Scipione Caesar [l]): *His temporibus Scipio detrimentis quibusdam circa montem Amanum acceptis sese imperatorem appellaverat.* Atque in hoc sensu non paucos videmus viros Romanos in familiarum numis imperatores dici. Victo ad Mutinam Antonio Hirtius, Pansa, et Octavianus a militibus et senatu imperatores sunt appellati [m]). Et narrat Cicero [n]), se referente L. Torquatum magnis in Macedonia rebus gestis absentem dictum esse imperatorem. Videtur circum tempora exeuntis reip., multisque tum rebus violenter et arbitrarie actis non obstitisse senatum, si quis ex causa etiam non justa a militibus in acie appellatus esset imperator, at signum approbati ejus a senatu honoris fuisse, quando is accepto victoriae nuncio supplicationem decrevit. Vide huc pertinentia apud Ciceronem ipsum [o]).

a) ex L. XXXVI. eclog. 3. b) Bell. civ. L. II. c. 44. c) Phil. XIV. c. 4. d) l. c. c. 5. e) ad Attic. L. V. ep. 20, ad Famil. L. II. ep. 10. f) de Bell. civ. L. II. c. 25. 26. g) Bell. civ. c. 44. h) in Pison. c. 16. i) L. XLVII. §. 25. k) in Bruto c. 34. l) Bell. civ. L. III. c 31. m) Dio L. XLVI. §. 38. n) in Pison. c. 19. o) Orat. de provinc. consul. c. 6 et 7.

Ex quo Augustus imperium unus regere coepit, nonnisi paucis decretus fuit imperatoris ex victoriis titulus. Tiberio adhuc privato, ejusque fratri Druso eum fuisse permissum, docent numi. Eum M. Agrippa, etsi armorum gloria aetate sua omnes anteiret, et potestate tribunicia esset ornatus, nunquam videtur admisisse. Postremus ex privatis fuit Blaesus, cui ex victo Tacfarinate imperatoris nomen Tiberius concessit. Haec, quae modo dixi, Taciti verbis confirmamus. Tiberius, inquit [a]), *id quoque Blaeso tribuit, ut imperator a legionibus salutaretur, prisco erga duces honore, qui bene gesta republica gaudio et impetu victoris exercitus conclamabantur, erantque plures simul imperatores, nec super ceterorum aequalitatem. Concessit quibusdam et Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blaeso postremum.* Ait quidem Appianus [b]), *νυν δ' ὁρον ἐιναι τῃδε τῃ ἐυφημιᾳ πυνθανομαι το μυριους πεσειν*, *hac vera aetate audio hanc acclamationem non conferri, nisi caesis decem millibus.* Scripsit autem Appianus imperante Hadriano. Ex hoc ergo testimonio arguit Casaubonus [c]), non penitus ademptum Hadriani aetate privatis exercituum ducibus eum honorem, sed difficiliorem ad eum aditum relictum, quia nonnisi caesis decem millibus emerendus fuerat. Verum magnopere cuperem vel unum nobis vir praestans exemplum ejus post Blaesum in privatum quempiam collati ex tot historicis et marmoribus indicasset. Ergo hoc loco vetus scriptor aut intellexit imperatores hoc honore decoratos, aut ipse veram ejus rationem satis perspectam non habuit, quod apparet ex formula, qua utitur, *πυνθανομαι*, *ut audio.*

Imperatorium hunc titulum pro numero victoriarum fuisse auctum, sic ut scriberetur in numis IMP. ITERVM, vel III. IV. etc., obvia sunt in Augustorum numis exempla, etsi non desint stante adhuc republica, aut saltem nondum plane eversa, sed tamen rariora. Sulla dicitur in numis suis IMPER. ITERVM, at Cn. Pompejus M. post amplissimas, variique generis victorias tantum IMP., Caesar dictator tantum IMP. ITER., neque saepius Sex. Pompejus Magni F., Antonius IIIvir IMP. IIII. Serius, ac certe post Blaesum, quem privatorum postremum permittente Tiberio appellatum fuisse imperatorem altius diximus, hic honos, etsi ab Augustorum legatis partus, uni principi accessit, quia hujus unius auspiciis bella gerebantur, quo modo praetores olim ex victoria quaestoris sui dicti fuere imperatores, cujus exemplum unum commemorat Varro [d]). Quoties a singulis fuerit repetitus, in singulorum numis docuimus. Si fides Dioni [e]), moris Romani fuit, non saepius, quam semel, uno de bello imperatoris nomen adsumere, atque id ipsum vitio vertit Claudio Aug., qui ob victorias Britannicas aliquoties se dici imperatorem passus est. Verum dubitem, vel olim hunc morem religiose fuisse observatum, nam Sullam

---

a) Annal. L. III. c. 74. b) Bell. civ. L. II. c. 44. c) ad Sueton. I. Caes. cap. 76.
d) de R. R. L. II. c. 4. e) L. LX. §. 21.

de eodem bello bis dictum imperatorem, in hujus numis probabile dixi.

Magnam monetae imperatoriae partem hoc imperatoris ex victoriis elogium addito insuper numero praeferre, ipsa inspecta abunde docet. At observo, postremum fuisse Caracallam, qui illustrem hunc titulum monetae inscripsit, cum jam nunc paullatim vetera imperii R. instituta vel negligi, vel corrumpi inciperent. Tamen in Postumi moneta tanquam singulare quid occurrit IMP. V. et IMP. X. Sed durasse adhuc in marmoribus, etsi rariore ejus usu, exempla nonnulla attulit Ducangius [a]). Obvii sunt solidi aurei Theodosii II., inter cujus titulos legitur etiam: IMP. XXXXII., quem ad veterem militum acclamationem refert Ducangius [b]). At dixi in hujus Augusti numis, eo numero indicari annos imperii. Gallienum pro iterato imperatoris titulo se vocasse v. c. Germanicum Maximum ter, vel V., vel scripsisse VICTORIA. AVG. VI. VII. VIII. etc. in hujus moneta diximus, et similia exempla occurrunt in numis Postumi. Vide praecipue in hoc numum inscriptum P. M. TR. P. IMP. V. etc. anni V. C. 1015.

Alia testimonia, quae hunc ex victoriis titulum comprobant, continuo in sequentibus dabimus.

* * *

Tertia nominis imperatorii significatio est, qua summum in imperii R. provincias jus indicabatur, qui honos ut ab illo distingueretur, quem victoriae invexere, dictus fuit nomen imperatoris tanquam praenomen, quia istud plerumque reliqua omnia Caesarum nomina praecessit. Ejus facti testimonia certissima vel unus suppeditat Dio Cassius, quae propterea lubet integra commemorare. Ac primum in actis anni V. C. 708 haec de Iulio Caesare memoriae prodit [c]): *Sed et* imperatoris *nomen ei decrevit senatus, non tantum pro antiqua consuetudine, qua illud cum alii, tum ipse quoque saepius ex bello reportaverant, neque ea ratione, qua illi, qui summam rei gerendae administrationem, aut aliam quandam potestatem accipiebant, imperatores dicti sunt, sed illud omnino ipsum imperatoris nomen, quod nunc iis, qui imperium obtinent, tribuitur, illi tum primo, ac primum quidem, tanquam nomen quoddam proprium apposuere. — — — Atque inde illud nomen, velut propria summi imperii appellatio, quemadmodum et nomen Caesaris, ad omnes, qui secuti sunt, imperatores dimanavit, non tamen sublata antiqua hujus nominis ratione, sed utraque integra. Itaque iterum imperatoris nomen eis tribuitur, cum victoriam aliquam talem retulere. Imperatoris igitur appellatione, sicut reliquis, omnes imperatores eodem semper modo, et hac quidem primo loco, utuntur. Qui vero in bello rem eo cognomento dignam gessit, is pariter ex antiqua consuetudine imperatoris titulum adsciscit, unde fit, ut quis iterum, tertio, ac toties omnino, quoties id mereatur, imperator cognominetur.* Praeclara in paucis haec est oratio, quia insuper triplicem tituli imperatorii significationem, de qua hactenus egimus, confirmat. Eundem subinde honorem affectavit Augu-

---

a) Dissert. de num. inf. aevi §. 38. b) l. c. c) L. XLIII. §. 44.

stus docente iterum Dione [a]): *Eodem anno* (V. C. 725) *etiam* imperatoris *nomen accepit, non quale propter victoriam tribui more vetusto solebat,* — — — *sed quo summa imperii demonstraretur, quod patri quoque ejus Iulio, et ejus filiis nepotibusque fuerat decretum.* Idem infra de imperatoribus generatim [b]): *Nomen imperatoris non modo qui aliquam victoriam reportarint, sed et ceteri omnes, ad significandam plenam suam, et perfectam potentiam, nunquam non gerunt loco nominis regii et dictatoris, quod utrumque semel e rep. sublatum ut non imponunt sibi, ita ejus vim ac rem ipsam imperatorio titulo confirmant.* Suetonius inter honores nimios a Iulio Caesare receptos numerat etiam *praenomen imperatoris* [c]), nimirum quod summi fastigii insigne fuit, et oppositum titulo imperatoris victoria parto, qui alios titulos sequi solebat. *Praenomen imperatoris* eodem sensu idem memorat quoque in Tiberio [d]), et Claudio [e]).

Ex verbis adeo Dionis plane liquet, eum, qui in postremo hoc sensu dictus fuit imperator, summam in rep. potestatem nactum fuisse. Eam sane ipsa verba, quibus utitur, absque dubio comprobant, quae sunt κρατος, ἀρχη, ἀυτοτελης ἐξȣσια etc. Alibi idem inquit [f]): *omne populi senatusque imperium ad Augustum redivisse, ab eoque tempore perfectam monarchiam* (ἀκριβη μοναρχιαν) *fuisse constitutam.* Et paullo infra: *cum tamen ad imperatores summa nunc reip. referatur, fieri non potest, quin sub regno Romani sint,* ȣκ ἐςιν ὁπως ȣ βασιλευονται. Eandem summam, arbitrariamque potestatem, quam imperatoris nomen invexit, confirmat quoque vocabulum ἀυτοκρατωρ, quo Graecis imperatorem significare inde a principio placuit. Ejus naturam ac sensum erudite plane explicavit vir summus Spanhemius [g]). Nimirum jam antiquitus a Graecis dicti ςρατηγοι ἀυτοκρατορες, vel ἀυτοκρατορες πολεμȣ ii, quibus libere permissum fuit facere ea, quae e republica fore judicarent. Contra fuere vel reges, qui ἀυτοκρατορες dici non poterant, ut reges Spartae, de quibus Dionysius Halicarnassensis [h]) ȣ̓δε γαρ ὁι Λακεδαιμονιων βασιλεις ἀυτοκρατορες ἠσαν ὁ τι βȣλοιντο πραττειν, ἀλλ' ἡ γερȣσια παν εἰχε των κοινων το κρατος, *neque enim Lacedaemoniorum regibus permissum fuit, ut quidquid vellent, facerent, sed penes senatum erat tota publicae administrationis potestas,* aut reges illi, qui precarium a Romanis regnum obtinuere, quos Iosephus τȣς ὑπο Ῥωμαιοις appellat, et idonee Tacitus *inservientes* [i]). Quare existimat Spanhemius, Tryphonem Syriae regem in nummis ἀυτοκρατορος sibi titulum addidisse, ut merum et absolutum imperium, non precarium regnum argueret. Lege ibi plura alia praeclara [k]). Atque hac plenae potestatis fiducia factum, ut imperatores passim a Graecis dicerentur βασιλεις, quin et serius a Romanis ipsis *domini*, ac δεσποται, de quibus nomini-

---

a) L. LII. §. 41. b) L. LIII. §. 17. c) in Caes. c. 76. d) Cap. 26. e) Cap. 12. f) L. LIII. §. 17. g) Tom. I. pag. 443. h) Ant. Rom. L. II. pag. 87. i) Hist. L. II. c. 81. k) l. c.

bus agemus serius. Cum olim videret senatus, incidere posse tempora, quibus consularis potestas ad praesentia pericula sufficere non videretur, decrevit, cum res postularet, alium magistratum creare, quem dictatorem appellare placuit, penes quem belli pacisque et omnium aliarum rerum plena potestas esset, et a quo consiliorum factorumque rationem reposcere non liceret, *ἑτεραν τινα ἀρχην ἀποδειξαι πολεμȣ τε και ἐιρηνης, και παντος ἀλλȣ πραγματος κυριαν, ἀυτοκρατορα και ἀνυπευθυνον, ὡν ἀν βȣληται και πραξῃ*, ut ait Dionysius Halic. [a]). Atqui supra ex Dione vidimus, etsi sublato e rep. regis ac dictatoris nomine, tamen utriusque potentiam in imperatoris titulo includi. Ergo si Caesares causa collati honoris imperatorii belli pacisque, omniumque rerum fuere arbitri, si quacunque in re judicio non fuere obnoxii, manifestum utique est, cum is titulus accessit, principibus una merum absolutumque imperium, ut ait Spanhemius, accessisse.

Haec utut plana sunt ac evidentia, et a viris coaevis gravissimisque comprobata, fuere tamen, qui de jure imperatorio subtilius, ac speciosius, quam verius, solidiusque, saltem ut mihi videatur, disputavere. Ante annos non multos Bleterius Gallus, vir eruditus, tractatum bene longum conscripsit, in quo repudiata eorum sententia, qui politicum sub imperatoribus regimen monarchicum credidere, comprobare nititur, non fuisse illud nisi aristocraticum, cujus supremus praefectus aliud non fuerit, quam inter magistratus alios primus, qui ope munerum diversissimorum sibi subjectorum ad opprimendum populum satis fuit validus, obnoxius tamen judicio populi, quando huic vires praesto fuere, quibus jus suum tueretur [b]). At vero si hac lege imperatum fuit Romae, me judice praestabat dicere, jus fortioris supremam fuisse imperandi legem, atque eodem pacto probare poterat, regimen in Gallia sua non fuisse monarchicum, quia nuper populus revocatis suis, ut ajebat, juribus populare regimen invexit. Quaecunque fuit causa, cur imperatorum potestas praevaleret, seu jure istud factum, seu usurpatione, et ingratiis, certum est, ab iis libere, etsi a Iulio Caesare, Augusto, Tiberio cautius, fuisse imperatum, et ab eorum indole ac ingenio pependisse, utrum mallent ad arbitrium saevire, quam patrum conscriptorum sententias aliquo habendas loco putare. Quis negaverit, ea in regione perfectam existimandam monarchiam, in qua unus idemque vir, quocunque eminentiae sibi decretae nomine, legum sive antiquandarum, sive rogandarum perferendarumque, regendi aerarii, ducendi exercitus, belli pacisque, et sanciendorum foederum habet potestatem, quam quidem summam fuisse penes imperatores Romanos quis ausit ire infitias? Negari nequit, fuisse honores quosdam ac titulos, qui ut rati vulgo haberentur, ex vetere more senatus consulto fuerant decernendi, cujus generis fuere consecrationes principum. At non deerant Augusti, qui et has negabant a sua conferendi potestate esse alienas.

---

a) L. V. pag. 333. b) B. L. Mem. Tom. XXVII. pag. 438.

En tibi verba Macrini sic ad senatum scribentis [a]): *Antonino autem divinos honores et miles decrevit, et nos decrevimus, et vos, P. C. ut decernatis, cum possimus imperatorio jure praecipere, tamen rogamus.* Sic et Elagabalus auctoritate propria se imperatorem, Caesarem, Pium, Felicem, Augustum, trib. potestatis dixit, et quidem, ut addit Dio, qui haec narrat [b]), *occupans nomina, antequam sibi decernerentur.* Ex quo patet, non alia sub imperatoribus conditione fuisse senatum Romanum, quam qua paucis adhuc abhinc annis Lutetiae fuit nobilis illa curia, cui *Parlamenti* nomen erat, quod cum maxime ad se pertinere crederet, edicta regia arbitratu suo aut adprobare, aut in iisdem adprobandis nectere moram, tergiversarique, nihil tamen plerumque fastidio suo abstulit praeter tristem optionem, utrum malit leges principis referre in tabulas, an exulare.

Sed et argutiis multo subtilioribus fuit a viris praestantissimis pugnatum, quas sive comprobare, sive refellere partim taedet, partim tanti non existimo, praecipue cum id genus disputationes a causis numismaticis esse alieniores videantur, contentus eas strictim proposuisse, quarum judicium laxius expositum dabit cl. abbas Mazzolenus in sua *de imperatore animadversione.* Ejus generis fuit sententia Norisii Pagiique, qui sanxere, praenomen imperatoris in Iulio Caesare fuisse puri puti honoris, nullam autem majorem potentiam addidisse. At Harduinus, ut omnes novimus, auctor opinionum insolentium, cuique ἄσπονδον cum sensu communi bellum fuit, vocabula *imperator*, *princeps*, *Augustus* distinguenda acute censuit, praetexens, imperatorem esse in exercitu, principem in urbe, Augustum in provinciis. Praeterea aliud exstitisse Graecum ἀυτοκράτορος, aliud Latinum imperatoris nomen, et similia. Et tamen repertus est vir insignis patientiae, Spanhemius, qui has ingenii technas tanti putavit, ut prolixe refutaret [c]). Ex mente Mazzoleni nomen imperatoris ob victorias causa et occasio fuit nominis imperatoris ob imperium [d]). Argumentis utitur commodis sane, quae infra aliquanto accuratius in examen vocabimus.

* * *

Hactenus triplicem tituli imperatorii significationem ac naturam exposuimus. Restat, ut, quo modo iis principes, ac praecipue in moneta usi fuerint, explicemus. In hac memoratur titulus imperatoris tanquam *praenomen*, et alter *ex victoriis* partus. Varios hos modos in certa capita dividemus.

§. I.

In nonnullorum Augustorum numis imperatoris praenomen postponitur.

Diximus supra, titulum imperatoris, cum praenominis instar positus fuit, summum per orbem R. significasse imperium, atque hac de causa Suetonius, cum fastigium istud indicare voluit, di-

a) Capitolin. in Macrino c. 6. b) L. LXXIX. §. 2. c) Tom. II. pag. 393 et 403.
d) l. c. pag. 18. seq.

xit *praenomen imperatoris*, atque in eandem sententiam dixit Dio [a]): *Imperatoris igitur appellatione, sicut reliquis, omnes imperatores eodem semper modo, et hac quidem primo loco* (και πρωτῃ γε) *utuntur.* Vnde obvium legere: IMP. CAES. VESPASIAN. — IMP. NERVA. CAES. etc. In denariis gentis Pinariae legitur: IMP. CAESARI., SCARPVS. IMP., in alio το IMP. praenomen est Octaviano decretum, in Scarpo cognomen ex victoria. Verum istud videmus non constanter fuisse observatum. Nullum reperio numum Iulii Caesaris, cui tamen primo praenomen imperatoris delatum fuit, in quo το IMP. nomen Caesaris praecederet, non sequeretur, saltem sic, ut lectio non sit ambigua. Ipsum istud nomen postponitur in binis numis Caligulae, quos in ejus moneta ad V. C. 790 dedimus, etsi hic in aliis omnibus suis numis hanc summae potestatis notam constanter omiserit. Praenomine IMP. instar cognominis deinceps usi quoque sunt Claudius ac Nero, ut: TI. CLAVDIVS. CAESAR. AVG. P. M. TR. P. IMP. vel NERO. CAESAR. AVG. IMP., rarius IMP. NERO. CAESAR etc. promiscue item Galba scripto jam IMP. SER. GALBA, jam SER. GALBA. IMP. At in moneta Vitellii constanter postponitur, ut: A. VITELLIVS. GERMANICVS. IMP.

§. II.

Aliqui Augusti praenomen imperatoris recusarunt.

De Tiberio istud diserte docent Suetonius et Dio, atque iterum de Claudio Suetonius, quae testimonia in singulorum moneta recitavi. Quod auctores hi edixere, confirmatur numis, qui in his binis praenomine IMP. constanter abstinent, etsi illud nonnunquam addant numi in provinciis signati, sed quorum testimonia, cum sola sunt, non facile sunt audienda. Multos Augustos saepe in numis suis omisisse hunc titulum, etsi illum non recusavere, copiosis exemplis constat, praecipue ex numis declinantis imperii.

§. III.

Postpositum IMP. in nonnullorum Augustorum numis una ad summum imperium, una ad victorias refertur.

Obvium est legere in numis Neronis v. g. NERO. CAESAR. AVG. IMP. et in aversa PONTIF. MAX. TR. P. VI. P. P. Atqui Neronem in trib. potestate VI. jam fuisse IMP. III., ex marmoribus certum. Ergo nomen IMP. utrumque honorem haud dubie indicat. Certius istud colligitur ex numis Claudii; nam in horum aliis legitur v. g. TR. P. X. IMP. P. P., in aliis: TR. P. X. P. P. IMP. XVIII. Vnde discimus praeterea, victoriarum numerum nonnunquam suppressum fuisse, quod in Neronis numis perpetuum fuit, ad haec utrumque titulum aliquid habuisse communionis, et confirmari indicatam supra sententiam Mazzoleni existimantis, nomen imperatoris ob victorias causam et occasionem fuisse nominis imperatoris propter imperium.

---

a) L. XLIII. §. 44.

§. IV.

Posito in numis IMP. praenomine omissum saepe IMP. ex victoriis, et vicissim.

Exempla prioris modi sunt: IMP. NERO. CAESAR. AVG. P. P. et in aversa IVPPITER. CVSTOS. — IMP. CAESAR. VESPASIANVS. AVG. et in Ӿ COS. VI. — IMP. M. AVREL. ANTONINVS. AVG., et in Ӿ PROVID. DEOR. TR. P. XVIII. COS. III. et sic passim. Contra in aliis: NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GER. P. M. TR. P. IMP. P. P. — CAESAR. VESPASIANVS. AVG. et in Ӿ IMP. XIII. — M. ANTONINVS. AVG. IMP. II. vel in aliis: M. ANTONINVS. AVG. ARMENIACVS, et in Ӿ ARMEN. P. M. TR. P. XVIII. IMP. II. COS. III. Hujus iterum modi copiosa sunt exempla. Dixi, hunc morem *saepe* servatum, nam in variorum Augustorum moneta non raro unus idemque numus utrumque titulum palam sociat, ut: IMP. TITVS. CAES. VESPASIAN. AVG. et in Ӿ IMP. XV. — IMP. CAES. DOMIT. AVG. etc. et in Ӿ IMP. XIV. etc. — IMP. NERVA. CAES. AVG. etc. et in Ӿ IMP. II. etc. — IMP. CAES. NERVA. TRAIAN. etc. et in Ӿ IMP. IIII. etc. Inde a Trajano usus obtinuit, ut utriusque generis IMP. in eodem numo nonnisi rarissime copularetur, et cum primum imperatoris ex victoriis titulus coepit multiplicari scripto v. g. IMP. II., deinceps IMP. praenomen exularet. Quare a communi lege discedunt aliquot numi Commodi inscripti: IMP. COMMODVS. AVG. PIVS. FELIX, et in Ӿ P. M. TR. P. XV. IMP. VIII. etc. Singularis est numus integerrimus musei Caesarei aeneus II. formae, in cujus antica imperatoris nomen bis ponitur, sic: IMP. NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GERM. IM. TR. P. XIII. P. P., cui jungendus alter Vespasiani apud Pellerinium [a]): IMP. CAESAR. VESPASIAN. IMP. TR. POT. P. P. COS. III.

§. V.

Praenomen IMP. datum principibus computatum fuit pro victoria prima.

Cum observarent nonnulli eruditi, numerum victoriarum titulo IMP. additum nonnunquam unitate videri excedere, varias commenti sunt interpretationes, sed parum solidas, quas videre potes apud cl. Mazzolenum [b]). Aliam continuo eruditus hic vir ingressus est viam, qua dubium istud expediret, quam paucis commonstrabo. Ait, prius exstitisse nomen imperatoris ob victorias, quam idem nomen ob imperium, partumque demum fuisse victoriis imperium ipsum. Neque enim aliter Iulium Caesarem, deinde Augustum rerum summa potitos. Adfert deinde locum Dionis [c]), quem altius totum recitavimus, quique unus solvendo huic dubio videatur sufficere. Verba, quae huc pertinent, sunt: *atque inde illud nomen* (sc. IMP. praenomen) *velut propria summi imperii appellatio, quemadmodum et*

a) Mel. I. p. 200. b) Animadv. I. p. 17. c) L. XLIII. §. 44.

nomen Caesaris, ad omnes, qui secuti sunt, imperatores dimanavit, non tamen sublata antiqua hujus nominis ratione, sed utraque integra (sc. IMP. ob victorias.) *Itaque ITERVM IMPERATORIS nomen eis tribuitur, cum victoriam aliquam talem retulere.* Quibus verbis, inquit, aperte doceri, principes R. ita nomen imperatoris accepisse, ut non solum imperium inde haberent, verum etiam ejusdem nominis propter victorias iterandi principium inde sumerent. Nimirum cum quis dictus est imperator ob imperium, istud sic fuisse intellectum, tanquam illud victoria esset consecutus, ex prima deinde victoria dictum IMP. II., ex secunda IMP. III. et sic deinceps. Ergo nomen imperatoris ob victorias causam, et occasionem fuisse nominis imperatoris ob imperium, ac praeterea, quotiescunque occurrit aliquis numerus titulo imperatoris additus, non tot victorias, quot sunt numeri, intelligendas esse, sed una minus, quippe in eum numerum venire etiam nomen imperatoris, quod imperium significat. Ejus vero causam esse, quia non quidem victoriae iis numeris proprie signantur, sed quoties aliquis dictus est imperator. Iam vero acclamationes militum imperatorias fuisse repetitiones acclamationum, quae in deferendo primum alicui imperio editae fuerant, atque adeo singulas quasque hujus generis acclamationes nihil aliud fuisse, quam confirmationem ipsius imperii, quod si confirmabatur, jam altera vice fuisse delatum.

Hanc viri praestantis sententiam valde esse probabilem, et cum numis ipsis conspirantem, lubenter permitto, neque ab ea recedendum existimo propter nonnulla exempla contrarium docentia, quae ipse sibi objicit, v. g. Tiberii, qui cum jam ante imperium diceretur IMP. VII., pluribus adhuc post aditum imperium annis dici perrexit IMP. VII., cum tamen in hac sententia tempore accepti principatus dicendus fuisset IMP. VIII. Verum istud viri eruditi sententiam non labefactat. Etenim scrupulum illi injecit numus Mediobarbi, in quo Tiberius, cum esset trib. potestatis XIII., dicitur IMPERAT. VII. triennio adeo ante Augusti obitum. Sed enim hujus praeconium numi, quem Mediobarbus tam perfunctorie citat, ut ne quidem, quo is sit typo, adjiceret, quemque ignorant Morellius, aliaque illustria musea, audiendum non puto, atque etiam ut genuinum demus numum, satis constat, Tiberium nullam tituli imperatoris tanquam praenominis rationem habuisse. Alterum exemplum, quod de Gal. Maximiano objicit, tanto securius potest negligi, quanto tum liberius superiorum imperiorum instituta, ac praecipue dignitatum, titulorumque significatio, quod aliunde cognitum, aliam faciem accepere. Denique in hac causa istud tantum quaerimus, quid placuerit principibus, qui ante ipsum imperii aditum nondum imperatoris ex victoriis titulo fuere insignes. Gravius laborasset Mazzolenus, si ad Severi numos animum reflexisset, aut, ut concinnius loquar, si non unum Mediobarbi catalogum saepe fallacem mancumque, quod commune hactenus criticorum fuisse malum comperi, sed ipsa numorum oracula in consilium vocasset. Legitur in aliis Severi numis: IMP.

CAE. L. SEP. SEV. PERT. AVG. COS. I., in aliis: L. SEPT. SEV. PERT. AVG. IMP. I. Posterior hic modus Mediobarbo plane fuit ignotus, etsi numi sic inscripti non sint valde rari. Satis apparet, το IMP. numi I. esse instar praenominis, at non minus certum est, το IMP. numi II., quia postponitur, et additum numerum habet, ad victoriam referendum. Ergo si IMP. praenomen jam quodam modo significasset victoriam primam, sequeretur, post eam relatam non jam scribendum fuisse IMP. I., sed IMP. II. At vero jam Severi aetate veterem morem paullatim coepisse luxari, aliis exemplis sumus edocti, quo modo et primus fuit Severus, cujus consulatus I. in numis notatur scribendo COS. I., cum is hactenus solo COS. satis videretur indicatus.

Denique Mazzolenus judicium suum argumento alio, eoque admodum idoneo confirmat. Ait [a]), praenomen imperatoris rem militarem praecipue respexisse; nam reliqua potestas, qua potiebantur Augusti, ab aliis titulis processerat, puta: pontificis maximi, consulis, proconsulis, trib. potestatis etc.; atque opportune vocem Tiberii advocat, dejerantis, esse se dominum servorum, imperatorem militum, principem ceterorum, ut legitur apud Dionem [b]). Ex quo verisimile plane est, jam ipsum ad imperium aditum vel causa nominis fuisse quoddam victoriarum omen, et victoriae saltem honorem invexisse. Vnde rursum confirmatur, quod supra innui, magnam inter utrumque titulum fuisse adfinitatem, etsi uterque effectu differret, cum alter tantum honorem conferret, alter etiam summam potestatem.

§. VI.

De numis M. Antonii, et Octaviani IIIvirorum cum praenomine imperatoris.

Ex hactenus dictis perspeximus, praenomen imperatoris iis tantum fuisse delatum, quos senatus R. summae rei plena cum potestate praeesse voluit. At tales non fuere in IIIviratu suo Octavianus, et Antonius. Constat, Octaviano nonnisi anno V. C. 725 decretum fuisse praenomen imperatoris, et tamen illud jam sistunt ejus numi per praecedens decennium signati. Quo illud jure usurpare potuerit, vide, ne olim dicta recoquam, quae ad numos ejusdem anni 725 observavi. Major difficultas est in explicando numo Antonii, in cujus una parte is dicitur IMP. ANT. AVGVR. IIIVIR. R. P. C., in altera IMP. TER. Vide iterum, quae de hoc prodigio monui in ejusdem IIIviri moneta sub titulo imperatoris.

§. VII.

De imperiis designatis, et anticipatis.

Horum numi complura suppeditant exempla; nimirum cum princeps filium seu naturalem, seu adoptivum in imperii societatem vocavit communicatis cum

---

a) l. c. pag. 25. b) L. LVII. §. 8.

eo plerisque juribus suis, dempto Augusti titulo, pontificatu maximo, aliisque nonnullis. Quoniam modum, quo istud imperii consortium constitutum fuit, jam in singulis, quibus haec fortuna contigit, commemoravi, et ex numis, scriptoribusque stabilivi, necesse non est, alibi dicta hoc loco restituere, et satis fuerit, eos in unum conferre, qui, antequam Augusti essent, et dicerentur, imperatoris, tanquam imperii conlegae, titulo fuerunt decorati. Horum primus fuit:

TITVS Vespasiani F. Is tertio imperantis patris anno dictus est DESIG*natus* IMP*erator*, nempe V. C. 824, et eodem adhuc anno imperium adeptus dici deinceps coepit T. IMP. CAESAR, et T. CAES. IMP., qui modus duravit, donec mortuo patre succederet epigraphe: IMP. TITVS. CAES. VESPASIAN. AVG. etc. Vide haec omnia late discussa in ejus principis numis sub titulo *Imperator.*

TRAIANVS dictus imperator a Nerva testibus scriptoribus, ut dictum in ejus moneta, sed deficiunt testes numi.

ANTONINVS. PIVS. Vivo adhuc Hadriano dicitur in numis: IMP. T. AEL. CAES. ANTONINVS.

COMMODVS. Antequam a patre Augusti titulum abstulisset, dicitur in numis: IMP. CAES. L. AVREL. COMMODVS. GERM. SARM. Reliqua vide in ejus numis.

CARACALLA. In ejus numis, qui sunt V. C. 950, epigraphe aversae est: DESTINATO. IMPERAT*ori.*

SALONINVS. Leguntur ejus tituli: IMP. C. L. VALERIANVS. NOB. CAES. Vide ejus numos.

CARINVS et NVMERIANVS. Horum in numis epigraphe obvia: IMP. C. M. AVR. CARINVS. (vel NVMERIANVS.) NOB. C.

IVLIANVS. Ejus in numis epigraphe non infrequens: IMP. IVLIANVS. NOB. CAES.

Enarravi principes, ut opinor, omnes, qui, cum nonnisi Caesares essent, quia tamen in imperii quoddam consortium sunt vocati, imperatores etiam fuere appellati. Teste Vopisco Carus in Orientem profectus Carinum in Occidente reliquit, quem interim regeret *imperio Caesariano, ea lege, ut omnia faceret, quae Augusti faciunt.*

CAPVT IV.

DE NOMINE AVGVSTI.

In hujus explicatione honoris non diu morabor, quia cognitam habet originem,

et causam, in ejusque usu nunquam magnopere fuit variatum, si infimi aevi legem demas. Copiosius de eo scripsere Spanhemius [a]), abbas Mazzolenus [b]), et eruditus *de la Blétérie* Gallus [c]).

Ad ejus intelligendam originem locum insignem, ut fere semper alias in Romana imperatorum historia, dedit Dio Cassius [d]), quem adeo integrum huc transfero. *Posteaquam vero ea*, inquit agens de Caesare Octaviano, *quae pollicitus est*, *reipsa perfecit*, *AVGVSTI nomen* (το τȣ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ὀνομα) *ex senatus populique sententia sumpsit. Etenim cum statuissent peculiari eum quodam cognomento insignire*, *ac alii alia referrent ac probarent*, *Caesar*, *quamvis Romuli nomen vehementer appetebat*, *tamen cum sentiret hinc se suspectum adfectati regni fieri*, *eo omisso AVGVSTVS*, *tanquam humanam ipse naturam excederet*, *vocatus est. Omnia enim*, *quae honore dignissima*, *et sanctissima sunt*, *AVGVSTA dicuntur*, *ideoque* ΣΕΒΑΣΤΟΝ *Graeci Augustum sunt interpretati*, *quasi venerandum dicas.* Cujus postrema pars sic Graece proditur: ἀλλα ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ, ὡς και πλειον τι ἠ κατα ἀνθρωπȣς ὠν, ἐπεκληθη. παντα γαρ τα ἐντιμοτατα και τα ἱερωτατα, ΑΥΓΟΥΣΤΑ προσαγορευεται. ἐξ ȣπερ και σεβαςον ἀυτον και ἑλληνιζοντες πως, ὡσπερ τινα σεπτον, ἀπο τȣ σεβαζεσθαι, προσειπον. Idem factum his verbis narrat Suetonius [e]): *Postea C. Caesaris*, *deinde AVGVSTI cognomen adsumpsit*, *alterum testamento majoris avunculi*, *alterum Munatii Planci sententia*, *cum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere*, *quasi et ipsum conditorem urbis*, *praevaluisset*, *ut AVGVSTVS potius vocaretur*, *non tantum novo*, *sed etiam ampliore cognomine*, *quod loca quoque religiosa*, *et in quibus augurato quid consecratur*, *augusta dicantur*, *ab auctu*, *vel ab avium gestu gustuve*, *sicut etiam Ennius docet scribens:*

Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.

Paucis Velleius [f]): *a Parthorum rege signa Romana Augusto remissa sunt*, *quod cognomen illi viro Planci sententia consensus universi senatus populique R. indidit.* Denique Censorinus [g]): *ex ante diem XVI. Kal. Febr. imperator Caesar D. F. sententia L. Munatii Planci a senatu ceterisque civibus Augustus appellatus est se VII. et M. Vipsanio Agrippa III. cos.* Habes ex his testimoniis originem et causam tituli Augustei. Annus, quo is decretus est, fuit V. C. 727, etsi controversia est de die, ut diximus in numis Augusti ad hunc annum. Ex iisdem auctoribus explicationem quoque vocabuli seu Latini *Augustus*, seu Graeci σεβαςος habemus, quibus adde Ovidium [h]):

Sancta vocant augusta patres, augusta vocantur
Templa, sacerdotum rite dicata manu.

tum et Pompejum Festum [i]). Pausanias [k]): το τε ὀνομα εἰναι τȣτο ΑΥΓΟΥ-

---

a) Tom. II. pag. 371. b) Animadvers. IV. c) B. L. Tom. XIX. pag. 432. d) L. LIII. §. 16. e) in Aug. c. VIII. f) L. II. c. 91. g) de die nat. c. 21. h) Fast. I. v. 609. i) in Augustus locus. k) L. III. c. 11.

ΣΤΟΣ, ὁ κατα γλωτταν δυναται την Ελληνων ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Nomen vero illi fuit AVGVSTI, quod in Graecorum lingua idem est, ac VENERABILIS.* Serius ab alio etymo, sed prave, duci creditum Augusti nomen, nimirum ab *augendo.* Dixit Isidorus Hispalensis [a]): *Augustus ideo apud Romanos nomen imperii est, eo quod olim augerent remp. amplificando.* Vnde haud dubie enatus titulus *semper Augusti*, de quo infra.

Ad ejus naturam tituli quod attinet, satis ex adductis testimoniis apparet, eum tum delatum Octaviano non alia ratione, quam qua olim Manlio datum est nomen Torquati, Cn. Pompejo Magni, Metello Pii, aliis alia, nimirum illustrium causa meritorum. Ergo ut horum posteri iisdem his nominibus jure hereditario usi sunt, sic et Octaviani generi in Augusti nomen jus fuit acquisitum. Iure ergo non Tiberius modo post patris Augusti excessum Augusti nomen sibi proprium fecit, sed et hujus conjux Livia testamento mariti adoptata in nomina Iuliae et Augustae successit, jure etiam Cajus, dictus Caligula, quippe Tiberii per adoptionem nepos. Quae quidem causa fuit, cur non dubitaverit Suetonius, Augusti titulum vocare *hereditarium* [b]). Non multo post nomen istud nullo hereditatis jure cum aliis fuit communicatum, ejusque primus Caligula exemplum edidit, cum aviam Antoniam, quae neque sanguine, neque adoptione cum domo Caesarea conjuncta fuit, Augustam dixit, atque etsi nihilo plus juris esset Claudio, tamen is caeso Caligula ad imperium evectus non in Caesaris modo, sed et Augusti nomen involavit, de quo vide plura infra in titulo Caesaris, quod deinde exemplum ad omnes, qui successere, valuit; nam non modo omnes una cum imperio illud sibi adscivere, uno aliquamdiu Vitellio repugnante, sed et illo uxores suas ornavere, primo Claudio hunc honorem in Messallinam suam conferente, ut dictum in hujus numis. Res multo magis insolens Augustae titulus delatus Domitillae Vespasiani uxori, etsi mortua jam fuit, antequam maritus imperium adeptus est, sive marito Vespasiano, sive filio Tito honorem tribuente, ne imperantis vel uxor, vel mater inter privatos manes cogeretur aevum degere. Mutata igitur nominis Augusti jam sub Caligula natura recte dixit Alexander Severus apud Lampridium: *Augustus primus, primus est auctor imperii, et in ejus nomen omnes VELVT quadam adoptione, aut jure hereditario succedimus.*

Altera tituli Augustei natura fuit, quod summum quidem splendorem, nullam tamen potestatem invexit. Diserte istud iterum explicat Dio [c]): ἡ γαρ δη τȣ Καισαρος, ἡ τε τȣ Αυγȣςȣ προσρησις δυναμιν μεν ȣδεμιαν αυτοις οικειαν προςιθησι, δηλοι δ' αλλως το μεν, την τȣ γενȣς σφων διαδοχην, το δε, την τȣ αξιωματος λαμπροτητα. *nam Caesaris et Augusti vocabula nihil eis quidem potentiae adjiciunt peculiaris, sed illud successionem stirpis, hoc splendorem dignitatis significat.* Causa est, quia omnem iis potestatem addidere tot collecta, et in unos derivata munera, scilicet imperatoris, tribuniciae et pro-

a) L. IX. §. de Regnis. b) in Tib. c. 26. c) L. LIII. §. 18.

consularis potestatis, pontificatus maximi etc. supremum vero Augusti nomen indicavit, collectam hanc potentiam uno capite contineri. Quo factum, ut, si communem opinionem, et ipsam imperii majestatem spectes, nomine Augusti orbis terrarum nihil haberet illustrius, magnificentiusque, atque nonnisi hoc delato summum denique fastigium intelligeretur. Fuere principes, qui filiis suis, ceu Vespasianus Tito, Hadrianus Antonino, nomen Caesaris, quin et imperatoris indulgerent. At tum secundi tantum fastigii putabantur. Quod si principes nomen Augusti detulere alteris, ut M. Aurelius L. Vero fratri, atque idem serius filio Commodo, tum hi primum fastigium credebantur adsecuti, et habiti consortes imperii, et conlegae, et honore paullo fuere inferiores iis, qui detulerunt, atque vel ideo, quia detulerunt. Ceterum Augusti titulum tantum dignitatem absque potestate addidisse, vel inde liquet, quod non adhaesere principes eum conferre in uxores, aliasque feminas cum domo Caesarea conjunctas negatis quibuscunque aliis, qui adjectam habuere potestatem, quia Roma vetus omni aevo mulieres a rebus gerendis est amolita.

Cum inde a principio unus eodem tempore tantum esset Augusti titulo insignis, vidit exiens alterum imperatorum saeculum duos in hoc fastigio collocatos, M. Aurelium, et L. Verum, ac paullo post M. Aurelium cum filio Commodo. Quod exemplum non multo post secutus Severus filium Antoninum, vulgo Caracallam, sibi sociavit, et sub vitae exitum etiam filiorum alterum Getam, sic ut novo more tres tum Augustos haberet imperium. Aucti numeri plura aetas sequior vidit exempla. At quaeritur, quae tum fuerit singulorum major minorve potestas, aut dignitas. Hae pro variis causis variae etiam fuerunt. Is, qui sibi quem collegam adscivit, sive filium, sive fratrem, sive extraneum, haud dubie eminuit dignitate, et plerumque etiam potestate. Patres dubitari nequit utroque praevaluisse, ut Severum prae filiis Caracalla, et Geta. Major etiam honos habitus M. Aurelio, quam hujus per adoptionem fratri L. Vero, quem ille ad imperii consortium vocavit, ac propter eandem causam Diocletianus honoratior Maximiano. Caracalla dignitate praeivit Getam, etsi pari utrumque potestate imperare voluerit pater Severus; illi enim et aetas, et auctiores Augustei tituli anni profuere, ac propterea etiam solus is pontificatu maximo ornatus fuit. Haec omnia cum abessent in Balbino, et Pupieno, nam utrumque senatus propter tempora reip. ad imperium vocavit, parem hic utrique et potestatem, et dignitatem detulit, collato etiam in utrumque, quod antehac nunquam factum, pontificatu maximo, ne auctior unius honos alterius accenderet invidiam. Cum inde a Diocletiano plures eodem tempore essent Augusti, et Caesares, nullo ipsi inter se sanguinis nexu conjuncti, ad haec suis quisque provinciis sic imperaret, ut alter ab altero non penderet, cum non differrent potestate, differebant tamen dignitate, quam contulit longius seu primi, seu secundi fastigii tempus. Honoratior igitur ille Augustus, qui prior hoc nomen occupavit, et sic honoratior etiam Cae-

sar. Ex hac lege Diocletianus apud Eusebium dicitur *πρωτοστατης*, *πρωτος*, *πρεσβυτατος των ἀλλων*, vel *ὁ μεν τιμῃ τε και χρονῳ των πρωτειων ἠξιωμενος*, *qui et honore, et aetate primum locum obtinet.* Ab eodem dicitur Constantinus M. Licinium praeivisse *τιμῃ και ταξει*, *honore, et ordine.* Litigasse etiam inter se ejus causa primatus, multa ejus aevi exempla docent. Cum Maximianum certiorem faceret Constantinus M., se a patris excessu Augustum ab exercitu fuisse appellatum, aegre istud tulit Maximianus, et, ut narrat Lactantius [a]), *illud excogitavit, ut Severum, qui erat aetate maturior, Augustum nuncuparet; Constantinum vero non imperatorem, sicut erat factus, sed Caesarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de secundo loco rejiceret in quartum.* Sed hos de dignitate, et eminentia animorum motus jam enarravimus in ejus aetatis principum numis, et videre potes apud Bimardum de hoc argumento erudite disputantem [b]).

Cum duo una essent Augusti, hi scripto AVGG. indicari sunt soliti, qui mos, saltem in numis, sub Severo coepit, quo Caracallam sibi sociante scribi solitum: ANNONAE. AVGG. — VICT. AVGG. Ergo scriptum AVGGG. trium Augustorum consortium significavit. Observandum tamen, non raro etiam filium Caesarem in consortio cum patre Augusto Augustum fuisse appellatum, v. g. Maximum Caesarem in numo maximae formae: MAXIMINVS. ET. MAXIMVS. AVGVSTI. GERMANICI. Luculentius istud apparet ex marmore Sponii [c]): PRO. SALVTE. IMP. ET. CAESAR. PHILIPPORVM. AVGG. ET. OTACILIAE. SEVERAE. AVG. MATRIS. CAES. ET. CASTROR. Lapis hic positus est V. C. 997, quod patet ex addito *Philippo Aug. et Titiano Cos.*, quo anno Philippus junior certe Augustus nondum fuit, et tamen hoc marmor habet AVGG., nempe per consortium. Vide, quae de hoc more in numis Diadumeniani, Maximi, Tetrici junioris, Carini, aliorumque diximus. Magis miremur, titulum *imperatoris* eodem modo cum uxore Augusta communicatum. Dedit Maffeius marmor Africanum sic inscriptum [d]): SALVIS. DOMINIS. NOSTRIS. CHRISTIANISSIMIS. IMPERATORIBVS. IVSTINO. ET. SOFIA. etc. In inferioris aevi numis saepe legas AVGGGGG., ardua saepe imposita lege, tantum Augustorum numerum colligendi.

Augusti titulo non raro aliud quid conjunctum legitur, ut: PERPETVVS. AVGVSTVS. Ejus epitheti initium nolim cum Spanhemio inde a Trajano repetere laudato ejus numo, in quo is AVG. PERP. dicitur; una enim is numus Mediobarbi fide nititur. *Perpetui* vocabulum, scriptum saepe solis notis PP, imperatoris titulis additum primum reperio in Probo: PERPETVO. IMP. PROBO. AVG. Inde a Constantini M. filiis perfrequens est scriptum in numis PERP. AVG. Elogii hujus origo remotorum est temporum, cum jam in primorum principum numis eorum jac-

a) de mort. persec. c. 25. b) B. L. Tom. XV. pag. 66. seq. c) Misc. pag. 98. d) Mus. Veron. pag. 460. 7.

tetur aeternitas, at PERPETVITATI. AVG. saepius inde ab Alexandro Severo, in cujus numo singulari legitur etiam POTESTAS. PERPETVA.

SEMPER. AVGVSTVS, hodie in imperatorum titulis obvium, in antiquis inscriptionibus non reperit Spanhemius ante Diocletiani tempora [a]). Verum jam tribuitur Claudio Gothico Firmi in arcu triumphali [b]), quin jam Philippo, si fides marmori, quod Gruterus ex Camdeno hausit [c]). Primus est in numis Iulianus dictus Apostata, qui sic compellatur, et post hunc nonnulli alii.

SEN*ior* AVG*ustus*. Sic dicti Diocletianus et Maximianus post abdicatum imperium ex causa in utriusque numis allata. Commodum in numo Corinthi vocatum AVG*ustum* IVN*iorem*, testatur Pagius [d]), nimirum ad discrimen patris M. Aurelii conlegae, et Augusti senioris. Verum, quod meminisse oportet, laudato numo unico, quem hausit ex Mediobarbo.

Leguntur etiam in hujus tituli usu nonnulla absurda, sed tantum in numis, quos Graeci non satis perspecta ejus natura vulgavere, v. c.

ΔΙC. CЄB*αστος*, *Augustus iterum*, vocatur Hadrianus in numo Mesembriae Thraciae, qui servatur in museo Caesareo.

CABЄΙNA. CЄBACTH. ΑΥΓ. evidente tautologia, in numo urbis incertae apud Haymium [e]). Quanquam et in chartula Valentis et Vrsacii synodi Ariminensis legatur: *ἐπι παρȣσιᾳ τȣ δεσποτȣ ἡμων βασιλεως Κωνϛαντιȣ* ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ *τȣ ἀιωνιȣ* ΣΕΒΑΣΤΟΥ, Iustinianus item in marmore Trapezuntio apud Muratorium dicatur AЄI. CЄBACTOC. ΑΥΓΟΥC [f]).

At enim honoratum istud tot saeculis ΣΕΒΑΣΤΟΥ nomen tandem etiam coepit contemni. Sane constat, illud in privatos quoque fuisse collatum, tum et excogitata varia prodigia *ἀπο τȣ σεβαϛȣ* derivata, quae fecundum Alexii Comneni ingenium parturivit. Is enim teste Zonara [g]) fratrem natu majorem Isaacium Comnenum vocavit *Σεβαϛοκρατορα*, quae dignitas Caesariano honore esset excellentior. Ex duobus fratribus junioribus alter Hadrianus dictus est *Πρωτοσεβαϛος*, alter Nicephorus *Σεβαϛος*, et classis Drungarius. Ex adfinibus Michaelem Taronitem placuit vocare *Πανυπερσεβαϛον*, alterum vero Nicephorum Melissenum nonnisi *Καισαρα*. Eadem contractius narrat Michael Glycas in Annalibus sub eodem Alexio, at multo his uberius ejusdem Alexii filia Anna Comnena addita ineptarum harum appellationum causa [h]). Eadem teste Alexius pater Venetiarum ducem ob reportatam mari de Roberto illustrem victoriam *Πρωτȣσεβαϛȣ* dignitate ornavit [i]), et quod amplius est, eadem paullo infra narrat, ab eodem Alexio Apelchasemum Turcum Nicaeae archisatrapam *Σεβαϛοτατον*, *Augustissimum*, fuisse appellatum. *Σεβαϛούπερτατον* nobis conservavit Io. Cinnamus [k]). Adeo jam illustrissima nomina tot sae-

---

a) T. II. p. 384. b) Reines. Inscr. class. III. n. 42. c) Pag. 272. 9. d) Crit. Baron. ad ann. Chr. 176. e) T. II. p. m. 276. f) pag. 467. 7. g) L. XVIII. c. 21. h) in Alexiade L. III. p. 78. edit. Paris. i) l. c. L. VI. p. m. 129. k) Hist. L. II. c. 6.

culis intra Romani imperii fines coercita dissipari turpiter in alienos, quin et barbaros coepere.

CEBACTOC KAI MEΓAC ΔOMECTIKOC dicitur Ioannes VI. Cantacuzenus in numo, quem dedimus altius p. 270.

CAPVT V.

DE CVLTV CAPITIS AVGVSTORVM, CAESARVM, AVGVSTARVM.

Cultus corporis totius, habitusque in Augustis varius fuit, pro variis scilicet ministeriis, quibus fungebantur. Fuere nempe paludati, cum imperatoris ritu, curisque bellicis occupati proponuntur, togati, cum pacis munia obivere, togati velatique, cum pontificis maximi negotia tractaverunt. Post Gallienum, quia rara jam tum ab armis quies fuit, et propter imminentes undique barbaros is optimus princeps habitus, qui armis tractandis praestantissimus, panopliam in numis saepe jactant, nimirum capite sunt galeato, induti thoraca, dextera manus hasta, s. clypeo armata est. In numis praecipue inclinantis imperii non raro trabeam, reliquumque cultum consularem praeferunt, nempe cum processum consularem placuit indicare. Varium hunc cultum, ejusque peristases explicare ad me pertinere non existimo, quia haec omnia minus perspicue ex numis, at luculentius ex statuis possunt colligi, et satis discussa ab iis, qui ex his imperatorum cultum sibi explicandum sumpsere. At quia capitis cultus non aliunde melius, quam ex numis peti potest, in hujus inquirere modos praesentis esse instituti facile agnoscimus.

Corona laurea imperatorum vetustissimus cultus, quia jam a Iulio Caesare adhiberi coepit. Hunc illi honorem publice fuisse decretum, atque insuper multo gratissimum, in ejus moneta diximus, sed ubi advertimus quoque, hanc I. Caesaris lauream, ut ex numis plane apparet, fuisse simplicem, cum tamen ea, qua deinceps Octavianus, et ejus exemplo successores omnes usi sunt, esset innexa diademati, cujus infra occiput nodo colligati partes duae ad humeros defluxere. De nova hac laureae forma latius egi ad numum Octaviani inscriptum PAX Vol. VI. pag. 84. Age jam, inquiramus, fueritne corona laurea summi principatus insigne? Implexa quaestio, quia ejus signi-

ficatio, ut multarum rerum aliarum, pro varia aetate haud dubie diversa fuit. Ea primum I. Caesari, deinde Octaviano decreta in parte tantum fuit honorum, quos adulatio in utrumque ex locuplete suo cornu liberaliter profudit, quin tamen sic collata certam quandam contineret dignitatis, vel eminentiae notionem. Iam vero constat, neque I. Caesarem, neque Octavianum, deinde Augustum, aliis usos honoribus, nisi publice decretis. Quare neque M. Agrippa in numis capite est laureato, quia laurea illi nunquam decreta fuit. Ex eadem causa illa quoque abstinuit Tiberius, nudo semper capite propositus, quamdiu vixit Augustus, atque ipse Caesar tantum fuit. Illo mortuo continuo ea uti coepit, cum patris jura omnia atque honores, tanquam sibi debitos, capesseret. Eodem modo Nero nondum Augustus lauream procul habuit. Ex quo colligi posset, nonnisi Augustorum eam jure fuisse gestamen, nisi huic legi obsisterent Drusus senior, deinde Titus, ac Domitianus. Atqui Drusus hic ne Caesar quidem fuit, et tamen laureatum plerumque in numis caput habet, et licet constet, numos ejus omnes nonnisi post illius excessum fuisse signatos, tamen laurea illi dari non potuisset, si principatus illa indicium fuisset. Cui adde L. Vitellium Auli Aug. patrem, qui, cum privatus mortuus esset, tamen in numis a filio signatis laureato capite est. Nolim morosior esse in Tito, qui et Caesar fuit, et trib. potestate donatus, et a patre in imperii conlegium adscitus; verum quod quaeso Domitiano tantum Caesari, hisque omnibus titulis carenti in lauream jus? Quibus ex causis evidens est lauream tum adhuc supremum fastigium non significasse. Quid igitur? an arbitrarium fuit signum? Nequaquam istud. Nam video, laureae honorem potuisse conferri propter res in bello praeclare gestas, cujus illa laudis insigne semper fuit. Nimirum Victoria illam manu semper praefert, laureatae literae victoriam semper nunciavere. Iam vero compertum, Druso propter probatam bello virtutem non modo datum imperatoris nomen, sed etiam statuas, et arcum triumphalem. L. Vitellium, quod Artabanum Parthum ad obsequium revocavit, laudem non vulgarem adeptum constat. Titi laudes armis partas, et delatos propterea honores quis ignorat? Difficilius est his sociare Domitianum. Tamen verisimile est, indulgentia Vespasiani et Titi, cum hi triumphum Iudaicum agerent, aliqua etiam virtutis bellicae ornamenta cum Domitiano fuisse communicata. Sane constat, hunc quoque ei triumpho interfuisse equo vectum, et in ejus ipsius anni numis, nempe V. C. 824, proponi paludatum, et sinistra parazonium tenentem, ac nonnisi ab eo tempore, cum antea capite semper nudo esset, laurea redimitum effingi.

Deinceps in legem abivisse, ut nemo, nisi Augustus, laurea praecingeretur, numi luculente docent. In uno Commodo observo decus istud fuisse maturatum, sed tum tantum, quando, necdum quidem accepto Augusti titulo, a patre, ut quondam Titus, in imperii societatem vocatus est. Ergo ab eo tempore Caesares omnes in moneta saltem

Romana nudo capite fuere propositi, permissa tamen serius corona radiata, nunquam laurea. Sed et laurea aliorsum summi fastigii insigne fuit habitum. Narrante Herodiano [a]) intranti Carthaginem Gordiano, quem proconsulem suum Africani odio Maximini Augustum dixere, *ἅιτε ῥαβδοι ἐδαφνηφορȣν, ὁπερ ἐςι συμβολον ἐις το διαγνωναι τας βασιλικας ἀπο των ἰδιοτικων*, *fasces laureati praegestati fuere, quod insigne fasces regios a privatis discernit.* Inde a Diocletiano conlegae Caesares omnes contra morem ex longo receptum, lauream induerunt, ut Constantius Chlorus, Gal. Maximianus, Maximinus, Fl. Severus, Constantinus M. In causa fuerit, quod suas quisque provincias plena fere cum potestate rexit. Horum deinde exemplum secuti sunt Caesares Crispus, Delmatius et Constantini M. filii. At Hanniballianus rex, Decentius, Constantius Gallus, Iulianus Caesares, quia despectiores, nudo sunt capite. Post Constantini M. filios laurea negligi coepta, potiorque fuit diadematis usus, de quo mox.

Coronam radiatam invexit Nero, de cujus significatione uberius egi in hujus Augusti moneta, et conferri possunt ea, quae de nimbo, alio capitis imperatorii ornamento in Tractatu de numis inferioris aevi docebimus. Eam deinde recepit Vespasianus. Verum longo tempore non occupavit nisi aeneos, eosque tantum II. formae. Sub Caracalla demum argenteos invasit, sed eos tantum, quos novo exemplo majore volumine feriri jussit, quod deinde institutum a proximis successoribus fuit retentum. Serius ejus usus varius fuit, ac perturbatus, quem curatius enucleare operae pretium non puto, et cum necesse est, potes ab ipsis imperatorum numis petere. Cum iis, qui Caesares tantum fuere, diu negata esset laurea, tamen inde a Diadumeniano corona radiata coepit indulgeri. Contra Domitiano adhuc Caesari numi largiuntur coronam lauream, radiatam nunquam, etsi Titus frater, et adhuc Caesar, utramque promiscue gestet. Coronam radiatam fuisse serius laurea viliorem, argumentum certum est numus argenteus, qui exhibet capita Balbini et Pupieni Augg., et Gordiani Caesaris, laureatis illis, hoc radiato. Fuisse coronam radiatam etiam signum consecrationis, dicetur in tractatu de numis consecrationum.

Diadema, capitis ornamentum antiquae prosapiae. Mitto fabulosa, ejus inventorem fuisse Bacchum [b]). Istud certum, eo velut principe signo reges fuisse discretos, a quo tempore, varie disputatur, qua de controversia nonnulla attigi in numis Gelonis I. et Hieronis I. Siciliae regum, et Archelai I. Macedoniae regis. Quare non mirum, in populo libero, qualis fuit Romanus inde a pulsis regibus, communi illud odio flagrasse, quo de argumento plura notavi in numis Augusti ad annum V. C. 726. Tamen illud imponere sibi gestivere stolidi quidam imperatores, etsi perficere non auderent. Teste Suetonio [c])

---

a) L. VII. c. 6. b) Plin. L. VII. §. 57. Diodor. Sic. Bibl. L. IV. c) in Calig. p. 22.

in eo erat Caligula, ut istud tentaret, sed cohibuit animum. De Elagabalo Lampridius [a]): *Voluit uti et diademate gemmato, quia pulchrior fieret, et magis ad feminarum vultum aptus, quo et usus est domi.* Hactenus novus hic cultus intra cupiditatem constitit. At diserte de Aureliano Victor Schotti: *Iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit.* Verum numi istud non confirmant. Fuit tamen Constantinus M., quem primum usum diademate partim puro, partim gemmis distincto testantur numi, et auctores, quos in hujus moneta produxi. Testibus iterum numis deinceps gemmatum hoc diadema Augustorum tantum capita decoravit, neque desunt coaevorum scriptorum oracula idem docentia, etsi, ut fit, non desint etiam, qui traditam doctrinam confundunt, et permiscent, quippe qui non raro diadematis nomine quodcunque regii capitis insigne intellexerunt. Vide in hac disputatione copiosum Spanhemium [b]).

Caput galeatum inde a Probo non infrequens, frequentius in aureis infimi aevi, praecipue cum imperator panopliam indutus proponitur. Non raro galea insuper corona laurea, vel radiis ambitur.

Caput nudum primorum Augustorum aetate rarius, frequentius inde ab Hadriano, inclinante imperio vix amplius occurrit. Aliquo tempore principes consecratos sic fuisse propositos, dicetur in numis consecrationum. Nudo capite se etiam distinxisse Caesares, supra dictum.

Caput Augustorum jam barbatum, jam imberbe. Alendae barbae causa alia fuit juventus, ex Romanorum usu huic radendae nondum idonea, alia luctus. Vtriusque exemplum in numis dedisse Octavianum, notavimus in ejus moneta ad annum V. C. 717, quo loco complura etiam de hoc Romanorum instituto non violandae usque ad certam aetatem barbae disseruimus. Barbatulus etiam propter eandem causam in primis numis suis fingitur Nero. Post id tempus posita barba, et sic imperatores omnes inde ab Augusto laeves offerunt genas usque ad Hadrianum, qui primus, quia publice philosophiam professus est, barbam promisit, ut diximus in hujus numis, cujus exemplum secuti successores omnes, modo per aetatem licuisset, virile istud decus aluerunt. Ad veterem cultum cum redire mallet Constantinus M., barbam abjecit, ut in hujus moneta observatum. Quid post hunc placitum fuerit, vide in Tractatu de numis inferioris aevi §. II.

Singularia sunt, caput leonis exuviis tectum, in numis Commodi, Maximiani Herculei, ejusque filii Maxentii. Causas in singulorum moneta dedimus. Caput cum spicea corona, in Gallieno, quem adi.

De capite velato ἀποθεώσεως indicio vide, quae dicuntur in numis consecrationum. Sed fuit et velum signum sacerdotii, unde I. Caesar, et M. Antonius velati in numis proponuntur, ille, quia pontifex maximus, hic, quia augur.

---

a) Cap. 23. b) Tom. II. pag. 385 seq.

Nimbi a Constantino M. invecti originem, formam, aliosque modos dabimus in tractatu de numis inferioris aevi §. II.

Superest cultus Augustarum. Initio imperii, cum nondum e re videretur, feminarum nomine ferire monetam, placuit tamen eas Vestae, Pietatis, Salutis, Cereris specie in numis proponere. Hoc modo harum gestare personam videmus Liviam Augusti, Antoniam Drusi, Agrippinam Claudii. Haec licentia multo major est in numis commatis peregrini, quae omnia videri possunt in singularum moneta. Imperante gente Flavia cum ad feminas quoque honor monetarius coepisset porrigi, ad humanam formam redivere, fingunturque in numis nullo cujuspiam potestatis argumento, eoque capitis cultu, qui suo aevo mulieres decuit, quique adeo, ut hodieque fit, varius et inconstans esse debuit, et mille formarum capax. Cum consecratae fuere, velo obnubuntur, cujus exempla habes in Faustina utraque, Domna, Maesa, Paulina, Mariniana. In numis commatis R. prima fuit Domna, cujus caput lunae imponitur jugatum capiti radiato Severi mariti, cujus causam explicatam habes in numis Severi ad annum V. C. 955. Inde a Caracalla hic modus obvius est in argenteis majoris moduli, ut notavimus in ejus Augusti moneta, duratque in ipsa Diocletiani tempora. Deinceps Augustorum indulgentia gemmata quoque diademata sibi imposuere. Refert Philostorgius [a]), Constantinum M. filiae Constantinae gerendi diadematis veniam fecisse.

CAPVT VI.

De titulo DOMINVS NOSTER et ΒΑΣΙΛΕΥΣ *Augustis Caesaribusque dato.*

Vocabulum *Dominus*, inimicum libertati nomen, quia imperium in servos plerumque significavit, a primis imperatoribus, deinde etiam iis, quibus amore, non metu imperare placuit, aut non admissum fuit, aut saltem non adprobatum. Aversatus illud est Augustus [b]), et teste Tertulliano [c]) *Augustus imperii formator ne dominum quidem se dici volebat, et hoc enim dei est cognomen.*

a) L. III. c. 22. b) Suet. in Aug. c. 53. Dio L. LV. §. 12. c) Apolog. c. 34.

Addit mox: *qui pater patriae est, quomodo dominus est?* Aversatus est etiam ipse Tiberius, professus palam, *esse se dominum servorum, imperatorem militum, principem ceterorum* a), quin eo progressus est auctore Suetonio b), ut, cum in se invidiosum istud nomen non ferret, ipse illud senatoribus palam tribueret, *et bonos*, inquiens, *et aequos, et faventes vos habui dominos, et adhuc habeo.* Primus fuit Caligula, cujus superbae aures domini appellationem poterant perferre, quem deinde secutus est ejus vitiorum aemulus Domitianus. Victor Diocletianum perstringens, *se primus omnium*, ait, *Caligulam post, Domitianumque dominum palam dici passus* c). Minus istud mirum in Domitiano, qui non dominum se modo, sed et deum appellari voluit d), cujus utriusque appellationis plura dedit testimonia Martialis. Tamen paullatim, quidquid acerbum habuit nomen illud, mitigavit usus, et consuetudo, sic ut jam Ti. Claudii aetate esset humana, officiosa, et civilis appellatio. Ait Seneca e): *sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus, quomodo obvios, si nomen non succurrit, dominos salutamus.* Quocirca non mirum, si Trajanus ipse passim se a Plinio in epistolis dici dominum sustinuit. Sed de hujus natura tituli vide, quae plura, quam cupimus, exposuit eruditionis helluo Spanhemius f). Iam ad monumenta ipsa gradum faciamus.

Iam in marmore Romae effosso Augustum video dici D̄. N̄. id est: *Dominum Nostrum* g), etsi huic lectioni jure diffidam, quia in eodem trib. potestas VII. copulatur cum consulatu IIII., et Augustus dicitur *Pater Patriae*, quem titulum multo sibi serius addidit. Marmoris hujus cur mentionem neglexerit ill. Odericus in eodem argumento versatus, ignoro. Antiquius monumentum non reperit opere figulino, in quo Hadrianus *Dominus Noster*, appellatur h), qui deinde titulus frequentius adhiberi est coeptus. Confer Marinium i). Ad numos quod attinet, primus Antoninus Pius Κυριος, *Dominus*, dicitur in numo Antiochiae ad Hippum Decapoleos, nempe: ΑΥΤΟΚΡ. ΚΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ k). Paullo post in numis M. Aurelii, ejusque familiae in Mesopotamia signatis legitur: ΥΠΕΡ. ΝΙΚΗϹ. ΤΩΝ. ΚΥΡΙΩΝ. ϹΕΒΑϹΤΩΝ. In numis coloniae Antiochiae Pisidiae cum capite Caracallae et Getae: VICT. DD. NN., et in numo Gordiani ejusdem coloniae: VICTORIA. DOMINI. In numis Alexandrinis Gallieni: ΔΕΚΑΕΤΗΡΙϹ. ΚΥΡΙΟΥ.

Sed fuere haec exempla nonnisi monetae peregrinae. Primus in numos commatis Romani appellationem domini vocavit Aurelianus, cum scribi passus est: DEO. ET. DOMINO. NATO. (in aliis NOSTRO.) AVRELIANO. AVG., quem paullo post imitatus est Carus scribendo: DEO. ET. DOMINO. CARO. AVG., de cujus formulae probabili significatione vide, quae diximus

a) Dio L. LVII. §. 8. b) Cap. 27. 29 c) in Caesarib. d) Suet. c. 13. e) Epist. III. f) Tom. II. pag. 482. g) Gruter pag. 58. 1. h) de numo Orcitis pag. 72. i) Frat. arv. pag. 688. k) Pellerin Mel. II. pag. 75.

in utriusque Augusti moneta. Proxime post hos praenomen D. N. delatum fuit Diocletiano et Maximiano, sed nonnisi ex quo imperium posuere. Deinceps magis Caesaribus, quam Augustis ipsis incerta causa, ut dixi in numis Licinii patris. Denique illud inde a Constantini M. filiis praenomen commune evasit abolito paullatim praenomine IMP., et deinceps tanto invaluit opere, ut, si quis Iustiniano regnante pro *dominus* diceret imperator, et pro *domina* Augusta, tum et magistratus aliter quam *servos* appellaret, is manifestae injuriae, aut saltem rusticitatis reus haberetur [a]).

De nomine ΔЄCΠΟΤΗC ejusdem fere significationis, et quod sero denique invaluit, agemus infra in tractatu de numis infimi aevi. Ceterum et haec dignitatis vocabula successu temporis splendorem amisere, et compertum est ex marmoribus, infima aetate *Domini Nostri* et Δεσποτȣ vocabula indulta etiam fuisse consulibus non Augustis vel Caesaribus, quo de argumento vide Dissertationes Eduardi Corsinii, quae sunt annexae ejus operi *de notis Graecorum*, p. VIII.

* * *

Restat titulus ΒΑΣΙΛΕΩΣ, *REGIS.* Eum satis mature scriptores Graeci Dio Chrysostomus, Appianus, Athenagoras, Aristides, aliique principibus Romanis pro nomine legitimo αὐτοκράτορος sunt impertiti, cujus facti testimonia possum reticere, quia magnam pridem eorum copiam collegit, et ex locuplete suo cornu proposuit indefessus Spanhemius [b]). Neque ejus in numis Graecorum desunt exempla, etsi admodum rara. Notus numus Caphyae Arcadiae, qui Caracallam appellat ΑΝΤΩΝΙΝΟΝ. ΒΑCΙλεα, tum et numi Commodi, Nicaeae et Cii Bithyniae urbibus, tum et Caesareae Cappadociae signati cum epigraphe: ΚΟΜΟΔΟΥ. ΒΑCΙΛΕΥΟΝΤΟC. Ο. ΚΟCΜΟC. ЄΥΤΥΧЄΙ.

A Romanorum moneta nomen regium procul fuisse habitum, mirum non est, quia nomen regium inde a pulsis regibus Romanis semper fuisse invisum constat, atque etsi Constantinus M. diadema, proprium regum gestamen, capiti imposuit, quin et Hanniballiano nepoti partem Ponti cum regis titulo cessit, usurpare tamen nomen regis ausus non est. Serius, ne aliquid veteris instituti superesset, cavere postremi Orientis imperatores, obviis inscriptionibus: ΜΙΧΑΗΛ. ΒΑCΙΛΕΥC. — ΠΙCΤΟΙ. ΒΑCΙΛЄΙC. ΡΩΜΑΙΩΝ, et similibus. Sed jam et Eusebiam Constantii II. uxorem Ammianus vocavit *reginam* [c]).

a) Procop. Hist. arc. cap. 30. b) Tom. II. pag. 397. c) L. XVI. c. 10.

CAPVT VII.

DE NOMINE CAESARIS.

Olim cognomen gentis Iuliae, de cujus etymo egimus in numis Caesaris dictatoris, exstincta gente Iulia titulus honoris, dignitatisque evasit. Res nota, illud primum adoptione, perinde atque nomen Augusti, in alios fuisse propagatum. Hoc jure primus Caesar dictus est Octavius subinde Augustus adoptante dictatore, mox tres Agrippae filii Cajus, Lucius, Agrippa, adoptione Augusti, ejusdemque beneficio Tiberius privignus, a quo in filium Drusum fluxit. Denique Tiberio adoptante Germanicus, hujusque filii.

Ergo Caesaris nomen hactenus nonnisi hereditarium fuit, Romanorum more translatum in eos, qui sive natura, sive adoptione filii fuere, atque ex hac lege Caesarum postremus fuit Cajus Germanici filius, dictus vulgo Caligula. Tamen in veris adhuc Caesaribus putatur qui huic successit, Claudius, tum hujus filius Britannicus, et qui talis adoptione evasit, Nero, sic ut ex unanimi fere scriptorum veterum sententia, quos recenset Reimarus in animadversione ad postrema Dionis libri LXIII. verba, cum Nerone tandem sepulta Caesarum domus statuatur. At enim Claudius, antequam imperium adiret, Caesaris nomen non habuit, quia neutra lege Caesaris filius fuit, neque adeo nomen transferre in filios potuit. Fecit tamen indulgentia, ut pars haberetur domus Caesareae, quia hanc adfinitate contigit. Binas enim ex hac habuit avias, ex patre Druso Liviam Augusti conjugem, ex matre Antonia Octaviam Augusti sororem, praeterquam quod tum gens Claudia post Iuliam summo loco haberetur. Magis ergo definite dixit Galba apud Tacitum [a]): *Finita Iuliorum Claudiorumque domo optimum quemque adoptio inveniet.* Si ferre possumus eam, quam dixi, indulgentiam, at an feremus, quando conficta per fraudem majorum serie vitium veritati adfertur? In marmoribus non paucis [b]) Neronis stirpem hoc modo deduci videmus: NERO. CLAVDIVS. DIVI. CLAVDI. F*ilius*. GERMANICI. CAESARIS. N*epos*. TI. CAESARIS. AVG. PRON*epos*. DIVI. AVG. ABN*epos*. Fuisse Neronem Claudii per adoptionem filium,

a) Hist. L. I. c. 16. b) Grut. 154. 2. Murat. 445. 5. Gori inscript. Tom. II. p. 46 et Tom. III. p. 173. in marmore arvali, quod est in Marinianis num. XV.

constat; an vero etiam Germanici nepotem? Vocabulum *nepos* binas habet significationes; aut enim indicat eum, qui ex filio aut filia natus est, aut eum, quem frater meus sororve genuere. In priore sensu Nero, seu naturam spectes, seu adoptionem, Germanici nepos dici non potuit, sed dici potuit ac debuit in sensu altero, quippe adoptatus a Claudio, qui Germanici frater fuit. At enim an unquam per patruos duci stirpes consuevere? Quis non continuo animadvertit, placuisse horum marmorum auctoribus arcessere lusum in vocabulo *nepos* duplicis significationis, ut Neronem suum turpi adulatione cum domo Caesarea connecterent? Tamen inter laudata marmora sunt nonnulla auctoritatis publicae, tanto audentiore per impunitatem mendacio. Magis canora marmoris Gruteriani impudentia, in quo Nero dicitur GERMANICI. F. TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG. PRON. [a]) eliminato ipso patre Claudio, quia parum Caesariano, et suffecto in ejus locum falso patre Germanico Caesare. Minus ergo mirabimur Severum Aug., qui per vim in Antoninorum sese gentem inseruit, ut diximus Vol. VII. pag. 173.

Laxatis igitur jam tum juris vinculis minus arduum subinde fuit principibus, etsi a Caesarea domo plane extraneis, in utrumque nomen et Caesaris et Augusti involare, quod jam supremae potestatis coepit habere et omen, et opinionem. Ergo Galba mox accepto caesi Neronis nuncio, senatumque in verba sua jurasse, non dubitavit adscito Caesaris nomine sese munire [b]), cujus continuo exemplum secutus est Otho. Difficilior ad aliena a se nomina Vitellius Augusti nomen distulit, Caesaris in perpetuum recusavit, ut dictum in hujus numis. Post haec exempla invaluit usus, et perpetua quaedam lex, ut qui supremum imperium obtineret, utroque nomine gloriaretur.

Ex his adeo manifestum est, nomen Caesaris principio non fuisse nisi cognomen gentis Iuliae, ex Romanorum more in filios propagatum, et tantundem habuisse momenti, quanto is, qui eo insignitus erat, summae spei vicinior fuit, quae nisi illata qualicunque vi fallere non potuit. Cum titulus Caesaris, perinde atque Augusti, nullam in se contineret potestatem, sed dignitatem tantum, et causa provisae successionis reverentiam, fuit in arbitrio imperatoris, seu primi fastigii principis, utrum Caesarem suum, seu secundi fastigii principem mallet intra tituli hujus honorem contineri, an addere auctoritatem. Augustus tribus Agrippae filiis adoptione Caesaribus negavit tribuniciam potestatem, quam tamen eodem tempore impertivit privigno Tiberio tum nondum Caesari. Domitianus quoque Caesar, quamdiu pater fraterque in vivis fuere, uno principis juventutis titulo a privata fortuna fuit discretus. Alios maturior mors oppressit, quam ut eniti altius possent, quo fato fuere dicti mox tres Agrippae filii, Drusus et Nero Germanici, Britannicus Claudii, Piso Galbae. Contra fuere imperatores, qui Caesares suos sive addita tribunicia po-

a) Pag. 237. 1. b) Suet. c. 11.

testate, sive imperio proconsulari, sive imperatoris titulo quasi in conlegium accepere, quorum pars honorum, aut plures simul delati fuere Caesaribus Tiberio, Druso juniori, Neroni, Tito, Trajano, Antonino Pio, M. Aurelio, aliisque, ut dictum in singulis. Plus potestatis Caesaribus Constantio Chloro, et Gal. Maximiano decrevere Diocletianus et Maximianus Augusti tributis provinciis, quas aequa fere potestate, atque ipsi suas, regerent. In simili causa dixit Vopiscus, a Caro in Occidente relictum Carinum, qui hunc regeret *imperio Caesariano ea lege, ut omnia faceret, quae Augusti faciunt.*

Atqui et varios fuisse Caesareae dignitatis modos, ipsi etiam meminere veteres. Spartianus cum narrasset, Hadrianum morborum mole pressum sibi adoptasse Aelium, de hoc ait: *nihil habet in vita sua memorabile, nisi quod tantum Caesar est appellatus non testamento, ut antea solebat, neque eo modo, quo Trajanus est adoptatus, sed eo prope genere, quo nostris temporibus a vestra clementia* (Diocletiano) *Maximianus atque Constantius Caesares dicti sunt, quasi quidam principum filii viri, et designati Augustae majestatis heredes.* Capitolinus in vita L. Veri sub initium: *Huic naturalis pater fuit L. Aelius Verus, qui ab Hadriano adoptatus primus Caesar est dictus, et in eadem statione constitutus periit.* Victor Schotti in fine Trajani sui: *Abhinc divisa nomina Caesarum atque Augusti, inductumque in remp., uti duo, seu plures summae potentiae, dissimiles, cognomento ac potestate dispari sint. Quanquam alii Plotinae Trajani conjugis favore imperium adsecutum putent, quae viri testamento heredem regni institutum simularat.* Ambiguam horum auctorum orationem explicare non tento, jam olim in hoc argumento copiose versatis Spanhemio [a]), et Mazzoleno [b]), quin tamen aut sibi, aut nobis plane satisfecisse sint visi. Tentavit etiam cl. Zoëga mutatam in Aelio Caesareae dignitatis rationem ex numo Alexandrino comprobare [c]), ut notavimus in hujus Caesaris numis Alexandrinis. Interim si, quod ad verum effectum attinet, consideremus, patebit, parum deinceps novum istud qualecunque jus Caesarum fuisse observatum, et diu adhuc in Caesaribus veteris moris exempla reperiri, nimirum Augustis, ut constitutum fuisse antea paullo supra diximus, tantum sive dignitatis, sive potestatis in Caesares suos conferentibus, quantum singulis placitum fuit. Quippe parum prospere in veram juris rationem inquirimus in ea regiminis forma, in qua summus rector nullis se ligatum legum vinculis putat, et ex veteribus institutis, quod lubet, aut abjicit, aut admittit. Quam legem si aetatis nostrae scriptores magis ad animum admisissent, saepe minus in reperiundis ejus aevi juribus sese torsissent, aut desperassent sapientius, praecipue cum eorum ratio haurienda sit a scriptoribus, quorum inde a Nerva magna est inopia, aut non maxima ad faciendam fidem auctoritas.

Fuere imperatores, qui Caesaris ap-

---

a) Tom. II. pag. 352 seq. b) Animadv. de Caesare. c) Num. Aegypt. pag. 162.

pellationem in filiis distulere. Antoninus Pius ex adoptatis eodem tempore M. Aurelio et L. Vero illum continuo Caesarem dixit, non item Verum, quem toto imperii sui tempore aliter appellari passus non est, quam Augusti filium. M. Aurelius filios Commodum et Annium Verum nonnisi sexto imperii anno Caesares appellavit. Distulit etiam Pertinax, etsi hunc filio honorem decrevisset senatus. Severus Caracallam nonnisi tertio imperii anno, Getam quinto Caesares dixit. Quid ab aliis principibus fuerit constitutum, pete ex ipsorum numis.

Quamdiu gens Iulia dominata est, Caesares fecit aut nascendi conditio, aut adoptio, quia tum Caesar aliud non fuit, quam gentis Iuliae cognomen. Hac cum Caligula exstincta in idem jus involavit gens Claudia. Deinceps nominandi Caesares jus pro variis vel temporis, vel loci causis habuere, aut sibi arrogavere imperatores ipsi, vel senatus, vel milites, a quorum trium arbitrio, vel parte lectos etiam Augustos constat. Quorum suffragiis singuli ad id fastigii ascenderint, in singulis diximus, aut videri potest apud Mazzolenum, qui singulorum fortunam in unum locum contulit [a]).

Successu temporis coepere Caesares nomen *nobilissimi* tanquam sibi proprium reliquis suis titulis addere, quo sive illustrem suam inde a majoribus prosapiam praedicarent, aut tanquam fuco generis humilitatem obtegerent. Vide de hoc epitheto plura apud Spanhemium [b]), et Mazzolenum [c]), qui illud in marmoribus jam a Commodo usurpatum reperere. In numis primus est Diadumenianus, quem hactenus hoc titulo usum norimus. Sunt hi coloniae Laodiceae Syriae. Serius in Romanam etiam monetam migravit. Scriptura in numis: NOB. CAES. vel NOB. C., vel parcius N. C. Singulare est, adhuc Zenonem et Leonem II. in numis Orientis dici NOV. (pro NOB.) CAES., et multo magis singulare illud, quod uterque Augustus fuit. Sed isthoc aevo hujus generis prodigiis jam adsuevimus. Vt Caesares dicti fuere nobilissimi, sic et feminae nonnullae scripto in earum numis N. F., id est: *Nobilissima Femina*, quales fuere HELENA. N. F. forte uxor Crispi, et FAVSTA. N. F. forte uxor Constantii II., de cujus valore tituli non satis constat. Quod Latinis *Nobilissimus*, idem Graecis fuisse *Επιφανεςατος*, docui ad numos Antiochi IV. Syriae regis. Infimo aevo enatum discrimen inter *Caesares* et *Nobilissimos*; narrat enim Nicephorus Constantinopolitanus in fine Historiae suae, Constantinum V. Copronymum duos ex filiis suis Christophorum et Nicephorum creasse *Caesares*, tertium Nicetam *Nobilissimum*, *των ὑιων ἀυτȣ τȣς μεν δυο Χριςοφορον και Νικηφορον Καισαρας, Νικηταν δε Νοβελισιμον.*

Inter insolentiora inferioris aevi potes etiam numerare repetitum Caesaris titulum, quem soli Carini et Numeriani numi offerunt, de quo vide utriusque Caesaris monetam.

Caesaribus nonnunquam additum

---

a) Animadv. de Caes. p. 49. b) Tom. II. p. 357. c) l. c. p. 52.

fuisse titulum Augusti, sed per consortium cum patre Augusto, diximus in titulo *Augusti.*

CAPVT VIII.

DE PRINCIPE IVVENTVTIS.

Hujus originem causasque tituli, qui inde ab Augusto coepit esse quoddam augurium destinati principatus, et praeter Caesaris nomen character secundi fastigii, pridem erudite enarrarunt viri praestantissimi Spanhemius [a]), Norisius [b]), et abbas Mazzolenus [c]), ex quorum praeceptis pleraque, quae sequentur, derivata noveris, sic tamen, ut causa instituti studere brevitati necesse duxerim.

Iam ipsa respublica R. suos habuit principes juventutis, quod nomen equitibus legionariis pridem tributum fuit, et a quibus inde a Gracchanis temporibus originem traxit famigeratus ordo equester, qui subinde medius fuit inter senatum, populumque. Fuere autem dicti *juventus*, quia generatim Romani suos milites vocavere juventutem, hujus vero *principes*, quia rex Servius omni civium numero in VI. classes diviso *ex primoribus civitatis*, ut ait Livius [d]), *duodecim equitum scripsit centurias*, aut, ut inquit Dionysius Halic. [e]) *το δε των ἱππεων πληθος ἐπελεξεν ἐκ των ἐχοντων το μεγιςον τιμημα και κατα γενος ἐπιφανων*, *equitum vero delectum habuit e maximi census civibus, et genere nobilibus.* Atque haec causa est, cur equites saepe Livio dicantur *primores*, *principes*, *proceres juventutis*, cujus illustre exemplum praebet in oratione, quam adfinxit Perseo Macedoniae regi post victum Romanorum equitatum his verbis milites suos adloquenti [f]): *Meliorem partem hostium, equitatum Romanum, quo invictos se esse gloriabantur, fudistis. Equites enim illis PRINCIPES IVVENTVTIS, equites seminarium senatus, inde lectos in patrum numerum, consules, inde imperatores creant.* Atque multo ante idem Livius de L. Bruto dixit [g]): *Caedibus regis* (Tarquinii Superbi) *diminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis, ad trecentorum summam explevit.*

---

a) de Praest. num. Tom. II. pag. 359. b) Cenot. Pis. dissert. II. cap. 3. c) Animadv. V. de princ. juv. d) L. I. c. 43. e) L. IV. pag. 222. f) L. XLII. c. 61. g) L. II. c. 1.

Iure igitur equites universae juventutis R. principes potuerunt appellari, atque haud dubie in populo quoque, cui tum adhuc, nondum constituto ordine equestri, accensebantur, causa census et generis principem locum obtinuere.

Magna subinde auctoritas honosque accessit equitibus, Ti. et C. Gracchis fratribus legem ferentibus, uti judicia a senatu ad equites transferrentur. Huc accessit rei faciendae, augendique peculii opportunitas. Nam cum propter opes hereditate acquisitas ipsi fere soli vectigalia P. R. publicanorum nomine haberent redempta, facile fuit ad ampliorem tantis subsidiis fortunam eniti. Tum igitur paullatim coepit equester ordo et institui, et sic appellari, et ab ordinibus senatus populique discerni. Confirmantur haec testimonio Plinii in haec verba disserentis a): *Iudicum autem appellatione separari eum ordinem primi omnium instituere Gracchi discordi popularitate in contumeliam senatus, mox ea debellata auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substitit, et aliquamdiu tertiae vires publicani fuere. M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo Catilinanis rebus, ex eo se ordine profectum esse celebrans, ejusque vires peculiari popularitate quaerens. Ab illo tempore plane hoc tertium corpus in rep. factum est, coepitque adjici senatui populoque Romano et equester ordo. Qua de causa et nunc post populum scribitur, quia novissime coeptus est adjici.* Tantis igitur equites honoribus opibusque elati segnius jam ad legionum signa convolabant, partim quia domi nullis sive periculis, sive incommodis ad summa poterant eniti, partim quia pudebat sequi militiam, cui auctore Mario infima abjectaque plebs jam nomen dare coepit. Atqui et constituto semel ordine equestri ad filios quoque, modo census equester superfuisset, equitis dignitas, ut patriciorum, hereditate transivit, qua se fuisse conditione pluribus locis profitetur Ovidius, ut cum dicit b):

Si quid id est, usque a proavis vetus
ordinis heres,
Non modo fortunae munere factus
eques,

nimirum cui ad hunc honorem, quia a majoribus partum, enitendum amplius non fuit, ad quem alii *fortunae munere*, id est, cum equestrem censum collegere, demum perveniunt. Huc adde, quod alibi immutato paullum altero versu canit c):

Si quid id est, usque a proavis vetus
ordinis heres,
Non modo militiae turbine factus
eques,

scilicet ut supra dixerat, potuisse hunc ordinem obtineri *fortunae munere*, sic etiam *militiae turbine*, id est rebus belli praeclare gestis, quo modo L. Aconius apud Fabrettum d) dicitur *ob bellum German. et Sarmatic. a divo Trajano ex militia in equestrem dignitatem translatus.* Fuisse tamen etiam tum opus censu per

a) L. XXXIII. §. 8. b) Trist. L. IV. eleg. X. v. 7. c) Amor. L. III. el. XV. v. 5. d) Inscr. ant. pag. 399.

legem constituto idem luculente innuit, quando sibi, qui a majoribus eques esset, ab amica praeferri equitem, qui talis ex belli meritis nuper evasisset, cognito nobilium erga novos homines fastidio conqueritur a):

Ecce recens dives parto per vulnera censu
Praefertur nobis sanguine factus eques.

Quam tamen deficientis census legem ab Augusto addita conditione fuisse mitigatam docuit Suetonius b). Ex quo conficitur, equites, olim proprie dictos principes juventutis, belloque destinatos, posteaquam ordo equester constitutus fuit, sensim omissis armis ad negotia forensia, urbisque otium ac voluptates impune deflexisse, etsi deinceps quoque equus illis de publico praeberetur, ut diserte iterum de se Ovidius c):

Aspera militiae juvenis certamina fugi,
Nec nisi lusura movimus arma manu.

Et alibi d):

At memini vitamque meam, moresque probabas
Illo, quem dederas, praetereuntis equo.

Quae hactenus disputavi, noverit lector a me capta esse ex erudita plane, ac operosa dissertatione cl. le Beau Galli, in qua is in originem equitatus legionarii in equestrem denique ordinem desinentis inquirit, argumentum, si quod aliud in antiquitate Romana, arduum et implexum, ut ipse profitetur e), etsi is tanto hoc suo conatu nequaquam omnes levaverit difficultates, quae materiam suapte confusam perturbatamque impediunt. Iam igitur videndum, quo pacto hucusque dicta cum principibus juventutis, de quibus nobis hic sermo, connectantur.

Diximus, constituto ordine equestri magnam equitum R. partem, quos vetus institutum militiae destinaverat, pacis, quaestusque negotia amplexam. Accedit, quod auctis paullatim reip. viribus, et exercitu adeo majorem indies equitum numerum requirente, verisimile non est, ut jure conjicit Mazzolenus f), equites in castris deinceps solis primoribus juventutis R. constitisse, neque alios tenuioris etiam fortunae fuisse admissos. Quare, addit idem, neque etiam videri verisimile, deinceps quoque, ut olim, omnes equites legionarios principes juventutis esse appellatos. Quocirca cum Cicero aevi sui homines, Brutum, Atticum, Torquatum, Curionem principes juventutis appellat, jam etiam, et a priore diversam significationem intelligendam existimat. Nimirum jam a primis reip. temporibus in more fuisse positum, ut adolescentes genere et opibus illustres post sumptam virilem togam in equestrem ordinem legerentur, et ad bellum exirent etiam illi, quibus animus non erat, omne aevum in belli alea exigendi. Ali-

a) Amor. L. III. eleg. VIII. v. 9. b) in Aug. c. 40. c) Trist. L. IV. el. I. v. 71. d) l. c. L. II. v. 9. e) B. L. Tom. XXVIII. p. 1 seq. f) l. c. p. 95.

quanto post e castris reduces coepisse capessere rempublicam, ad cujus deinde dignitates evecti ad regendas provincias, et exercitus missi sunt. Enimvero Cn. Pompejum, etsi claro genere, et patre consulari natum, magnos jam duxisse exercitus, et bis triumphasse, cum eques tantum Romanus esset, adolescentulus, peradolescens, privatus, et necdum senator, ipsum testari Ciceronem [a]). Nobiles igitur Romanos vocatos fuisse equites, donec in senatum adlegerentur. Quia vero hic propter copiam recipere omnes non potuit, et essent etiam, qui eo non aspirabant, factum, ut multi in equestri conditione ad vitae usque finem durarent. In horum numero fuisse Pomponium Atticum [b]), quin et Maecenatem, etsi gratia apud Augustum plurimum posset, adeo, ut ab eo multis honores impetraverit [c]), et ipsum Augustum de se scripsisse, *se nihil amplius quam equestri familia ortum vetere ac locuplete, et in qua primus senator pater suus fuerit* [d]). Equestrem ergo tum ordinem non modo junioribus, sed senioribus quoque constituisse. Haec ut erudita, sic et verisimilia sane nobis obtulit illustris abbas Mazzolenus, etsi fateatur ipse, nullis monumentis comprobari posse, quod adseruerat, postremis reip. temporibus nomine principis juventutis aliquid speciosius et illustrius, quam, ut olim, purum equitem fuisse intellectum, neque etiam definire audeat, utrum unus tantum, an plures tum fuerint principes juventutis, item utrum hi perinde ac principes senatus a censoribus lecti fuerint.

Haec utut erunt, istud certum, Augusti judicio cum titulo principis juventutis magnum fuisse et splendorem, et omen conjunctum. Cum prole mascula ipse careret, cuperetque ad omnes casus paratum habere successorem, *genitos Agrippa Caium ac Lucium in familiam Caesarum induxerat, necdum posita puerili praetexta PRINCIPES IVVENTVTIS appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat*, ut narrat Tacitus [e]). Cur Augustus suis per adoptionem filiis tam ambitiose principis juventutis titulum quaesiverit, quem hactenus contentiore studio fuisse quaesitum non novimus, nemo, quod norim, inquirendum suscepit. Liceat conjicere, Augustum certo quodam consilio novae hujus dignitatis fuisse architectum. Constat, integra adhuc republica fuisse aliquem, qui a censoribus princeps senatus fuit appellatus, reliquosque excelluit dignitate, etsi potestatis nihil haberet adjectum. At constat etiam ex Dione [f]), Augustum V. C. 726, cum censuram ageret, principem senatus, πϱοκϱιτον της γεϱουσιας, dictum fuisse eo more, qui integro etiamnum populi statu fuit receptus, cujus deinde exemplum eodem teste secutus est Tiberius [g]). Ergo cum principem ipse senatus, seu seniorum ageret, aequum est visum, ut, quem suum destinasset successorem, princeps esset juventutis, seu juniorum, et sic principatui seniorum, totiusque populi praeluderet, qua

a) pro leg. Manil. c. 21. b) Corn. Nep. in ejus vita. c) Dio L. LV. §. 7. d) Suet. in Aug. c. 2. e) Ann. I. 3. f) L. LIII. §. 1. g) L. LVII. §. 8.

de causa Cajus Agrippae F., idemque ab Augusto appellatus princeps juventutis, idonce ab Ovidio dicitur [a]):

Nunc juvenum princeps, deinde future
senum.

Ergo pro statuta hac ab Augusto lege principes juventutis ordine fuere:

Caius et Lucius Agrippae filii.

His praematura morte exstinctis Augustus Tiberium, quem sibi successorem paraverat, principem juventutis non dixit, quippe quem data tribunicia potestate sibi fere aequaverat. Observo enim, Titum quoque, ex quo eam adeptus est, desivisse vocari principem juventutis.

Germanicus ex numis quidem cum hoc titulo ignotus, nam Goltzii numum in bello suo Thesauro, qui hunc ei largitur, flocci facimus, dictus tamen Ovidio [b]):

Te juvenum princeps, cui dat Germania nomen.

Tiberius Drusi jun. filius testimonio auctorum tacentibus numis. Vide ejus numos.

Nero, ex quo in domum Claudiam adoptione transivit. Vide numos.

Titus, princeps juventutis, sed fere annuus tantum, paullo post patri in imperio sociatus.

Domitianus passim in numis dictus princeps juventutis per patris, fratrisque imperia.

M. Aurelius. Eum, cum Caesar adhuc esset, neque numi, neque marmora principem juventutis appellant. Ait Capitolinus [c]), eum Antoninus Caesaris appellatione donatum continuo *sevirum turmis equitum Romanorum jam consulem designatum creavit, et edenti cum conlegis ludos sevirales adsedit.* Neque etiam Dio illum diserte προκριτον της νεοτητος, *principem juventutis* appellat, sed προκριτον της ἱππαδος, *principem equitatus* [d]), quod haud dubie idem valet, atque Capitolini *sevir turmis equitum.* Valesius haec Dionis verba confidenter vertit: *princeps juventutis*, etsi ipse non dubitet, esse aliquod discrimen inter principem juventutis, et dictum sevirum, et observo, utrumque distinxisse etiam ipsum Dionem, qui alibi Diadumenianum dictum fuisse προκριτον της νεοτητος narrat [e]). Quid videatur intellexisse Capitolinus nomine seviri turmis equitum R., disputant Spanhemius [f]), Norisius [g]), Mazzolenus [h]), et le Beau [i]). Vide et sequentem Commodum.

Commodum principem juventutis venerantur numi obvii. De mira Lampridii oratione, qui eum *cooptatum inter tres solos principes juventutis* dixit, varie disputant eruditi mox laudati locis citatis.

Caracalla et *Geta*, principes juventutis testibus passim numis.

Diadumenianus Maximus, *Philippus junior*, *Herennius*, *Hostilianus*, *Volusianus*, *Saloninus*, *Numerianus*, *Carinus*, *Constantius Chlorus*, *Gal. Maximianus*,

a) Art. amat. L. I. 194. b) de Ponto L. II. eleg. V. v. 41. c) in Aurelio. d) L. LXXI. §. 35. e) L. LXXVIII. §. 17. f) Tom. II. p. 360. g) Cenot. Pis. diss. II. c. 3. h) l. c. p. 102 seq. i) l. c. p. 54.

Fl. Severus, *Maximinus Daza*, *Constantinus M.*, *Crispus*, *Constantinus II.*, *Constans*, *Constantius II.* testibus iterum numis, post quos nulla amplius ejus tituli mentio.

Enarravimus principes juventutis Caesares, Augustos cum eodem elogio infra dabimus.

Sequuntur nunc typi, qui cum principis juventutis titulo connectuntur in numis illo notatis.

C. L. CAESARES. AVGVSTI. F. COS. DESIG. PRINC. IVVENT. *Cajus et Lucius Agrippae filii velati et togati stantes d. hastam cum clypeo humi attinent, superne capeduncula, et lituus.* Item: *Titus et Domitianus stantes cum hasta et clypeo.* Vide numos Vespasiani ad annum 823.

Quo pacto hasta et clypeus ad principem juventutis pertineant, diximus in numis Caji et Lucii.

C. L. CAESARES. PRINC. IVVENTVTIS. *Cajus et Lucius equites citato cursu dexteras attollunt.* Idem typus est in numis Titi et Domitiani principum juv. Vide numos Vespasiani ad eundem annum.

Domitianus eques s. sceptrum.

Geta eques citato cursu sequentibus binis aliis equitibus.

Caesar paludatus stans d. ramum, s. hastam, juxta tropaeum, in numis M. Aurelii, Commodi, Caracallae, Getae.

Caesar paludatus stans inter signa militaria vario numero, in numis Diadumeniani, Maximi, Salonini, Carini.

Caesar paludatus stans d. bacillum, vel globum, s. hastam, in numis Herennii, Hostiliani, Volusiani, Salonini, Numeriani, Carini, Chlori, Gal. Maximiani, Fl. Severi.

Caesar paludatus stans d. signum militare, s. alterum tenet, in numis Herennii, et Hostiliani.

Caesar paludatus stans d. globum, s. hastam, juxta duo signa militaria, in numis Maximini Dazae, Constantis, Constantii jun.

Caesar paludatus stans d. signum militare, s. hastam, humi captivus, in numis Philippi jun. et Constantini M.

Caesar paludatus stans d. signum militare, humi duo captivi sedentes, in numis Constantini M., Crispi, Constantini jun.

Duae dexterae junctae signum militare prorae navis infixum tenent, in numis Domitiani et Commodi.

Omitto typos arbitrarios, qui nonnunquam nullo apparente nexu junguntur cum epigraphe PRINCIPI. IVVENTVTIS, ut in numis Domitiani Spes, Salus, Vesta, ara luculenta, ac denique ejus amica Pallas. Similis varietas in numis Herennii et Hostiliani.

Pars horum typorum, ac praecipue in iis numis, qui altioris sunt imperii, quos inter postremus est numus Getae, principes juventutis equis vectos repraesentat. Sed et ab aliis monumentis eorum cum ordine equestri nexus comprobatur. Narrat de Cajo et Lucio marmor Ancyranum a): *Equites autem Romani universi principem juventutis utrumque eorum parmis et hastis argenteis donatum appellaverunt.* In numo Neronis

a) Chishull Ant. As. pag. 173.

parmae inscriptum legitur: EQVESTER. ORDO. PRINCIPI. IVVENT., quam eandem epigraphen repetit marmor Gruteri a), et intra sertum exaratam exhibet numus Commodo Caesari dicatus. Supra sub M. Aurelio vidimus, hunc Caesarem dictum fuisse *πϱοκϱιτον ἱππαδος*, *principem equitatus*, etsi satis certum non sit, idem fuisse principem equitatus, ac principem juventutis, ut ibi observavimus. Denique Tacitus inter honores memoriae Germanici decretos, quem principem juventutis quoque fuisse altius probavimus, refert etiam b): *Equester ordo cuneum Germanici appellavit, qui juniorum dicebatur*, *instituitque*, *uti turmae idibus Iuliis imaginem ejus sequerentur.* Atque haec causa fuit, cur non dubitaret adserere Norisius, pro eodem accipi, esse principem juventutis, ac principem equitum c). Etiam Spanhemius existimat d), principes juventutis velut equestris ordinis ductores fuisse habitos, et hoc munus obivisse seu in ludis Circensibus, seu in decursionibus equestribus, seu in celebri Trojae ludo, qui praeeunte exemplum Ascanio, ut auctor est Virgilius, a pueris majoribus, et minoribus inter Circenses agi consuevit. Vaillantius quoque, ubi laudatum supra Getae numum cum typo trium equitum decurrentium explicat e), adserit, eum numum signatum in memoriam Trojae ludi, in quo Geta ut princeps juventutis praefuit, et idem alibi f), Trojae ludis, ait, qui praesidebat, princeps juventutis appellabatur. At vero nondum satis perspicere potui, fuisse principis juventutis, in hoc Trojae ludo agmen ducere. Enimvero testimonia veterum, quorum de hoc exercitio maximam partem convexit Panvinius g), istud, quod volunt viri hi eruditi, diserte non docent, neque etiam numi, quos ad causam suam advocant. Nam cum in his princeps juventutis equo praecipite vectus proponitur, hic typus ludum Trojae non demonstrat, quia quodcunque aliud equestre studium, cujus is particeps fuerit, potest indicare. Sane in justis funebribus Drusillae *praetoriani milites cum suo praefecto*, *ac seorsim equites militantes*, *seorsim patricii pueri Trojae decursione circum tumulum ejus obequitarunt*, ut narrat Dio h). Enimvero ludum Trojae in numis Caji Agrippae F., in quo is equo currente vectus proponitur, facile agnosco, quia factum istud Dionis quoque testimonio juvatur, verum is huic ludo non interfuit ut princeps juventutis, quia hoc honore tum, cum hic numus signatus est, decoratus nondum fuit, ut dixi in hujus numi explicatu. Ergo hactenus certum principis juventutis cum Trojae ludo nexum compertum non habemus.

Hi ergo auctores principis juventutis dignitatem cum re equestri connectere non dubitarunt. At Harduinus cum videret, principem juventutis in numis plerumque proponi stantem, et arma-

a) Pag. 236. 11. b) Ann. II. c. 83. c) Cenot. Pis. Diss. II. c. 3. d) Tom. II. pag. 363. e) Num. impp. praest. f) Num. de Camps. p. 99. g) de Ludis. Circ. L. II. cap. 9. h) L. LIX. §. 11.

tum hasta, et positis juxta duobus signis militaribus pedestribus, adserit, principem juventutis semper fuisse ducem primarium turmarum pedestrium, aut, ut ipse lingua patria explicat, *le Colonel General de l'Infanterie.* Vide in ejus Operib. sel. pag. 647, tum et in variis ejus chronologiae locis. Idem cum ex numis observaret Spanhemius, qui, ut diximus, principes juventutis ordinis equestris ductores antea constituit, paullo post subjicit, eos potius pedestri, quam equestri fuisse adscriptos videri [a]). Mazzoleni denique sententia aut obscurior est, aut certe propter rerum copiam implexior, quam ut eam paucioribus verbis in praefixa operis praesentis brevitate liceat explicatam dare.

Ex his patet, quam sit res ardua, aut fere ἀδυνατος, certam quamdam, et molestis conjecturis liberam illustris hujus tituli notionem repraesentare, cum dissideant viri eruditissimi, aut longa se ipsi commentariorum mole excrucient, aut denique nutare, variosque ad eum explicandum modos arcessere comperiantur. Perperam typorum oracula advocamus, quae, quam sint ambigua, hactenus vidimus. Istud tamen facile intelligemus, sub primis principibus cum hoc titulo conjunctos fuisse plerumque typos equestres, post Getam semper pedestres. Quis spondere poterit, a primaeva hujus dignitatis natura, et instituto successu temporis non fuisse discessum, eamque forte unam veterem suum statum ac conditionem conservasse? Eam sane a novandi studio non fuisse immunem, continuo patebit, cum exempla dabimus, hunc honorem, qui longo tempore Caesares tantum exornavit, ab ipsis etiam Augustis fuisse susceptum. Ceterum omissis omnibus conjecturis, et penitius rimandi libidine istud novisse suffecerit, quod nemo in dubium potest vocare, hunc titulum non fuisse tributum, nisi iis, quos fortuna, ut essent Augustorum vel successores, vel conlegae, destinavit.

Sed et principis juventutis nomen satis esse conspicuum visum est, quo ipsi Augusti gloriarentur. Iuvat inquirere, quis horum primus testibus monumentis idoneis illo usus fuerit. Proditur in museo Theupoliano argenteus Domitiani cum titulo Augusti, in cujus aversa is dicitur PRINCEPS. IVVENTVTIS; at constat de perversione monetae argenteae Romanae praecipue Flaviorum aetate. Similem habet museum Caesareum, sed manifeste subaeratum, neque dubitem, ejusdem naturae esse etiam Theupolianum. Ait Taninius [b]), jam Severum in numo dici principem juventutis. Vbi is servetur, non addit. Reperi apud Mediobarbum [c]), qui eum ex Patini Thesauro numismatum recitat, quo loco pag. 30 sic proponitur: SEVERVS. AVG. PART. MAX. X PRINC. IVVENT. COS. *Tres figurae equestres decurrentes.* At jam viderunt et Mediobarbus, et Patinus, hanc aversam non ad Severum, sed Getam pertinere. Numum a Mediobarbo citatum, in quo Diadumenianus et IMP. dicitur, et una PRINC. IVVENTVTIS, non moror, quia haustus est ex Hulsio Saturni abavo. Nuper museo Caesareo accessit nu-

a) Tom. II. pag. 564. b) Suppl. ad Band. pag. 2. nota 2. c) Pag. 277.

mus Gordiani Aug. argenteus, totus integer, et certissimae antiquitatis cum hoc honoris vocabulo, quem loco suo descripsi. Mediobarbus tres Philippi junioris jam Augusti numos profert, in quorum is aversa princeps juventutis dicitur. Sitne in his rite lecta, an a monetario per errorem huc traducta matrix aversae, quae nuper fuit Philippi adhuc Caesaris, quis decidet? Subinde Decius et Augustus, et princeps juventutis etsi in numo hactenus unico dicitur, quem Khellius in suo ad Vaillantium Subplemento vulgavit. Primus ergo usque modo erit Gordianus III., qui titulum hunc cum Augusteo in numis conjunxit. Antequam ad sequentium imperatorum numos progredimur, memorandum marmor vulgatum a Sponio a), in quo legitur: IMP. CAES. M. AVRELIO. ANTONINO. PIO. FELICI. AVG. PRINCIPI. IVVENTVTIS. — — — DEDIC. XVIII. KAL. SEPTEM. CATIO. SABINO. ET. CORNELIO. ANVLINO. COS. Processere hi consules V. C. 969, quo Caracalla jam numeravit trib. potestatem XIX. et tamen adhuc princeps juv. dicitur.

Post hos reliqua Augustorum principum juventutis exempla obiter tantum indicabo, quae descripta videri possunt in singulorum numis. Decium sequitur Herennius filius in aureo Pellerinii, dein filius alter Hostilianus. Mox Trebonianus, et Volusianus, Tetricus. Aurelianum non quidem numi talem praedicant, tamen marmor apud Reinesium b), sed qui inique additum hunc titulum descriptoris culpae tribuit. Sequuntur ex numis Probus, Numerianus, Carinus, Gal. Maximianus, Carausius, Maxentius, denique Constantinus M.

En tibi absolutam seriem Augustorum principum juventutis. Quid sibi quaesiverint adoptando titulo, qui hactenus tantum ad principes secundi fastigii pertinuit, a nemine explicatum reperio, neque et mihi adhuc opportuna quaepiam causa in mentem venit, nisi hanc velis referre ad cognitam hac aetate omnium veterum institutorum conversionem, cujus copiosa hactenus dedimus exempla.

De numis Crispi cum epigraphe PRINCIPIA. IVVENTVTIS egimus in hujus moneta, quo loco et egimus de numo Gratiani Aug. cum epigraphe: PRINCIPIVM. IVVENTVTIS.

---

a) Miscell. pag. 271. b) Class. III, n. 43.

CAPVT IX.

DE PONTIFICATV MAXIMO, ET SACERDOTIIS AVGVSTORVM ET CAESARVM.

Inquirere, quae fuerit ministrorum religionis in urbe origo, quae varietas, quis progressus, nemo non intelligit, a meo instituto plane esse alienum. Istud qui penitus nosse cupit, praeparatam reperiet materiam, et praeclare expositam ab eruditissimis IIviris Iacobo Gutherio in opere: *de veteri jure pontificio urbis Romae*, quod insertum est Tomo V. antiquitatum Romanarum Graevii, et Andrea Bosio in *Exercitatione historica de pontifice maximo Romae veteris*, eodem loco alteris typis restituta, quibus addendum alterum ejusdem opus *de pontificatu maximo imperatorum Romanorum praecipue Christianorum* ibidem recusum. Nobis in praesente capite sermo tantum erit de sacerdotiis Augustorum, Caesarumque, quod argumentum sive ex proposito, sive cum occasio tulit, praeter laudatos IIviros illustrandum quoque suscepere Baronius, Pagius, Tillemontius, Spanhemius, aliique, ac postremo abbas Mazzolenus in prolixa Animadversione de pontifice maximo. Horum ego praeclaris commentariis usus multa de hoc argumento conscripseram, cum forte fortuna incidi in dissertationem Bimardi Baronis de la Bastie *de pontificatu maximo imperatorum Romanorum*, cujus pars prior exstat in Actis academiae inscriptionum Tomo XII. Mém. pag. 355 usque ad finem, altera Tomo XV. inde a pag. 38. Hic commentarius, qui nescio quomodo antea me fugerat, avide a me perlectus cum plane congruere cum iis, quae scripseram, videretur, ac praeterea ordine, perspicuitate, eruditione meam longe superare diligentiam, cepi consilium, lectori nequaquam displiciturum, praeclara ejus praecepta servato eodem ordine huc conferendi, sic tamen, ut ejus abundantiam simus coerciturі, et addituri pauca, quae ad rem idonea ab auctore praeterita videbantur.

Quatuor capitibus universam doctrinam complectitur, in quorum I. quaerit, quod fuerit discrimen inter pontificatum maximum reip. R., et imperatorum? II. Quo tempore pontificatus maximus communicari cum pluribus coeperit, et utrum etiam cum Caesaribus? III. An Augusti pontificatus max. mini-

sterium per se obiverint, et cum plures una fuere pontifices max., an omnes dignitate pares? IV. Quo tempore Augusti pontificatu max. coeperint abstinere?

§. I.

Quod fuerit discrimen inter pontificatum maximum reip. R., et imperatorum.

Notum in vulgus, conlegium pontificum a Numa rege fuisse institutum, et qui huic praefuit, pontificem maximum appellatum. Pulso Tarquinio populi suffragiis creari coepit, reliqui pontifices a pontificum conlegio, donec et hi lege Domitia populi arbitrio permitterentur. Sulla dictator populi odio pontificum delectum horum conlegio tradidit, sed eo vita functo restituta populo suffragia ferente V. C. 691 T. Labieno tribuno pl. legem, et vidit idem annus pontificem max. C. Iulium Caesarem, ut in hujus numis diximus. Hoc a conjuratis caeso effecit auctoritate sua M. Antonius cos., ut iterum pontificum conlegio creandi pontificis max. jus esset, qui tum in M. Lepidum consensere. Hunc Octavianus V. C. 718 in ordinem redactum IIIviratu quidem exuit, consenescere tamen in sacro magistratu est passus, quia is ex vetere instituto viventi adimi non potuit. Hoc V. C. 741 naturali morte e vivis sublato, anno sequente Augustus pontificatum maximum saepe antea a populo oblatum, semper recusatum suscepit. Vide haec uberius exposita in ejus moneta. Verisimile existimat Bimardus, eam dignitatem Augusto a populo fuisse delegatam. At posteaquam Tiberius mox ab adito imperio comitia populi sustulit, omnemque potestatem in senatum transtulit, deinceps ejus conferendae jus penes senatum stetisse, quem subinde suo jure usum pluribus exemplis comprobat. Tamen Fl. Iulianum, ex quo a militibus acclamatus est Augustus, ausum semetipsum appellare pontificem maximum, refert Sozomenus [a]). Hic igitur eligendi modus primum constituit discrimen inter pontifices veteres privatos, et pontifices Augustos.

Alterum discrimen in eo stetit, quod privatus ille pontifex maximus, etsi omnibus sacerdotiorum conlegiis, et ipsis etiam Vestalibus praefuit, potestatem non habuit, si quod sacerdotium morte vacuum fuit, alium in ejus locum instituendi. Quin constat, ut supra diximus, hunc delectum jam penes pontificum conlegium, jam penes populum fuisse. Verum hanc optionem deinde fuisse in Augustorum arbitrio, diserte docet Dio [b]). Miratur Bimardus, Spanhemium et Pagium eam a Dione indicatam potestatem ad solos Caesares, et in imperio conlegas velle restringere, cum tamen multa sint exempla, quae ibi colligit, hanc gratiam a principibus ad privatos quoque fuisse derivatam. In illustrioribus est, quod Otho *pontificatus, auguratusque honoratis jam senibus addidisse, et recens ab exilio reversos adolescentulos nobiles avitis ac paternis sacerdotiis in solatium recoluisse a Tacito dicitur* [c]). Alterum, quod ex Symmacho [d]) de Constantio II. Christiano jam

a) L. V. c. 1. b) L. LIII. §. 17. c) Hist. L. I. c. 77. d) L. X. epist. 54.

principe narrat: *Nihil decerpsit sacrarum virginum privilegiis, decrevit nobilibus sacerdotia, Romanis caerimoniis non negavit impensas.*

Tertium Bimardus discrimen in ampliore pontificis Augusti potestate posuit. Nam cum pontifex maximus rep. integra non esset nisi supremus conlegiorum suorum praeses, neque nisi consultis his posset ferre sententiam, pontifex max. Augustus his limitibus coercitus non fuit, sed pro arbitrio jus sacrum est interpretatus, tantumque permisit conlegiis, quantum ipse voluit, quae lex pro varia principis seu ambitione, seu moderatione varia fuit. Vide apud auctorem complura in utramque partem exempla.

In quarto discrimine putat, quod olim auctoritas pontificis max. sola urbe Roma, et adjacente agro videatur fuisse definita, at deinceps eosdem cum imperio habuisse fines. Verum pauca exempla, quae hoc loco adfert, non satis istud stabiliunt. Neque enim existimo, valuisse ejus potestatem etiam in civitates, quibus ex vetere instituto legibus suis vivere collata autonomia permissum fuit. Legimus, Trajanum consulenti in causa dedicationis Plinio in haec verba respondisse a): *solum peregrinae civitatis capax non esse dedicationis, quae fit nostro jure.* Agebatur vero causa Nicomediae Bithyniae. At nomine *civitatis peregrinae* intelligi eam, quae legibus suis utitur, alibi disputavi b). Accedit, fuisse per imperium populos, aut eorum partem, qui ex religionis propriae instituto pontificis alieni dictis audientes esse non poterant, quales fuere Aegyptii, Iudaei, denique Christiani. Contraria exempla non tam videntur jus Augustorum pontificium probare, quam juris abusum, Augustis, et provinciarum praesidibus paullatim vix aliquam autonomiae umbram extraneis indulgentibus, quo de argumento eodem loco copiosius disserui. Generatim Tacitus tantum *Italicis in oppidis cunctas caerimonias, templaque, et numinum effigies juris atque imperii R. esse* docuit c).

§. II.

Quo tempore pontificatus maximus communicari cum pluribus coeperit, et utrum etiam cum Caesaribus.

Nemo hactenus fuit, qui in dubium vocaret, salva republica unum tantum pontificatui maximo praefuisse. Tempore imperatorum ab hoc instituto discessum est, at quando, variant sententiae. Viri primi in historia critica subsellii, Bosius, Norisius, Pagius, Tillemontius, Spanhemius, Vaillantius, Buonarrotius in eo conspirant omnes, primos Balbinum, et Pupienum una fuisse pontifices maximos. At fuere etiam, qui tempus praeverterent, quos enumerat Mazzolenus d), qui adserere non dubitabant, imperatores omnes eo ipso, quod ad imperium acciti erant, pontifices max. evasisse, ex quo sequeretur, jam Titum, Trajanum, L. Ve-

---

a) L. X. epist. 59. b) Vol. IV. de urbb. auton. p. 270. c) Ann. III. 71. d) Animadv. III. pag. 55.

rum etc. eodem honore fuisse ornatos. Eandem sententiam resuscitavit vir praeclarae in nostris studiis famae Bouhierus vulgata anno saeculi labentis 1733 dissertatione, quae exstat in Historia academiae inscriptionum Tomo IX. pag. 115, quem deinde secutus est Mazzolenus loco laudato.

Horum se doctrinae acriter, ac jure opposuit Bimardus noster in dissertatione, quam prae manibus habemus. Ex historicis locum classicum suppeditat Dio a), quo loco decretos imperatoribus a senatu honores enarrat: *ἐκ τε τȣ ἐν πασαις ταις ἱερωσυναις ἱερωσθαι, και προσετι και τοις ἀλλοις τας πλειȣς σφων διδοναι, ἀρχιερεων τε τινα ἀυτων, κἀν δυο, κἀν τρεις ἁμα ἀρχωσιν, ἐιναι, παντων ἀυτοι και των ὁσιων, και των ἱερων κυριευȣσιν.* *Quoniam autem omnibus sacerdotiis inaugurati sunt, ac praeterea aliis eorum pleraque elargiuntur, et unus imperatorum, etiam si duo, vel tres simul imperant, summum pontificatum gerit, eo fit, ut sacra omnia in sua habeant potestate.* Qua ergo in oratione docet, cum duo, aut tres una fuerint Augusti, horum unum tantum pontificatus max. dignitate praevaluisse. Ergo ex praeclari historici sententia istud obtinuit usque ad Alexandrum Severum, quo is imperante vivere desiit. Paucis post annis infracta haec lex, Balbino et Pupieno simul in eadem dignitate constitutis, quorum uterque in numis passim pontifex maximus appellatur. Edito exemplo plura deinceps fuerunt summi hujus sacerdotii conlegia, quin et verisimile est, inde a Balbino et Pupieno omnes, ex quo conlegae imperii esse coepere, fuisse etiam in pontificatu maximo conlegas, ut Philippum juniorem, Volusianum, Carinum, aliosque, de quo argumento vide singulorum numos. Sane tres eodem tempore in eadem dignitate stetisse, Gal. Maximianum, Constantinum, et Licinium, patet ex edicto Gal. Maximiani, quod conservavit Eusebius b), in quo tres hi omnes pontifices max. appellantur. Adde illos, qui in provinciis per vim Augustos sese dixerunt, et una pontifices maximos, cujus in numis Postumi, Victorini, Tetrici exempla suppeditat Bandurius.

Iam vero et Bouhierus, ejusque sequaces sua expediunt argumenta, quibus evincere conantur, jam etiam Titum, aliosque deinceps imperii conlegas in summi pontificatus conlegium fuisse adscitos. Causam suam tuentur numis, et marmoribus, nam aliae iis copiae praesto non fuere. Horum aciem ut obtunderet Bimardus, eadem sibi arma delegit, quibus ipse ego in simili bellorum genere, atque, ut lectori ignotum esse non potest, in universo hoc opere constanter sum usus. Qui enim amabo hi numi? quae marmora? nimirum, inquit, quos nobis numos dedere Goltzius, Occo, Mediobarbus, falsos, confictos, male lectos promulgatosque, pessimae omnes notae, aut, etsi antiquos, tamen subaeratos, ergo mendaces, malosque veritatis praecones, laborantibus simili morbo marmoribus, sive quadratarius, sive inscitia municipalis, sive descriptores, aliaeve causae multiplices vitium illis intulere. At

a) L. LIII. §. 17. b) Hist. eccles. L. VIII. c. 8.

vero alias dictare leges numos probos ac genuinos, tum et marmora, quae publica, ac praecipue Romana auctoritas incidit, et peritus oculus legit, et in membranam transtulit. Singulos deinde numos, quibus nituntur adversarii, in judicium vocat, eorum malam fidem demonstrat, iisque veros, et omni suspicione liberos opponit. Necesse non existimo, singula viri praestantis argumenta transscribere, quia generatim verissimum est, omnia adversariorum monumenta suspectae esse fidei, et auctoritatis, et ipse satis partim in Prolegomenis ad numos Augustorum, partim in tractatu de tribunicia potestate comprobavi, quam miseram necesse sit exire historiam, quae hujus indolis testimoniis nititur. Qui amplius instrui cupit, adeat ipsum Bimardi oraculum. Neque minus solide is refellit sententiam, qui sanxere, a veteribus non raro dici simpliciter pontifices, qui re ipsa fuere pontifices maximi, quod sibi praecipue probandum sumpsit Cuperus [a]). Nam etsi nonnunquam sic locuti fuerint historici, aliique scriptores, non tamen aut numi, aut marmora incorrupta. Vide laudatam dissertationem p. 377.

Dedimus supra Dionis locum, in quo imperatores dicuntur omnibus semper sacerdotiis fuisse inaugurati, ut adeo una essent et pontifices maximi, et praeterea pontifices, augures, XVviri sacris faciundis, et VIIviri epulonum, de quibus solis quatuor conlegiis vide Norisium [b]), tum et numos Neronis Caesaris. Dionis verba egregie confirmat marmor Gruterianum dicatum Tiberio PONTIF. MAX. AVGVRI. XVVIRO. S. F. VIIVIRO. EPVLON. [c]) ut adeo non solum tales essent, sed et nonnunquam in monumentis publicis promulgarentur. In numis Augustorum (aliter se res habet in numis Caesarum, de quibus mox) omnia haec conlegia nunquam enunciantur. Tamen nonnulli Augusti in numis auguratus quoque mentionem fecere. Legitur in numis Caligulae: PONT. MAX. AVG. additis simpulo, et lituo, Claudii: P. M. AVGVR, Vespasiani, et Titi: AVGVR. TRI. POT. Vide, quae in singulis notavimus. Ceterum constat, adhuc stante rep. plura alia sacerdotia cum pontificatu max. fuisse conjuncta. Iam Iulius Caesar in numis dicitur: AVGVR. PONT. MAX., et Livius [d]): *Exitu anni et C. Servilius Geminus pontifex maximus decessit; idem Xvir sacrorum fuit. Pontifex in locum ejus a collegio cooptatus est Q. Fulvius Flaccus, at pontifex maximus M. Aemilius Lepidus, et Xvir sacrorum Q. Marcius Philippus.*

* * *

Augusti suos sive natura, sive adoptione filios aliquo semper sacerdotio exornavere, ac primum quidem Augustus nepotes Cajum et Lucium, Tiberius filium Drusum, subinde Neronem, et Drusum Germanici liberos. Vide horum omnium numos. Tamen hi uno alterove sacerdotio fuere contenti. Verum Claudius permovit senatum, ut Neronem a se adoptatum in omnia sacerdotum conlegia supra numerum co-

---

a) Not. in Lactant. de mort. persec. b) Cenot. diss. II. c. 5. c) Pag. 235, 10. item Muratori pag. 223, 6. d) L. XL. c. 42.

optaret, ut dictum in Neronis moneta, Caesarum aliquem fuisse quocunque tempore pontificem maximum, nullo certae fidei monumento constat. Quo magis mirum, Albinum Clodium nondum Augustum in quibusdam numis dici pontificem maximum, quos adi.

§. III.

An Augusti pontificatus max. ministerium per se obiverint, et cum plures una fuere pontifices max., an omnes dignitate pares?

Hanc quaestionem, et quae deinceps sequuntur, prolixe disputat Bimardus in Actis Parisinis Inscriptionum Tomo XV. inde a pagina 38. Cum nunquam desint viri praestantes, quorum irrequietum ingenium sectari subtilia, nodumque in scirpo quaerere amat, fuere etiam, qui adsererent, aut suspicarentur, Augustos pontificatus max. titulo contentos nequaquam ipsos connexa cum hoc munera adimplevisse. Contrarium aliorum judicia secutus docet Bimardus, cum constet ex historiae Augustae scriptoribus, quorum copiosa testimonia recitat, eos generatim peregisse, quae pontifices max. integra republica praestare consueverunt, restituisse caerimonias neglectas, stabilivisse novas, procurasse ludos sacros, reformasse Kalendarium, quod non modo a I. Caesare, sed et Augusto factum refert Suetonius [a]), feriarum tempora constituisse, in fidem librorum Sibyllinorum inquisivisse, judicasse causas sacerdotum utriusque sexus, et his similia, sacrificasse autem publice in causis imperii, non scriptores modo, sed et infinitae numorum aversae copiose testantur. Non obstat, factum saepenumero, ut imperatores, sive cum peregre agerent, sive valetudine detinerentur, vicario pontifice uterentur, nam istud imperavit necessitas; neque etiam, quod de Antonino Pio perhibet Capitolinus: *nec ullum sacrificium per vicarium fecit, nisi cum aeger fuit*, quo testimonio uti amant adversarii, quo comprobent, imperatores alios vicarium semper praesto habuisse, qui pro se pontificis max. munia obiret. Sed enim haec oratio aliud non docet, nisi Antoninum in patria sacra aliis impensius fuisse adfectum, cujus illustria exempla in ejus moneta dedimus; neque etiam haec ejus adsiduitas tantopere videatur mirabilis, cum, quoad imperavit, nunquam pedem ex urbe, aut vicinia extulerit.

Ad alteram hujus quaestionis partem transgressus Bimardus, nimirum, cum plures una fuere pontifices maximi, an omnes dignitate pares fuerint? negat, in omnibus historiae R. scriptoribus certa sese argumenta reperisse, quae resolvere dubium possent. Solas igitur superesse conjecturas, easque ab Augusteae dignitatis ratione petitas. Tres igitur cum Pagio sub imperatoribus distinguit imperii administrandi formas, prima est, qua Augusti sibi adscivere successores Caesares, sic tamen, ut hi illis plane subessent, in quorum numero

a) in Aug. c. 31.

fuere Tiberius, Titus, Trajanus, Antoninus Pius, M. Aurelius. Altera, qua M. Aurelius L. Verum, deinde Commodum, Severus Caracallam, et Getam sibi sociaverunt collato etiam Augusti nomine, sic tamen, ut singulorum auctoritas in omnes aeque imperii R. provincias valeret, et unum tantum existimaretur imperium, etsi plures illi praeessent. Tertia, quam post Diocletiani, et Maximiani abdicationem constituerunt Constantius Chlorus, et Gal. Maximianus, cum hi imperium divisere, et designatae provinciae, legionesque, quae singulis parerent. Atque tum imperium nonnisi nomine dici unum potuit, nam deinceps quivis permissis sibi provinciis summa cum auctoritate praefuit, quin alter alteri obnoxius esset, solo relicto unionis signo, quod, cum leges ab Augustorum quopiam latae fuere, adposita fuere conlegarum nomina. Enarratis his tribus formis arguit Pagius, usque ad Balbinum et Pupienum non fuisse nisi unum pontificem maximum, ut dictum altius. Post hos, ait, in obscuro esse, utrum solum nomen pontificis max. cum junioribus Augustis communicatum fuerit, et potestas penes unum remanserit, an vero hi quoque in potestatis consortium vocati fuerint. At facta demum imperii divisione Augustos omnes non solum summae hujus dignitatis nomen, sed et connexam cum hoc potestatem habuisse. In omnibus his cum Pagio convenit Bimardo, nisi quod hic plane verisimile putat, etiam inde à Balbino usque ad Chlorum junioribus Augustis non nudum pontificis max. titulum, sed aliquod etiam ejus exercitium fuisse permissum. Abstineo ab argumentis, quibus uterque praesentem causam confirmat, quia istud praefixae brevitatis fines excedit, et praeterea ad hanc nihil opis conferunt numi.

§. IV.

Quo tempore Augusti pontificatu max. coeperint abstinere?

Amplam haec quaestio eruditis disputandi materiam suppeditavit, quorum alii censuere, primum fuisse Gratianum, cui summo hoc gentilium sacerdotio fungi nefas visum esset, contra alii, jam a Constantino M., qui primus Christiana sacra amplexus est, illud fuisse repudiatum. Priori sententiae adhaesit Baronius [a]), etsi olim alteram praeferret [b]), adhaesere etiam Bosius in laudata principio Exercitatione historica de pontifice max., Spanhemius [c]), Vandale [d]), multique alii, quos enumerat Bosius. Alteri sententiae sese applicuere cel. Iacobus Gothofredus in epistola, quam nomine *Iulii Placidii de interdicta Christianis cum gentilibus communione Genevae* edidit, Pagius [e]), Tillemontius [f]), ac post alios nuper copiosius eruditus abbas Mazzolenus [g]). Vtramque sententiam expensis utriusque partis argumentis in severum, ac fortasse propter rerum copiam nimio pro-

a) Ann. eccl. ad ann. Chr. 312. b) Not. in martyrol. Rom. ad diem 21. Aug. c) Tom. II. p. 413. d) Dissert. II. de Pont. max. e) Crit. Bar. ad ann. 312. f) Hist. impp. Tom. IV. variis locis. g) Animadv. III. de Pont. max. p. 66.

ductum examen vocavit Bimardus noster inde a pagina 75, sanxitque, priorem Baronii, Bosiique opinionem alteri longe praeferendam. Non possum longae disputationis nonnisi summam huc conferre, quam, quantum fieri potest, paucis excerptum eo.

Repudiati primum a Gratiano pontificatus max. disertum testimonium unus offert Zosimus [a]). Narrat enim, cum quis ad imperium vocatus est, adfuisse continuo pontifices, qui amictum illi pontificalem obtulere, et pontificem adeo maximum appellatum fuisse. Omnes hactenus imperatores videri avide hanc dignitatem suscepisse, et semper hoc titulo usos, ne excepto quidem Constantino, etsi is abjecta majorum religione Christianam esset amplexus. In eodem proposito mansisse etiam, qui proxime successere, atque hos inter Valentinianum quoque, ac Valentem. Verum cum pontifices veterem morem secuti togam sacerdotalem Gratiano offerrent, hunc eam repudiasse, cum negaret, ea hominem Christianis sacris deditum uti posse. Reddita igitur pontificibus toga dixisse pontificem conlegii sui principem, si fastidit imperator nomen pontificis, paullo post futurum pontificem Maximum. Hactenus Zosimus, cujus postrema verba continent adlusionem ad Maximum Britanniae tyrannum, qui revera aliquot post annis caeso Gratiano imperium arripuit. Hujus veritatem testimonii Bimardus argumentis aliis, quibus passim usi sunt eruditi, qui praecessere, stabilire nititur. An enim, si jam Constantinus M. pontificium istud munus detrectasset, contemptum tam canorum indicare in commentariis suis neglexissent aut scriptores ecclesiastici, ac praecipue Eusebius, aut scriptores gentiles, ac cumprimis Iulianus apostata? Ex quo silentio argui jure potest, a praecedentibus principibus Christianis nihil in hoc more fuisse mutatum. Deinde si potuit satis habere animi ad aspernandam religionem veterem, tamen periculosum fuisset ab acceptando summo hoc munere alienum videri, quia jure metus fuisset injectus paganis numero tum adhuc praevalentibus, ne eos ad suscipienda nova sacra vi adigeret. Ergo quo jure deinceps quoque permisit agi ludorum solennia, et quascunque antiquae superstitionis caerimonias, eodem et ipse potuit admittere munus, quo secundum praescriptas leges antiqua superstitio regebatur. Accedit, quod amolienda a se ea dignitate justam potestatis imperatoriae partem, propter quam ea a majoribus avide expetita fuit, ipse sibi ademisset. Quid quod ea retenta principes Christiani mille habuere modos, idolorum cultum cuniculis oppugnandi, prohibendo illatis causis solitos conventus, ritus, caerimonias, aliaque. Praeter allatum mox Zosimi testimonium memorandum etiam alterum Servii, qui sub principibus Christianis scripsit, *sane majorum*, inquit, *haec erat consuetudo*, *ut rex esset etiam sacerdos*, *vel pontifex*, *unde hodieque imperatores dicimus pontifices.* Ad monumenta vetera quod attinet, ex-

a) L. IV. c. 36.

stant marmora, quae citat Bimardus, in quibus Constantinus M., Valentinianus, Valens, atque ipse etiam Gratianus pontifices maximi appellantur. Addo denique ego: si visum fuisset Constantino detrectare pontificatum, quia componere illum cum causis religionis suae nequiret, prohibere etiam non potuisset, quo minus dignitas a principe abjecta alteri deferretur, ne pontificum conlegium capite suo careret, ac cumprimis illa aetate, qua totus fere adhuc senatus R,, conlegia omnia, ac maxima civium pars paganis constabant. At vero tantum abest, ut alteri supremum hoc munus imponeretur, ut ex monumentis, scriptoribusque constet etiam, neminem ante Gratianum vel ab ipsis paganis agnitum pontificem maximum, nisi unum principem.

His praemonstratis Bimardus diluere Gothofredi objecta aggreditur iisdem usus argumentis, quae in eadem causa Bosius olim Gothofredo opposuit, quorum praecipua capita haec sunt. Ait hic primum, nullam Zosimum promereri fidem, ut qui narrationis suae vadem non citat. Verum, respondet Bosius, vade opus non fuit Zosimo auctori fere synchrono.. Zosimo, invehitur Gothofredus, nulla habenda fides, scilicet jurato Christianorum hosti, et qui multa de jactato Constantini M. in haruspicinam adfectu ineptit, et quod amplius est, qui de ipsa Gratiani nece falsum dixit, cum eum contra omnium scriptorum fidem non Lugduni Galliae, sed Singiduni Moesiae peremptum narrat. Obloquitur Bosius, odium scriptoris pagani, nisi aliae causae idoneae praesto sint, per se solum non sufficere ad abrogandam fidem, si qua is minus laudabilia de principibus Christianis scripsit. Ad haruspicinam quod attinet, Gothofredum Gothofredo opponit, qui ipse in commentario suo in titulum codicis Theodosiani: *de paganis, sacrificiis, et templis*, adserit, Constantinum lata lege haruspicinae usum permisisse. Quo pacto excusari possit lapsus Zosimi Singidunum pro Lugdunum scribentis, lege copiose disserentem Bimardum. Prosequitur Gothofredus, verisimile non esse, si imperatores Christiani pontificatum admisissent, istud a pluribus aliis scriptoribus paganis fuisse dissimulatum, neque etiam videri verisimile, patres ecclesiae non omnem fuisse impensuros operam, ut ab hoc proposito principes Christianos averterent. At enim, inquit Bosius, ab ipso hoc scriptorum silentio probari, imperatores obire pontificatum perrexisse; nam ea tantum solent literis consignari, quae a vetere instituto recedunt, non quae cursum suum ordinarium retinent. Ceterum Zosimus non solus fuit, qui pontificatum eos gessisse narravit. Servium jam supra citavimus. Ausonii infra mentio fiet. At jam ad alia monumenta provocat Gothofredus, aitque, titulum pontificis max. iisdem neque in edictis, neque in numis saltem genuinis, neque in marmoribus tribui. Respondet Bosius, nihil istud probare, quia nimium probat; neque enim vel Maximinus Daza, vel Iulianus in edictis eum praeferunt titulum, nemo tamen propterea negaverit, fuisse eos pontifices maximos. Inde a Claudio Gothico ea dignitas raro jam in numis expressa fuit, et fuere principes pagani complures,

quorum numi eam plane reticuere. Idem factum reperimus cum tribunicia potestate, et consulatu; an vero eos propterea utrumque munus repudiasse statuemus? Tamen numos Constantini M., qui eum pontificem max. dicunt, in ejus moneta dedimus, et adfert Bimardus marmora, quae idem illi elogium tribuunt [a]). Quod si illud in filiorum Constantini M. numis omissum est, causam adfert Bimardus [b]), quia tum demptis titulis *Dominus noster*, *Imperator*, *Caesar*, *Augustus*, reliqui omnes, scilicet consulis, tribun. potestatis, pontificis maximi passim in numis omitti coepere. Sane hactenus numus Iuliani, qui hunc pontificem vocaret, repertus non est, etsi Libanius testetur [c]), illi non minori voluptati fuisse titulum pontificis, quam imperatoris. Addo ego testimonium aliud Socratis, conquerentis, Iulianum semetipsum pontificem max. appellasse [d]).

Sunt haec potiora argumenta, quae expedivit Gothofredus, deinde, qui hunc refutavit, Bosius. Addidit continuo sua propria Bimardus, sed antequam istud ageret, praemonendum necessario duxit [e]), in pontifice maximo tria esse spectanda, titulum ipsum, a quo illi, qui eo ornatus fuit, sacra quaedam veneratio accessit, deinde potestas, quae illi utriusque sexus sacerdotes subjecit, et quae vetuit aut novae rationis cultum stabiliri, aut jam receptum immutari, denique muneris exercitium, quod praecipue in administrandis sacris ritibus, et offerendis sacrificiis constabat. Postremum istud cum religionis Christianae praeceptis componi non potuisse, ipse facile intelligit, non tamen adversatas fuisse priores duas causas, quin potius ad amplificandam religionem Christianam, et coercendam idololatriam plurimum conferre opis potuisse. Haec omnia multis testimoniis, argumentisque confirmat petitis ex historia ejus aevi inde a Constantino M. usque ad Gratianum, solutisque pertinace opera dubiis, quae obstare sententiae suae possent. Magnum illi momentum est inscriptio pontis Tiberis in hunc usque diem Romae proposita, et ipsorum Valentiniani, Valentis, Gratiani, qui eodem omnes tempore Augusti fuerunt, auctoritate ponti inserta, quae singulis palam pontificis max. nomen addit. Eam a multis aliis editam habes apud Gruterum [f]). Ex quo arguit Bimardus, quamdiu Valentinianus, Valensque superstites fuere, Gratianum recusare non potuisse oblatum pontificatum, quem ultro suscepere seniores Augusti. At posteaquam his vita functis primus Augustus, atque unicus evasit, nihil jam obstitisse, quo minus libere voluntatem suam explicaret. Quod reliquum est dissertationis, inde a pagina 125 examinandis Ausonii scriptis impendit, cujus testimonia pars utraque ad causam suam solet advocare. Postremo impugnat fidem monumentorum, ex quorum doctrina sequeretur, adhuc Valentinianum III., Marcianum, et Iustinum I. dictos fuisse pontifices maximos [g]).

a) l. c. p. 108. b) ibid. p. 110. c) Paneg. Tom. II. p. 295. d) H. E. L. III. c. 1. e) l. c. p. 88. f) Pag. 160. g) Pag. 142.

Absolvi summam ejus disputationis, quae virorum praestantium sententias distraxit. Vt non gravate ipse Bimardi, et qui huic duces fuere, opinioni subscribo, quia argumentorum robore praestare videtur, sic fateor tamen, suum etiam alteri adversae inesse pondus, quo sane fretus vir quidam eruditus Dominicus Marsella nuper Romae dissertationem vulgavit, quae inscribitur: *Il pontificato massimo non mai assunto dagl' Imperadori Cristiani*, qua is in disputatione advocatis etiam causis theologicis negat absque gravissima culpa exerceri a principe Christiano potuisse munus, quod professioni fidei Christianae palam adversatur, quia, inquit, intrinsece malum, et gravissimi foret piaculi, seu verbis, seu opere quocunque obtentu falsam religionem simulare. Vtrumque dum una posse consistere negat vir pius probusque, possumus jure quaerere, quo pacto principum Christianorum, qui usque ad Gratianum imperavere, ne ipso quidem plures ob causas dempto Constantino M., vita improba ac scelerata, vindictae cruentae, fraterna odia caedesque, et quae sunt his magis atrocia, cum legibus theologicis, ac religionis verae professione potuerint componi? Miraremur isthaec, nisi de multorum hominum doctrina satis constaret, quae caerimonias, ritus, opiniones quasdam ἀδιαφόρους arctiore vinculo cum causis religionis connectit, quam virtutis solidae praecepta, quibus potissimum exercendis ex divini legislatoris praescripto humani generis salus continetur. Addendum denique, eruditum Vandale, non contentum, Bosii sententiae adhaesisse, ultra adhuc progressum esse, cum sancire non dubitavit, Caesares Christianos adhuc diu post Gratianum se pro pontifice max. gessisse inter Christianos, quod iste titulus includeret summum in Christianorum ecclesias regimen atque imperium, atque adeo, quae ad SS. Trinitatem et fidem catholicam, ad ecclesias earumque privilegia, quae ad episcopos et clericos, quae ad haereticos, quae ad baptisma, ad sepulturas etc. pertinebant, a Christianis imperatoribus fuisse directa, correcta, jussa, aut vetita jure pontificatus maximi, quod ad ipsos per potestatem Caesaream, cui is pontificatus adnexus erat, devolvebatur [a]). Complures imperatores sic agere instituisse, ut crederent, similia jura ad se pertinere, quis negaverit?

---

a) Dissert. II. de pont. max. cap. I.

CAPVT X.

DE TRIBVNICIA POTESTATE.

Tribunicia imperatorum potestas a tribunis plebis ducitur, qui anno post exactos reges XVI., V. C. 262 constituti sunt, ut plebi adversum patriciorum insolentiam, et saevitiem praesidio essent. Quibus gradibus eorum vires, ac potentia creverint, quamque fuerint non patriciis modo, sed ipsis summis magistratibus graves ac molesti, non est hujus loci commemorare. Istud certum, majora tribunis, atque ampliora fuisse concessa jura ac potestatem, quam ut principes, qui remp. everterunt, omniumque in se magistratuum vires transferre sunt conati, non etiam tribuniciam auctoritatem ambirent, aut ultro sibi deferri concupiscerent. Neque enim exigua fuit ad summam sive potentiam, sive felicitatem accessio, esse sacrosanctum, et, ut ait Cicero [a]), non modo contra vim et ferrum, sed etiam contra verba legibus sacratis armatum, posse quibuscunque senatusconsultis intercedere, convocare, cum luberet, ac dimittere senatum populumque, magistratus sibi obsistentes vi ad obsequium adigere. Vide, quae de hac tribunorum pl. potestate subinde in imperatores transfusa nitide disseruit cl. de la Bletterie Gallus [b]).

Primus, cui extra ordinem decreta est tribunicia potestas, fuit Iulius Caesar testante istud Dione [c]). Nimirum inter alios honores, quos audita victoria Pharsalica ei detulit populus, fuit etiam, ut per omnem vitam tribuniciam etiam quodammodo potestatem obtineret. Idem honos oblatus Octaviano post victum in Sicilia Sex. Pompejum Lepidumque, si fides Orosio [d]), sive ad Actium Antonium teste iterum Dione [e]), sed quem tum videtur aut non acceptasse, aut certe negligentius habuisse. Etenim anno post ea septimo, V. C. 731, ut idem Dio refert [f]), decretum a senatu, ut Augustus tribunus plebis perpetuus esset, additque continuo: inde exortum, ut Augustus, quique eum secuti sunt imperatores, lege quadam cum reliquis hisce honoribus, tum tribunicia potestate uterentur. Primus ergo fuit Augustus, qui eam hac lege suscepit, qua apud successores valuisse ex veterum monumentis intelligimus.

---

a) pro Sextio. b) B. L. Tom. XXV. Mem. pag. 392. c) L. XLII. c. 20. d) L. VI. c. 18. e) L. LI. §. 19. f) L. LIII. §. 32.

Ejus suscipiendae, et conservandae non unam habuit Augustus causam. Praeterquam enim quod secundum ea, quae supra commemoravi, et potentiam sibi adjunxit, et securitatem, popularis potestatis specie invidiam declinavit, exosis tum maxime *regis* et *dictatoris* vocabulis. Quod quidem Augusti consilium non fugisse perspicaciores, declaravit Tacitus agens de potestate tribunicia [a]): *Id summi fastigii vocabulum*, inquit, *Augustus reperit*, *ne* regis *aut* dictatoris *nomen adsumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret* *). Atque idem supra de eodem Augusto [b]): *posito IIIviri nomine consulem se ferens*, *et ad tuendam plebem tribunicio jure contentum.* Quo quidem instituto professus est, quod gratissimum videri populo debuit, esse se reip. studiosissimum, et nonnisi ex reip. more vitam ac bona civium defensurum. Et fuit hic decori praetextus quodammodo necessarius illo tempore, quo libertatis recordatio adhuc hominum animis insederat. Quin eodem adhuc usus consilio Tiberius, homo violenti cetera ingenii, sed astutiae cognitae, *cuncta per consules incipiebat*, *tanquam vetere republica*, *et ambiguus imperandi. Ne edictum quidem*, *quo patres in curiam vocabat*, *nisi tribuniciae potestatis praescriptione posuit*, ut ait Tacitus [c]). Ex quo apparet, quam valida fuerit ea potestas ad firmandum principatum, et resp. his velut cuniculis, nimirum populari specie, certius, quam aperta vi sit eversa. Atque hac sane fiducia dicta est Tacito *summi fastigii vocabulum*, non quod illa summum fastigium significaret, sed quodammodo efficeret, quo modo et de Tiberio potuit adfirmare Vellejus, eum *tribuniciae potestatis consortione fuisse aequatum Augusto* [d]), atque eam Vopiscus quoque *partem maximam regalis imperii* vocavit [e]). Fuere, qui huic potestati nimium detraherent, alii, qui nimium tribuerent. Ex illis Norisius nimium parcus, ut refert Pagius [f]), existimavit, trib. potestatem imperatorum nullum designasse imperium, sed tantum jus intercedendi, atque immunitatem ab omni injuria. Ex his Dodwellus nimio liberalis in trib. potestate inclusam una fuisse potestatem proconsularem adseruit. Verum has singulares sententias jam adcurate refutavit eruditissimus Schwarzius in *Exercitatione academica de Augustorum Caesarumque trib. potestate* §. XII. et XIII., et Mazzolenus in dissertatione ejusdem argumenti pag. 7.

Magnum tamen fuit inter veteres tribunos plebis, et imperatores trib. potestate praeditos discrimen, cujus rationem ipse Dio aliquot locis expedit. Primum neque Augustus, neque ullus alius imperator tribuni pl. nomen gessit, sed titulum trib. potestatis [g]). Ni-

---

a) Ann. L. III. c. 56. b) Ann. I. 2. c) Ann. I. 7. d) L. II. c. 99. e) in Tacito Aug. c. 1. f) Critic. Baron. ad ann. Chr. 147 n. IX. g) L. LIII. §. 32.

*) Quoniam tribunatus non tam honorem et excellentiam, quam fiduciam contra vim attulit, conjicit laudatus Bletterius, (l. c. pag. 438.) consentiente etiam Gutherio, pro *praemineret* legendum forte *praemuniret*.

mirum quod ipse alibi adserit [a]), *gerere quidem tribunatum plebis nefas ducunt imperatores, cum utique ipsi patricii sint, omnem vero trib. potestatem, quanta unquam maxima fuit, accipiunt.* Ex quo docemur etiam, imperatores, etsi ex plebeiorum ordine essent, continuo in patricios fuisse adlectos, cujus quoque exemplum in Did. Iuliano dedit Spartianus [b]). Deinde integra rep. non potuit tribunus pl. esse simul consul, aut alium obire magistratum, quod tamen permissum fuit imperatoribus. Accedit, tribunatum veterem ex lege ordinaria non fuisse, nisi annuum [c]), eumque initum IV. id. Decembres, cum tamen imperatorum trib. potestas fuerit perpetua, et quocunque anni tempore decreta. Denique tribunis pl. non licebat abesse urbe, neque extra eam pernoctare, nisi feriis Latinis [d]), eorumque praeterea potestas extra urbem non valuit, at licuit imperatoribus abesse urbe, neque si aberant, vim suam amiserat trib. potestas, cujus exemplum in Rhodo dederat Tiberius, cum citatum pro tribunali convitiatorem rapi jussit in carcerem [e]).

Etsi vero imperatores trib. potestatem occupassent, non tamen in urbe tribuni pl. ex vetere more creari desivere, quorum etiam exstant exempla non raro tribunicia libertate senatusconsultis intercedentium, ut videre est apud Pighium suos singulis annis tribunos, si quos historia testata est, tribuentem. At pronum est conjicere, ut reliquorum magistratuum, sic et tribunorum paullatim exolevisse auctoritatem, ac denique praeter nomen relictum nihil. Existimat Panvinius, durasse tribunos usque ad Constantinum M., a quo certum est, cum novam constitueret reip. formam, multa vetera instituta fuisse antiquata.

Conferre imperantibus trib. potestatem, ad senatum pertinuit, a quo eam et Iulio Caesari, et Augusto delatam novimus. Sed et deinceps firmato jam principatu arbitrium istud senatui permissum, non quod principibus deessent vires, quae vellent, occupandi, verum quo honores non vi extorsisse viderentur. Sic teste Tacito vel ipse Tiberius petiit a senatu, ut Druso filio trib. potestatem conferret [f]). Qua de causa Elagabalum perstringit Dio, quod non exspectato senatusconsulto praeter honores alios principibus deferri solitos in trib. potestatis nomen involavit [g]). At de ejus successore Alexandro Lampridius [h]), eum uno eodemque die a senatu Augustum, trib. potestatis, patrem patriae fuisse appellatum. Neque vero causam reperio, cur unus Pescennius, etsi Augustum se palam professus est, tamen trib. potestatis mentione abstinuerit, quam quod ea illi a senatu, qui primum in Didii Iuliani, deinde Severi potestate fuit, decerni non potuit, ipse vero specie moderationis, nisi oblatam, arripere non voluit. Sane in nullo ejus numo hucusque prodito eam inscriptam potesta-

a) L. LIII. §. 17. b) Cap. 3. c) Appian. Bell. civ. L. I. c. 14 et 21. d) Dionys. Halic. Ant. L. VIII. e) Suet. in Tib. c. 11. f) Ann. III. cap. 56. g) L. LXXIX. §. 2. h) Cap. 1.

tem reperias. Quin cum Antiochenses inde a Trajano, ac deinceps tetradrachmis constanter inscribere solerent ΔΗΜΑΡΧΙΚΗϹ. ЄΞΟΥϹΙΑϹ, *tribuniciae potestatis*, ex dicta causa in uno Pescennio mutarunt epigraphen suffecto ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘЄΩΝ, *providentia deorum*, ut dictum in moneta Antiochensium.

Augustos sibi in trib. potestate adhibuisse conlegas, obvia sunt exempla. Tria suppeditat ipse Augustus, qui eam V. C. 736 M. Agrippae ad quinquennium detulit [a]), subinde V. C. 741 in aliud quinquennium prorogatam [b]). V. C. 748 ad quinquennium item dedit Tiberio privigno, ut Caji et Lucii Caesarum insolentiam reprimeret, quo exacto ad privatam rursum fortunam est redactus. At vero Cajo et Lucio vita functis, ne, ut inquit Tacitus [c]), successor in incerto foret, et pravae aliorum spes cohiberentur, V. C. 757 Tiberium et adoptavit, et trib. potestate donavit in decennium, et exspiraturam prorogavit, ut diximus in moneta Tiberii. Coepit ergo jam Augustus, quem hac potestate decoravit, velut conlegam in imperio, et destinatum successorem habere, quod ejus institutum subinde in exemplum abiit. Nam sequentes imperatores iis, quos per adoptionem imperio destinaverant, si modo per aetatem rebus gerendis pares fuere, continuo trib. potestatem decernendam curavere, cujus exempla dedere Augustus in Tiberio, Nerva in Trajano, Hadrianus in Aelio, et mox Antonino. Addidi, si per aetatem ad res agendas idonei fuere, nam neque Augustus Cajo et Lucio, etsi per adoptionem designatis successoribus, et ille consulatu functus jam esset, trib. potestatem decerni est passus, neque Claudius Neroni, neque Antoninus statim M. Aurelio. Eadem quoque lex in naturalibus quoque filiis, et quod sequitur, Caesaribus obtinuit. Ejus illustre exemplum praestat Tiberius, qui cum trib. potestatem filio Druso peteret, inter alias causas commemoravit quoque, *esse illi eam aetatem, qua ipse quondam a D. Augusto ad capessendum hoc munus vocatus sit. Neque nunc propere, sed per octo annos capto experimento, compressis seditionibus, compositis bellis, triumphalem, et bis consulem, noti laboris participem sumi* [d]). Eundem honorem Vespasianus filio Tito jam maturae aetatis et virtutis cognitae impertivit. At pessimo exemplo M. Aurelius eum detulit filio Commodo XVI. annos nato addita eodem adhuc anno Augusti appellatione, quem ut insania vinceret Severus, decennem filium Antoninum eadem potestate, et Augusteo titulo insignivit. At deinceps perturbata omnia, ut patebit infra, cum Philippi junioris et Volusiani tribunatus expendemus.

Cum trib. potestas una cum imperatoris titulo velut quoddam esset imperii fundamentum, et qui illam praeferret, vel princeps esset, vel ad principatum destinatus, placuit singulis principibus, a die collatae hujus potestatis quandam, si ita loqui fas est, collati imperii epocham ducere; nimirum quod prodidit

---

a) Dio L. LIV. §. 12. b) Dio L. LIV. §. 28. c) Ann. III. c. 56. d) Tacit. Ann. III. 56.

Dio [a]): *την δε δη δυναμιν την των δημαρχων πασαν, ὁση περ τα μαλιστα ἐγενετο, προστιθενται, και δι' ἀυτης και ἡ ἐξαριθμησις των ἐτων της ἀρχης ἀυτων, ὡς και κατ' ἐτος ἀυτην μετα των ἀει δημαρχουντων λαμβανοντων προβαινει, omnem vero tribuniciam potestatem, quanta unquam maxima fuit, accipiunt, et secundum eandem imperii quoque sui succedentes numerant annos, quasi quotannis et ipsi cum tribunis plebis eam acciperent.* Et vero nihil magis tritum, quam videre in numis et marmoribus numeratam singulorum principum trib. potestatem, sic ut ea annis singulis unitate augeatur, qui mos jam sub ipsum ejus exordium observari coeptus. Nam videmus trib. potestatem, ejusque numerum ipsis jam Augusti monumentis inscriptam, quin ipse Augustus in celebri monumento Ancyrano, quo rerum a se gestarum seriem exposuit, tempora non modo ex consulatibus, sed et trib. potestate metitus est, cum narrat erogata congiaria TRIBVNITIA. POTESTATE. DVODECIMVM, et mox: TRIBVNITIAE. POTESTATIS. DVODEVICINSIMVM. CONSVL. XII. Sic cum e vita excederet, ultima ejus trib. potestas fuit XXXVII. Ex quo facile quisque intelliget, quantum sive ad chronologiam imperatorum, sive ad conciliandas cum suis temporibus res gestas conferant probe descripti, et cogniti trib. potestatis in singulis numeri. At quae fuerit iterandae ratio, docebunt commentarii sequentes.

DOCTRINA

iteratae ab imperatoribus tribuniciae potestatis.

Quoniam modus iteratae trib. potestatis rite cognitus multum, ut continuo dixi, ad chronologicam imperatorum historiam confert, nequaquam mirum, maxima ingenia ad eum recte intelligendum ac definiendum omnem operam ac contentionem attulisse. Missis singularibus quibusdam opinionibus, et quae parum eruditis probatae fuere, binas tantum producam magis celebratas, quo peracto aliam, quae mihi videtur verisimilior, constituam.

SENTENTIA I.

quae fuit

ONVPHRII PANVINII.

Tribunicia potestas renovata quotannis fuit eo die, quo suscepta.

Eam amplexi sunt viri quique gravissimi, et in re historica apprime versati, Norisius, Pagius, Spanhemius, Tillemontius, aliique. Causae, cur huic faverent, partim a rei natura, partim a monumentis petitae. Ad primum quod attinet, congruum sane, ut, cujus quotannis numerandi valet institutum, ac usus, non iteretur, nisi circumacto denique anno, accedente etiam Dionis mox citati auctoritate, perhi-

a) L. LIII. §. 17.

bentis, a principibus secundum trib. potestatem imperii quoque succedentes annos fuisse numeratos. Quod alterum est, copiosa etiam exstant monumenta, ex quorum praescripto trib. potestas sic numerari debet, ut ejus iteratio eo modo, quo dixi, nempe a die ejus collatae ducatur. Et acquievissent sane eruditorum conlegia in hac Panvinii sententia, nisi causa gravis, ac solida respicere aliam vel invitos quosdam coegisset. Nimirum observatum, in compluribus Augustis numeros trib. potestatis facile quidem conspirare cum numero annorum, quot eos imperasse certa historia docet; at observatum etiam, si hanc velimus sequi sententiam, in compluribus Augustis aliis auctiorem esse trib. potestatis numerum, quam ut cum tempore, quanto eos praefuisse imperio constat, componi queat. En utriusque exemplum: Imperavit Caligula inde a XVI. die Martii V. C. 790 usque ad diem XXIV. Ianuarii V. C. 794. Ergo is iterata quotannis eodem Martii die trib. potestate inivit tribunatum IV. anno V. C. 793, quo labente occisus est mense Ianuario anni sequentis. Facile igitur in Panvinii sententia explicatur trib. potestas IV. hujus imperatoris in obviis ejus numis. Imperavit Elagabalus annos III. menses IX. Occoepit ergo tribunatum IV. At quo pacto ex Panvinii doctrina intra hoc spatium compinges tribunatum V., qui in frequentibus ejus numis legitur? Atqui eandem difficultatem objiciunt non pauca aliorum etiam Augustorum imperia.

Hunc igitur nodum cum extricare vellent viri insignes, neque tamen a recepta Panvinii sententia discedere, videres alios omnis generis reperire artes, per quas e labyrintho evaderent, alios in adulterinis putare monumenta omnia, quae auctiores enarrant tribunatus numeros, alios effugia absurda, et pessimi moris comminisci. Quae quidem cum non adriderent omnibus, fuere, quibus res ipsa imperare videbatur, ut inquiratur alter aliquis cardo, a quo principes iterare trib. potestatem consueverint, unde enata

SENTENTIA II,

quae fuit

NICOLAI TOINARDI.

Tribunicia potestas renovata quotannis fuit IV. idus Decembres.

Nimirum existimat, constitutum fuisse imperatoribus, ut quocunque anni die quis trib. potestatem suscepit, ea in secundam migraret proximo die IV. idus Decembres, idque nihilominus valeret, etsi tribunatus I. paucorum tantum esset dierum. Quo admisso facile sane est, Elagabali, ut hujus iterum exemplo utar, tribunatum V. explicare. Nam cum in imperium, et trib. potestatem involasset mense Majo V. C. 971, eodem adhuc anno IV. idus Dec. fuit TR. P. II., eodem die anni 972. TR. P. III., 973. TR. P. IIII. ac demum 974. TR. P. V., qua potestate labente caesus est mense Martio V. C. 975. En tibi tribunatus V. liquido comprobatos. Quin evenire in hac sententia potest, ut annus plenus cum paucis ultro citroque diebus tertiam trib. pote-

statem admetiatur. Sic si quis eam nactus esset paullo ante IV. idus Decembres, ea hoc ipso die renovata, anno circumacto fuit trib. potestatis III. Atque haec accessio sufficere videbatur ad enodandam difficultatem omnem, quoties tribunatus numeri cognitum imperii tempus viderentur excedere. At non sine causa dicta iteratio ad IV. id. Dec. videbatur figenda; nam teste Dionysio Halic. eodem die creari sunt soliti tribuni plebis, et imperatores teste Dione a) sic numerabant imperii annos, tanquam quotannis et ipsi eam cum tribunis pl. acciperent. Dixi, hanc doctrinam esse Toinardi, non quidem in aliquo, quod constet, ejus opere traditam, sed captam ex aliqua ejus ad Pagium epistola, de quo vide Mazzolenum universae hujus causae historicum minime parcum b).

IVDICIVM VTRIVSQVE SENTENTIAE.

Qua parte Panvinii doctrina laboret, supra exposui, ut adeo, etsi ad expediendos multorum Augustorum tribunatus valere possit, non tamen omnium, ut ex iis, quae in singulis principibus dicam, luculente patebit. Quatenus servanda sit, quatenus repudianda, deinceps disputabimus.

Sententiam alteram, quantum ea Toinardi putanda est, non solicitabimus, quia, ut dixi, eam non tam exposuit, quam indicavit. Cum uno abbate Mazzoleno, viro praestantis doctrinae, nobis erit dimicatio, qui Toinardi sententiam de iterata IV. idus Dec. tribunicia potestate in eruditis suis ad Museum Pisanum commentariis peculiari Animadversione sic propugnavit, ut eam velut sui juris fecisse videri possit. Quod meum sit generatim de hac ejus lucubratione judicium, si quaeras, sic habeto: Non alias existimo ad causam aliquam defendendam plus a quopiam operae, et eruditionis collatum, et hoc quidem pacto, ut etiam, postquam peroratum esset, multo magis ejus infirmitas, et occulta vitia apparerent. Si argumentorum copiam spectes, patronum magis solicitum, et operosum nancisci non potuit. Nihil enim praetermissum, nihil relictum intentatum, aut non ex omnibus latebris protractum, excussumque, quod quocunque demum modo juvare eam posset. Sin eorum explores pondus, fatebere continuo, capta plerumque esse ex monumentis dubiis, aut propalam falsis, aut violenter huc detorta, aut cum communi solidaque eruditorum opinione pugnantia. Si quod reperit monumentum causae suae propitium, paeana canit, si quod adversatur, praesto sunt viro praestanti effugia, ceu sua duci strategemata, quibus evadat, aut sua mulierculae cerussa, et pigmenta, quibus colorem cuti illinat. Sin hae quoque spes fallant, nihil morae, quo minus porrecto oleae ramo pacem cupiat, et cum Panvinii, Pagii, aliorumque doctrina, quibus bellum palam fecit, in gratiam redeat, idque non uno alterove operis sui loco, sed passim ex inimicissimo videas amicissimum. Ex quo apparet, virum

---

a) L. III. §. 17. b) Animadv. de trib. pot. pag. 22 seq.

eximie doctum hoc tanto suo nisu, tanta effusa argumentorum mole, qua vel legenda quis facile succumbat, atque universo hoc suo apparatu istud denique obtinuisse, ut quam maxime doctrinam propugnandam susceperat, maxime repudianda videretur. Nolo ejus argumentis singillatim recitandis refutandisque lectori negotium taediumque facessere, quod nunc tanto minus necessarium putandum, quod ea ipsa in sequentibus commentariis producentur.

SENTENTIA AVCTORIS.

Tribunicia potestas imperatorum iterata est sic, ut ea ab Augusto usque ad Antoninum Pium renovaretur singulis annis eo die, quo accepta est, inde ab Antonino Pio usque ad Gallienum singulis Kalendis Ianuariis.

Pars prior, quae plane est secundum mentem Panvinii, facile intelligitur. Altera sic capienda, ut, quocunque anni Iuliani die quis tribunicia potestate I. donaretur, proximis Kalendis Ianuariis inchoaret secundam, etsi ejus acceptae tempus paucis tantum mensibus, vel etiam diebus dictas Kalendas praecederet, eo plane modo, quo imperatorum annos ab Alexandrinis computatos novimus. Addidi, hunc modum obtinuisse usque ad Gallienum, quia sub hoc, quin jam sub patre Valeriano additi tribunatuum numeri in monumentis veteribus adeo sunt perturbati, ut jam ad historiae et chronologiae usum vix certi quidquam conferre incipiant.

Cum doctrina haec a nemine hactenus sit tradita, et adversetur omnium sententiis, qui iterati tribunatus leges praescripsere, ad faciendam ei fidem necessum cumprimis est commemorare, quas secutus auctoritates et praecepta hanc sententiam maluerim eligere, ne inconsulto unus contraire omnibus, et plus mihi, quam tot viris summi ingenii, et doctrinae tribuere videar.

REGVLA I. *In explorando trib. potestatis modo certissimi arbitri sunt numi.*

Praeceptum istud magis illustrabitur ab iis, quae ad regulam III. monebo.

REGVLA II. *Non admittendi ad hoc arbitrium numi, nisi sinceri, et agnitae probitatis.*

En tibi lapidem male ominatum, ad quem impegere viri maximi, hoc uno forte culpandi, quod creduli nimium fuere. Arripuerunt illi avide, quidquid vel Goltzius, vel Occo, vel ejus ampliator Mediobarbus vulgaverant, idque tanquam a Pythio dictatum sequendum duxerunt. At ego saepe per opus praesens non modo adfirmavi, sed demonstravi etiam, nihil esse Goltzio fallacius, nihil Mediobarbi catalogo indigestius. Nimirum praestantibus his viris defuere musea antiquis opibus liberalius instructa, cum quibus vulgatos hos numos conferendo potuissent reperire verum, aut velut torrente abrepti non ausi sunt diffidere praeconiis, quae omnia eruditorum conlegia legis instar recepere. Cum igitur utrumque perinde molestum esset, sive numis fidem haberent, sive negarent, illud, quod infinitis laqueis causam implicaret, istud, quod nimio temerarium videretur, monumentis veteribus, et coaevis nolle ad causae cognitionem uti, incredibile, quam perversis saepe judiciis causa suapte bona fuerit impugnata, aut iniqua

defensa. Tam illustrium virorum exemplo fateor, me easdem primum auctoritates secutum, at cum exitum multis in locis non reperirem, ausus sum, quod eos nunquam ausos video, dubitare de fide tot numorum refractariorum, quos a Goltzio, Mediobarbo, multisque aliis obtrusos reperi, in eorumque indolem adcuratius inquirere, adhibito ad hoc judicium museo Caesareo Romani commatis numis instructissimo. Neque poenitebat me longi, adcuratique examinis, quia, ut cautius agerem deinceps, meisque plus, quam alienis oculis fiderem, permovit denique. Praeterquam enim quod multos vidi a laudatis viris recitatos numos, quorum nullum exemplum in copiosissimis museis inveni, ex quo jure potest dubitari, sintne genuini, aut rite promulgati, illud etiam ab his male institutum reperi, quod nullo discrimine, aut addito indicio numos subaeratos et semibarbaros cum genuinis temere miscuere. At horum si velis stare testimonio, nihil est perversum adeo, praeposterumque, quod non possis in chronologiam inducere. Ex quo patet, catalogos hac lege consutos plus importare mali, quam ad studia nostra prodesse, ipse vero expertus possum testari, mihi repudiatis his auctoritatibus multo expeditiora omnia visa, neque sensisse vincula, quae majorum nostrorum itinera impedivere. Quare etsi omnibus reliquis causis sim Norisio, Pagio, Tillemontio inferior, hac tamen superiorem me profiteor, quod ope artis numariae magis hodie purgatae, et lectissimorum museorum, quibus adsideo, de numis ipsis confidentius possum arbitrari, a quorum testimoniis magnam partem historia, et chronologia, ac praecipue praesens trib. potestatis examen pendent.

REGVLA III. *Marmorum judicium in causa trib. potestatis incertum.*

Saepe inter partes disputatum, numi, an marmora plus ad philologiae studia conferant, qua quidem lite nihil video magis absurdum, atque ineptum. Quisquis sobrie judicabit, facile intelliget, qua parte deficiunt numi, succurrere marmora, et vicissim. Quantam eruditionis scientiaeque copiam nobis suppeditaverit ars nobilissima lapidaria, sic inter omnes constat, quemadmodum uni constabat Harduino, plerasque inscriptiones, quas in catalogis legimus, multo esse recentiores ea aetate, quam prae se ferunt, ab hominibus scilicet otiosis confictas, et ipsam adeo illam, quam hodieque in eximio illo antiquitatis monumento, arcu Severi, Romae legimus [a]; sed cujus erudita insomnia quis est hodie, qui ignoret? In praesente causa plus tribuendum numis, quam marmoribus, nemo sanus in judicium vocabit. Nam primum nemini ignotum, eos omnes auctoritate publica signatos, deinde singulorum non unum, sed plura, saepe copiosissima exstare exemplaria, denique de eorum fide, et quam continent, lectione non ex aliorum nobis testimoniis constare, sed a nobis ipsis ejus posse periculum fieri, quae quidem de marmoribus adfirmari non posse, ipsi eorum patroni facile dabunt. At vero haec

a) Hist. Aug. pag. 803 col. 2.

mala, quae marmorum scientiam vulgo impediunt, in hoc trib. potestatis examine multo sunt molestissima. Quam enim pronum fuit errare quadratarios provinciales in scribendis tribunatuum et consulatuum numeris, partim quod saepe verum statum ignoravere, partim quod in numerorum scriptura multo facilius peccatur. Neque enim ii omnes, qui olim inscriptiones marmori incidendas curavere, tam fuerunt religiosi, quam fuit Sidonius Apollinaris sic ad amicum scribens a): *Sed vide, ut vitium non faciat in marmore lapicida, quod factum sive ab industria, seu per incuriam mihi magis, quam quadratario lividus lector adscribat.* At multo frequentiora eorum sunt peccata, qui marmora descripsere, praecipue item, cum de numeris agitur. En tibi canora aliquot exempla non ex abjectis privatorum lapidibus sepulcralibus longe in Africa, aut vetere Dacia repertis, sed monumentis publicis, quae ad hunc usque diem per Italiam exstant, et omnium quotidie oculis aperta sunt. Apud Gruterum b) in celebri inscriptione pontis Ariminensis Augustus dicitur COS. XIIII. TRIBVNIC. POTEST. XXXVIII. Eundem consulatus numerum Sigonius in Fastis offert. At Norisius, qui epigramma istud saepe legerat, sic in marmore exaratum testatur: COS. XIII. TRIBVNIC. POTEST. XXXVII. c). In famigerata inscriptione Panthei Romae, de qua copiosius infra sub Caracalla agam, usque ad Vignolium ferebatur memorata Severi trib. potestas XI. pro X., atque etsi prava haec lectio causa chronologiae multas excitaverit lites, nemini tamen diu in mentem venit, ut secundis curis veritatem exploraret. In magnifico arcu triumphali, qui hodieque exstat Beneventi, teste Grutero d) Trajanus dicitur TRIB. POTEST. XVIIII. COS. VII. Verum Ioannes de Vita *αὐτοπτης* manifeste in eo scriptum docet: TRIB. POTEST. XVIII. COS. VI. e) qua occasione in subjecta nota observat: *Ex quibus monemur, quam male tuta plerumque sit in editis lapidibus numeralium notarum fides, quantaque nobis in iis ad rem nostram adhibendis diligentia sit utendum.* Notae inscriptioni pontis Fabricii Romae multa verba alia adduntur apud Gruterum f), quae porsus abesse testatur Fabrettus g). In porta vetere, quae est Fani Fortunae in agro Piceno, Gruterus ex indicio Smettii αὐτοπτȣ ait exstare hos Augusti titulos: COS. XIII. TRIBVNICIA. POTEST. XXXII. IMP. XXVI. h). Eosdem numeros ibidem legit Boissardus, ut narrat Montfauconius, qui portae hujus et imaginem dedit, et errorem propagavit i). Praeclaris his viris cum ex monumentis aliis, tum historicis constare debuerat, Augustum nonnisi semel atque vicies dictum fuisse imperatorem, ac propterea justum illis de vera IMP. XXVI lectione oboriri dubium. Teste asterisco apud Gruterum advertit errorem Gudius, et IMP. XXI. legendum docet addita causa, quia hic numerus Augusto in numis

a) L. III. epist. 12. b) Pag. 160. 2. c) Cenot. Pis. Diss. II. c. 15. d) Pag. 247. n. 5. e) Antiquit. Benev. p. 256. f) Pag. 160. 3. g) Pag. 240. h) Pag. 165. 2. i) Antiquités Supplem. Tom. III. pag. 151.

ejus anni tribuitur, quod rursum insignite falsum est. In arcu triumphali, qui exstat Segusione, ab aliis lectum IMP. XIII., ab aliis IMP. XIIII. a) Eodem modo variatum in promulgando epigrammate, quod legitur in arcu portus Anconitani b). Illud ipsum cum multo, quam hactenus factum, correctius se proponere profiteretur cl. abbas Fea in Winkelmanno suo c), en tibi alteram ab eo inspersam maculam, cum ibi pro certo, ac necessario COS. VI. legatur COS. IV. Facile credam, typothetae eam vitio irrepsisse. At enim parum nobis consultum putamus, si, quod vitium cavit auctor, intulit librarius. Ergo si tam copiose erratum est in capiendis epigrammatis ex monumentis publicis, et optimi aevi characteribus insignitis, et a viris quidem praeclare eruditis, quam enormia necesse est saepe admissa peccata in describendis marmoribus, quorum characteres vel sunt semibarbari, vel aevo adrosi, praecipue cum istud tentarent ingenia parum erudita, aut exigui in hac disciplina usus? Et vero in excerpendis numeris tanto facilius accidunt peccata etiam eruditis, quia, sive TR. P. X. sive XI. scribant, dum marmori adsident, lapsum non suspicantur, sed hunc tum demum suspicari incipiunt, cum subducto domi calculo non congruere numeros intelligunt, at redire ad marmor amplius non possunt, saepe in remotissimis terris per iter conspectum. Atque hae causae sunt, cur epigrammatum veterum catalogi, quos Gruterus, Muratorius, et quicunque alii quantaevis praestantiae viri congessere, in promulgandis notis chronologicis tam graviter, tamque frequenter peccent, ut spondere ipse facile possim, ex inscriptionibus decem, quas in eorum operibus editas reperias, vix esse octo, quas possis erroris suspicione immunes testari. Ex his ergo suapte patet, quanto plus ad praesentis argumenti enodationem conferant numi, quam marmora. Etenim si numi editi, vel eorum praecones nobis sunt suspecti, possumus eorum auctoritatem seponere, cum in illustrioribus museis exstent magna copia numi, eorumque indies augeatur numerus, quorum tuto possimus stare testimoniis, et male a majoribus recitatos corrigere. At non eadem in marmoribus opportunitas, quorum cum major pars disjecta sit, aut in alios usus conversa, aut ubi locorum sint, ignoretur, aut ad ea iterum consulenda propter distantiam, aliasque causas difficilis sit accessus, necesse est iis eo modo frui, quo descripta sunt. Quapropter pauca artis lapidariae monumenta huic possunt examini citra erroris metum servire, nimirum marmora tantum publice posita, atque haec a viris peritis, et causa quidem chronologiae inspecta consultaque, quod ab adcuratissimo Norisio non semel factum novimus. Serius magna cum voluptate vidi, in hoc meo

---

a) Muratori pag. 1095. tab. II. et III. b) Gruter pag. 247. 6. Fabretti de col. Traj. pag. 293. Vaillant in Colon. pag. 150. Pedrusi Mus. Farn. Tom. VI. pag. 221. c) Vol. II. pag. 373.

de marmoribus judicio mecum plane sentire illustrem Bimardum egregii a scientia lapidaria nominis, qui praeterea cavendum monet ab iis inscriptionibus, quas quodam tempore eruditi varii per jocum confinxerunt, tum a multis aliis, etsi earum fidem testentur viri quidam illustres, ac praecipue Hispaniensibus, quas veras credidit cel. Andreas Schottus, et cum Grutero communicavit [a]).

REGVLA IV. *Doctrinam certis ac copiosis monumentis firmatam non possunt evertere adversantia quaedam monumenta etsi certae antiquitatis, et certa auctoritate nixa.*

Est haec regula magni ad praesentem crisin momenti. Habent singula musea numos refractarios, qui nulli sese calculo adcommodant, neque solum subaeratos, et semibarbaros, quos vi regulae II. non esse audiendos dixi, sed et alios nulla fraudis suspicione notatos, et nitidi commatis, tum et omnis metalli. Quaeritur, quae sit his in hoc examine tribuenda auctoritas. Antequam respondeo, animadvertendum, id genus numos alios esse singulares, aut raro eorum plura in museis haberi exemplaria, alios esse obvios, et vulgo cognitos. Prioris generis numos nequaquam iniquus judex videbor, si monetariorum culpae tribuendos edixero, quorum alias cognita non raro oscitantia, et quorum manifestos lapsus in singulari opere aperuit Erasmus Frölichius. Nam si v. c. in numo aeneo Alexandri Severi, eoque nitidi laboris, quem olim edidi [b]), exarari potuit inscriptio hybrida: P. M. RTI. PACIFERP., isque in vulgus mitti, nescio, cur non aeque in insculpendis monetae numeris potuerit obrepere error, praecipue cum in his perscribendis, ut paullo ante disserui, multo prolixius, frequentiusque peccetur. Ad haec erratum etiam frequenter a monetariis juncta cum principis cujuspiam capite aversa, quae luculente est alterius, innumera habemus exempla. Quocirca numi similes, etsi a fraude sint eximii, tam parum valent seu ad faciendam fidem, seu ad infirmandam adversam sententiam, quam parum veteris fraudis, numi subaerati, cum perinde sane sit, utrum numus monetarii dolo, an incuria falsum efferat. Novi, hujus farris mercem non raro, et saepe cum hiatu approbatam ab Harduino, Panelio, aliisque nonnullis, nimirum quod singularibus suis sententiis faverent, quas nemo alius, et forte ne ipsi quidem auctores veras forte putaverint. At vero, qui sane judicabunt, mecum consentient omnes, omnem illis negandam auctoritatem, et quod supra pronunciaveram, non posse evertere doctrinam certis et copiosis aliis monumentis confirmatam. Alterum genus, ut dixi, est eorum numorum, qui non singulares, sed frequentiores, quin saepe obvii sunt, ac triti, et doctrinae cetera solide comprobatae repugnant. En tibi exempla aliquot: in pluribus monumentis antiquis legitur Commodi trib. potestas XVIII., quae tamen auctior est, quam ut eam in quacunque sententia hactenus cognita potuerit numerare. In numis Macrini obviis legitur TR P. II. COS.,

a) B. L. Tom. XII. Mem. p. 390. b) Num. vet p. 312.

cum tamen in omni sententia repugnet consulatus simplex conjunctus cum tribunatu II. In numis item obviis Alexandri Sev. legitur TR. P. II. COS. II., cum tamen, cuicunque te opinioni permittas, tribunatus II. cum consulatu II. componi non possit. Ad haec ut exstant numi, qui adversantur sententiis omnibus, ita sunt nonnunquam etiam, qui tuae repugnent doctrinae, et faveant adversae. Quid ad hos sana critica? Nimirum eodem cum illis modo aget critica numaria, quo cum pugnantibus scriptorum testimoniis critica historica. Necesse cumprimis erit circumspicere modos, quibus dissidia haec possint conciliari, ut sane reperi modos nequaquam violentos, sed plane probabiles, quibus refractarios in speciem Macrini, et Alexandri Sev. numos, quos modo citavi, in ordinem redigerem. Sin istud non dabitur, id genus numi erunt in indomitis habendi, neque permittendum, ut unius anni dissentientes numi certam, fixamque aliorum annorum legem evertant. Multa sunt, et esse debent in antiquitatis studio incerta, dubia, et male cohaerentia, cujus praecipua utique causa, quod plerique veterum commentarii, qui dubia haec expedirent, interiere. Enimvero nescivissem, quo essent modo explicandi numi Macrini, quorum alii intra eundem annum Iulianum inscribunt COS. simplex, alii COS. II., nisi tacentibus historicis aliis difficultatem levasset Dio. Atque horum omnium testimonia si superessent, forte sciremus etiam, quo pacto explicanda sit aut Commodi trib. potestas XVIII., aut, quam praeferunt numi Antiocheni, Trajani XXI., quae omnibus chronologiae praeceptis aperte repugnant. Quare qualescunque hi obices non debent absterrere, quo minus institutum cursum peragamus; neque enim cum doctrinae cujuspiam leges figimus, illud anxie nimium ac religiose spectamus, quid nonnunquam lege extraordinaria fuerit constitutum, modo legem ordinariam solide stabiliverimus. Etenim ubi plana omnia sunt, nihilque impeditum, legibus, regulisque opus non est, ac tunc demum has respicimus, cum amoliri difficultates cupimus, quae causam impediunt, et si qua est sententia ejus naturae, ut magis, quam quaecunque alia, molestias eximat, illam ut arripiamus, teneamusque, ratio imperat.

REGVLA V. *Vtrum imperatores aliquo intra eundem annum Iulianum die post Kalendas Ianuarias iteraverint trib. potestatem, certissime docent tribunatus cum consulatibus compositi.*

Doctrinam hanc vel uno exemplo stabilivisse satis erit. Exstant copiosi Domitiani numi, quorum alii cum consulatu XIII. conjungunt TR. P. VI., alii TR. P. VII. Iam vero certum est, numos utrolibet modo inscriptos unius esse anni Iuliani, nimirum V. C. 840. Non possunt esse anni praecedentis 839, nam tum fuit COS. XII., neque anni sequentis 841, nam tum fuit COS. XIV. Ergo Domitianus intra eundem annum Iulianum, et binas Kalendas Ian. renovavit tribunatum. Idem elucet ex numis Caligulae, Titi, aliorumque. At enim praeclara haec ad secandam hanc iterationis litem subsidia saepissime de-

stituunt, quia complures principes, ut Vespasianus, Trajanus, Hadrianus, plerumque neglexerunt, trib. potestati suos addere numeros; quin inde a Philippis saepe ne consulatus quidem in moneta numeratos habemus.

REGVLA VI. *Si imperatores intra annum Iulianum renovarunt trib. potestatem, dubium non est, eam renovatam eo ipso die, quo accepta est.*

Teste Dione instituerunt principes, tribuniciam potestatem sic numerare, ut annos imperii. Quare ipsa rei natura non suadere modo, sed et exigere videtur, ut ea non alio die statuatur repetita, quam quo finita est, si modo certe constet, eam aliquo inter binas Kalendas Ian. die fuisse renovatam. Eorum sententia, qui generatim adseruere, imperatoribus omnibus certum aliquem diem ad iterandum tribunatum fuisse propositum, quam sit infirma, piget comprobare. Quam graviter laboret doctrina Mazzoleni, diem X. Decembris huic iterationi praescribentis, ipsa monumenta, quae producam, abunde refutabunt.

REGVLA VII. *In quorum imperatorum numis trib. potestas intra unum eundemque annum Iulianum nunquam variat, ab his certum est, eam Kalendis Ianuariis fuisse renovatam.*

Haec doctrina ex regula V. sponte profluit. Nam si ex eo, quod intra eundem annum Iulianum geminus occurrat tribunatus, suapte sequitur, trib. potestatem ab eo imperatore, cujus sunt ii numi, intra annum fuisse iteratam, necessario sequetur etiam, si in cujuspiam imperatoris numis intra eundem annum Iulianum nunquam duo varii tribunatus occurrant, sed semper unus idemque, ab eo imperatore trib. potestatem Kal. Ian. iterari solitam. Ejus exempla ut obvia sunt in numis principum, qui inde ab Antonino Pio imperium tenuerunt, sic in nullo luculentiora, quam in Elagabalo, ut in hoc intuebimur.

Exposui regulas, quas secutus tutissime mihi videbar de hoc iterationis negotio posse arbitrari, et evitare errores, horumque pericula, ad quae, dum incautius agunt, vulgo offendisse majores nostros, ipsae eorum lucubrationes affatim docent. At jam nunc producenda monumenta ipsa, eaque, ut proposueram, certae auctoritatis, quae instruant, quam Augusti singuli in iterando tribunatu rationem sint secuti, et ex quibus comprobem denique, quod in me susceperam, trib. potestatem ab Augusto usque ad Antoninum Pium iterari solitam eo die, quo accepta est, inde ab Antonino Pio usque ad Gallienum singulis Kalendis Ianuariis. Quibus peractis addam nonnulla, quae doctrinam hanc partim efficient probabilem, partim, quae ejus sint commoda exponent.

AVGVSTVS.

Probavimus in hujus principis moneta, eum V. C. 731 trib. potestate a senatu donatum, atque, ut verisimile est, die XXVII. Iunii. Ergo si singulis annis hoc die eam iteravit, inivit tribunatum XXXVII. eodem die V. C. 767, neque addere alium amplius potuit, cum excesserit die XIX. Augusti ejusdem anni. Eundem numerum vete-

ra testimonia confirmant. Tacito dicitur ab Augusto *continuata per septem et triginta annos tribunicia potestas* a), et idem numerus legitur in celebri epigrammate pontis Ariminensis, quod saepenumero a se lectum studiose Norisius monet propterea, quod hactenus a viris praestantissimis mendose editum fuerat b). Numi huc nihil conferunt; nam quos tribunatu XXXVII. insignes memorari video, Goltziani sunt. Quare postrema haec ejus potestas duorum tantum mensium fuit.

Iteratam ab Augusto trib. potestatem intra anni spatium, testantur monumenta vetera. Cum numi ipsi non instruant (nam raro Augusti numis inscribuntur tribunatus numeri) rem agam marmoribus, sed his certis, et quorum fidem ac lectionem viri summi adprobavere.

In Cenotaphio Pisano jungitur IIII. NON. APRIL. TRIB. POT. XXVI. cum consulibus Aelio Cato, C. Sentio Saturnino. Processere hi Kal. Ian. V. C. 757. At si Augustus renovasset tribunatum Kal. Ian., aut cum Mazzoleno X. Dec. anni praecedentis, IIII. Non. April. jam fuisset trib. pot. XXVII., ut computanti patebit.

Augustus in fastis Capitolinis apud Gruterum c) Kalendis Ianuariis, quibus C. Silius, et Munatius Plancus consulatum inivere, seu V. C. 766, dicitur TR. POT. XXXV., ergo Kal. Ian. V. C. 767 fuit TR. POT. XXXVI. At cum Augustum eodem anno mortuum constet, et quidem in tribunatu XXXVII., necesse est, intra annum ab eo iteratam trib. potestatem. Idem docet marmor Narbonense editum a Maffeio d), in quo Augustus dicitur COS. XII. COS. DESIGNAT. XIII. IMP. XIIII. TRIBVNICIA. POTESTATE. XX. Sunt hae notae anni V. C. 751. In sententia Mazzoleni jam tum currebat tribunatus XXI.

Augustus in marmore Ancyrano se ipsum profitetur TR. POT. XVIII. COS. XII. Processit is consul XII. Kal. Ian. V. C. 749. At vero in utraque memorata doctrina Augustus post Kal. Ian. hujus anni non amplius dici potuisset trib. pot. XVIII. sed XIX., ergo is tribunatum intra annum, et alia lege renovavit.

Atqui et ex celebri marmore Narbonensi, quod proposuit Gruterus e), eruit Norisius f), Augustum trib. potestatem intra annum iterasse: nam in eo marmore intra spatium ejusdem anni 764 leguntur bini ejus tribunatus XXXIV. et XXXV.

Ex his ergo monumentis satis elucet, Augustum medio quodam tempore, quod inter binas Kalendas Ian. fluxit, trib. potestatem iterasse, et quidem haud dubie illo die, quo eam illi primum delatam diximus. At Mazzolenus, quo sententiam suam de iterato X. Decembris tribunatu juvet, probare conatur, Augustum non XXVII. Iunii V. C. 731, quae communis est opinio, suscepisse trib. potestatem, sed circa Kal. Nov. ejusdem anni g). Quam infirma ejus sint argumenta, potes ipse

a) Ann. I. 9. b) Cenot. Pis. diss. II. c. 17. c) Pag. 295. d) Ant. Gall. pag. 51.
e) Pag. 220. f) Cenot. Pis. diss. II. c. 15. g) Pag. 102 seq.

experiri. Quin et ipse, cum se a nonnullis, quae hic citavi, marmoribus ad incitas redactum videret, ad solitam suam aram, duplicem nempe, quem diximus, numerandi modum confugit a), quod effugium in desperatis omnibus causis semper sibi repositum, saepe videbimus.

TIBERIVS.

Diximus in Tiberii annalibus, ei procurante Augusto trib. potestatem V. C. 748 in quinquennium delatam, atque hoc elapso ad privatam rursum conditionem redactum, subinde mortuis Cajo et Lucio Agrippae filiis eam illi iterum, et quidem die XXVII. Iunii V. C. 757 concessam, eamque ad obitum usque continuatam. Coepit ergo ejus trib. potestas VI., nimirum additis tribunatibus quinque, quos antea obiverat, dicto die XXVII. Iunii, cumque mortuus sit mense Martio V. C. 790, si hoc die singulis annis tribunatum iteravit, necesse est, postremum ei fuisse XXXVIII., quem etiam adstruunt numi copiosi, neque posteriorem alium. Monumenta, quae docent, Tiberium quoque intra annum renovasse trib. potestatem, sunt sequentia:

In fastis Capitolinis apud Gruterum b) Kalendis Ian. V. C. 761 dicitur Augustus TR. P. XXX., Tiberius IX., Kal. Ian. V. C. 762 Augustus TR. P. XXXI., Tiberius X., Kal. Ian. V. C. 763 Augustus TR. P. XXXII., Tiberius XI., Kal. Ian. V. C. 766 Augustus TR. P. XXXV., Tiberius XIV. Item in epigrammate pontis Ariminensis apud Gruterum c) dicitur Tiberius TR. P. XXII. COS. IIII. Iam vero si Tiberius, quem constat V. C. 757 die XXVII. Iunii inivisse tribunatum VI., eum iterasset X. Decembris, aut proximis Kal. Ian., in omnibus his memoratis ejus tribunatibus addenda fuisset unitas, et pro IX. scribendum X., et sic in reliquis, et ex hac lege postremus ejus tribunatus fuisset XXXIX., qui tamen nusquam comparet. Ex quo sequitur, tribunatus Tiberii intra annum fuisse repetitos, et ut dubitari vix potest, a die collati tribunatus VI.

Numi, quibus ducibus Mazzolenus Tiberii tribunatum die X. Decembris iteratum contendit, ex Goltzio et Mediobarbo capti sunt, quos, quod alibi nusquam editos invenio, ex meo instituto non audio. At ex eadem causa neque ego Mazzoleno numos, et marmora opponam, quae a Mediobarbo et Muratorio producta ejus causae sunt inimica, et favent meae; nam quod institueram, non volo causam meam tueri, et impugnare causam adversarii, nisi monumentis certis, et de quorum integritate dubitari nequit.

CALIGVLA, CLAVDIVS, NERO.

Possum in his tribus causam meam solis numis, quod sane maxime consultum, iisque obviis propugnare. In singulis videas sub eodem consulatu binos varios memorari tribunatus. Sic in numis Caligulae anni V. C. 793 legas: COS. III. TR. POT. III. et COS. III.

a) Pag. 104. b) Pag. 295. c) Pag. 160.

TR. POT. IIII., ex quo duplice characteres ille non potest esse anni praecedentis 792, quia tum Caligula fuit COS. II., hic esse non potest anni sequentis 794, quia tum fuit COS. IV. Atqui si tribunatus statuatur Kal. Ian. renovatus, labente eodem anno Iuliano duplex tribunatus occurrere nequit. Sed et Mazzoleni sententia a similibus numis plane evertitur; nam ut solos Caligulae numos memorem, ei adversantur omnes, qui inscribuntur TR. P. III. COS. III., qui duo characteres in ejus doctrina stare simul non possunt, tum et TR. P. IIII. COS. IIII., nam, cum consul IV. processisset, secundum Mazzolenum jam numerare debuerat tribunatum V., quem tamen in vetere quopiam monumento Caligulae tributum nondum vidimus. Eodem modo virum eruditum impugnant numi Claudii, et Neronis. Non fugerunt hi scopuli virum perspicacem, et est volupe videre, quibus eos artibus vitaverit. Occurrunt quidem, ait primum, in eis *aliquot* numi, in quibus consulatus cum trib. potestate nostro modo computata non concordant. Siccine vir bone, numos *aliquot* dicis, qui in omnibus museis magno numero habentur? Vel, inquit, hujusmodi consulatus sic explicari possunt, ut dicantur designati tantum, non vero initi, quod quidem effugium saepe arcessit, at quam sit inauspicatum, facile intelligimus. Vel, inquit, cusa credi possunt similia numismata ab iis, qui trib. imperatorum potestatem die anniversario renovabant. Papae! commodam, atque habilem sententiam, quae et inimicissimis facile hospitium praebet, et Aristippi more jam prandet olus, jam fastidit, quo sane pacto quam sit proclive, quod arduum semper est habitum, struere doctrinae cujuspiam leges, pronum est perspicere. Stomachatur Mazzolenus sententiam, quae die susceptae trib. potestatis eam iteratam statuit, cui tamen numi omnes, et monumenta certae fidei facile sese adcommodant, et importat aliam, cui omnia adversantur. Etenim in tribus his imperatoribus nullum reperit causae suae faventem numum, et nonnisi unicum marmor, nimirum inscriptionem fratrum Arvalium, quae est apud Gruterum [a]), in qua Nero Kal. Ian. V. C. 813 dicitur TRIB. POT. VII. COS. IV., cum tamen in adversa sententia hoc die esset TRIB. POT. VI. Sed et imbelle hic lapis fulcrum praebet. Secundum allatam in praecedentibus regulam ob causas ibi memoratas non facile audienda sunt marmora singularia, praecipue cum diversum a numis docent. Praeterquam quod in hoc lapide idem evenit, licebit nobis suspicari, inique in eo lectum TRIB. POT. VII. pro VI., quia in eodem marmore in legendo quoque imperii numero semel est peccatum. Nam ejus priore loco Nero Kalendis Ian. V. C. 813 dicitur IMP. III., et paullo infra ad III. Nonas Ian. ejusdem anni IMP. VII. Vtrum autem verisimile, Neronem intra biduum ex IMP. III. dictum IMP. VII.? Ergo si errari potuit in scalpendo, vel legendo uno numero, potuit et in altero. Sic argumentabar hactenus, cum solum Gruteri exemplar

a) Pag. 118.

ob oculos haberem. Verum testatus est, proxime illustris Marinius, in hoc marmore Romae adhuc exstante, et quod ipse adcurate contulit, utroque loco sine dubio legi IMP. VII. a) Vtrum tamen causa inscripti tribunatus VII. pro VI. necessario sequenda sit doctrina Mazzoleni, quod hoc loco exigere videtur vir eruditissimus, ipse perlectis his meis arbitretur.

Denique dissimulare non possum insigne monumentum Mazzoleno plane inimicum. Est illud tabula, ut ajunt, honestae missionis edita in praefatione ad Tom. V. Antiq. Herculan., in qua A. D. III. IDVS. DECEMBR. Claudius dicitur TR. P. XII. IMP. XXVII. COS. V. Fausto Cornelio Sulla Felice, L. Salvidieno Rufo Salviano cos., quae sunt notae anni V. C. 805. Secundum Mazzolenum Claudius V. C. 805 die X. Decembris inchoare debuit tribunatum XIII., at praesens tabula eum adhuc die XI. Decembris dicit TR. P. XII. Addo marmor illustre vulgatum Budae a cl. Schönwisnero communicatum secum ab em. Card. Garampio b), quod quia minus cognitum, totum appono:

TI CLAVDIVS DRVSI F
CAESAR AVGVSTVS GERMA
NICVS PONTIFEX MAXV
MVS TRIBVNICIA POTESTA
TE VI COS IV IMP XI PP
CENSOR VIAM CLAVDIAM
AVGVSTAM QVAM DRVSVS
PATER ALPIBVS BELLO PATE
FACTIS DERIVAVIT MVNIT AB
ALTINO VSQVE AD FLVMEN
DANVVIVM MI - - - CCCL

Processit Claudius consul IV. anno V. C. 800, et una dicitur in marmore TR. P. VI. Volente Mazzoleno tribunatum VII. inivit die X. Dec. anni praecedentis. Qua ergo ratione Claudius post Kal. Ian. anni 800 dici potuit TR. POT. VI.?

GALBA.

In hujus numis legitur tantum TR. P. nullo unquam addito numero. Atqui cum septem tantum mensibus imperaverit, in mea sententia neque iterare tribunatum potuit. At potuisset is iterari in sententia Mazzoleni; nam Galba diem X. Decembris imperando excessit, at nescio quomodo, nullus exstat ejus numus inscriptus TR. P. II., quin habetur insignis Galbae numus aureus olim musei d'Ennery, in cujus aversa scriptum legitur: TIBERIS. P. M. TR. P. COS. II. Processit is consul II. Kal. Ian. diem X. Dec. proxime consequentibus, et tamen simplex tantum tribunatus in hoc numo proditur. Hoc solatio destitutus Mazzolenus provocat ad numos Galbae Graecos inscriptos L. B., additque, facile se hunc numerum explicare in sententia sua, quae tribunatum die X. Dec. renovandum docet. At enim observandum, omnes hos numos esse Alexandrinos, in quibus imperatorum annos die XXIX. Augusti solitos augeri inter omnes constat. Verum an simili aliqua lege tribunatus etiam

a) de Frat. Arv. p. 102. et in Addendis p. 815. b) Antiq. Sabariae p. 95.

augeri sint soliti, hoc illud est, de quo quaeritur, et quod peregrini hi numi non docent.

VESPASIANVS, TITVS, DOMITIANVS.

Docuimus in Vespasiano ex Tacito, et Suetonio, ab eo Kalendas Iul. anni V. C. 822 tanquam imperii primum diem semper fuisse celebratas, quia hoc die exercitus Alexandrinus ei imperium detulit. At verisimile, Vespasianum interea *imperatoris*, *Caesaris*, *Augusti* appellationibus contentum non involasse suapte in trib. potestatem a senatu decerni solitam, sed quae, quoad Vitellius superstes fuit, decerni non potuit; quo circa diem XX. Decembris caeso, continuo, ut testatur Tacitus a), *Romae senatus cuncta principibus solita Vespasiano decernit*, quae inter fuisse trib. potestatem, dubitari nequit. Istud si verum, ut sane valde est probabile, quia fere ad ipsas Kalendas Ian. delatum fuit imperium, non possunt varii, de quibus agimus, tribunatus numerandi modi divergere, sed et in singulis ejus iterati initium fere ab ipsis Kal. Ian. ducendum erit, sic ut Kalendis Ian. V. C. 823 adfigendus sit tribunatus I., et Kalendis Ian. V. C. 832 tribunatus X., qui docentibus numis ejus fuit postremus, nam eodem anno et tribunatu labente mortuus est mense Iunio. Dubium istud numi non expediunt, qui perraro tribunatus numerum addunt, et quod hucusque norim, nonnisi IIII. et X. At expedietur dubium, si forte detegentur numi, qui duplicem sub eodem consulatu tribunatum prodent, et magis adhuc certi erimus, si aliquando reviviscent monumenta, quae praeter trib. potestatem diem Kalendis Iul. posteriorem memorabunt. Exstat quidem in praefatione ad Tomum V. Antiq. Herculan. tabula honestae missionis, in qua Vespasianus nonis Martiis dicitur TR. POT. COS. II. Vespasiano II. et Tito cos., qui sunt characteres anni V. C. 823, verum sive Vespasianus fingatur suscepisse tribunatum Kalendis Iul. V. C. 822, sive circa Kal. Ian. V. C. 823, utrobique nonis Martii currebat ejus tribunatus I. Tantundem docet similis tabula apud Gruterum b), in qua Vespasianus nonis April. dicitur TR. POT. II. COS. III. DES. IIII. IMP. VI., qui sunt characteres anni V. C. 824. At si fingamus, reperiri monumentum, in quo Vespasianus v. g. Kalendis Aug. dicatur TR. POT. III. COS. III., cogemur confiteri, eum trib. potestatem suscepisse Kalendis Iul. V. C. 822, et tertiam coepisse iisdem Kalendis V. C. 824. Sed haec tranquille permittamus tempori.

Titi trib. potestatem copiosius illustrant numi, et quidem illi, qui ex mentione consulatus VII. anno V. C. 832 debentur. Horum alii inscribuntur: TR. P. VIII. COS. VII. solo Caesaris titulo. Hi esse nequeunt anni praecedentis, nam tum fuit COS. VI., neque post mensem Iunium signari potuere, nam hoc exeunte Titus jam fuit

a) Hist. IV. 3. b) Pag. 573.

Augustus. Rursum numi alii ejusdem anni 832 inscribuntur: TR. P. VIIII. COS. VII. cum omnibus Titi jam Augusti titulis. Ex dictis patet, eos a primo semestri arcendos; sed neque exire iis ex altero semestri licet, nam proximis Kal. Ian. Titus jam fuit COS. VIII. Ab his ergo duplicis naturae numis docemur, quoniam sub eodem hoc consulatu bini varii tribunatus occurrunt, eum Kalendis Ian. iteratum non fuisse. Docemur deinde contra Mazzolenum, non fuisse renovatum X. Dec. In hac enim sententia necesse erit statuere, tribunatum VIII. coepisse X. Dec. V. C. 831, et tribunatum IX. eodem die V. C. 832. Exstant numi copiosi, et ubique obvii in auro, et argento, inscripti: TR. P. VIIII. IMP. XIV. COS. VII. addito in plerisque P. P. vel: TR. P. VIIII. IMP. XV. COS. VII. P. P. In hac ergo doctrina necesse erit statuere, hos omnes signatos X. Decembris V. C. 832 usque ad proximas Kal. Ian. Non prius, nam tum in hac sententia fluxit tribunatus VIII., non serius, nam tum Titus fuit COS. VIII. Ex quo hercle duo sequuntur absurda, primum, a die XXIII. Iunii V. C. 832, quo Titus Augustus dictus est, usque ad X. Decembris ejusdem anni nullum ejus cusum numum; nam nullus exstat Titi AVGVSTI inscriptus TR. P. VIII. COS. VII.; alterum, intra exiguum XXI. dierum spatium totum, atque incredibilem eorum numerum, qui TR. P. VIIII. COS. VII. inscribuntur, signatum esse, ac praeterea intra exiguum illud tempus illi P*atris* P*atriae*, et IMP*eratoris* XV. titulos accessisse. Ex quibus numis aperte quoque discimus, Titum eodem fere tempore, quo Augusti titulum suscepit, tribunatum iterasse; nam si eum multo ante renovasset, exstarent utique ejus *Caesaris* numi inscripti TR. POT. VIIII., si multo serius, haberemus ejus *Augusti* numos cum epigraphe TR. POT. VIII. Quapropter plus quam verisimile, Vespasianum Kal. Iul. V. C. 824 filio Tito tribunitiam potestatem detulisse, atque istud propterea, quod eaedem Kalendae imperii sui natalis fuere, ex qua lege Titi tribunatus VIIII. initus est Kalendis Iul. V. C. 832, seu die VII., ex quo Augustus appellatus est, intra quod arctum tempus aut nulli ejus numi cum mentione tribunatus VIII. cusi sunt, aut nonnisi paucissimi, quorum adeo nullus ad nos pervenerit. Quod si ita habet, certum etiam, Titum Kalendis Iul. V. C. 834 tribunatum XI. inivisse, quo labente mortuus est idib. Septembris. In numis tribunatum postremum habemus IX., at in celebri inscriptione portae majoris Romae legitur TR. POT. X. [a]).

In Domitiano expedita omnia, quia VII. consulatus continuavit, quorum singuli cum binos diversos tribunatus offerant, sequitur, trib. potestatem Kalendis Ian. iteratam non fuisse. Mazzolenus in hoc quoque veterem suam sententiam tueri perrexit; at cum sic consulatus cum tribunatibus non conspirarent, caute conjecit, Domitianum non mox idib. Septembris, quibus fratri successit, suscepisse trib. potestatem sed serius X. Decembris cum reliquis

a) Gruter pag. 176. 1.

tribunis plebis. At enim praeterquam quod haec conjectura inanis est, et tantum advocata, ut sententiae suae patrocinaretur, nequaquam ipse difficilis veniam fecit etiam adhibendi duplex trib. potestatis principium. Verum non egemus his auxiliis, si in renovata die natali trib. potestate acquiescamus, qua in sententia proclivia omnia, demptis numis non paucis, sed qui cuicumque sententiae adversantur, neque istud in Domitiano solum, sed et Tito, et Vespasiano. At constat etiam, Flaviorum monetam plus quam credi possit confusam propter magnam subaeratorum copiam, ut musea omnia docent, sed quibus a sana critica submotis inoffenso fere pede incedimus. Exemplum duplicis sub eodem Domitiani consulatu trib. potestatis dedi supra in regula V. Exemplum aliud illustre suppeditat tabula aenea honestae missionis, quam edidit Sanclementius a). In hac Domitianus ad diem XIII. Kal. Mart. dicitur TR. P. V. COS. XII. IMP. XI. Fuere hi Domitiani tituli inde a Kal. Ian. V. C. 839. At exeunte anno praecedente ejus tituli fuere TR. P. V. COS. XI. IMP. XI. Idem ergo tribunatus V. currebat cum parte consulatus XI. et parte XII. In mea ergo sententia Domitiani postremus tribunatus fuit XVI., quem inivit XIII. Septembris V. C. 849, sed quinto post die a conjuratis caesus.

NERVA.

Fuere viri illustres, qui ex testimonio veterum monumentorum tertium Nervae tribunatum largiendum censuere. At quoniam aliorsum satis constat, Nervam XVI. tantum mensibus praefuisse imperio, incredibile, quantum ea res chronologorum vexaverit ingenia, et quae ad conciliandam cum monumentis historiam effugia necesse fuerit comminisci, ut videre est apud Tillemontium b). Ante omnia in horum monumentorum fidem inquiramus. Citantur ex Goltzio c), et qui hunc exscripsit, Occone numi Nervae, in quorum uno legitur: TR. P. III. COS. IIII. in alio: ΔΗ. ΕΞ. Γ. ΥΠΑΤΟ. ΤΟ. Δ. in alio: ЄΤΟΥϹ. ΤΡΙΤΟΥ. Tum marmor Gruteri d): TRIB. POTEST. III. IMP. II. aliud Muratorii e): TRIB. POTEST. III. COS. IIII. Alia monumenta, quae istud adsererent, non suppetunt. Nemini mirum videbitur, ea Mazzolenum cupide amplexum, quod ejus se sententiae in speciem praeclare adcommodant, et refellunt alteram, quae tribunatus iterationem a natali imperii ducit. At cum viro erudito obstarent numi Nervae certae fidei, qui cum consulatu IV. conjungunt trib. potestatem II., cum tamen secundum ejus doctrinam constanter cum consulatu IV. jungendus esset tribunatus III., hunc nodum ut solveret, ait primum: *sunt quidem aliquot numi Latini cum* TR. P. II. *et* COS. IIII. Sed enim non *aliquot*, sed quam plurimi

a) de vulg. aera pag. 153. b) Note V. sur Nerva. c) Thesaur. pag. 63. d) Pag. 85. e) Pag. 448. 4.

sunt numi sic inscripti, et in solo museo Caesareo, non adnumeratis duplicibus, novem ejus generis, variis omnes typis, adservantur, et multo major est numerus penes Mediobarbum. Ait inde: *posse intelligi consulatum IV. non initum*, *sed designatum*, vetere nimirum infirmae causae praesidio. Quod ad citata monumenta attinet, satis esto, omnes hos numos esse Goltzianos, atque hos jam ita suspectos visos Mediobarbo cetera minime moroso, ut ne recipiendos quidem in suum catalogum putaret, falsumque nimio est, quod adserit Pagius [a]), *in cimeliis principum complures numos Latinos exstare*, *in quibus Nerva dicitur* TR. P. III. COS. IIII. Male etiam ejus causa nititur binis marmoribus, in quibus vel scalpendis quadratarius, vel exscribendis lector potuit peccare. Enimvero si Nervae omnino tribuendus est tribunatus III., quoniam bina marmora eum jactant, nihil obstat, quo minus ei tribuamus quoque X., quia eodem loco apud Muratorium bini proponuntur lapides, in quibus Nervae trib. potestas X. adfingitur. Sed et alteram sententiam evertunt numi, quae Kalendis Ian. iterationem tribunatus volet adfigere; nam labente eodem consulatu II. legitur TR. P., et TR. P. II. Quare certum est, Nervam majorum exemplo trib. potestatem natali imperii renovasse.

TRAIANVS.

Trajani numi ad quamcunque sententiam parum conferunt, quia raro in his trib. potestati sui adduntur numeri. Mazzolenus ad causam suam advocat numos inscriptos: TR. P. VII. COS. IIII. DES. V., quibus doceremur, Trajanum, exeunte Octobri V. C. 850 tribunatu a Nerva donatum, eum proximo die X. Dec. iterasse, quos ille numos tanto jactat confidentius, quod praeterea cum fastis praeclare conspirant. Verum quo pacto hi sint numi explicandi, abunde disputavi in moneta Trajani ad annum V. C. 856. Lubet solum monere, Mazzolenum hoc loco praeferre numis fastos, quod hi praesenti causae favere videntur. Non meminerat, sese alibi contrarium sanxisse, *in fastis potius consularibus*, ait, *timere errata poterimus*, *quippe quae manifesta*, *nec infrequentia in iis prostant.* Marmorum testimonia ejus sunt idolis, ut alia pro more ejus doctrinam juvent, alia ipso fatente interimant, ut adeo rursum ipse cogeretur ad duplex numerandi tribunatus principium, aut ad consulatus designatos tantum, non initos confugere. Ceterum quae ad rationes chronologicas imperii Trajani admodum implexas pertinent, operose per varias ejus monetae stationes expedire conatus sum, quae sane difficultates evanescerent, si, quod et in successore Hadriano neglectum, tribunatus numeri adcuratius fuissent adjecti. Exstant numi complures Antiocheni, qui Trajano tribunatum XXI. palam adserunt, ut et marmor in Hispania repertum, cum tamen hactenus de XX. tantum ejus tribunatibus constet, quae quidem omnia vide enarrata in titulis Trajani. Ex quo patet,

a) Crit. Bar. ad ann. Chr. 103.

pluribus nobis adhuc monumentis ad confirmandam Trajani chronologiam opus esse.

HADRIANVS.

Quod in Trajani moneta molestum esse dixi, neglectos plerumque trib. potestatis numeros, illud in Hadriano multo molestissimum, ex cujus numorum prodigioso agmine unicum hucusque novi, qui ejus numerum addit, promulgatum a Vaillantio, et inscriptum: TR. P. II. a), sed et hoc indicio inutili, quia non additur consulatus. Aliae igitur ad inveniendam Hadriani rationem tentandae viae, at quae? Eas quidem facile reperit Mazzolenus, sed, ut verum fatear, caenosas, et quae a scopo certissime avertunt. Argumentum primum ducit a numis Alexandrinis Hadriani, qui ejus annum KB sistunt. Recte istud pro Alexandrinorum calculo, cujus lege annus Hadriani XXII. coepit die XXIX. Augusti V. C. 890, et duravit usque ad X. Iulii anni sequentis, quo die Hadrianus obiit. At vero an idem fuit modus numerandae trib. potestatis, qui Alexandrinis numerandorum imperii annorum? Rem deinceps marmoribus agit, sed provide, nam ea, quae causae suae adversantur, dissimulat. Quin ex variantibus marmorum lectionibus eas adoptat, quae causae suae patrocinantur. Nimirum cum famigeratam inscriptionem recitat, qua Hadrianus populo reliqua vetera remisisse perhibetur, recipit lectionem Baronii, et Mabillonii, quibus auctoribus is dicitur TR. POT. II. COS., qua admissa revera cadit sententia eorum, qui tribunatum natali imperii renovatum statuunt, quia quo tempore Hadrianus coepit dici TR. POT. II., jam fuit COS. II., at in Grutero, qui idem marmor recitat b), Hadrianus revera dicitur TR. POT. II. COS. II. Ex quo iterum apparet, quanta sit marmoribus, prout ea vulgata reperimus, tribuenda fides. Et sane in Hadriani monumentis corruptos passim esse numeros, ipse experientia edoctus sum. Atque post similia enarrata argumenta arguere denique vir praestans poterat, Hadrianum X. Decembris trib. potestatem iterasse. In tabula aenea honestae missionis, quae est apud Gruterum c), Hadrianus ad diem XI. Kal. Mart. dicitur TR. POT. XII. Adduntur consules P. Iuventius Celsus II. et Q. Iulius Balbus, qui sunt anni V. C. 882. At si valeret sententia Mazzoleni, Hadrianus dicto die dicendus fuerat TR. POT. XIII., et sic dicendus fuerat etiam, si tribunatum Kal. Ian. iterasset. Recte tamen stabilit sententiam eorum, qui tribunatus iterationem a natali imperii ducunt. Ceterum etsi his tabulis plus generatim tribuam, quam marmoribus, quo modo ea promulgata habentur, nolo tamen vel his nimium tribui, nam in simili tabula musei Caesarei, quam edidi in mea Sylloge I., Antonino adfingitur trib. potestas, quae sententiis omnibus palam adversatur. Est ergo trib. potestas XXI. postrema, quam Hadrianus in sententia ejus die natali iteratae numerare potuit. Vide

a) Num. praest. Tom. III. pag. 116. b) Pag. 10. c) Pag. 573.

de hoc plura in nota Reimari 171 ad Dionis librum LXIX., et in dissertatione Belleyi [a]). Non possum hoc loco praeterire marmora duo apud Muratorium ex Donio hausta [b]), in quorum uno Hadrianus dicitur TRIB. POT. II. COS. II. in altero TRIB. POT. II. COS. III. Priores notae indicant annum V. C. 871, posteriores annum 872. Hae si non fallunt, (nam marmora ipsa ignota sunt Marinio, qui ea restituit, conjicitque, a Donio illa ex MS. quopiam fuisse capta) [c]) suapte sequitur, quoniam eadem trib. potestas II. binos annos occupat, eam imperante Hadriano intra annum Iulianum, atque haud dubie die natali imperii fuisse renovatam. Quam eadem perniciosa sint sententiae Mazzoleni, nemo non videt. Marmora bina, quae Hadriano tribunatus XXII. adsignant, etsi ex lege ordinaria ei tantum XXI. debeantur, utut viro erudito plurimum favent, audienda tamen non sunt propterea, quia non ob hanc solum causam, sed alias quoque a viris praeclaris in falsorum numerum sunt relata. Vide cl. Zachariae *Istituzione lapid. p. 512.*

* * *

Hactenus vidimus, monumenta vetera favere sententiae, quae trib. potestatem die natali imperii iteratam docet, et repugnare quibuscunque aliis. At eadem docent, deinceps tribunatum incompleto primo anno proximis Kalendis Ian. fuisse renovatum. Istud adserendi sub Antonino Pio, M. Aurelio, et L. Vero non tot causae praesto sunt, quot deinde istud sub Commodo, et sequentibus exigunt, sed tamen sunt aliquae, quae istud suadeant, nullae, quae repugnent, sic ut plane verisimile sit, hunc iterandi modum Antonino imperante invectum.

ANTONINVS PIVS.

Numi hujus imperatoris ad juvandam quamcunque sententiam nihil opis praestant, quia nonnisi inde a trib. potestate XI. numeros addere incipiunt. At quoniam Antoninus ab hoc tempore usque ad vitae exitum consulatum non amplius iteravit, sublata consulatus cum tribunatibus contendendi occasione, quo uno iterationis principium potest reperiri, inutiles sunt ad finem, quem cupimus, adstituti tribunatus numeri. Soli numi aliquid suggerunt, qui Antonini tribunatum XXIV., qui fuit ejus postremus, inscriptum gestant. In eorum opinione, qui tribunatum die natali imperii renovari jubent, coepit Antonini tribunatus XXIV. die 25. Februarii V. C. 914, fuitque paucorum tantum dierum; nam mortuus statuitur die VII. Martii proxime sequentis, aut certe paullo post, ut diximus in ejus moneta. At vero tantus superest numerus numorum, qui hunc tribunatum memorant, atque in his tam varii typi, ut plane necesse videatur, postremi hujus tribunatus fines ampliare, quod fiet, si trib. potestatem XXIIII. ab elapsis proxime Kalendis Ian. ordiemur, quem morem circa hanc aetatem invectum ex sequentibus manifestius patebit. Aliam conjecturam suppeditat numus M. Aurelii adhuc Caesaris, in cujus aversa legitur TR. POT.

a) B. L. Mem. Tom. XXIV. pag. 96. b) Pag. 188. 4. 5. c) Frat. arv. pag. 718.

VII. TR. POT. VIII., de quo agam sub finem in conclusione hujus doctrinae §. II.

M. AVRELIVS, L. VERVS.

Certiora jam uterque praebet indicia renovatae Kalendis Ian. trib. potestatis. Ab Aurelio ordiamur. De dignitate hac ei adhuc Caesari delata diserte Capitolinus a): *Post haec Faustinam duxit uxorem, et suscepta filia tribunicia potestate donatus est.* Ex marmoribus, et numis, in quibus juxta numerum tribunatus etiam numerus consulatuum notatur, tum etiam ex tribunatu XXXIV., qui ejus postremus fuit, liquet, eum anno V. C. 900 ab Antonino hoc honore adfectum. At dies controvertitur. Conjicit Tillemontius, delatam illi hanc potestatem die 25 Februarii, quoniam Antoninus quoque eam hoc die ab Hadriano accepit. Non repugno huic conjecturae, etsi parum solidae; at repugnare cogor sententiae ejusdem viri celeberrimi, et plerorumque aliorum, qui Aurelii tribunatum eodem die repetitum statuunt. Negant nempe istud numi anni V. C. 914 P. X. 161. Processit Aurelius Kalendis Ian. hujus anni consul III., et hinc usque ad 25 Februarii secundum Tillemontium cucurrit ejus tribunatus XIV. Coeptum deinde tribunatum XV. decem solis diebus titulo Caesaris tenuit; nam Pio paullo post die VII. Martii e vivis erepto Augusti titulum suscepit. Ex quo sequitur, si exstant numi Aurelii Caesaris signati a Kal. Ian., quo die consulatum III. inivit, usque ad diem VII. Martii, majorem horum partem inscriptam esse debere: AVRELIVS. CAESAR. TR. P. XIIII. COS. III., quoniam ex sententia Tillemontii duobus integris fere mensibus hi ejus tituli fuere, at eorum minorem partem exhibituram epigraphen: AVRELIVS. CAESAR TR. P. XV. COS. III., quoniam hi tituli decem tantum diebus duravere. Verum contra evenit. In copiosis hujus intervalli numis nunquam leges: TR. P. XIIII. COS. III., sed constanter: TR. P. XV. COS. III. Vtrum verisimile, inde a Kal. Ian. usque 25 Februarii aut nullos Aurelii signatos numos, aut si signati fuere, hoc illos fuisse fato, ut ad unum omnes interirent? contra, quos sequens dierum X. spatium procudit, eos solos, et magno quidem numero exitium evasisse? Quapropter cum simul cum consulatu III. videamus exortum tribunatum XV., necesse est etiam statuere, eum a Kal. Ian. ductum, cumque istud ex numis his manifeste appareat, et verisimile praeterea sit, Aurelium non alio modo numerasse tribunatus, quam quo eos numeravit pater Antoninus, confirmatur, quod jam supra conjeci, jam Antoninum Kalendis Ian. tribunatum iterare solitum, praecipue quod continuo visuri sumus, L. Verum quoque sic tribunatus suos computasse. Atque iidem etiam numi Mazzoleni sententiam impetunt, secundum quam Aurelius tribunatum XV. inivit die X. Decembris V. C. 913 proximis Kal. Ian. processurus consul III. Ex hac ergo doctrina fuit Aurelius intra hoc interval-

---

a) in Aurel. cap. 6.

lum TR. P. XV. COS. II. DES. III., et si vera est ejus doctrina, necesse est exstare aliquem numum sic inscriptum; at vero non legitur in ejus moneta tribunatus XV. nisi junctus cum consulatu III., neque consulatus II. des. III. nisi junctus cum tribunatu XIV.

Eodem modo causam meam ex L. Veri numis propugno. Is mortuo circiter VII. Martii V. C. 914. Antonino Pio mox a M. Aurelio adsumptus conlega, et trib. potestate donatus est, quam deinde, si Panvinium, et sequaces audias, singulis annis eodem die VII. Martii renovavit. At istud iterum negant numi. Etenim si tribunatum sic iteravit, necesse est, a Kal. Ian. V. C. 920, quo anno processit consul III., usque ad dictum diem Martii fluxisse residuum tribunatus VI., et deinceps coeptum tribunatum VII. Quare numos hoc intervallo cusos necesse fuit inscribi TR. P. VI. COS. III. Sed enim nullus hactenus repertus est sic inscriptus, at omnes, et quidem magno numero: TR. P. VII. COS. III. Sed et iidem numi Mazzolenum feriunt, secundum quem Verus inde a X. Decembris V. C. 919 usque ad proximas Kalendas Ian. fuit TR. P. VII. COS. II. Verum ne unus quidem numus sic reperitur inscriptus; omnes ejus tribunatum VII. jungunt cum consulatu III., et consulatum II. cum tribunatu VI. et praecedentibus. Quare confiteri oportet, ipsis Kal. Ian. trib. potestatem iteratam.

At urget Panvinianae sententiae patronos gravissima alia difficultas. Certum est I., mortuum L. Verum V. C. 922 P. X. 169 teste Eusebio, et numis. Certum II. teste Galeno synchrono, eum mortuum media hyeme [a]). Certum III., ejus postremam trib. potestatem fuisse IX. Haec tria ut concilient Panviniani, misere laborant. Non possunt Veri mortem adfigere medio Ianuario hujus anni 922, quod est fere mediae hyemis tempus, nam tum non inivisset tribunatum IX., qui in eorum sententia nonnisi die VII. Martii ejus anni coepit. Coacti ergo fuere Tillemontius [b]), Norisius [c]) aliique, ut et tribunatum IX. et mediam hyemem salvam praestent, Veri mortem in Decembrem ejus anni differre. Verum an mensis December media hyems unquam est habitus, et non potius hyemis initium? Sane in Kalendario rustico Farnesiano notatur in Decembri: HIEMPS. INITIVM. SIVE. TROPAE. CHIMERIN., et item in alio Kalendario, quod fuit olim in aedibus Bernardini della Valle, ad eundem mensem: HIEMIS. INIT. TROPAEAE. CHIMER., tum vero mediam hyemem in Ianuarium aperte conjiciunt Ovidius [d]), et vetus Kalendarium, quod ejus fastis praefigitur, tum et Columella [e]). Necesse ergo erit viris praestantibus, aut Galenum synchronum, et tum Romae, atque in ipsa aula degentem, et insignis ab arte medica virum nominis, arguere mendacii, aut adserere, aliter ab eo anni tempora computata, aut ad medium circiter Ia-

a) περι των ἰδιων βιβλιων cap. 2. et de Praecognit. b) Note XII. sur M. Aurel. c) Epoch. Syrom. diss. IV. pag. 304. d) Fast. I. v. 459. e) de re rust. L. XI.

nuarium hujus anni revocare Veri mortem, sed et tum mecum confiteri, Veri trib. potestatem IX. a Kalendis Ian. ejus anni ducendam. Sed et alium habent nodum, quem expediant, qui Veri mortem in finem Decembris differunt. Mortuus est Verus in M. Aurelii trib. potestate XXIII., et ea adhuc labente peractam ejus consecrationem, docet numus cum epigraphe DIVVS. VERVS, in cujus aversa est caput Aurelii cum mentione dicti tribunatus XXIII., quem correctum exhibui in numis D. Veri. Ad haec eo adhuc labente Aurelium dedisse congiarium, et mox iterum in Germaniam profectum docent insignes ejus numi a me in ejus moneta ad annum V. C. 922 descripti, in quibus habetur eadem trib. potestas XXIII., et in aversa PROFECTIO. AVG., et LIBERAL. AVG. V. Iam igitur si exeunte Decembri mortuus est Verus, necesse est, quoniam Aurelii tribunatus XXIII. die 25 Februarii exivit, funebrem ejus pompam ab Altino Venetorum, ubi decessit, Romam usque, consecrationis solennia, congiarii procurationem, apparatum ad novum bellum, atque ipsam profectionem angustis duorum mensium spatiis circumscribere. At si mortuus statuatur Verus circa medium Ianuarium anni V. C. 922, inde usque ad proximas Kalendas Ian. tot rebus expediendis tempus non deficit. Verum omnis haec lis erit decisa, si reperiatur numus Alexandrinus L. Veri inscriptus L. I. Nam annus Veri X. in Alexandrinorum calculo coepisset die 29 Augusti V. C. 922, quo posito necesse omnino foret, L. Verum in Decembri mortuum statuere. Vnum sane sic inscriptum offert catalogus Theupoli, sed de cujus fide dubito, ut dixi in L. Veri moneta Alexandrina, neque etiam solertissimus Zoëga, qui omnia monetae Alexandrinae scrinia impigre excussit, posteriorem aliquem anno Θ invenit.

COMMODVS.

Nullius imperatoris trib. potestas adeo implexam rationem, tamque in se recurrentes nodos offert, quam Commodiana, quos extricare conati quidem sunt praestantissimi philologi, at irrito sane conatu. Cumque post horum tentamina ipse quoque de exitu desperem, aliud mihi in praesens propositum non est, quam ut ostendam, nullam sententiam, quam praeclari hi viri attulere, posse cum certis monumentis componi.

Lampridius, qui singulos Commodo delatos honores tam anxie commemorat, ut ne consules quidem ac diem omittat, nihil tamen de collata trib. potestate, quod mirum sane, memoriae prodidit. Capitolinus postquam narrasset [a]), Aurelium, ut Romam venit, triumphasse, quod accidit 23 Decem. V. C. 929, continuo subjicit: *Exinde Lanuvium profectus est. Commodum deinde sibi collegam in trib. potestatem junxit.* Quo testimonio, nisi fallax forte est, istud saltem docemur, ei tribunatum nonnisi post hunc triumphum, et memoratum tempus accessisse. Cum Capito-

a) in Aurel. cap. 27.

lino conspirant quoque numi anni V. C. 930, quorum alii cum inscribantur TR. P., alii TR. P. II., indicare videntur, Commodo hanc potestatem anno praecedente delatam.

Praecipiendum adhuc, certum esse, a Commodo initam ipsam trib. potestatem XVIII. Istud certum est I. ex numis, quos in Commodi moneta ad hunc tribunatum omnes studiose collegi, et additis testibus adcurate descripsi, quique omnes hanc numero potestatem exhibent. II. Certum ex epigrammate non dubiae iterum auctoritatis, quod insertum moli Hadriani, et ipsi Commodi, ut creditur, sepulchro sic binis locis recitatur a Grutero [a]: *L. Aelio Aurelio Commodo Augusto — — — trib. pot. XVIII. imperat. VIII. consuli VII. P. P.* Idem tribunatus legitur in lapide Muratorii [b]. Denique III. Dio quoque, cum literas a Commodo ad senatum datas commemorat, his eum praeter alios titulis usum refert: *trib. pot. XVIII. imp. VIII. cos. VII. P. P.* [c]) Qui sibi ipse trib. potestatem XVIII. tribuit, illam certe inivit, ut adeo frustra sit Harduinus, qui numos ex aere maximo tribunatum XVIII. praeferentes adulterinos adfirmare non dubitat, praesertim cum hic, ut ait, in nullo appareat omnino numismate aureo, argenteo, aereo trium solitarum formarum [d]. Quod falsum esse, in hujus tribunatus numis manifeste comprobavimus. Idem cum Harduino perperam sensisse Argelatum, in adjecta ad similem Mediobarbi numum nota video.

His occupatis eruditorum super exordio trib. potestatis sententiae expendendae.

Sententia I. eorum, qui ejus initium adfigunt anno V. C. 928 P. X. 175, quae fuit sententia Norisii et Pagii, quorum ille Capitolino dicam impingit, eo quod perhibeat [e], Marcum Romam ex Oriente reducem triumphasse, quod factum V. C. 929 die 23. Dec., deinde profectum Lanuvium, ac tum demum Commodum sibi in tribunatu collegam junxisse, cum tamen probari ex numis posse putet, eum illo donatum V. C. 928, et, ut conjicit, 27. Februarii [f]. Serius tamen delatam hanc Commodo dignitatem circiter mense Augusto est opinatus [g]. Quoad annum consentit etiam Tillemontius [h].

Non agam patronum Capitolini toties rerum ordinem sus deque miscentis, nihilque hujus auctoritas in causa praesente valeat. Numis rem agam. In hac virorum eruditorum sententia anni V. C. 929 partem priorem occupavit tribunatus I., partem alteram tribunatus II., ac demum partem priorem anni 945, cujus postrema die caesus est Commodus, tribunatus XVII., partem alteram tribunatus XVIII., et, quod sequitur, fuit Commodus

V. C. 930. COS. TR. P. II. III.
931. COS. TR. P. III. IV.
932. COS. II. TR. P. IV. V.
933. COS. II. TR. P. V. VI.

a) Pag. 253. 2. et 262. 6. b) Pag. 242. 5. c) L. LXXII. §. 15. d) Hist. Aug. pag. 794. e) l. c. f) Vot. decenn. pag. 115. g) Epist. cons. pag. 120. h) in Aurelio. pag. 676.

V. C. 934. COS. III. TR. P. VI. VII.
935. COS. III. TR. P. VII. VIII.
936. COS. IV. TR. P. VIII. IX.
937. COS. IV. TR. P. IX. X.
938. COS. IV. TR. P. X. XI.
939. COS. V. TR. P. XI. XII.
940. COS. V. TR. P. XII. XIII.
941. COS. V. TR. P. XIII. XIV.
942. COS. V. TR. P. XIV. XV.
943. COS. VI. TR. P. XV. XVI.
944. COS. VI. TR. P. XVI. XVII.
945. COS. VII. TR. P. XVII. XVIII.

Ex hoc ergo calculo sequitur, tribunatum Commodi IV. parte sui priore decurrere cum anno 931, quo consul I. fuit, et posteriore cum anno 932. At nusquam legitur: TR. P. IV. COS., sed semper TR. P. IV. COS. II. Ergo anno V. C. 931 nondum habuit trib. potestatem IV.

Tribunatus VI. incidit in annos 933 et 934, quorum priore fuit COS. II., posteriore III., sed nullibi reperies TR. P. VI. COS. II., constanter TR. P. VI. COS. III. Ergo anno 933 nondum habuit tribunatum VI.

Tribunatus VIII. occupat partem annorum 935 et 936, quorum illo fuit COS. III. hoc COS. IV., nusquam tamen scribitur: TR. P. VIII. COS. III., semper TR. P. VIII. COS. IIII., ergo anno 935 nondum praeditus fuit tribunatu VIII.

Tribunatus XI. incidit in annos 938 et 939. Fuit Commodus illo COS. IV. hoc COS. V., sed non reperies usquam TR. P. XI. COS. IIII., semper TR. P. XI. COS. V. Quare anno 938 nondum habuit tribunatum XI.

Tribunatus XV. currit cum annis 942 et 943, quorum illo fuit COS. V., hoc COS. VI., nunquam tamen legitur TR. P. XV. COS. V., at constanter TR. P. XV. COS. VI. Ergo V. C. 942 nondum accessit tribunatus XV.

Denique tribunatus XVII. incidit in annos 944 et 945, quorum illo fuit COS. VI., hoc COS. VII. At non leges TR. P. XVII. COS. VI. (dempto unico, quem sic citari video inter numos max. mod. reg. Gall. Tab. XV. n. 4, nisi mendum subest) sed semper TR. P. XVII. COS. VII. Ergo V. C. 944 trib. potestas XVII. nondum obtigit.

Animadversa constante hac lege per omnes Commodi consulatus deducta fateri necesse erit, aut nimis maturo initio adfixum ab antiquariis primum ejus tribunatum, aut priore singulorum tribunatuum parte, quae Kalendas Ian. proxime praecedit, per omnes hos annos monetam signari solitam non fuisse, quod an ullo modo verisimile? At multo acerbius eam sententiam ferit animadversio alia, quam item ex numis expositum eo.

Secundum hujus sententiae patronos parte priore anni V. C. 942, ut ex allata tabella patet, currebat Commodi tribunatus XIV., posteriore tribunatus XV. Certum est, Commodum proximis Kalendis Ian. processisse consulem

VI. Numis igitur per praecedentes proxime menses, sive in hac sententia in tribunatu XV. signatis ex vetere more inscribendum fuerat TR. P. XV. COS. V. DES. VI. Sed enim nequaquam istud hujus temporis numi offerunt, sed TR. P. XIIII. COS. V. DES. VI. objiciunt omnes, iique obvii; ex quo apparet, trib. potestatem XIV. non XV. fuisse in exitu anni, et proxime cum Kalendis Ian. conjunctam.

Sententia II. eruditi Mazzoleni. Secundum hanc Commodus trib. potestatem accepit 27 Nov. V. C. 929, eamque post exiguum 12 dierum intervallum die X. Dec. iteravit a). Quare Commodi tribunatus I. duravit a die 27 Nov. 929 usque ad proximum diem X. Decembris, quo coepit tribunatus II. exiturus X. Dec. anni 930, et ita porro. Quam ἀσυςατα ex hac doctrina suapte profluant, binis tantum argumentis, nam diutius immorari piget, comprobabo.

V. C. 930 Commodus processit COS. I. Ex lege a Mazzoleno lata Kalendis Ian. fluxit tribunatus III. usque ad X. Dec., quo coepit IV. Sed enim miseret me longi numorum agminis, in quorum fronte scriptum: TR. P. II. COS., et qui modo post Mazzoleni oraculum, ubi pedem ponant, non habent. Verterint sese ad annum praecedentem, negabitur civitas, quia tum consul nondum fuit Commodus; sin ad praesentem, fastidientur quoque, quoniam hoc anno jam fluxit tribunatus III., subinde IV. Ex eadem lege extorres sunt omnes, qui inscribuntur TR. P. IIII. COS. II. Processit consul II. V. C. 932, at hoc anno dictante Mazzoleno valuit tribunatus V., mox VI. Serpit eadem contagio ad numos omnes, qui subinde iteratum a Commodo consulatum offerunt, quanta adeo civium optimorum jactura, nemo non videt.

Alterum argumentum paucis persequar. Fuere, quibus Commodi tribunatus XVIII. jam numero nimius est visus, ut supra diximus. En tibi Mazzolenum, qui nunc praeconio suo ipsum XIX. tribunatum invehit; nam secundum istud coepit tribunatus XVIII. die X. Dec. V. C. 944, duravit usque ad eundem diem anni 945, et incepit tum tribunatas XIX., quo labente caesus est Commodus postremo anni die. Atque haec de Mazzoleni doctrina non improbabili modo, sed aperte falsa dicta sufficiant.

At vero eorum quoque sententias, qui duplicem in Commodo numerandi tribunatus modum stabilire conati sunt, ut videre est apud Valsechium b), plane succumbere facile intelliges, si eas cum numis a me descriptis, iisque sinceris et integris contendas.

Ergo cum repertum hactenus nihil sit, quo verum tempus iterationis trib. potestatis in Commodo posset definiri, etsi satis certum sit, ei initium factum exeunte anno 929 cum ex manifesto testimonio Capitolini, tum numis, aliud opportunius facere non poteram, quam ut describerem numos eo ordine, quem juncti cum consulatibus tribunatus efficiunt, ut jam monui in hujus Augusti moneta ad annum V. C. 930. Atque

a) de trib. pot. pag. 123. b) de init. imp. Alex. pag. 216. seq.

secundum hanc legem videmus in numis anni 930 duplicem tribunatum, nempe I. et II., et duplicem item in numis anni postremi 945, nempe XVII. et XVIII. In reliquis numis simplicem tantum per singulos annos tribunatum reperias, sic ut eum Kalendis Ian. instar consulatus iteresse patris exemplo plane appareat. Quae vero causa sit, cur solis annis primo, et postremo duplex occurrat tribunatus, nulla me ratione adsequi posse candide profiteor; sed certus sum etiam, aliquam idoneam neque in alia quapiam sententia posse adferri.

SEVERVS.

Major, meliorque chronologorum pars Severum ineunte Iunio V. C. 946 trib. potestate donatum adfirmat, ut dixi in hujus numis. Pagius idus Apriles ejusdem anni praefert, sed quod ad praesentem causam perinde est. Demonstrandum ergo, dictam potestatem non fuisse iteratam recurrente Iunio, ac praeterea praemonendum, postremum Severi tribunatum fuisse XVIIII., eumque legi in numis copiosis, et obviis. En argumenta:

I. Si tribunatus Severi captus initio Iunii V. C. 946 eodem semper tempore anno revoluto esset iteratus, ex legis hujus tenore tribunatus XVIIII. coepisset initio Iunii V. C. 964. At Severi vita ad hoc usque tempus non duravit jam die IV. Febr. ejusdem anni e vivis erepti. Mirum enimvero, qui factum, ut viri eruditi, qui Severi tribunatus per annos digessere, ad hunc lapidem, quem objectum sibi oculis videre, mallent offendere, quam ab eo declinare. Sane Occo et Mediobarbus extremo Severi anno non paucos numos cum trib. potestate XVIIII. recitant, tamen eam in ejus anni titulo dissimulant memorato solo tribunatu XVIII., nimirum quod hic sese illorum calculo adcommodat, non item ille. Eandem etiam dissimulat, tanquam non existeret, egregius Tillemontius, imperiumque Severi cum tribunatu XVIII. concludit, etsi Mediobarbi catalogo assidue est usus, nisi forte in horum numorum descriptione mendum suspicari maluit. Sane vel unum hoc argumentum satis per se valet ad evertendam sententiam de iterato sub Iunii initium tribunatu. Quae absurda Pagius ad explicandum hunc tribunatum coactus fuerit comminisci, vide apud auctorem ipsum [a]). Nuper cl. Sanclementius, ut objectam difficultatem leniret, magnopere collaudavit sententiam cl. Zoëgae, cujus conjectura fuit, Severum, quem constat, in Antoninorum gentem se violenter intrusisse, initium suae trib. potestatis fieri jussisse ab ea die, qua Commodus vivendi finem fecit, nulla habita ratione imperiorum Pertinacis, et Iuliani [b]). Non inficior, hoc pacto Severi tribunatum XIX. commodissime explicari. Nam cum in hac sententia imperium Severi ducatur a Kal. Ian. V. C. 946, non modo is tribunatus facile emergit, sed etiam consulatus cum tribunatibus suapte conciliantur. At enim quis sibi persuadeat, neglectum a Severo Pertinacis tanquam intrusi imperium, qui non mo-

a) Crit. Bar. ad ann. Chr. 211. b) de vulg. aera pag. 287.

do divinos caeso honores decrevit, et justum adeo Caesarem agnovit, sed etiam ex singulari in optimum hunc principem adfectu ab ejus nomine Pertinacem se dici voluit, ut ostendimus in Severo sub titulo *Pertinax*, ejusque caesi vindicem se palam tulit? Non ergo isthoc effugio sublatam possumus statuere difficultatem.

II. Severus Kal. Ian. V. C. 955 processit consul III., et secundum praetensum hoc iterationis tempus initio Iunii V. C. 954 inivit tribunatum IX. exspiraturum eodem mense anni 955, quo decimus occiperet, atque adeo necesse foret in numis a dictis Kalendis usque ad Iunium signatis jungi trib. potestatem IX. cum COS. III. Nunquam tamen istud, at constanter legere est TR. P. X. COS. III. Ergo Severus jam anni principio habuit tribunatum X.

III. Exhibet Muratorius inscriptionem insignem repertam Romae, in qua omissis reliquis legitur: *L. Sept. Severi Pii Pert. Aug. Arabic. Adjab. Pont. et Part. Max. Tr. P. VIII. Imp. XI. Cos. II. Procos. P. P. et M. Aur. Antonini Pii Felicis Aug. Tr. P. III. Procos. et Iuliae Aug. M. K — — — Dedicata Kal. April. Severo et Victorino cos.* [a]). Horum consulatus incidit in annum V. C. 953. Admissa tribunatus iteratione mense Iunio Severus tribunatum VIII. nonnisi principio Iunii hujus anni 953 adivit. Verum ex praeconio marmoris propositi jam Kal. April. hujus anni tribunatu VIII. praeditus fuit. Igitur ea iteratio necessario anticipanda. Exstat apud Muratorium marmor dedicatum Severo, in quo is dicitur TRIB. POT. III. IMP. IIII. COS. II. [b]). Hae notae Muratorio indicant annos V. C. 948. 949 P. X. 195. 196. Contra arguit Marinius [c]), verum istud quidem esse spectato tribunatu III., at non spectato titulo IMP. IIII., qui monumentum istud potius ad annum P. X. 194 retraheret, ac propterea marmoris hujus notas corrigendas suadet. Admitte mecum, Severum trib. potestatem III. inivisse Kal. Ian. V. C. 948, ac tum tituli omnes recto stabunt talo, et salva erit marmoris hujus auctoritas.

Quam adcurate in Severo cum consulatibus conspirent tribunatus, si horum iterationem a Kalendis Ian. ducas, ex ejus moneta ipse facile intelliges.

CARACALLA.

Acre inter eruditos est dissidium, quo anno aut mense Caracalla tribunatu donatus fuerit. Norisius primum id factum censuit paullo post Kalendas Iun. V. C. 951 P. X. 198. ipso nimirum patris Severi natali imperii [d]). Serius mutavit sententiam, et dignitatis hujus exordium ante Kal. Apriles ejus anni retrahit praeter varia numorum et lapidum testimonia motus auctoritate marmoris Gruteriani, in quo Caracallae pridie non. April. V. C. 953 jam tribunatus III. tribuitur [e]). Addo, lapidem post Norisii mortem detectum, quem supra in Severo citavi, Caracallae ipsis jam Kal. April. V. C. 953 eundem tri-

a) Pag. 347. 2. b) Pag. 243. 7. c) Frat. arv. pag. 719. d) Vot. decenn. cap. 4.
e) Pag. 269. 2.

bunatum III. largiri, ut adeo initium collatae hujus potestatis magis adhuc foret anticipandum. Causam implexam reddunt marmora varia, quae dum Severi, et Caracallae tribunatus componunt, inter utrumque jam quatuor, jam quinque, jam sex tribunatus collocant, sic ut necesse sit, si modo his monumentis fides habeatur, exordium tribunatus Caracalliani in ancipiti versari. Ex hoc labyrintho ut evaderent viri eruditi, duplex iis statuendum initium visum delati Caracallae tribunatus, prius ab anno V. C. 950, quo destinatus ad imperium fuit, alterum ab anno 951, quo revera Augustus dictus est, aliis hoc, aliis alio principio in tribunatuum computo usis. In hanc se etiam sententiam inclinare, sed coactus utique ipse profitetur Tillemontius [a]), quem in hac lite praecipue adi, aut Mazzolenum [b]).

Tamen in universa hac causa parum est laborandum. Ad annum quidem quod attinet, certe annus V. C. 951 ejus potestatis exordio est adsignandus suffragantibus tam numis, quam marmoribus. Numi sane intervallum quinque tribunatuum constanter inter patrem, filiumque collocant, quod apparet ex ludis saecularibus in utriusque moneta una cum utriusque tribunatu expressis, aut ex titulis bellicis uno eodemque tempore ab utroque captis, ut vidimus. Igitur quo tempore currebat tribunatus VI. Severi, fluxit tribunatus I. Caracallae, atque adeo V. C. 951. Sed obturbant marmora. At quando haec non obturbavere? Esto, in compluribus horum reperiri intervallum modo arctius, modo laxius, at certum est etiam, maximam eorum partem tribunatus quinque, perinde ac numos, inter utrumque ponere. An non igitur praestabit, pauciores deviantes inscriptiones a pluribus corrigi, praecipue cum et numi hoc remedium non suadeant, sed imperent? Quis ignorat vitia, quae saepe obtulere ii, qui marmorum epigrammata exscripsere? At enim patroni duplicis in Caracalla exordii fiduciam maximam habent repositam in inscriptione, quae hodieque legitur in fronte templi Romani, quod Pantheon veteribus dictum est. Lubet totum istud epigramma, quippe ad plures causas profuturum, ex adcuratis auctoribus huc transferre:

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS. ADIABENICVS. PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. X. IMP. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET. IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PROCOS. PANTHEVM. VETVSTATE. CORRVPTVM. CVM. OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT.

Gruterus, atque tot alii, qui inscriptionis hujus meminere, omnes in Severi titulis legerunt TRIB. POTEST. XI., non, ut revera est, X., ac post tot tandem viros eruditos, ac post tot inter eos lites prodivit Vignolius, qui veram

a) Note XIX. sur Severe. b) in Animadv. I. de trib. pot. pag. 126.

lectionem TRIB. POTEST. X. restituit a), quam et nuper auctoritate sua comprobarunt Georgius Zoëga b), et Carolus Fea c), ex quo epigramma istud restitui, qui et infra mirari se magnopere profitetur d), cum tot hac super inscriptione inter eruditos essent dissidia, diu neminem omnino repertum, qui eam in examen revocasset. Hujus epigrammatis memini supra in regula III., quo comprobarem, quam parum fidere possimus notis chronologicis, quales nobis ex marmoribus in catalogis exhibentur, cum in describendo monumento publico, eoque nitido, facilisque quotidie omnibus aditus, tam graviter sit peccatum. Adhibe praeterea inscriptionem arcus Severi, quam dedi in Caracalla ad V. C. 957, et alias publicas idem docentes, quas collegit cl. Sanclementius e). Certum ergo est, quod dixi, quinque tribunatus inter patrem et filium intercedere, et Caracallae tribunatum ab anno V. C. 951 exordium sumere. Atque haec de anno exordii controverso. Mensis implicatius examen, aliis, ut dixi, initium Aprilis, aliis initium Iunii pro trib. potestatis principio statuentibus. Historicis, et monumentis nihil in hac causa decidentibus sperabant se ex mentione tribunatuum anni tempus proxime adsequi posse. Ita cum ex marmore supra citato viderent, Caracallam nonis April. V. C. 953 habuisse trib. potestatem III., arguerunt continuo, primum ejus tribunatum coepisse ante Aprilem anni 951, nam certum, ac indubitatum iis visum est, imperatores trib. potestatem semper die natali imperii iterare consuevisse. Sed enim hanc legem ut in praecedentibus proxime Augustis, sic et in Caracalla longe fallere, invictis modo argumentis demonstratum eo.

I. Statuatur, quod praeclari hi viri constitutum volebant, Caracallam ineunte Aprili V. C. 951 trib. potestate donatum, eamque die anniversaria renovatam. Consulatum II. inivit V. C. 958. Currebat ergo secundum patronos hujus sententiae a Kal. Ian. hujus anni usque ad Aprilem trib. potestas VII., deinceps VIII. Verum in nullo ejus anni numo legitur COS. II. TR. POT. VII., sed constanter COS. II. TR. P. VIII. Eodem modo cum anno V. C. 961 procederet consul III., nunquam legitur COS. III. TR. P. X., sed semper XI., denique in consulatu IV. anni 966 nunquam COS. IIII. TR. P. XV., sed semper XVI. Ex quo consequitur, per priores annorum horum menses aut signatos non esse numos, aut eos omnes deperditos; quod cum verisimile non sit, certum etiam, posteriorem tribunatus numerum jam anni principio valuisse, atque adeo eodem modo, ut in Severo dixeram, trib. potestatem die anniversaria non fuisse augeri solitam.

II. In eorum sententia Caracalla V. C. 964 a Kal. Ian. usque ad Kal. Apriles circiter numeravit tribunatum XIII. Intra hoc tempus Severus Eboraci moritur, nimirum die IV. Februarii, ac

a) Diss. II. de anno I. Alexandri Sev. pag. 200. Tomi I. opp. S. Hippolyti edit. Hamburg. b) Num. Aegypt. pag. 262. c) Storia di Winckelmann Tom. III. pag. 294. d) Ibid. p. 604. e) de vulg. aera pag. 289.

tum continuo, et antequam tribunatus XIII. exspiraret, Caracalla pro simplice PONTIF. dici coepit P. M. P. P. At vero nullus ejus habetur numus inscriptus P. M. TR. P. XIII. P. P., e contra plurimi exstant inscripti PONTIF. TR. P. XIIII., unde tenemus, Caracallam jam ineunte hoc anno habuisse tribunatum XIV., neque illum in Aprilem usque distulisse.

Ex his suapte consequitur, incassum se torquere viros eruditos, dum ex tribunatuum consequentium numero mensem, vel diem, quo primum Caracallae trib. potestas data fuit, se confecturos sperant, cum certum plane videatur, eum patris, et praecedentium proxime Caesarum exemplo ineunte semper anno iterare consuevisse, in quam sententiam ipsum etiam Tillemontium, etsi timide, propendere video a).

Nolo dissimulare difficultatem non levem, quae sententiae meae adversatur, quam objiciunt numi inscripti: PART. MAX. PONT. TR. P. IIII. COS., quos descriptos vide ad annum V. C. 955. Hoc anno Caracalla consul I. processit, at tum ex doctrinae a me statutae lege jam habuit tribunatum V. Et tamen in his numis monetariorum lapsus nequaquam suspicandus; nam eorum similes plures exstant, neque argentei modo, sed et aurei. Sitne id numorum genus per se satis validum ad evertendam contrariam meam sententiam, non modo solidis per ipsam Caracallae monetam argumentis stabilitam, sed cui analogia quoque ex superiorum Augustorum numis petita suffragatur, eruditus lector dijudicet. Non raro ars nostra objicit numos nequaquam subaeratos, et maligni commatis, sed probos, eosque obvios, quos domare nullo ingenio possis, et quorum indiciis chronologicis fidem habere nequeas, nisi totum, et ab reliquo agmine tuto stabilitum ordinem invertas. Ejus canora exempla suppeditabit moneta utriusque Philippi. Habeantur igitur id genus numi eo loco, quo in rerum natura monstra biformia ex illegitimo coitu prognata, neque in commune reliquorum, quos justus thorus edidit, concilium admittantur. Vide, quae supra in regula IV. monui. Ceterum verisimile videtur, in his numis monetarios veterem ritum, trib. potestatem die natali ejus acceptae iterandi, secutos, de quo agam plura infra in conclusione hujus doctrinae articulo IV.

Nulla est sententia qualicunque auctoritate nixa, quae non interdum per solitarios quosdam numos laboret, sed quos praestabit monetarii vitio luxatos opinari. Quare si quis objicere mihi volet numum AE. I. formae musei Caesarei inscriptum TR. P. XV. COS. IIII., cum juxta meam doctrinam scribendum fuisset vel TR. P. XVI., vel COS. III., huic opponam argenteum ejusdem Caracallae ex eodem museo, in quo legitur: TR. P. XVI. COS. III., quae epigraphe omnes sententias impugnat, cum is in tribunatu XVI. jam certo fuerit COS. IIII.

---

a) Note XIX sur Severe.

GETA.

Duplex eodem tempore peragemus examen, primum, quo anno Getae accesserit una cum Augusti titulo trib. potestas, alterum, quo illa modo fuerit iterata, quod utrumque eruditorum sententias distraxit. Panvinius, Mediobarbus, Tillemontius et plerique chronologi alii Getam V. C. 961, P. X. 208 dictum Augustum, et trib. potestate donatum, et quidem antequam Severus pater ad bellum Britannicum cum filiis exiret, adseruerunt. Cum auctores veteres, qui res gestas Getae memoriae prodidere, neque annum, neque diem, quibus Augustus dici coepit, testatum reliquerint, ipsi vero viri eruditi solis conjecturis sententiam suam tueantur, licebit re curatius certorum monumentorum ope expensa aliter sentire, et quod probare continuo aggrediar, collatum Augusti honorem in annum sequentem V. C. 962, P. X. 209 differre. Rem ut clarius ob oculos ponam, sequens diagramma concinnavi, cujus pars prior sententiam Mediobarbi tam spectato principio collatae ejus dignitatis, quam modo repetiti sub natalem imperii tribunatus, pars altera sententiam meam, quae ineunte anno repetitum tribunatum docet, proponit.

		Sententia Mediobarbi.			*Sententia auctoris.*	
		A.	B.		C.	D.
V. C. 961.	P. X. 208.	TR. P. I.			TR. P. I.	.
962.	209.	I. II.	TR. P. I.		II.	TR. P. I.
963.	210.	II. III.	I. II.	Dicitur Britannicus.	III.	II.
964.	211.	III. IV.	II. III.	Moritur Severus IV. Febr.	IV.	III.
965.	212.	IV.	III.	Geta caeditur.	V.	IV.

Litera A Mediobarbi, aliorumque sententiam exhibet. Secundum hanc tribunatus iteratur die natali imperii, quod collatum ipse statuit nonis Martii V. C. 961. At facile Mediobarbus a numis ipsis refellitur. Ex ejus enim calculo Getae tribunatus IV. coepit nonis Martiis V. C. 964, et duravit usque ad V. Kal. Martias anni 965, qua caesum eum adserit. Ergo demptis paucis diebus annum integrum. At si tamdiu duravit IV. hic tribunatus, cur ejus vix unus, alterve superat numus, ut in moneta Getae ad annum V. C. 965 monui, cum tamen aliorum tribunatuum numi abundent? Deinde constat, Severum die IV. Februarii Eboraci mortuum. Currebat tum Getae tribunatus

III. exiturus paullo post, nempe nonis Martiis proximis. Geta parte hujus anni, qua in vivis adhuc pater erat, dicitur in numis simpliciter: PONTIF. TR. P. III., et mox ab ejus morte in numis obviis, et copiosissimis: TR. P. III. P. P. An credibile, intra tam paucos dies, qui a Severi morte usque ad Getae tribunatum IV. intercesserant, potuisse nuncium Severi mortui Eboraco Romam perferri, praeparari matrices, et tam copiosos numos adhuc trib. potestate III. notatos, et tam variis typis emitti? Ex quo efficitur, Getae trib. potestatem nondum fuisse delatam V. C. 961.

Sed etiam sententia delatae V. C. 961 trib. potestatis meae doctrinae adversatur, qui ex lege praecedentium imperatorum non die natali imperii, sed ineunte anno Iuliano iteratum a Geta tribunatum ajo. Nam tum, ut litera C exhibet, Getae tribuendus adhuc esset tribunatus V., cum tamen numi vix quartum jam memorent.

Quare cum numi in utraque sententia annum 961 pro principio trib. potestatis, fastidiant, in examen vocetur annus 962, ut litera B exhibet, et cum utraque sententia contendatur.

Si Geta V. C. 962, et quidem nonis Martiis trib. potestatem abstulit, in sententia Mediobarbi, qui eam natali imperii iterare solet, ne quidem tribunatum IV. attigit, quoniam ex ejus ipsius opinione caesus est exeunte Februario. Et tamen ipse numos tribunatu IV. notatos recitat. Ceterum opus non est, refutandae huic iterationi multum iterum immorari, cum dubium non sit, eandem in hac legem, quam tenuere pater et frater, secutum quoque Getam; at illos tribunatum ineunte anno iterare solitos, supra comprobavimus.

Restat igitur modus sub litera D expressus, quo Geta adeptus imperium V. C. 962 statuitur, sic ut, quocunque anni die accepisse trib. potestatem dicatur, eam ineunte anno sequente duplicaverit. Secundum hanc legem plana omnia, nihilque historiae, aut numis adversum, quod, ne longior sim jam dicta relegendo, facile patebit, descriptos a me Getae annales cum numis, et synchronos Severi et Caracallae numos cum Getae moneta synchrona contendenti. Facile etiam in hac doctrina expeditur ratio, cur vix ulli Getae numi cum tribunatu IV. supersint, nam caesus est paullo post hunc initum. Deinde cum Caracalla teste Dione [a]) statim post caedem Getae monetam hujus imagine insignem conflari jusserit, certum est, saeviisse eum in illam, quam tum praeparatam in domo monetaria, et tribunatu IV. notatam reperit; in eam enim, quae erogata jam fuit, animadvertere non potuit. Denique maturius forte adhuc, quam vulgo creditur, caesus est Geta; nam factum istud fuisse exeunte Februario, disertum veterum testimonium non habemus, ut dixi in annalibus ad annum V. C. 965. Id solum constat ex Dione [b]), eum adhuc fuisse superstitem mense Decembri anni praecedentis 964; nam illi Caracalla

a) L. LXXVII. §. 12. b) L. LXXVII. §. 2.

insidias struxit tempore Saturnalium, qui hoc mense agebantur.

At litem mihi intentari video ab iis, qui Getam ante profectionem in Britanniam Augustum in urbe dictum contendunt, quam ex numis Caracallae certum est institutam anno V. C. 961. Fateor, Britannicum istud iter in hunc annum cadere; nam id me credere jubent numi. At nonnisi arbitrarie, et nullo certo argumento adseritur, eum jam ante hoc iter Augustum esse proclamatum; quin certum est ex numo Getae inscripto: LIBERALITAS. VI., quem ad eundem annum recitavi, eum tum, cum congiarium istud erogatum fuit, quod factum paullo ante dictum iter, Caesarem adhuc, Augustum nondum fuisse. Quare cum nullum certum argumentum praesto sit, quod Getam ante expeditionem Britannicam Augustum adfirmet, sic ut ne ipsi quidem Petavius, et Tillemontius istud tuto adserere audeant, standum hercle judicio numorum, annum sequentem potius stabilientium. Dictus ergo est Augustus in Britannia, ut olim dictus est Caesar in Oriente, et ut Caracalla Viminacii Caesar, in Oriente Augustus.

Cum igitur persuadentibus monumentis certum sit, Getam anno demum V. C. 962 imperatorem, et Augustum dictum, patet, quale judicium ferendum sit de inscriptionibus, quas columnae quatuor milliares in agro Augustano effossae exhibent, in quibus labente Severi trib. potestate IX., seu anno V. C. 954 Geta dicitur IMP. P. SEPTIM. GETA. ANTON. a) quo iterum docemur, nihil esse tam a vera historia alienum, quod non monumenta a remotis provinciis petita obtrudant.

MACRINVS.

Macrinus imperium, quod XI. Aprilis V. C. 970 arripuit b), nonnisi usque ad diem VIII. Iunii anni sequentis, quo victus est, retinuit. Imperavit adeo annum unum, menses duos, demptis diebus tribus, ut Dio ipse diserte computat c). Igitur quacunque sententia utare, numerabis tribunatus duos. At enim non parum laborat illa, quae renovatam hanc potestatem die natali imperii constituit. Secundum hanc coepit tribunatus II. die XI. Aprilis V. C. 971. At aequo fere numero habentur numi alterutro tribunatu notati. Quis vero non videt, multo minorem esse numerum debere numorum, qui spatio duorum mensium, et nonnihil amplius, quam qui annuo percussi sunt? Confer nunc, si lubet, sententiam alteram, quae initio anni Iuliani eam duplicatam arguit, et habebis pro eo numero annum dimidium et amplius, nempe donec in urbe victum primum Macrinum, ac deinde nulla evadendi spe hostibus proditum constabat.

Ad consulatus quod attinet, constat, eum ante arreptum imperium consulem non fuisse; at postquam imperator agnitus est, mox ei decreta ornamenta consularia, ut diserte Dio d). Valuisse haec instar consulatus veri, non modo doce-

a) Gruter pag. 157. 2 — 5. b) Dio L. LXXVIII. §. 11. c) ibid. §. 41. d) L. LXXVIII. §. 13.

mur auctoritate Dionis docentis eodem loco, coeptum sub Severo morem, retentumque sub Caracalla, ut, qui ornamenta consularia adeptus fuerat, cum subinde reipsa consul procederet, consul iterum diceretur, sed etiam invicto testimonio numorum, qui eum frequenter adhuc in tribunatu simplice consulem appellant. At Macrinum anno sequente 971 revera processisse consulem, praeter Dionem, qui ejus pariter conlegam Adventum prodit, testantur etiam numi copiosi, in quibus consul II. proditur. Quod si in plerisque fastis consules hujus anni memorantur Antoninus, et Adventus, istud cum Tillemontio, aliisque facile ex Dione explicabitur, asserente, Elagabalum eraso ex fastis Macrini nomine suum ipsius nomen ad notandum anni hujus consulatum inseruisse, ut dicetur in Elagabalo.

Haec, quae de tribunatibus, et consulatibus seorsim sumptis memoravi, ut belle se habent, tamen utrique secum, ut oportet, contenti non exiguam creant molestiam, et qualemcunque sententiam exercent. Nam cum consul processerit Kal. Ian. V. C. 971, atque ex eo die, ornamentis consularibus pro vero, ut dixi, consulatu habitis, dictus fuerit consul II., necesse est, deinceps consulatum simplicem locum habere non posse. Verum omnium manibus teruntur numi inscripti: TR. P. II. COS. Sive trib. potestatem natali imperii, sive anni principio iteratam statuas, semper, ut vides, repugnabit COS. simplex cum tribunatu II. conjunctum. Factum tenemus, atque istud non modo numis obviis, sed et binis Muratorii marmoribus a) confirmatum, in quibus omnibus suspicari monetarii, vel quadratarii lapsum, temerarium sane foret. Necessario igitur quaerendum effugium, cum res ipsa imperat. Quare cum videam in numis anni V. C. 971 promiscue scribi TR. P. II. COS., et TR. P. II. COS. II., alia, credo, variationis hujus caussa adferri nequit, quam, ab aliis monetariis ornamenta consularia pro vero consulatu habita fuisse, non item ab aliis. Video enimvero, istud ipsum jam anno praecedente a monetariis fuisse observatum, quod ut plane intelligatur, en schema numorum utriusque anni. Legitur

In numis V. C. 970 — — TR. P. P. P. vel: TR. P. COS. P. P.
V. C. 971 — — TR. P. II. COS. P. P. vel: TR. P. II. COS. II. P. P.

Atque haec ratio non in aliquibus solum numis, iisque rarioribus obtinet, sed promiscue, et aequo fere numero. En, jam anno priore in aliis omissum COS., in aliis additum. Nimirum hi dicta ornamenta in consulatus calculum recepere, illi neglexere, et quod sequitur, his a Kalendis Ian. anni 971 scribendum fuit COS. II., illis COS. simplex. Et vero valuisse tum varium istud institutum, non modo numis evincitur, sed et insigni testimonio Dionis b), cujus partem paullo supra recitavi: *και τοι μη θελησας, δευτερον δε τῳ ἐπιοντι*

a) Pag. 459. 1. et pag. 1993. 7. b) L. LXXVIII. §. 13.

ἐτει *) ὑπατευειν δοξαι, ὁτι των ὑπατευκοτων τιμας ἐσχηκει, ὁπερ ἐπι τȣ Σεβηρȣ ἀρξαμενον και ὁ ὑιος ἀυτȣ ἐπεποιηκει, *quanquam ipse* (Macrinus) *nolebat anno sequente consul iterum videri, propterea quod ornamenta consularia adeptus est, quod quidem coeptum sub Severo ejus quoque filius retinuit.* Iam vero et multo ante idem Dio observaverat, primum Severum, cum Plautiano honores consulares tribuisset, eumque deinde consulem designasset, consulem *iterum* renunciari jussisse, quod postea, ait, ab aliis quoque factum fuit [a]). Ex hoc oraculo bina colligimus, I. valuisse tum ex instituto Severi ornamenta consularia pro ipso consulatu, II. Macrinum hunc morem in se observari noluisse. Atque hinc certum est, monetarios hos receptum morem, alios imperantis voluntatem secutos, quae fortasse praecepti rigorem non habuerit, ipsis etiam consularibus eam adimplere tergiversantibus, quorum ambitioni Macrinus novo hoc suo instituto male consuluit.

In numo Antiocheno Macrinus dicitur ΥΠΑΤΟ. Γ. (Mus. Caes. Vaill.) Sed verisimile est, matricem, quae Caracallae fuerat, numo Macrini applicatam, quod ipsum apertius docent numi Diadumeniani.

ELAGABALVS.

Consulatus Elagabali quatuor in monumentis memorantur. Primus anni V. C. 971 verus non fuit, sed nullo hactenus exemplo per vim intrusus. Nam cum annum hunc aperuissent consules Macrinus et Adventus, illi subinde acie victo consulatum abrogavit, nomenque suum nulla senatus auctoritate in fastos intrusit, perinde ac si Kalendis Ian. consulatum suscepisset [b]). Quare annus hic in fastis *Antonino et Advento cos.* notatus reperitur. Quod cum non satis expenderent Panvinius, et Pagius, ille nomine Antonini intelligi Diadumenianum, hic Macrinum perperam credidere. V. C. 972 consulatum II. adivit Nicomediae, 973 consulatum III. Romae, annus V. C. 974 vacavit, at designatus in annum sequentem 975 consul IV. conlega Alexandro Caesare consobrino apertis jam in hunc odiis, cum tempus jam adesset, procedere renuit, et perseverasset, nisi metum injecissent milites [c]).

Trib. potestatem V. Elagabalo obtigisse, indubitatum, adserentibus eam non modo numis copiosis, sed et marmoribus. Sed id ipsum erat, quod summorum virorum ingenia graviter ex-

---

*) Non possum hoc loco non et summe laudare, et amplecti praeclaram conjecturam Fabricii, qui in corrupto hoc Dionis loco legendum censet τῳ ἐπιοντι ἐτει, sensu pronissimo, et nunc numis etiam comprobato, contra quam in codicibus legatur τῳ ἐιποντι ἐτι, nullo sane sensu, et quae lectio jam pridem criticis suspecta visa fuit. Vide notam 72 ad Dionis librum LXXVIII.

a) L. XLVI. §. 46. b) Dio L. LXXIX. §. 8. c) Lamprid. in Elagab. c. 15.

ercuit, cum rationem non reperirent, qua arrogare sibi tribunatum V. potuerit, qui ne quatuor quidem annos imperando explevit. Si Philippum Argelatum, novissimum Mediobarbi restitutorem, audias, momento citius ea lis finita. Nam in animadversione ad ultimum Elagabali annum edicere non veretur, numos cum TR. P. V. COS. IIII. vel mendosos, vel adulterinos putari. Ergo illi, qui novam Mediobarbi editionem procuraverat, aditus ad musea numismatica, quae contrarium docuissent, aut non fuit permissus, aut non quaesitus.

Antequam eruditorum varias sententias in examen vocamus, figenda necessario est duratio imperii Elagabali. Receptum a militibus in castra, et pro Macrino acclamatum imperatorem die XVI. Maji V. C. 971, diserte tradit Dio [a]). Haud multo post, videlicet VIII. Iunii, victum Macrinum idem testatur [b]), ac deinceps a die hujus victoriae imperasse annos III. menses IX. dies IV. [c]). Quo calculo conficitur, Elagabalum caesum circiter XI. Martii V. C. 975. Cum Dione conspirat Zonaras, et ex cathedra marmorea S. Hippolyti, quae servatur in bibliotheca Vaticana, et ad quam propter ejus monumenti fidem provocant omnes, qui de annis Elagabali scripsere, certum fit, idib. April. V. C. 975 jam caesum fuisse Elagabalum, et imperasse Alexandrum. Igitur dies XVI. Maji V. C. 971, quo Augustum se proclamari passus est Elagabalus, et dies XI. Martii V. C. 975, quo is caesus est, duo sunt cardines, intra quos ejus imperium concluditur, atque hi propter citatas auctoritates tantum valent apud eruditos, ut neque testimonio Lampridii eos arctantis [d]), neque marmoris Panviniani eos laxantis [e]), neque aliorum scriptorum variam durationem adsignantium adcurati, et coaevi Dionis fidem infringi patiantur. Ea, quae hic compendio memoravi, fusius proposita vide in Valsechii Dissert. de Elagab. trib. pot. V., Philippi a Turre de annis imperii Elagabali, Tillemont Nota VI. in Elagab. Mazzoleni Animadv. de trib. potest. p. 131, Vignoli de anno I. imp. Alex.

Tota ergo duratio imperii Elagabali, his cardinibus comprehensa, est annorum III. mensium IX. dierum circiter XXVI. Verum istud si obtinet, qua ratione, ajunt chronologi, Elagabalus tribunatum V. potuit adsequi? Statuatur dies XVI. Maji V. C. 971 natalis imperii, quo coepit tribunatus I. Hic si quotannis eodem die iteretur, incipiet quintus die XVI. Maji V. C. 975. At Elagabalus caesus jam fuit praecedentis Martii die XI. Igitur ad explicandos tot numos tribunatu V. insignitos reperiundum erat effugium tanto magis impeditum, quanto certius iis visum, tribunatus imperatorum omnium nonnisi die natali imperii iterari solitos. Operae pretium videtur, praecipuas eruditorum sententias in examen vocare, quibus facile refutatis tanto luculentius doctrina mea juvetur, quae anni Iuliani principio iterationem imperat,

---

a) L. LXXVIII. §. 30. b) L. LXXVIII. §. 39. c) L LXXIX. §. 3. d) in Alex. cap. 6. e) Gruter pag. 1082. 9.

cuique stabiliendae Elagabali numi ante omnes alios cumprimis serviunt.

* * *

Sententia I. Valsechii. Ea in pugnum contracta haec praecipit. Constat, Elagabalum Macrini memoriae fuisse infensum, quem ajebat nullo jure per Caracallae necem usurpasse imperium. Quare cum istud jure natalium (nam Caracallae se filium palam professus est) mox a patris morte sibi fuerit debitum, jus sibi natum existimavit, quo totum illud tempus, quod imperando Macrinus exegit, ad se raperet. Quemadmodum ergo ex Dione, ut vidimus, constat, Elagabalum involasse in Macrini consulatum, eumque jussisse aboleri, ita involasse etiam in ejus trib. potestatem, et quod consequitur, cum Caracalla caesus fuerit V. C. 970 die VIII. Aprilis, ab eodem die tanquam natali imperii sui Elagabalum tribunatus suos dinumerasse, secundum quam legem tribunatus ejus V. coeptus VIII. Aprilis V. C. 974. Haec uberius exposita vide in viri eruditi dissertatione de Elagabali trib. pot. V. pag. 97. Quam infirma sit haec doctrina, et a numis ipsis continuo evertatur, comprobare aggredior.

Diagramma sententiae Valsechii.

V. C. 970	P. X. 217	TR. P. I.		Die VIII. Aprilis caeso Caracalla.
971	218	TR. P. I. II.	COS.	
972	219	TR. P. II. III.	COS. II.	
973	220	TR. P. III. IV.	COS. III.	
974	221	TR. P. IV. V.	COS. III	
975	222	TR. P. V.	COS. IV.	Die XI. Martii caeditur Elagabalus.

Adversus hanc doctrinam sequentes animadversiones propalam pugnant.

I. Si Elagabalus dicto modo trib. potestatem anticipasset, tribunatus simplex locum in numis habere non posset. Nam cum hic ex hypothesi coeperit VIII. Aprilis V. C. 970, tum eodem die anni 971 coeperit tribunatus II., ipse vero non nisi post diem VIII. Junii, nempe post victoriam agnitus fuerit imperator, liquet, numos cum tribunatu simplice, qui jam exspiravit, feriri non potuisse. At qua ratione Valsechius explicabit numos obvios inscriptos TR. P. COS.? Audio: suppressa est nota II. tribunatum II. indicans, neque raro istud in imperatorum numis exemplo. Verum istud esto in aliquorum hactenus imperatorum numis, at in plerorumque, praecipue hujus aetatis, certo falsum, et cumprimis Elagabali, in cujus moneta, ex quo trib. potestas iterata est, ejus numerus nunquam omittitur, ut inspecta musea, et sinceri catalogi mani-

festant. Ex quo consequitur, aut numos hos signatos Romae vivo adhuc Macrino, quod absurdum, aut Valsechii doctrinam vel propter hanc unam causam repudiandam.

II. In hac hypothesi coepit tribunatus II. die VIII. Aprilis V. C. 971, ergo deinceps IX. fere mensibus, nempe usque ad diem postremum Decembris, fuit TR. POT. II. COS. At nunquam cum tribunatu II. copulatur consulatus simplex, sed semper consulatus II., quod probatur tam numis, quam marmoribus. Aut ergo Valsechius verisimile efficiat, intra majorem hanc anni partem nullos cusos fuisse Elagabali numos, aut sententiam suam fateatur obtinere non posse. Et vero difficultas haec non tantum ad hunc annum urget, sed perinde in sequentibus; nam ex eadem lege oporteret existere numos anni 972 inscriptos TR. POT. III. COS. II, et numos anni 974 inscriptos TR. POT. V. COS. III., sed quos omnes mihi ignotos profiteor.

III. In eadem doctrina tribunatus V. coepit VIII. Aprilis anni 974, et exspiravit XI. Martii anni sequentis, nimirum cum ipsa morte Elagabali. Ergo is annuo fere spatio duravit. Quod si verum, qui factum, ut tam pauci existant Elagabali numi tribunatu V. insignes, cum tamen tribunatuum aliorum numi abundent? Istud criterium in re numismatica nequaquam aspernandum, et adhibitum, cum opus est, non parum lucis suppeditat. Ergo postremo huic tribunatui arctiores cardines definiendi.

Abstineo, cum haec sufficere queant, argumentis aliis, quorum plura congessit Philippus a Turre in dissertatione citata, qua Valsechii doctrinam omnibus machinis impugnat. Tamen exstitit nuper Pinkertonus, qui sententiam hanc jam plane derelictam amplexus est [a]). Nolim, Froelichium quoque nostrum ad explicandum annum V., nempe ЄT. Є., in numo Caesareae Cappadociae cum capite Alexandri Sev. adhuc Caesaris eodem cum Valsechio effugio usum [b]).

* * *

Sententia II. Pagii, quam amplexus etiam est, et novis argumentis contra Valsechium stabilivit Philippus a Turre in Dissert. de anno Elag. inde a pag. 68. Nimirum quemadmodum Elagabalus invasit consulatum Macrini, et initia anni 971, quae huic debebantur, per anticipationem sibi vindicavit, tanquam si eo tempore consul processisset, ita videtur conjici posse, illum ab eodem quoque tempore, nimirum a Kalendis Ian. ejusdem anni depulso velut Macrino, et simili anticipatione usum, exordia sui principatus repetiisse, ut unum idemque consulatus et imperii principium esset. Haec illi. Doctrina haec eo priore praestat, quod consulatus rite cum tribunatibus, ut numi postulant, componuntur. Ceterum omni veri specie destituitur. Certe ratio ducta a rapto Macrini consulatu tantum abest, ut Pagii sententiam juvet, ut etiam vehemen-

a) Essay on medals Vol. I. pag. 19.

b) IV. Tent. pag. 306.

ter impediat. Nam quemadmodum Elagabalus, cum erasum e fastis Macrinum vellet, rapuit totum consulatum, nimirum a Kalendis Ian., eodem certe exemplo, si rapere etiam trib. potestatis honorem voluisset, non rapuisset partem, nimirum quae fluxit inde ab iisdem Kalendis, sed totam, nempe a die XI. Aprilis V. C. 970, quo tribunatum Macrinus adivit; nam secundum ipsum Pagium Kalendae Ianuariae non fuerunt cardo trib. potestatis, ut fuerunt consulatus. Sin istud, en redivivam sententiam Valsechii, quam tamen omnibus copiis eversum ivit Turrius. Caeterum si eruditis his viris necessarium visum effugium istud comminisci, quoniam modus alius non supererat Elagabali consulatus cum tribunatibus componendi, illud ipsum applicandum etiam fuerat imperatoribus praecedentibus, quorum, ut vidimus, consulatus tam parum, ac Elagabali, cum tribunatibus cohaerent, si natalis imperii iterationi tribunatus servivit. Quare et hi in praecedentium proxime Augustorum dignitatem, ceu in Macrini Elagabalus, involasse dicendi erunt.

* * *

Sententia III. Haec item Pagii inventum, cui subinde, quoniam nodos ostentabat, proxime superiorem substituit, quam tamen postremo Turrius velut minus impeditam reliquis praeferre videtur, ut ex Addendis in dissertatione de annis Elag. p. 193, et ibidem altius p. 67 et 68 patescit. Eccam: refert initium trib. potestatis Elagabali ad diem adclamationis a militibus factae. Verum cum Xiphilinus hunc prodat diem XVI. Maji, in hoc mendum suspicatur, et pro hoc reponendum XVI. Martii. Quare si hoc die V. C. 971 coepit numerari Elagabali tribunatus I., initium tribunatus V. incidet in diem XVI. Martii anni 975. At cum Elagabalus paucis ante hunc terminum diebus morte adfectus sit, dicendum, numos tribunatu V. insignes jam antea percussos, ut in promptu essent die ipso natali. Hoc constituto, ait Turrius [a]), sublatas esse omnes difficultates, quibus viae aliae ab aliis indicatae obstruebantur. At non advertit vir eruditus, se in alios laqueos incidisse, ex quibus cum sese explicaverit, erit mihi magnus Proteus. Quod ut demonstrem, en tibi hujus quoque doctrinae diagramma.

a) Pag. 197.

Diagramma sententiae Pagii.

V. C.	P. X.			
971	218	TR. P. I.	COS.	XVI. Martii acclamatur imperator.
972	219	TR. P. I. II.	COS. II.	
973	220	TR. P. II. III.	COS. III.	
974	221	TR. P. III. IV.	COS. III.	
975	222	TR. P. IV.	COS. IV.	Caeditur paullo ante inchoatum tribunatum V.

Nolo in sententiae meae gratiam infensior videri Turrio Pagianae hujus doctrinae patrono. Ipse enim Turrius ad illam evertendam arma suppeditat. En ejus verba [a]): *In omnibus numis Elagabali numerus annorum trib. potestatis concurrit cum numero consulatuum, neque unquam in uno anno, seu eodem consulatu duplex trib. potestas observatur, ut percurrenti seriem numismatum hujus Augusti apud Mediobarbum statim patebit* — — — *Ita omnes numi anni 219 signantur* TR. P. II. COS. II., *anni 220* TR. P. III. COS. III., *et anni 222* TR. P. V. COS. IIII. *Quod argumento est, ipsis Kalendis Ian. quotannis cum consulatu susceptam, seu instauratam fuisse trib. potestatem* — — — *Secus ab Ianuario ad Majum, vel Iunium mensem nullum omnino numisma Elagabali percussum fuisset, vel ad nos pervenisset. Cujusmodi argumentationis genere alias etiam usus sum.* Nonne vides, Turrium eorum, quae hoc loco ad stabiliendam superiorem Pagii sententiam dixerat, oblitum hac argumentatione alteram hanc suam doctrinam penitus evertere? An non perinde in hac sub eodem consulatu occurrit duplex trib. potestas? An non perinde sequeretur, ab Ianuario usque ad XVI. Martii nullum omnino numisma Elagabali percussum fuisse, vel ad nos pervenisse? Multo gravius absurdum ex numis anni 975 in hac doctrina consequeretur, nimirum: numi omnes inscripti TR. P. IV. COS. IIII., quales nempe a Kalendis Ian. ejus anni usque ad XVI. Martii feriri decuit, interierunt, dum interea inscripti TR. P. V. COS. IIII., qui pro die XVI Martii praeparati tantum fuere, non pauci ad nos pervenere. Sententia haec auctoritate numorum, et ab ipso Turrio aliud agente enervata istud boni praestat, quod illaesus potest constare Xiphilini locus, et praeterea necessitatem nemo non sibi impositam sentiat, iterationem tribunatus etiam aliorum imperatorum, quae mea est doctrina, a principio Ianuarii repetendi.

Suam etiam sententiam habuit Ioan-

a) in dissert. cit. pag. 76.

nes Vignolius [a]), qui Elagabalum non ante Iulium morte adfectum censuit, nimirum ut tribunatui V. consuleret. Eodem consilio Mediobarbus ejus necem in ipsum Septembrem differt. Vignolii argumenta aut infirma sunt, aut, quoniam ejus explicandi multo opportunior supcrest ratio, omnino inutilia. At Mediobarbus ad fastos suos provocat, quos hodieque nobis debet. Denique et tabula aenea ante annos non multos Romae reperta est, et edita a cl. Morcello [b]), in qua legas: IMP. CAES. M. AVR. SEVERO. ALEXANDRO. COS. EIDIB. APRILIBVS. Ergo cum in hac omittatur consulatus conlega Elagabalus, certum est, eum idib. April. jam fuisse caesum, eraso, quod constat, ex fastis ejus nomine. Mazzolenus veterem suam cantilenam de iterata die X. Dec. trib. potestate recinit. Quaero ex viro erudito, quae causa sit, cur per omnes Elagabali annos nullus exstet numus, qui a dicto die X. Decembris per reliquos saltem XX. ejus anni dies signatus esset. Nam in hujus sententia oporteret superesse saltem aliquos numos inscriptos TR. P. II. COS. vel TR. P. III. COS. II. vel TR. P. IIII. COS. III. vel TR. P. V. COS. III., quorum tamen similem in nullo aut museo, aut fido catalogo hactenus reperi.

* * *

Sententia IV., quae est mea, secundum quam Elagabalus trib. potestatem captam die XVI. Maji V. C. 971 proximis Kalendis Ian. iteravit, et deinceps eodem die eodem modo, quo in praecedentibus Augustis vidimus, iterare perrexit. Necesse non est, hujus doctrinae diagramma proponere, nam videri potest in ipsis ejus annalibus. Omnia in hoc plana sunt et aperta, nihil, quod non a superioribus jam principibus fuisset observatum, in quorum moneta examinanda si eadem contentione usi essent viri hi praestantissimi, quam ad numorum Elagabali crisin contulerunt, easdem sibi in iis, quas in Elagabalo, objectas difficultates vidissent, ac tum coacti fuissent confiteri, nisi a principio Ianuarii tribunatus iteratio petatur, Augustorum inde ab Antonino Pio tribunatus cum consulatibus componi nullo pacto posse, ac tum omissae sane fuissent acres illae dimicationes, quae ad evolvendos Elagabali annos justae molis volumina parturivere. Ceterum, quod alias etiam monui, nolim mihi opponi numos solitarios, qui diversum a meis praeceptis docere videntur. Nam jure quaeram, an ii, qui numos hos descripsere, vel etiam monetarii veteres, qui eos scalpsere, eo loco supra humanam conditionem fuerint, ut nulla possit esse lapsus suspicio? In museo Caesareo, quod Elagabali numos commatis Romani CLXX. plures continet, ne unus quidem est, qui sese non ultro traditae a me doctrinae adcommodet.

ALEXANDER.

Ab hujus quoque Augusti numis sententia mea insigniter comprobatur, quod continuo patebit consulatus cum tribunatibus componenti. Illi, qui eos die natali imperii renovatos statuunt, cau-

a) de anno I. Alex. Sev. b) de Stilo inscr. pag. 178.

sam quaeso edisserant, cur anno V. C. 979, quo ineunte Alexander processit consul II., et quo labente per tres fere integros menses tribunatum adhuc IV. tenuit, nunquam legatur in numis TR. P. IV., COS. II., sed constanter TR. P. V. COS. II., atque eadem ratione in numis anni V. C. 982 non TR. P. VII. COS. III. demptis numis aliquot, de quibus infra, sed semper TR. P. VIII. COS. III.? Quanto gravius ea difficultas premat Mediobarbum, qui natalem imperii Alexandri in ipsum Septembrem differt, nemo non videt.

At habentur Alexandri numi refractarii, qui nulli sese sententiae applicari patiuntur, uti:

IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum.* ✠ PONTIF. MAX. TR. P. II. COS. II. P. P. *Roma galeata sedens d. Victoriolam, s. hastam, humi clypeus.* AR.

Hi numi neque subaerati sunt, neque infrequentes; nam in solo museo Caesareo horum quatuor adservantur. Quamcunque sententiam amplectare, tribunatus II. cum consulatu II. Alexandri sociari nequit. At cum videamus, in numis Elagabali eandem omnino exhiberi partem aversam, quam praesentes numi offerunt, docebimur continuo, quod et alias factum novimus, monetarios, cum Alexandri recens ad imperium evecti numos deproperarent, veteres Elagabali matrices Alexandri capiti applicasse. Revera hujus facies, quam hi numi ostentant, ejusmodi est, qualis in numis certis primo ejus anno signatis conspicitur.

Multo his molestiores sunt numi bini musei Caesarei:

IMP. SEV. ALEXAND. AVG. *Caput laureatum.* ✠ P. M. TR. P. VII. COS. III. P. P. *Miles gradiens d. ramum, s. hastam.* In alio: *Miles stans d. hastam, s. clypeum.* AR.

Hi numi favent sententiae eorum, qui tribunatum die natali imperii iterant, adversantur meae. Videntur nimirum monetarii quidam veterem numerandi tribunatus modum resuscitasse, quod tentatum nonnunquam videtur, ut alias verisimile diximus, et monebimus infra in conclusione hujus doctrinae §. IV.

MAXIMINVS.

Exposuimus in hujus moneta litem, quae eruditorum sententias de annis imperii Maximini distraxit, item quam in doctrina eorum, qui tribunatus die natali imperii iterant, confici non possit ejus trib. potestas IV. in numis exarata, quae, quoniam sententiae suae se non adcommodat, maluere, eos suspectos pronunciare, irrito sane conatu, quod certae sunt fidei, neque infrequentes. Sed et alio modo numi huic sententiae adversantur. Adiit Maximinus imperium circiter medio anno V. C. 988, et proximis Kalendis Ian. 989 processit consul, ergo is usque ad dimidium posterioris hujus anni secundum dictae sententiae patronos fuerat TR. P. COS. At enim consulatus in ejus numis nunquam cum tribunatu simplice jungitur. Vnde sequitur, simul eum processisse consulem, simul tribunatum duplicasse. Mazzoleno tum habebo fidem, cum mihi ostenderit numos cum TR. P. II. nulla adjecta consulatus jam initi mentione, ex quo pateat, eos cusos a die X. De-

cembris V. C. 988 usque ad proximas Kalendas, quibus consul processit.

GORDIANVS III.

Vidimus in hujus moneta ad annum V. C. 993, sub eodem tribunatu III. occurrere jam COS. simplex, jam COS. II., quod praeceptis meis plane adversatur, at eximie juvat sententiam eorum, qui ejus iterationem a die natali imperii repetunt. Nam si Gordianus principio ejus anni 993 usque ad Kal. Ian. 994 fuit TR. P. III., cum hoc tribunatu consulatus II. conjungi non potuit, quia Gordianus conspirantibus omnibus fastis nonnisi V. C. 994 processit consul II. conlega Civica Pompejano. At si statuatur iterasse tribunatum exeunte Iulio, omnis sublata est difficultas; nam ab exeunte Iulio anni 993 fuisset TR. P. III. COS., et mox a Kal. Ian. 994 TR. P. III. COS. II. Non advertit ad hunc nodum eruditus Mazzolenus [a]), etsi non pauci numi hoc modo inscripti exstent apud Mediobarbum; nam ejus perinde sententia ac mea his numis adfligitur. Hunc obicem quo amoliar, non habeo, nisi forte dici possit, monetarios alios veterem iterandi modum, alios novum in numis usurpasse, de quo vide, quae uberius dicam in conclusione hujus doctrinae §. IV.

At nequaquam ea propter paeana canant adversarii, nam eorum sententiae iidem Gordiani numi duplex vulnus, cujus alterum est immedicabile, infligunt. En primum: processit Gordianus consul I. Kalendis Ian. V. C. 992. Deinceps usque ad exeuntem Iulium in eorum doctrina fuit TR. POT., deinceps TR. POT. II. Obvii sunt Gordiani numi inscripti TR. P. II. COS., qui essent alterius semestris; at nulli exstant cum epigraphe TR. P. COS., qui essent prioris. An hoc semestri nullos placuit ferire numos cum mentione tribunatus, et consulatus, eamque omnem monetarii in alterum semestre distulere? Non dissimulo, exstare numum, quem ad annum V. C. 991 ex museo Caesareo recitavi, cum epigraphe P. M. TRI. P. CON. P. P., qui consulatum I. cum tribunatu I. conjungit, quod in mea sententia, tum et Mazzoleni fieri nequit. Verum hujus numi sermonem audiendum non puto, primum, quia binis modis consuetum morem infringit, scripto TRI. pro TR., et CON. pro COS. Deinde si exleges hos numos velimus audire, audiamus et alium Gordiani, cujus duplex exemplum integerrimum est in museo Caesareo cum epigraphe: P. M. TR. P. XVII. COS. II. N. P. P. Videtur igitur in numo priore nota chronologica omissa, quod incommodum jam nunc irrepsisse, in proximo Philippo intuebimur. At vulnus alterum multo gravius. Certum est, existere complures Gordiani numos cum tribunatu VII. Huic ut hospitium praebeant, necesse illis est, aliquot mensibus maturius, quam historiae series permittit, ordiri imperium Gordiani, et rursum serius finire. Quas istud molestias eruditis his viris facessat, videre potes apud Mazzolenum [b]), et Tillemontium [c]). Quare nihil aptius visum

a) Animadv. ad trib. pot pag. 159. b) l. c. c) Nota I. in Gordian.

Tillemontio, quam horum numorum fidem elevare. At enim hi ante meos, aliorumque oculos versantur. In mea doctrina, in quodcunque anni tempus initium, finemque Gordiani reponas, facile tribunatus VII. exit, cujus tamen modicam eum partem degustasse, vel ipsa numorum sic inscriptorum paucitas comprobare videtur. Ex legum subscriptionibus chronologi ejus mortem ante diem XIV. Martii V. C. 997 collocant, ut videre licet apud auctores citatos. Addo argumentum illustre ex tabula honestae missionis haud ita pridem reperta, quae Gordianum A. D. VII. ID. IAN. dicit TR. POT. VI. COS. II. additis consulibus Arriano et Papo [a]). Sunt hae notae anni V. C. 996 P. X. 243. Si tum iteratio tribunatus ducta fuisset a die natali, Gordianus mense Ianuario ejus anni dici non potuisset TR. POT. VI. sed V.

Numi Alexandrini in accuratis catalogis annum VII. ostentant, nempe L. Z., et recte istud secundum Aegyptiorum cognitum calculum. At vero anni H et Θ, quos museum Theupoli recitat, cum Gordiani historia componi non possunt. Sed neque similes adcuratus Zoega aliis in museis reperit. Iure igitur eorum numorum H et Θ in A et Є corrigi jubet. Etiam numi Caesareae Cappadociae annum VII. offerunt.

PHILIPPVS PATER.

Hujus tribunatus egregie illustrant duae tabulae aeneae, ut vocamus, honestae missionis,

Prima, quae effossa est prope Mutinam, et edita primum a Maffeio [b]), deinde Muratorio [c]), sic habet:

IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FEL. AVG. PONT. MAX.
TR. POT. V. COS. III. P. P. PROCOS.
IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FEL. AVG. PONT. MAX.
TR. POT. II. COS. II. P. P. *Nomina militum, qui militaverunt etc.*
AD. VII. ID. IAN.
IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FEL. AVG. III. ET.
IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FEL. AVG. II. COS.

Secunda, tabula aenea Neapolitana edita a Sponio [d]):

IMP. CAESAR. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. III. DES. P. P. PROC. ET.
IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. AVG. PONT. MAX.
TR. POT. IIII. COS. II. DESIGNAT. *) P. P.
iis, qui militantes sunt etc.

a) Marini Frat. arv. p. 466. b) Ant. Gall. p. 5. c) Pag. 362. 1. d) Misc. p. 244.

*) Male hoc loco Fabrettus, qui tabulam hanc bis edidit, (Columm. Traj. p. 70, et In-

AD V. KAL. IAN.

IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FELICE. AVG. COS. DES. III. ET. IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FEL. AVG. COS. II. DES. COS.

Vtrumque epigramma nonnihil differamus, donec consueto hactenus modo comprobaverimus, etiam in Philippo eorum sententiam claudicare, qui trib. potestatem a natali imperii iterant. Secundum eos fuit Philippus V. C. 1000 inde a Kalendis Ian. usque fere ad initium veris TR. P. III. COS. II., reliquo hujus anni tempore TR. P. IIII. COS. II. At cur nunquam in ejus numis legimus priorem modum, semper secundum? nimirum quia tribunatus non a natali imperii, sed principio anni iteratus est. Eodem modo jure quaeritur, cur in numis anni V. C. 1001 nunquam legatur TR. P. IIII. COS. III., semper TR. P. V. COS. III.

At tabula ex propositis prior eorum sententiam internecione ferit. Ea ex notis chronologicis inscriptam se profitetur die VII. Ianuarii V. C. 1001. Currebat tum in eorum sententia Philippi tribunatus IV., et tamen tabula profitetur tribunatum V. An certius quoddam argumentum desiderabimus ad figendam sub anni principium tribunatus iterationem?

Neque minus altera tabula doctrinae cl. Mazzoleni feralis est, tribunatum quotannis X. Dec. iteratum statuentis. Conceptum est id epigramma die XXVIII. Dec. V. C. 1000. Ex ejus mente Philippus tum inde a X. Decembris fuit trib. potestatis V., at tabula illi nonnisi tribunatum IV. largitur.

Quare cum ex tabula utraque certum fiat, Philippum die XXVIII. Decembris V. C. 1000 praeditum fuisse tribunatu IV., continuo interpositis paucis diebus, nempe die VII. Ianuarii V. C. 1001 tribunatu V., suapte consequitur, iterationem trib. potestatis principio anni factam.

Video, ab adversariis laqueum mihi injici ex numis anni V. C. 998 inscriptis: P. M. TR. P. COS. P. P. Renovato sub ejus anni initium tribunatu scribendum in sententia mea fuerat TR. P. II. COS.; at cum simplex tantum TR. P. scribatur, sequitur, principio anni valuisse adhuc tribunatum simplicem, eumque nonnisi ineunte vere, redeunte nimirum natali, iteratum. At vero facile est ab his me insidiis expedire. Ajo, in his numis numerum II. suppressum, cujus frequentia habemus in numis imperatorum exempla. Responderi mihi video, inde a M. Aurelii aetate trib. potestatis numerum non amplius suppressum. Victas do manus, at ea lege, ut adversarii epigraphen numorum anni 1000: P. M. TR. P. IIII. COS. P. P., vel anni 1002: TR. P. VI. COS. P. P. expediant. Verum qua istud ratione praestabunt, nisi fateantur ipsi, scriptum COS. pro COS. II. et

scr. dem. p. 687.) numerum consulatus II. omisit, et post eum Marinius quoque, Fabretti forte exemplari usus. Eum, ut oportuit, posuit Sponius, et legitur paullo infra in eadem tabula versu 16.

COS. III., suppressumque esse utrumque numerum? Istud si de consulatus numero fatebuntur, qui tamen neque ab iis imperatoribus omitti consuevit, qui passim trib. potestatis numeros neglexere, cur incredibile videbitur, omissam hanc notam in numerando tribunatu, quod passim antea factum?

PHILIPPVS FILIVS.

Ordo, quo princeps hic in numeranda trib. potestate testibus certis, et indubitatae fidei monumentis usus est, tam male cohaeret, ut ejus nodos, nisi Alexandri gladio utare, posse expedire desperes. De universa lite ut judicium certius ferri possit, juvat monumenta omnia compendio describere:

A. PONT. MAX. TR. P. IIII. COS. II. DESIGNAT. P. P. Sic dicitur in tabula aenea Neapolitana exarata XXVIII. Dec. V. C. 1000, quam descripsi supra in patre.

B. PONT. MAX. TR. POT. II. COS. II. Sic dicitur in tabula aenea Mutinensi exarata VII. Ian. V. C. 1001, quam ibidem descripsi.

C. P. M. TR. P. IIII. COS. P. P. in numis certis, quos dedi in ejus moneta ad annum V. C. 1000.

D. P. M. TR. P. IIII. COS. II. P. P. in numis certis, (ibidem.)

E. PONTIFEX. MAX. TR. P. V. COS. III. in numo, sed cujus lectio varie proditur. Vide dicta ad numos anni V. C. 1001.

F P. M. TR. P. VI. COS. P. P. in numis certis. Vide numos anni V. C. 1002.

Numi Goltziani.

CAES. PONTIF. COS. PRINC. IVVENT.
AVG. PONTIF. TR. P. COS.
AVG. PONTIF. TR. P. II. COS. II.
AVG. PONTIF. TR. P. III. COS. II.

Sed noveris, horum nullum hactenus vel in locupletissimis museis conspectum, omnes ex uno Goltzii *Thesauro huberrimo* cognitos, qui liber quam fidem mereatur, alibi abunde disputavimus. Istud tamen praemittere necesse duxi, quia praestantissimi aetatis nostrae chronologi eorum testimoniis inconsultius usi sunt.

Ad certa monumenta quod attinet, videmus, variis annis varios illi tribunatus adfingi, in aliis auctiorem esse numerum, quam qui curto ejus imperio possit competere. Audiamus eruditorum de his judicia.

Harduinus [a]), et Tillemontius [b]) numos literis C et D descriptos vel propter solum pontificatus maximi additum titulum condemnant. Perperam; nam, ut docebimus in Tractatu de pontifice maximo, inde a Balbino et Pupieno tot eodem tempore fuere pontifices maximi, quot Augusti. De initio trib. potestatis mirus est dissensus, ut patet ex ipso Mediobarbo in numis utriusque Philippi. Alii tributam filio hanc potestatem adserunt, antequam Augustus diceretur, sic ut secundum hos illa ornatus fuerit uno anno antea, secundum illos statim postquam Caesar appellatus est [c]). Longius his variorum sententiis et conjecturis immorari piget, quoniam ad verum nihil conferunt, lubetque ex citatis documentis, quorum plura magni momenti eruditis his viris ignota fuere, arbitrari.

Certum est, Philippi filii, quamdiu Caesar tantum erat, non exstare numos trib. potestate notatos, ut adeo ab hac parte confici non possit, utrum intra id tempus ea insignis jam fuerit. Primi numi illam jactantes eum Augustum jam sistunt, ac tum primus ejus tribunatus, quem ex numis novimus, est TR. P. IIII. COS. addito in aliis COS. II. Quaeritur, ad quem annum hi numi referendi sint. Eam quaestionem me judice plene decidunt numi literis E et F descripti, in quibus Philippus noster dicitur: TR. P. V. COS. III. et TR. P. VI. COS. Vt igitur hi sine dubio ad annos V. C. 1001 et 1002 pertinent, ita illi ad annum 1000. Ergo, inquiet aliquis, Philippum jam inde a principio Caesarei honoris trib. potestate praeditum praestabis? et, quod sequitur, contra fastorum omnium auctoritatem eum in tribunatu IV., qui secundum hanc doctrinam in annum V. C. 1000. cadit, consulem II. facies, cum tamen tum nonnisi consul I. fuerit? At enim cur moleste feremus parachronismum consulatus II., cum in numis litera E descriptis, si modo rite promulgati sunt, idem dicatur COS. III., qui tamen ter consul nunquam processit? Paucis igitur rem absolvo. Ajo, Philippo filio, ex quo Augustus dictus est, demptis quibusdam ludorum saecularium numis, communes cum patre numorum aversas fuisse, quo factum necessario, ut tribuendo consulatus filio, qui fuere patris, perverteretur veritas historica, et ordo fastorum. At an verisimilis tanta perversio in moneta publica? Verisimile sane, quoniam factum videmus. Neque vero in his Philippi numis, quod visum Pagio [d]), recurri potest ad errores monetariorum matrices temere permutantium; nam tanta est copia numorum tam patris, quam filii cum epigraphe una eademque P. M. TR. P. VI. COS. P. P., ut, quod jam monuit Frölichius [e]), ejus lapsus suspicio nulla esse possit. Quo magis mirum, numos usque eo obvios ad nostra usque tempora fuisse ignotos, neque eorum unum se obtulisse vel Occoni, vel hujus ampliatori Mediobarbo, vel hujus Argelato. Quod si eruditis saeculi prioris philologis haec monu-

a) Hist. Aug. b) Nota V. in Philip. c) Tillemont. ad ann. 247, et nota V. in Philip. d) Crit. Baron. ad ann. 253 num. 14. e) IV. Tent. pag. 425.

menta fuissent cognita, in extricanda filii trib. potestate minus laborassent, coactique fuissent idem nobiscum sentire. Amplius quid ausi Antiocheni, qui non modo Philippo filio dederunt consulatus, qui fuere patris, sed et Otaciliae, et Etruscillae trib. potestatem et consulatus, qui fuere maritorum, et istud in obviis, et elegantibus suis tetradrachmis. Quae causa fuerit, cur monetarii tam abnorme institutum sibi permissum putaverint, non inquiro, neque existimo, probabile quidquam in hac causa, nisi per inanes conjecturas posse adferri. Ceterum haec confusio, quae observatur in his numis, nequaquam monumenta alia adflavit. In citata tabula Neapolitana jungitur titulus filii TR. P. IIII. COS. II. DESIGNAT. cum titulo patris TR. P. IIII. COS. III. DES., ex quo apparet, a scalptore exemplo ex numis petito aequatum quidem tribunatuum numerum, at non consulatuum. Nisi me omnia fallunt, legem dictabit tabula Mutinensis, in qua cum TR. P. II. COS. II. filii conjungitur TR. P. V. COS. III. patris, quam si recipiemus, ratio nulla erit anticipandae in filio ante titulum Augusteum contra ejus aetatis morem trib. potestatis. Quae ratio fuit, cur eam distributionem in annalibus sequendam putaverim. Quanquam a vero non abhorret, duplicem a veteribus in filio numerandi tribunatus modum fuisse observatum, sic ut alii eum ab indito Caesaris titulo, alii a principio honoris Augustei ducerent, quod non modo verisimile fit ex contentione utriusque tabulae, sed etiam ab exemplo Macrini, in quo duplicem quoque numerandi consulatus morem placuisse demonstravimus. Argumentum, quo Tillemontius tabulae auctoritatem elevare nititur, nimirum opponendo numos Goltzii, propter hujus infirmam fidem suapte corruit. Etiam infra in Volusiano videbimus, huic quoque, etsi Caesar antea fuerit, tamen ex quo Augustus dictus est, eandem numero cum patre fuisse trib. potestatem.

DECIVS.

Monui in ejus numis ad annum V. C. 1004, non exstare certum Decii numum cum mentione tribunatus. At eum memorant complura marmora, nimirum TR. P. II. COS. II. a) et TR. P. III. COS. II. b) Posterior haec ratio et meae, et adversariorum sententiae repugnat; nam in utraque tribunatus III. incidit in annum V. C. 1004, sed quo Decius fuit consul III. Tanto magis per haec marmora triumphat Mazzolenus; nam ea ait exarata inde a die X. Decembris V. C. 1003 usque ad proximas Kal. Ian., quo tempore ex ejus sententia fuit TR. P. III. COS. II. c). Verum an etiam sinceram horum marmorum lectionem praestabit, etsi marmora demus sincera? Imperasse Decium saltem usque ad exeuntem annum V. C. 1004, probatur primum ex numis Alexandrinis L. Γ, qui tertius annus coe-

a) Gruter pag. 1021. Murat. pag. 460. 4 et 1101. 3. Mus. Veron. pag. CII. 3. b) Murat. pag. 252. 5. Gruter pag. 273. 6. Spon. Mis. pag. 202. c) de trib. pot. pag. 172.

pit die XXIX. Augusti ejus anni, deinde ex Trebellio, qui senatus consultum refert de Valeriano deligendo censore factum duobus Deciis cos. VI. Kal. Novemb., missumque Decio adhuc vivo a)). At duo Decii fuere consules V. C. 1004, qui annus fuit Decii postremus. Cum ergo in Decio deficiant numi, nihil certum de modo iteratae trib. potestatis possumus adfirmare.

TREBONIANVS.

Quam arctos hujus imperio fines praescripserint historici veteres, abunde in ejus moneta diximus, et tamen in obviis ejus et Volusiani numis legitur trib. potestas IV., quam tam parum expedire possunt sententiae Panvinianae patroni, ut ipse etiam Petavius statuendum putaverit, Treboniani tribunatus, quae mea est doctrina, fuisse Kalendis Ian. iterari solitos b)). Monumenta ipsa, quibus ejus tribunatuum calculus nititur, exposuimus in hujus Augusti moneta, quo illa loco proferre oportuit, quia ad illustrandam durationem ejus imperii tot dissidiis agitatam plurimum conferunt. Eodem loco Mazzoleni quoque sententiam refutavimus.

VOLVSIANVS.

Vidimus in patre Treboniano, quam graviter eruditorum non paucos offenderit notata in hujus numis trib. potestas IV., ad quam eum nunquam pervenisse, plerisque indubitatum visum. Tanto gravius ferire eos debuit idem numero tribunatus, quem impertiunt Volusiano non modo numi obvii ad postremum hujus annum a me indicati, sed etiam marmor optimae fidei a Barthelemyo vulgatum, et a me in Volusiani moneta restitutum. Etenim, ajunt, si tribunatus IV. jam nimius est in Treboniano, qua is ratione poterit competere Volusiano, qui aliquanto tempore Caesar fuit, antequam Augusti titulum, et conjunctam cum hoc trib. potestatem adipisceretur? Esset hic nodus ex praecipuis unus, nisi exemplum jam praeivisset Philippus junior, qui et ipse aequatam numero cum patre trib. potestatem habuit. Ex quo colligimus, eam adhuc Caesari fuisse delatam, et deinceps per singulos annos repetitam, quod idem factum jam in Tiberio, Tito, M. Aurelio, aliisque observavimus.

VALERIANVS.

Ejus trib. potestas alias quidem facilem se ad doctrinam meam praestat, sed fallit in consulatu IV., qui in numis tribunatum IV. et V. conjungit, cum tamen in sententia mea quarto esse locus non possit, qui sese in Panvinii doctrina rite adcommodat. Verum expediat is quaeso bina marmora Gruteriana, quae cum consulatu II. tribunatum III. conjungunt. Continuo in Gallieno videbimus, quam perturbata omnia, et velut cardine mota hoc aevo fuerint.

GALLIENVS.

Valerianum et Gallienum V. C. 1006

---

a) in Valer. sub init. b) Doctr. temp. L. XI. c. 28.

P. X. 253 arripuisse imperium, conspirant chronologorum peritissimi, et nos cum illis, ut diximus in moneta Treboniani. Contingere istud serius mense Augusto non potuisse, docet Tillemontius a), nos in annum exeuntem distulimus. Fuisse Gallienum jam eodem hoc anno trib. potestate perinde ac patrem praeditum, praeter tribunatum XVI., qui ejus postremus fuit, et necessario in annum V. C. 1021 cadit, probat etiam marmor Muratorii, in quo idem tribunatus VII. tribuitur tam Valeriano, quam Gallieno b). Eundem annum V. C. 1021 fuisse postremum Gallieni, et primum Claudii, patet etiam ex eo, quod anno proximo Claudius more plerumque recepto consul processit. Caesum Gallienum mense Martio, tenemus ex Trebellio, qui nono Kal. April. allatum in urbem Claudii ad imperium evecti nuncium significat c). Vt numi Romani Gallieno tribuunt tribunatus XVI., sic Alexandrini annos Iϛ.

Ex his, quae modo commemoravimus, patet, etiam in Gallieno fallere eorum sententiam, qui natali imperii iteratam trib. potestatem docent. Nam si natalis hic fuit mense Augusto V. C. 1006 P. X. 253, trib. potestas XVI., quam Gallieni numi offerunt, coepit eodem mense V. C. 1021 P. X. 268. Verum Gallienus mortuus jam erat mense Martio ejusdem anni, quo tempore secundum eos currebat ejus tribunatus XV. Ergo ut eorum doctrina consistat, necesse est, aut imperium Gallieni, aut ejus mortem longius differre, quod ipsi nolunt, aut mecum confiteri, hanc potestatem ante exitum natalis fuisse iteratam anni principio.

Ceterum nolim hujus meae doctrinae fidem ad numos Gallieni, et inscriptos his tribunatus explorari. Nam sunt horum non pauci, in quibus juncti cum illis consulatus eam aperte evertunt. Quid igitur? an cessabis fallacem tuam aspernari sententiam, et amplecti alteram? Imo vero a malleo, ut ajunt, ad incudem. Etenim altera quoque sententia eum in modum iisdem nodis implicatur, ut ejus patronus Bandurius profiteri non raro cogatur, hos illosve numos fastis aperte repugnare. Ergo et ipsi numi, nimirum male sinceri ejus aevi testes, experimentum praebent, quam nullus ordo, nulla ratio in levioribus etiam rebus imperante Gallieno constiterit. Quare cum dissidentibus aliis alii legem meam facile sequantur, et eorum iniquo calculo qualiscunque alia sententia aeque laboret, non patiar a meo me instituto, praecedentium imperatorum numis tam nitide comprobato dimoveri, praecipue cum adversariis nulla ratio praesto sit, tribunatum XVI. cum doctrina sua conciliandi. Ceterum necesse non est repetere, qui numi singulis sententiis aut obstent, aut faveant. Eos ego loco suo summa cum fide, et adcuratione ex catalogis, qui sinceriores visi sunt, congessi, ut adeo cuivis facile sit, eos cum quacunque libitum fuerit sententia contendere. Non videtur hoc loco reticendum, Chamillardum in dissertatione, quae est in Memoriis Trevoltiensibus Novemb. 1719 pag.

a) in Trebonian. nota III. b) Pag. 460. 5. c) in Claud. c. 4.

iii, adferre catalogum numorum Gallieni, in quo tribunatus, et consulatus certo quodam ordine procedunt. Quibus ille numis usus sit, ignoro. Sane numi Bandurii, musei Caesarei, aliorumque istud nobis beneficii non indulgent. Quantum in eadem hac area desudaverit Norisius, in aperto est a), an feliciter, inquirere taedet, quia certos nos esse ante omnia oporteret, funesta ejus aevi monumenta verum eloqui.

Conclusio totius doctrinae.

Quisquis haec legerat, lubens credo testimonium dabit, me in monumentorum delectu, iisque recitandis fuisse religiosum, fidelem, adcuratum, et quod in re critica praecipuum est, diffisum monumentis iis, quae ob causas varias possunt videri suspecta, neque tamen subdole reticuisse monumenta certae auctoritatis, quae causae meae aut minus sunt propitia, aut etiam adversantur. At spero etiam, his perlectis consensuros mecum viros eruditos, demptis paucis monumentis, quae repugnant, reliqua omnia nitide, et adcurate testari, quod probandum susceperam, ab Augusto usque ad Antoninum Pium trib. potestatis iterationem peractam ipso die, quo collata fuit; ab hoc usque ad Gallienum Kalendis Ian., atque hoc admisso maximam earum difficultatum partem suapte evanescere, quae in quacunque alia sententia aut nullo pacto levari, aut nonnisi violente, et per inanes plerumque conjecturas, et effugia possunt. Quapropter ut aliis in causis, sic in hac cumprimis valere debet illud Aristotelis: *sic bene, aliter non bene, ergo sic optime.* Habeo tamen adhuc nonnulla, quae ad praesens argumentum sive illustrandum, sive confirmandum non parum poterunt conferre, quae sequentibus articulis declarabo.

I. Non unus ego sum, cui haec trib. potestatis ipsis Kal. Ian. iteratio probabilis est visa. Nam video viros summe eruditos jam ante me in hanc inclinavisse sententiam, hoc uno discrimine, quod ego institutum istud in omnibus inde ab Antonino Pio Augustis agnosco, at illi in nonnullis tantum. Agmen ducat vir admirabilis ingenii Dionysius Petavius, qui cum trib. potestatem IV., quae in Volusiani numis legitur, componere non posset cum ejus imperio, quod duorum tantum annorum, et aliquot mensium fuit, his verbis nodum solvere tentat: *quod ipsum chronologiae nostrae consentaneum est, ut cum novo anno Iuliano nova trib. potestas inchoata sit, adeoque quater instaurari potuerit* b). Eandem necessitatem in explicandis quoque Elagabali numis sibi impositam vidit Philippus a Turre, ut diximus supra in hujus principis trib. potestate. Eam confessus est Harduinus in Antonino Pio, et M. Aurelio c), et suspicatus in Caracalla Tillemontius d). Nuperrime cl. Saclementius urgentibus iisdem causis coactus est confiteri, jam inde a Severo exempla peti posse, quae suadeant, veterem tribunatuum numerandorum

---

a) de Votis decenn. c. V. b) Doctr. temp. L. XI. c. 28. c) Opp. sell. pag. 682. d) Nota XIX. in Severum.

methodum peculiari aliqua de causa fuisse immutatam [a]). Idem deinde adfirmare non dubitat, Caracallam [b]), et mox Elagabalum [c]) tribunatus suos a Kalendis Ian. iterasse. Alios vide citatos in dissertatione Io. Georgii Graevii pag. 11, et a Mazzoleno pag. 15 seq. Atqui si istud causa sic exigente verisimile visum in nonnullis, cur non etiam videri possit in aliis verisimile, quando istud eaedem causae exigunt? Absterruit viros praeclaros primorum imperatorum institutum, quos nonnisi circumacto anno renovasse tribunatum ipsa monumenta docent, quod quia sequentibus etiam imperatoribus applicandum duxerant, non poterant non abhorrere a sententia, quae trib. potestatem alio ab ejus natali die repetitam docet.

II. Dixi, videri verisimile, modum tribunatus Kalendis Ian. iterandi sub Antonino Pio coepisse causa ex ipsis numis petita. Suggerit conjecturam aliam numus M. Aurelii, quem post alios exhibet Spanhemius [d]): AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. FIL. *Caput nudum.* ✠ TR. POT. VII. TR. POT. VIII. S. C. *Mulier galeata sedens d. hastam, humi clypeus.* Singularem hanc partis aversae epigraphen varie explicavere eruditi. Harduinus illa duplicem trib. potestatem intelligendam sanxit, unam quae esset in exercitibus, alteram, quae in provinciis et rebus civilibus, quam absurdam doctrinam, etsi se ipsam refutet, refutandam tamen sibi duxit loco citato Spanhemius suffecta altera sua, nimirum agi in hoc numo de M. Aurelii trib. potestate intra annum Iulianum iterata, cusumque adeo hunc numum circa tempus, quo exivit tribunatus VII., et occoepit VIII. Verum et hunc explicatum patet esse violentum, neque ullo pacto verisimilem. Neque enim numus hic aut cudi, aut in lucem mitti potuit, nisi in certo aliquo tribunatu, ac propterea nullum video exstare sive in numis, sive marmoribus exemplum, quod contiguos iterati magistratus, vel honoris numeros conjunctos exhiberet. Istud enim si permissum fuisset monetariis, eadem lege in duplicis consulatus confiniis legeremus etiam v. c. COS. III. COS. IIII. in eadem numi superficie conjunctum, cujus tamen exemplum in omni antiquitate non reperias. At en tibi in sententia mea explicationem aliam plane obviam, ac simplicem. Dixi, sub Antonino Pio Kalendas Ian. iterandae trib. potestati destinari coepisse, ipsa vero hujus numi epigraphe, in qua Aurelius tantum Caesar dicitur, docet, eum imperante Antonino Pio signatum. Quare admodum verisimile, nova renovandi tribunatus ratione tum recens constituta, utrumque canonem et veterem, et novum numo inscriptum, nimirum veterem, sesundum quem fuit trib. potestatis VII., et novum, secundum quem numeravit trib. potestatem VIII., juxta quam legem numus cusus est V. C. 908, cujus principio anni ex canone vetere numeravit Aurelius tribunatum VII., ex novo VIII. Ceterum quae causa fuerit, cur Antoninus traditum a majoribus mo-

a) de vulg. aera pag. 287. col. 2. b) Pag. 288. col. 1. c) Pag. 291. col. 2. d) Tom. II. pag. 430.

rem infringeret, ignoramus aeque, ac plura veteris aevi alia, rebus apparentibus, ignotis causis.

III. Ex doctrinae meae praeceptis sequitur, ut initio dixeram, trib. potestatem primam in altero canone semper, aut certe plerumque fuisse incompletam, constantem saepe paucis mensibus, quin et diebus. Nam si v. c. medio Decembri quis eam accepit, secutis paucorum dierum intervallo Kalendis Ian. coepit numerare secundam. Quod quidem institutum nemini credo videbitur absurdum, quando eadem ratio in computandis sive imperatorum, sive epochae annis apud Graecos vulgo valuit, qui utrosque ad anni sui civilis calculum adcommodavere, incompleto adeo semper anno primo, nisi cum forte initium imperii fuit idem cum initio novi anni civilis. Ejus exempla abunde cognita sunt ex numis Antiochiae Syriae, Caesareae Cappadociae, aliisque, ac praecipue Alexandrinis Aegypti, in quibus de hoc veterum more non pauca, quae praesenti argumento applicari possunt, disputavi [a]). Quibus addi praeterea potest, etiam imperatores Germanicos Caroli M. successores proximos sic annos imperii sui computasse, ut, quocunque mense illud essent auspicati, annum secundum semper a proximis Kalendis Ianuariis numerarent *), qui mos observatus est in constitutionibus Ludovici Pii, Lotharii I., Henrici I., Othonis M., Henrici II., Conradi II., Henricorum III. et IV., Lotharii II. Vide, quae de hoc argumento ex dissertatione comitis Garampi tradidit Belleyus [b]). Quocirca si variae nationes, et varia quidem aetate annum primum imperii incompletum pro completo accipere poterant, sic ut proximo anni civilis initio inciperet annus secundus, nescio, cur non et Romani eodem exemplo potuerint trib. potestatem ad anni sui civilis, id est: Iuliani modum adcommodare, et tribunatu primo incompleto ordiri alterum Kalendis sequentibus Ianuariis, sive initio anni sui civilis, praecipue cum teste Dione imperatores secundum trib. potestatem imperii quoque sui succedentes annos numerare sint soliti [c]), sive, quod eodem recidit, unum idemque fuerit, numerare trib. potestates, atque annos imperii.

IV. Dixi, veterem canonem, tribunatum die natali ejus accepti renovandi, imperante Antonino extrusum a recentiore, qui eum Kalendis Ian. renovat. At quemadmodum aliis quoque in rebus evenire solet, ut non facile vetus aliquod institutum sic aboleatur, ut non etiam aliqua ejus nonnunquam appareant vestigia, sic mirum non est, si exstent pauca quaedam exempla, etiam constituta nova ratione nonnunquam ad veterem fuisse reditum. Diximus supra articulo II., in uno eodemque numo M. Aurelii Caesaris utriusque rationis trib. potestatem, et veteris et novae, consociatam videri, quod judicium si non fallit, perspicue docemur, canonis veteris modum stabilito altero non continuo esse abolitum. Sed et nonnulli numi serius percussi veterem

a) Proleg. ad num. Alex. c. 2. Vol. IV. p. 41. b) B. L. Tom. XXXV. p. 639. c) L. LIII. §. 17.

*) Mirum sane secundum cel. περιηγητην *Thunberg* in insula *Japan* aetatis annos eodem modo computari, sic ut infans medio Decembris natus proximis Kal. Ian. inciperet annum secundum. Not. edit.

normam palam respiciunt, quos recitavi supra in Caracalla, Alexandro Sev., Gordiano. Neque tamen propterea duplicem eodem tempore numerandi tribunatus modum in commune valuisse permittam, quod toties in Mazzoleno ipse improbavi. Hanc enim discordiam potius privatae monetariorum libidini, quam auctoritati publicae imputandam puto, cujus generis illustre exemplum supra in Macrino proposui. Ad haec tam sunt rara hujus dissensus exempla, ut tuto liceat in hoc judicio eorum non habere rationem. Vide, quae alia huc pertinentia disserui in regula IV. huic examini praefixa.

V. Denique cum ad explicandos tribunatuum numeros auctiores, quam plurium Augustorum imperium capere possit, prorsus non valeat Panvinii sententia, et necesse omnino sit respicere aliam, magis sane commodam, et cum veterum monumentis magis conspirantem prae hac nostra vix reor posse reperiri. Enimvero satis perspeximus, cum quantis difficultatibus conflictandum fuerit iis, qui quamcunque aliam doctrinam aut reperere, aut secuti sunt.

* * *

Haec, quae hactenus de iteratione trib. potestatis disputavi, sola sunt, quae amplissimi ejus muneris doctrinam impeditam reddunt. Reliqua plana sunt, nullique obnoxia difficultati. Cum ejus in Augustis ortum enarraverimus, superest, ut etiam, quando desiverit, memoremus. Postremum reperio Constantinum M., qui eam monetae inscripserit. De epigraphe: TR. P. XXXVII., et XXXXII., qui uterque modus fertur exstare in aureis Theodosii II., dubia mea exposui in hujus moneta. At in marmoribus ejus usus aliquamdiu post Constantinum duravit, nam reperta sunt, quae eam adhuc dignitatem titulis Iuliani, Valentiniani, Gratiani addidere. Infimo aevo pro mentione trib. potestatis aliquamdiu in numis valuit inscriptum ANNO. I. II. III. etc. Vide numos inde a Iustino I.

Cum ex natura trib. potestatis nequaquam ad hanc, ut ad sequentem consulatum, designatione opus esset, mirum sane, repertum fuisse marmor, in quo Severus dicitur: TRIB. POT. III. DES. IIII. COS. II. [a]). Ego, qui non facile prodigia in artem nostram recipienda censeo, male lectam epigraphen existimo, et restituendam lectionem: TRIB. POT. III. IMP. IIII. COS. II.

---

a) Spon Miscell. pag. 269.

CAPVT XI.

De nominibus PATRIS et MATRIS in Augustis.

Patris nomen praeter significationem propriam jam ab urbis conditu alienam quoque nactum est. Sic Romulum sublimem raptum procella *deum deo natum, regem, parentemque urbis Romanae salvere universi jussere* [a]. Sed hoc loco parens conditorem utique significavit, quo modo et dixit Maro [b]:

Dardanus Iliacae primus pater urbis, et auctor.

Serius, et integra quidem adhuc republica, dicti patres patriae, qui salutem urbi attulere. Primus in urbe libera hoc sibi elogium emeruit Furius Camillus urbe caesis Gallis servata, de quo Livius [c]: *Dictator recuperata ex hostibus patria triumphans in urbem redit, interque jocos militares, quos inconditos jaciunt, Romulus ac PARENS patriae, conditorque alter urbis haud vanis laudibus appellatur.* At fuit, qui negata hac Camillo gloria primum Ciceronem post exstinctam Catilinae conjurationem hoc elogio ornatum dixit. De eo Plinius [d]: *Salve primus omnium PARENS PATRIAE appellate, primus in toga triumphum linguaeque lauream merite, et facundiae, Latiarumque literarum parens.* Cum Plinio consentire videtur Appianus mox citandus.

A Cicerone elogium istud ad imperatores fuisse derivatum, ex aliquorum sententia perhibet Appianus, cujus testimonium paullo infra integrum dabimus. Ejus in principes collati rationem hanc dedit Dio [e]: *Patris autem appellatio, tametsi eis aliquod jus in nos omnes tribuere videtur, quale patribus olim erat in liberos, tamen omnino in hunc finem eis tributa non est, sed honoris gratia, utque admonitioni esset, ipsis quidem, ut subjectos instar liberorum diligerent, subjectis autem, ut ipsos veluti parentes suos revererentur.* Eleganter more suo Seneca [f]: *Hoc quod parenti, etiam principi faciendum est, quem appellavimus patrem patriae, non adulatione vana adducti. — — — Patrem quidem patriae appellavimus, ut sciret datam sibi potestatem patriam, quae est temperatissima, liberis consulens, suaque post illos ponens.* Tertullianus invectus in eos, qui imperatores

a) Liv. I. 16. b) Aen. VIII. 134. c) L. V. c. 49. d) H. N. L. VII. §. 31.
e) L. LIII. §. 18. f) de Clementia L. I. c. 14.

dominos dixere, *qui pater patriae est*, inquit [a]), *quomodo dominus est? Sed et gratius nomen est pietatis, quam potestatis; etiam familiae magis patres, quam domini vocantur.*

Ex imperatoribus primus fuit Caesar dictator, cui senatus populusque amabilem hunc titulum obtulit, deinde, etsi sero, Augusto quoque. In utroque senatus causas habuit veras, justasque, quas non recoquo, quia in utriusque moneta abunde commendatas. Post hos amisit candorem, quia plerumque ab adulatione, aut obsequio dictatus, et saepe antea delatus principi, quam is potuisset populo paterni sui adfectus experimentum dare. Quare a vero longe aberrat oratio Appiani sic de hujus tituli usu disserentis [b]): *και δοκει τισιν ἡδε ἡ ἐυφημια ἀπο* Κικερωνος *ἀρξαμενη περιελθειν ἐς των νυν ἀυτοκρατορων τȢς φαινομενȢς ἀξιȢς. Ȣ̓δε γαρ τοισδε, καιπερ Ȣ̓σι βασιλευσιν, ἐυθυς ἀπ' ἀρχης ἁμα ταις ἀλλαις ἐπωνυμιαις, ἀλλα συν χρονῳ μολις, ἡδε, ὡς ἐντελης ἐπι μεγιςοις δη μαρτυρια, ψηφιζεται. Et visus est nonnullis is honos in Cicerone coeptus nunc transivisse ad eos imperatores, qui eo digni existimantur; neque enim is illis, etsi regiam habeant potestatem, confestim ab initio cum aliis cognominibus, sed vix sero quidem, et tanquam absolutae virtutis testimonium decernitur.* Lubet ex Appiano sciscitari, utrum eo honore dignus fuerit Tiberius, cui illum saepius a populo oblatum, sed recusatum, in ejus numis diximus? an deinde Caligula, Nero, Domitianus? et an hos absolutae virtutis exempla faciet? Ait, vix sero quidem illum decerni solere. Non nego, hunc titulum aliquanto tempore a senatu fuisse dilatum; neque alia est ratio, cur is in Galbae, Othonis, et Vitellii numis non legatur, nisi quia hi paucorum tantum mensium principes fuere. At in reliquis perexiguum fuit inde a Caligula ejus dilati tempus. Eum jam numi Caligulae cum tribunatu I. memorant, et tamen refert Dio, hunc principem aliquamdiu patris patriae nomen recusasse; ex quo patet, quam is mature fuerit delatus. Exemplum plane simile offerunt numi in Nerone. Hadrianum, quo tamen imperante floruit Appianus, illo saltem paullo post imperii aditum fuisse donatum, numi palam docent. Sane longiorem aliquam moram, ac praecipue talem, qualem intulit Appianus, inde a Caligula in nullo Augustorum reperias, et verum adeo est, quod supra adserui, praeclarum istud nomen ab Augusti excessu non fuisse nisi obsequii, et servitii argumentum. Observo, in hoc titulo sive deferendo, sive acceptando non bene scriptoribus cum certis monumentis convenire. Narrat Suetonius [c]), Vespasianum eum nonnisi sero recepisse, et tamen is passim legitur in ejus numis consulatum II. praeferentibus, quem primo imperii sui anno inivit. Quae a scriptoribus diversa doceant numi Hadriani, in hujus moneta diximus. De Pertinace narrat Capitolinus: *primus omnium ea die, qua Augustus est appellatus, etiam patris patriae nomen recepit*, et de Did. Iuliano

a) Apolog. c. 34. b) Bell. civ. L. II. c. 7. c) in Vesp. c. 12

Spartianus: *Patris patriae quoque nomen recepit*, et tamen neutrius illud numi praeferunt, etsi constet, imperatores usque ad tempora declinantis imperii in eo monetae inscribendo fuisse assiduos.

Ex hactenus expositis vidimus, variam imperatores in recipiendo hoc nomine legem fuisse secutos. De singulis ut pauca dicamus, statim illud admisere Domitianus, Nerva, Macrinus, Elagabalus, Alexander, Maximinus, Gordianus I., Balbinus, Pupienus, Gordianus III., Philippus uterque, et sequentes. Aliquamdiu distulere Caligula, Claudius, Nero, Titus, Trajanus, Antoninus Pius, Severus. At M. Aurelius illo usque ad annum imperii circiter XV. carere voluit; unde causam tenemus, cur L. Verus constanter patris patriae titulo caruerit, nimirum quia antea mortuus est, quam illo Aurelius ipse uti coepit. Quapropter mirum profecto, Aurelium, qui tot annorum egregie factis nomen tam gloriosum promereri studebat, illud filio Commodo vix annorum XVI. puero una cum Augusti titulo deferri permisisse. Caracallae et Getae vivo patre negatus fuit; verum eo exstincto confestim uterque suscepit. Tiberius secutus ingenium suum parum ambitiosum etsi saepius oblatum constanter recusavit. Haec omnia in singulorum numis adcurate comprobavimus. Produxi seriem tantum usque ad Philippos, quia deinceps imperatoribus una cum Augusti titulo etiam alter patris patriae videtur fuisse decretus, quod quidem jam ex numis evidenter probari nequit, quia hoc aevo plerique illustres imperatorum tituli in moneta aut raro prodire, aut plane negligi coepere. Tamen cognomentum istud adhuc legitur in certis quibusdam Theodosii II. numis.

Vt viri Augusti passim patres patriae sunt appellati, sic et feminae Augustae nonnunquam in numis *matres patriae*. Exemplum prima vulgavit Livia Augusti uxor, quae in numis, sed commatis tantum peregrini, aliquoties dicitur AVGVSTA. MATER. PATRIAE, quod in hac neutiquam valde mirum, cum in numis Romulae Baeticae dicatur GENETRIX. ORBIS. Vide horum omnium causas in ejus moneta. Post hanc Domna Severi *mater patriae* in numis vocatur.

Praeter patris patriae cognomentum occurrit etiam in numis PATER SENATVS, qualem se primus dixit Commodus, quem secuti sunt Balbinus et Pupienus. Sed et Domna ausa est se in numis MATrem SENatus profiteri.

Numos inscriptos PATER CASTRORVM, vel EXERCITVVM esse obvios dixit Spanhemius [a]), verum unde eos hauserit, non addit. Mihi sane horum nullus hactenus visus est, aut ex cujuspiam indicio cognitus. Quod inscribere monetae neglexerunt Augusti, tentaverunt Augustae, quarum prima Faustina M. Aurelii sese intulit ostentatis numis suis cum epigraphe MATRI. CASTRORVM, quam deinde imitata est Domna, aliaeque. Praeter hos noti sunt numi Alexandrini Augustarum ejus aevi in-

a) Tom. II. pag. 451.

scripti: *μητηϱ ϛϱατοπεδων*, *mater castrorum.*

Mortuis quoque principibus nonnunquam additum fuit patris vocabulum. Sic: DIVVS. AVGVSTVS. PATER. — DIVVS. TRAIANVS. PARTH. PATER. — DIVVS. PERT. PIVS. PATER, de cujus causa nominis vide eorum numos, tum et quae copiose disputat Spanhemius a).

Admirabilis uteri Iulia Domna non modo Caracallam et Getam, tum et castra, ut continuo vidimus, in fetibus suis numeravit, sed senatum quoque et patriam, superba in numis inscriptione: MAT. AVGG. MAT. SEN. M. PATR.

CAPVT XII.

De nominibus PIVS, et FELIX, tum a victis populis.

Pius a Romanis dicebatur, qui omnia officia, quae diis, parentibus, sanguine junctis, amicis, patriae, principi, civibus debentur, prompte et religiose implevit. Lege omnes pietatis causas ample explicatas apud Spanhemium b). Pro varia hac pietatis significatione jam Roma libera habuit, qui *Pii* cognominati fuere, atque ut intra solos numos sistamus, offerunt illi Q. Caecilium Metellum Pium, L. Antonium cognomine Pietatem, Sex. Pompejum Pium ab Octaviano debellatum, cujus causas in eorum numis dedimus.

Vt olim privatis, sic nunc et principibus idem delatum nomen praeeuntibus pridem Graecis, quorum nonnulli reges eodem nomine, scilicet Ευσεβους, fuere ornati, quos inter nobis ex numis cogniti Ariarathes et Ariobarzanes Cappadociae, et Antiochus X. Syriae reges. Ex imperatoribus omisso Caligula, qui sic vocari voluit c), primus fuit Antoninus, cui nomen Pii inditum fuit, et quidem copiose promerito, ut in hoc diximus. Pius deinde, sed ex causa ridenda, dictus Commodus. Vide ejus numos ad V. C. 936. Sibi etiam, filiisque proprium esse voluit Severus. Sequentes Augusti raro solum Pii nomen suscepere, sed plerumque addidere aliud *Felicis*, de quo continuo. Tamen infimo Byzantiorum aevo solitarium iterum recurrit in numis Leonis VI., Constantini X. etc. in quibus ii dicuntur EVSEBES. Nonnullis Augustis, qui illo vivi usi non sunt, datum fuit post excessum. Sic in numis Faustinae junioris: DIVA. FAVSTINA. PIA. M. Aurelii: DIVVS. M. ANTONINVS. PIVS

a) Tom. II. pag. 448. b) Tom. II. pag. 434. c) Suet. in Calig. c. 22.

Pertinacis: DIVVS. PERT. PIVS. PATER. *Piae* cognomen tributum in numis etiam fuit Sidoni coloniae Phoenices.

Felicis etiam cognomen imperatoribus arcessere placuit, etsi exigua est laus jactare bonum fortunae extra potestatem nostram positum, et uni casui debitum. Tamen et fortuitum istud bonum, et plane consilii expers in se praedicavit Sulla dictator, ut in hujus numis exposuimus, et felicitatem cum Pompejo M. semper conjunctam miris laudibus extulit Cicero [a]). Primus eo uti instituit Commodus, quod objectum a militibus metum, qui Perennem praetorio praefectum ad necem postulabant, salvus evasisset. Vide ejus numos ad annum V. C. 938. Probatum fuit exemplum successoribus, sed sic, ut titulum *Felix* fere semper cum titulo *Pius* conjungerent, et praecederet *Pius*, sequeretur *Felix*. Primus post Commodum utroque, sed rarius, usus est Caracalla, frequentissime deinde Elagabalus, denique imperatores plerique ad ipsa inferioris imperii tempora, tantumque valuit conjunctum utrumque istud nomen, ut perinde atque Augusti nomen imperatorum proprium haberetur, et passim ab iis ipsis in aditu imperii adsumeretur, aut a senatu decerneretur, quod jam factum imperantibus Macrino et Elagabalo, in utriusque numis docuimus. Sane nulli unquam, qui Caesar tantum fuisset, permissum legimus, dempto Carino, cujus aliquot numi produntur inscripti: M. AVR. CARINVS. P. F. NOB. CAES. Sed constat etiam, Carinum cum simplice nomine Caesaris conjunctum etiam habuisse praenomen imperatoris, ut dictum in hujus moneta.

Pii Felicis nomina etiam cum feminis Augustis fuere communicata. Talis in numis prima proditur Iulia Domna, scilicet: IVLIA. PIA. FELIX. AVG. Eadem etiam tulisse Severinam Aureliani, ait Bimardus [b]), sed ubi exstet is numus, non addit. At obvia sunt in numis Augustarum inde ab Honorio. Falsus igitur est Iobertus, cum dixit [c]), solam iis Domnam fuisse usam, quem adeo jure correxit Bimardus. Contrario errore dixit Bandurius, primam fuisse Eudoxiam Theodosii II. uxorem, quae se Piae Felicis nominibus induisset [d]), omissa adeo Domna, nisi fortasse numos tantum sui argumenti respexit.

Felicis cognomen multae quoque urbes recepere, ac praecipue coloniae, quas enumeravimus in tractatu de coloniis [e]).

* * *

A victis populis trahere nomina vetus fuit Romae institutum. Noti tempore Romae adhuc liberae Asiatici, Africani, Cretici, Numidici, Balearici etc. Sub Augusto Drusus Tiberii frater a domitis Germanis Germanici sibi nomen emeruit, a quo velut jure hereditario transivit in filios Germanicum et Claudium, ab hoc in Neronem adoptionis lege, more jam reipublicae temporibus constituto. Adscita deinde ab ipsis Augustis honorifica haec cognomi-

a) pro lege Manil. b) ad Iobert. T. I. pag. 282. c) Tom. I. pag. 254. d) Tom. II. pag. 563 et 566. e) Vol. IV. pag. 472.

na, sive suo ductu, sive auspiciis suis bella gessere. Duravit hic mos in ipsam devexi imperii aetatem, aucta etiam, quod in principatibus adflictis retroque sublapsis fieri consuevit, vanitate, cujus exemplum dedimus in moneta Iustiniani I., nimirum fixo publice populorum a se victorum amplo catalogo. Celerius molestam enumerationem amputavit Constantinus M. cum filiis, qui semetipsos generatim *victores*, vel *exuperatores omnium gentium* ridiculo hiatu appellare non erubuerunt. Nos hoc loco pro instituto nostro ea tantum nomina colligemus, quae in numis sunt conspicua, sed quorum numerus ample excrescet consultis marmoribus, utroque codice, monumentisque aliis.

Adjabenicus, Severus.

Arabicus, Severus.

Armeniacus, M. Aurelius et L. Verus.

Britannicus, forte Claudius. Hujus filius Britannicus instar nominis proprii, Commodus, Severus, Caracalla, Geta.

Carpicus, Philippi I. et II.

Dacicus, Trajanus et Hadrianus. Diximus loco suo [a]), Domitianum quoque dictum fuisse Dacicum, istud tamen tantum colligi ex testimoniis poetarum, nullis aliis monumentis publicis. At fuere viri praestantes, quibus certum visum, Domitiano Dacici nomen non modo fuisse decretum, sed ejus etiam monetae inscriptum, nixi verbis Iuvenalis coaevi [b]):

nec illud,
Quod prima pro nocte datur, cum lance beata
Dacicus, et SCRIPTO radiat Germanicus AVRO.

Dubium non est, poetam hoc loco agere de numis aureis novae nuptae pro primae noctis voluptate in munus datis. At perperam docent viri eruditi, verbis *scripto auro* intelligi numos aureos Domitiani, scilicet qui a Dacis et Germanis devictis Dacicum, et Germanicum sese appellavit. Etenim Iuvenalis, cum de numis utroque hoc titulo notatis loquitur, absque dubio intelligit numos suae aetatis maxime obvios, et vulgo cognitos, at tum mirum profecto foret, si Domitiani monetam haec verba respicerent, nullum hujus Augusti numum cum Dacici inscripto nomine ad nos pervenisse. Redde indicatos hos a poeta numos Trajano, qui Germanicum et Dacicum in omnibus suis numis sese profitetur, sublata est omnis difficultas. Iam vero a viris doctis dudum est observatum, Iuvenalem pleraque sua imperante Trajano scripsisse. Vide Fabricium.

Germanicus, Drusus senior, ejusque filius Germanicus instar nominis proprii, Ti. Claudius, Nero, Vitellius, Domitianus, Nerva, Trajanus, Hadrianus, M. Aurelius, Commodus, Caracalla, Maximinus, filiusque Maximus Caesar, Philippus I. et II., Valerianus, Gallienus, et forte Claudius Goth.

Gothicus, Claudius.

Medicus, M. Aurelius, et L. Verus.

Parthicus, Trajanus, Hadrianus, M. Aurelius, L. Verus, Severus, Caracalla, Carus. De Q. Labieno impera-

a) Vol. VI. pag. 398. b) Sat. VI. v. 202.

tore Parthico actum alibi [a]).

Persicus, Carus.

Sarmaticus, M. Aurelius, Commodus.

CAPVT XIII.

DE NVMIS CONSECRATIONVM.

Amplam articulus hic continet disserendi materiem, cum frequens fuerit vetere aevo, homines, illustre ex quacunque causa nomen adeptos, consecrandi usus. Magnam eorum, quae huc pertinent, partem, praecipue quae Graecorum in hac causa superstitionem contingunt, jam dedimus in tractatu de Heroibus, Conditoribus etc. qui extat in Volumine IV. pag. 342. Non inquiram hoc loco in sacri hujus ritus originem, variarum gentium caerimonias tum adhiberi solitas, aliasque partes, quae ex scriptoribus theologiae veteris peti possunt. Romana tantum attingam Graecorum exemplis illustrata, et quidem a tempore Caesarum, quos pervulgata adulatio, tum et ambitio supra conditionem humanam extulere, cujus infinita testimonia hujus classis moneta suppeditat. Lubet universam disputationem in partes duas dividere, quarum I. aget de consecratione vivorum, II. de consecratione mortuorum.

§. I.

De consecratione vivorum.

Multos prodidit vetus historia, qui aut honores divinos sponte appetivere, aut quos communis vox, suadente plerumque sive obsequio, sive metu, ne morte quidem necessaria exspectata, divinis honoribus adfecit. Habuit haec vivorum consecratio suos veluti gradus, infimum, medium, summum, quo eam ordine nunc considerabimus.

In infimo gradu non diu subsistemus, quia haec consecratio ore tantum et quodam animi impetu peragitur, ut cum quem propter collata beneficia majore studio complectimur, aut propter praeclara facta, quae humanas vires excedere videntur, impensius admiramur. *Amat enim Graecorum levitas*, inquit Firmicus Maternus [b]), *eos, qui sibi aliquid contulerint, vel qui consilio, aut virtute se juverint, divinis appellare nomi-*

a) Vol. V. pag. 145. b) de error. prof. rel. p. m. 421.

nibus. De Spartanorum more Aristoteles [a]): *ἐπει δε σπανιον και το θειον ἀνδρα ἐιναι, καθαπερ ὁι Λακωνες ἐιωθασι προσαγορευειν, ὁταν ἀγασθωσι σφοδρα τυ, Σειος ἀνηρ φασιν.* *Quia vero raro evenit, ut vir divinus existat, quemadmodum Lacones, cum quem valde admirantur, o virum divinum! ajunt.* Eodem exemplo Tullius Lentulum consulem, quod sibi exuli praecipuam ad reditum operam impendit, *parentem*, *DEVM*, *salutem suae vitae*, *fortunae*, *memoriae*, *nominis* vocavit [b]). Hujus adeo gradus exempla in re numismatica exstare non possunt, quia haec consecratio nulla lege, vel consilio, sed sola animi *ὁρμη* exstitit, neque a nobis nostra quoque aetate aliena, majora daturis nomina, si quid divinitate majus posset animus concipere.

In medio gradu colloco nomina, attributa, signa, diis quidem vulgo propria habita, sed quae viri principes sibi addidere, aut addi passi sunt, citra deorum quidem, ut ipsis visum est, contumeliam, sed ut quasdam particulas a diis trahere viderentur, quae privatis essent negatae. Inter nomina memorandum cumprimis verbum *Numen*, coelestis potentiae indicium, sed quod passim admisere principes non modo pagani, sed et postea Christiani. Nota formula: *devotus numini*, *majestatique ejus.*

Inter attributa divina, quae a diis imperatores mutuati sunt, principem locum postulat AETERNITAS. *Aeternum* Romani dixere, quod fine caret, et opponitur mortis conditioni, a qua immune fuit, quidquid divinum. Sed aeternum quoque dictum, quod natura sic est comparatum, ut diu durare possit, qua de causa phoenix fuit aeternitatis symbolum, quia ejus vita non annis, sed saeculis credebatur circumscripta, propterea a Claudiano dicta *aeterna avis* [c]), ac propter eandem causam elephas quoque aeternitatem significat in numis Philippi. Fuere alia aeterna ab instituto, ut ignis Vestae, quem exstingui grande piaculum, et in diris ominibus habitum. Alia ob opinione, ut: ROMA. AETERNA in numis obvium, vel AETERNITAS. P*opuli* R*omani*, ut legitur in singulari numo Vespasiani V. C. 823. Alia a voto, etsi inutili, ut: AETERNITAS. IMPERII. in numo Caracallae. Singulare plane est AETERNITATIBVS in numo Alexandri. Vocabulum istud non modo tribuitur Augustis mortuis, consecratisque, sed vivis etiam, neque in numis modo, marmoribusque, sed a scriptoribus quoque, quos inter satis esto unum nominare Plinium juniorem, qui in epistolis suis non raro Trajanum *aeternitatem tuam* compellat. Ceterum in vivis ferri haec appellatio potuit, quia plerumque aliud non fuit, nisi votum diuturni imperii, aut saltem sic potuit intelligi explicarique, juxta illud Horatii de Augusto [d]):

Serus in coelum redeas, diuque
Laetus intersis populo Quirini.

---

a) Ethic. ad Eudem. L. VI. c. 1. b) ad Quir. post. red. c. 5. c) Carm. XLV. v. 63. d) Carm. L. I. od. II. v. 45.

Quanquam magnum visum in principe intemperantiae argumentum, si is sibi ipse aeternitatem tribuit, quod Constantio II. exprobravit Ammianus a), ex quo Athanasius occasionem arripuit, hunc imperatorem oblique perstringendi, cum quereretur, a nonnullis Constantium dici aeternum, cum interim ii ipsi dei filium esse aeternum negarent b).

De typis illustrioribus, quibus aeternitatem expressere Romani, jam egimus in numis Trajani per ejus consulatum V. signatis, et in numis Severi V. C. 955. In numis Alexandrinis Antonini Pii, quos vide, Aeternitas Graece redditur ΑΙΩΝ.

Fuit etiam aliqua divinitatis species *Genius Augusti* in numis perfrequens, sive illo intellecta fuit ipsa Caesaris anima, ejusque numen, aut quidam de plebe deus, qualem hominibus fuisse additum sibi plane persuasit vetus superstitio. Vide haec explicantem Diotimam fatidicam apud Platonem c), Senecam d), aliosque. Quidquid erit, nihil paullatim in imperio R. hoc genio illustrius, nihil sanctius, nihil vero etiam populo magis metuendum evasit. Iam Caligula morte adfecit eos, qui nunquam per Genium suum dejerassent e), neque aliud deinceps jusjurandum magis religiosum habitum, quam impietatem acerbe adeo perstrinxere scriptores Christiani, quos inter Tertullianus *majore*, inquit f), *formidine, et calidiore timiditate Caesarem observatis, quam ipsum de Olympo Iovem. — — Sed nec hoc vos ratione facitis potius, quam respectu repraesentaneae potestatis. Adeo et in isto irreligiosi erga deos vestros deprehendimini, qui plus timoris humano dominio dicatis. Citius denique apud vos per omnes deos, quam per unum Genium Caesaris pejeratur.* In eandem sententiam Minucius Felix g): *Sic eorum numen vocant, ad imagines supplicant, genium, id est, daemonem ejus, implorant, et est eis tutius per Iovis genium pejerare, quam regis.* Satis constat, ex legum praescripto ad fustem fuisse damnatos, qui per Genium principis pejeraverant, cujus exempla dabunt eruditi, qui in citata Tertuliani, et Minucii verba commentati sunt, tum et Seldenus h). Ex quo patet, quanto moderatius de se senserit Trajanus, de quo Plinius i): *Simili reverentia, Caesar, non apud Genium tuum bonitati tuae gratias agi, sed apud numen Iovis O. M. pateris.* Quare nequaquam mirum, Christianos per Genium Caesaris jurare jussos istud obsequii genus detrectasse, quia tantum tribuere Genio nefas duxere, et quia nomine Genii non innoxium illum, et saepe salutarem Graecorum δαιμονα, sed malum illum daemonem corpora humana obsidentem, et sacris precibus inde exigendum intellexere, quod ex ejusdem Tertulliani verbis liquido apparet k). At apud Romanos, quod loco indicato fatetur quoque Seldenus, non Genius modo, sed et Salus, Vita, Fortuna Caesaris, per quas quoque jurari consuevit, perinde ac serius in Christianis principibus Majestas, Se

a) L. XV. c. 1. b) in Tract. de synodo Arim. c) in Convivio p. m. 201. d) Epist. CX. e) Sueton. in Cal. c. 27. f) Apolog. c. 28. g) in Octav. c. 29 p. m. 29[illegible] h) in marm. II. Oxon. p. m. 172. i) Paneg. c. 52. k) Apolog. c. 32.

renitas, Perennitas, et similia ipsas principum personas respexere, cumque orbis Romanus nihil haberet imperatore majus, et ab ejus nutu omnia penderent, facile accessit reverentia, et quaedam divinitatis opinio, eaque non raro a principis impotentia, et vanitate imperata, ex quo factum, ut, quod recte observavit Tertullianus, citius per omnes deos, quam per unum Genium Caesaris esset pejeratum. Ceterum observare Genium principis, et revereri, non fuisse novicium Romanorum inventum, docemur ab Athenaeo narrante [a]), Nicostratum Argivum quotidie in coena seorsim Genio regis Persarum instructam mensam apposuisse, cum intellexisset, a Persis id fieri, qui in aula regia versantur.

Alia remotiora divinitatis argumenta sunt in viris Augustis *corona radiata*, de cujus significatione egi ad numum Neronis cum epigraphe AVGVSTVS. GERMANICVS, quem dedi in numis vagis. Item *nimbus* in capite Augustorum utriusque sexus, de quo vide tractatum de numis inferioris aevi §. II. Item *carpentum a binis mulis tractum*, de quo egi in numis Liviae.

Summum consecrationis vivorum gradum constituo partim in appellationibus divinis, partim honoribus, qui constant ludis solennibus, aris, templis, sacrificiis, quae omnia rursum vel ipsi sibi deferri voluere, vel a populis in obsequium ruentibus decreta fuere. Ejus exemplum jam vetustissima Graecorum aetas in Hercule vulgavit, quando Arcas Evander praesentem illum, atque adeo vivum, propter caesum Cacum divinis honoribus adfecit, de quo actum in numis Antonini Pii. Recentiora exempla, nam vetustiorem copiam praetereo, sunt Alexander M. sua sponte Iuppiter Ammon, iterum Alexander, ac serius Demetrius Antigoni ab Atheniensibus dei appellati, Mithridates VI. dictus ab Asianis Bacchus, varii Aegypti, Syriaeque reges communi vocabulo dicti in numis ipsis Θεοι, de qua vertigine vide observata in singulorum numis. Iam a vetustis illis Persis reges suos dictos deos, docet Aeschylus [b]). Sed haec ad externos tantum principes valuere. Interim facile fuit Graecis servitio adsuetis eosdem hos honores transferre primum in magistratus Romanos ex urbe missos, deinde in principes orbis arbitros. Integra adhuc republica proconsulibus, propraetoribus, aliisque viris summis sive propter collata illustria beneficia, sive metu constitutos fuisse ludos sacros annuosque, aras, templa, divina nomina, jam variis alibi locis monui, et in praeclara dissertatione exposuit abbas Mongaultius [c]), oblatis copiosis turpis hujus servitii exemplis. Tanto hi honores subinde immoderatius profusi in principes, eorumque domum. Liviam Augusti uxorem numi Graeci appellant ΘΕΑ. ΛΙΒΙΑ, ΛΙΒΙΑΝ. ΗΡΑΝ, *(Liviam Iunonem)* Augusti filiam ΙΟΥΛΙΑΝ. ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ, *(Iuliam Venerem)* Drusus Tiberii F., et Germanicus Graecis fuere ΝΕΟΙ. ΘΕΟΙ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ, *(novi dei fratres se mutuo*

a) L. VI. p. m. 252. b) in Pers. v. 157. c) B. L. Tom. I. Mem pag. 353.

amantes). Pauca haec divinarum appellationum exempla, quas Graecorum ingenium excogitavit, possunt hoc loco sufficere. Qui horum plura appetit, adeat numos commatis peregrini, quos singulorum Augustorum monetae, ac praecipue Neronis, subjecimus, tum et Spanhemium ex proposito de hoc abusu disserentem [a]). Parcius, ac multo quidem serius moneta urbis divina haec principum suorum nomina admisit. Nam etsi v. g. de Caligula, et Domitiano constet, eos dei nomine appellari voluisse, hoc tamen opprobrium monetae R. majestas aversata est. Nero citharoedus in numis peregrinis dicitur Apollo, tamen hoc Apollinis nomen abest in iis ipsis numis Romanis, in quibus hic imperator citharoedi habitu proponitur. Primus fuit Commodus, qui impudentiam suam in moneta urbis publicavit, cum se *Herculem Romanum* mentiretur, et talem se capite leonis exuviis tecto profiteretur. Neque minus insignita Aureliani protervia, qui se *deum, ac dominum nostrum* in numis inscripsit, cujus deinde exemplum secutus est Carus.

Congruum fuerat, quem deum professi sunt veteres, eum aris quoque, delubris, sacrificiis, et omni superstitionis eluvie venerari. Hujus furoris idem fuit initium, quod imperii. Servius ad versus Virgilii [b]):

O Meliboee, deus nobis haec otia fecit.
Namque erit ille mihi semper deus, illius aram
Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

haec notavit: *Augustus templa vivus emeruit*, citatque continuo verba Horatii [c]):

Praesenti tibi maturos largimur honores,
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Cui ignoti numi inscripti ROM*ae* ET. AVG*usto* per varias imperii provincias signati typo arae, vel templi, item ara Augusto sacra in numis Tarraconis, vel LVCV*s* AVGVSTI typo arae inter duas lauros in numo Iubae II. Numidiae regis? At observandum, Augusto vivo nunquam aram templumve in urbe ipsa fuisse dedicatum, neque etiam Caesari dictatori, etsi hunc populus copiosis honoribus quasi divinis obrueret, quo de argumento copiose egi in numis Augusti consecrati, tum in numis cum epigraphe *Romae et Augusto.* At non tam moderati fuere ex successoribus quidam. Narrat Suetonius [d]), Caligulam se *Optimum Maximum* Iovis exemplo vocari voluisse, et se in aede Castoris et Pollucis inter hos medium adeuntibus adorandum exhibuisse. Addit: *Templum etiam numini suo proprium, et sacerdotes, et excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum, amiciebaturque veste, quali ipse uteretur. Magisteria sacerdotii ditissimus quisque et ambitione, et licitatione maxima vicibus comparabant. Hostiae erant phoenicopteri, pavones, tetraones, Numi-*

a) Tom. I. pag. 434, et Tom. II. pag. 489. b) Ecloga I. c) L. II. epist. I. v. 15. d) in Calig. c. 22.

dicae, *Meleagrides*, *phasianae*, *quae generatim per singulos dies immolarentur.* De Domitiano, qui et ipse *dominus et deus* appellari voluit [a]), haec narrat orator Plinius [b]): *Ante quidem ingentes hostiarum greges per Capitolinum iter magna sui parte velut intercepti devertere via cogebantur*, *cum saevissimi domini atrocissima effigies tanto victimarum cruore coleretur*, *quantum ipse humani sanguinis profundebat.* Sed neque haec superstitionis argumenta, si Commodum Herculem, deosque Aurelianum et Carum demas, Romanam monetam inquinavere, haud dubie, quod ipsis auctoribus ignominiosum videretur, honores humana conditione majores, eosque sive appetitos, sive decretos per imperii R. provincias circumferri. Atque haec de vivorum consecratione in hunc locum videbantur conferenda, cujus copiosa exempla alia per universum hoc opus sparsa reperies, inter quae eximium locum obtinent honores vere divini, qui a senatu Iulio Caesari adhuc vivo turpi in praepotentem hominem obsequio decreti fuere, quos enarravi loco suo in numis *Divi Iulii* Vol. VI. pag. 11.

§. II.

De consecratione mortuorum.

Thasii Agesilaum in deorum numerum retulere. Miranti huic, quaerentique, possentne homines in deos convertere, responderunt, posse [c]). Non addidere, quo tantam facultatem Olympi scito nacti fuerint, nisi se superioris aetatis, aliorumque populorum exemplis tuiti sunt. Darium Xerxis patrem adhuc vivum ab Aegyptiis dei appellationem nullo antea in regibus exemplo abstulisse, tradidit Diodorus Siculus [d]). Graecorum aliqua exempla in praecedentibus commemoravi. Tanto igitur minus istud in consecratis post mortem Romanorum principibus mirum, quanto hi magis omnes orbis cogniti reges cujuscunque aevi potentia, ac majestate superavere.

Multo serius haec ἀποθεώσεως insania Romanos inquinavit. Nam si Romulum Quirinum demas, sed cui conditoris conditio pro Graecorum more ad immortalitatem viam stravit, non L. Brutus, non Camillus, non Scipiones, etsi de patria insigniter meriti, coelestes sibi honores emeruerunt. Hic mortalis legis contemptus nonnisi cum monarchia coepit, primusque fuit Caesar dictator, in quem divi et nomen, et honores jussu populi collati sunt, cujus nimirum animos virtutis bellicae prodigia tum et mentis excelsae ornamenta, novissime ingesta superstitio perculere, sic ut facile sibi persuaderent, animam in eo humana maiorem resedisse. Vulgato exemplo in consecrando Augusto facile deinde omnes consensere, quod non modo diuturnum sub eo imperium, sed et moderatione, et aequitate temperatum experti sunt. Et vero si in hoc consecrandi ritu spectata semper fuisset sincera, et non fucata meritorum in genus humanum profectorum recordatio,

---

a) Suet. cap. 13. b) Paneg. cap. 52. c) Plutarch. Apophth. Lacon. d) Bibl. L. I. cap. 95.

potuit institutum istud eam saltem praestare utilitatem, ut, qui populis praesunt, hujus saltem vanitatis spe ad recte faciendum incitarentur, quod argumentum auctor libri de Consolatione, quem nonnulli Ciceroni, plerique Carolo Sigonio tribuunt, sub finem eleganter exposuit. *Deus est mortali*, inquit Plinius senior [a]), *juvare mortalem, et haec ad aeternam gloriam via. Hac proceres iere Romani, hac nunc coelesti passu cum liberis suis vadit maximus omnis aevi rector Vespasianus Augustus fessis rebus subveniens. Hic est vetustissimus referendi benemerentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribant.* Verum tulit sequens aetas corruptos in decernendo hoc honore judices. Iam Plinius Secundus, etsi magis ex oratoris fastidio, quam ex vero, conquestus est [b]): *Dicavit coelo Tiberius Augustum, sed ut majestatis crimen induceret, Claudium Nero, sed ut irrideret, Vespasianum Titus, Domitianus Titum, sed ille, ut dei filius, hic, ut frater videretur.* Quam ille despuisset, si Faustinam juniorem, Commodum, Caracallam iisdem caerimoniis illatos coelo vidisset? Pausanias posteaquam narrasset [c]), olim ex causis justis in coelum receptos homines, scilicet Aristaeum, Britomarten, Herculem, Amphiaraum, Dioscuros, continuo addit, aetate sua, qua fraus et audacia in recte factorum locum successere, nullos jam homines in deorum numerum recipi, nisi forte ore hominum, et per immoderatam adulationem. Sed permittamus censuram istam Iuliano Augusto, hanc majorum suorum consecrationem in Caesaribus suis salse, justeque irridenti, quin et Plinio seniori, castiganti suorum stuporem *Manes colendo, deumque faciendo, qui jam etiam homo esse desierit* [d]). Denique Iuvenali, Augustos propter hanc ipsam apotheosin *rivales divorum* salse appellanti [e]).

Imperatoris vita functi consecrationem urgere non destitit princeps successor sive pietatis, gratique animi causa, sive ambitionis, aut alterius cujuspiam sperati emolumenti. Sic fecere pietas, gratusque animus, ut Vespasianum Titus, Nervam Trajanus, hunc Hadrianus, hunc Antoninus, L. Verum M. Aurelius, suum singuli patrem fratremve, im Olympum traducerent. Idem in aliis causae aliae, ut dixi, praestitere, v. c. ut quis deum haberet patrem, aut consanguineum, vel ut suspicionem procuratae mortis evaderet, quo modo Titum consecravit Domitianus. Quae fuerit insolens causa consecrati Commodi, idem cum Sisyphis Tantalisque contubernium promeriti, in hujus numis diximus. Similes causae si abfuerunt, ac praeterea si vivus odio publico flagravit, ut Tiberius, Caligula, Domitianus, privatam inter manes vitam hodieque degunt. Aliis, ut Caracallae, favor militum profuit, de quo proxime. Fuere Augusti, quibus non continuo post excessum, sed serius divinitatis honor accessit. Sic Livia consecrata demum a Claudio, Commodus a Severo, Domna ab Elagabalo. Causas vide in singulorum moneta. At quod singulare

a) N. H. L. II. pag. 72. b) in Paneg. cap. 11. c) L. VIII. c. 2. d) H. N L. VII. §. 56. e) Sat. VI. 115.

est, fecit aliquorum pietas filiorum Augustorum, ut parentes etsi privatos, et mortuos antea, quam ipsi ad imperium essent evecti, coelo infunderent. Sic Vespasianus Domitillam matrem, Trajanus Trajanum patrem consecraverunt, numisque delatum hunc honorem intulerunt, nec tanto honore contentus Vespasianus matrem insuper Augustam appellavit.

Ex numis personas Romano ritu consecratas colligimus sequentes:

Iulius Caesar.
Augustus.
Iulia Augusti.
Claudius.
Poppaea Neronis.
Claudia Neronis filia.
Vespasianus.
Domitilla Vespasiani.
Titus.
Iulia Titi filia.
Caesar anonymus Domitiani filius.
Nerva.
Trajanus, pater.
Trajanus Aug.
Plotina Trajani.
Marciana Trajani soror.
Matidia Trajani neptis.
Hadrianus.
Sabina Hadriani.
Antoninus Pius.
Faustina Antonini Pii.
M. Aurelius.
Faustina M. Aurelii.
L. Verus.
Commodus.
Pertinax.
Severus.
Iul. Domna Severi.
Caracalla.
Iul. Maesa.
Alexander Sev.
Paulina Maximini I.
Marinus.
Mariniana Valeriani.
Gallienus, incertum quis.
Saloninus.
Victorinus.
Tetricus forte.
Claudius Gothicus.
Carus.
Numerianus.
Nigrinianus.
Maximianus Herculeus.
Constantius Chlorus.
Gal. Maximianus.
Romulus Maxentii filius.
Constantinus M.

Augeri poterit numerus ex testimoniis veterum aliis, ac praecipue Eutropii, in conferendo consecrationis honore perquam liberalis.

Ritus, et caerimonias in principum consecratione usitatas describere non attinet, quia ab ipsis veteribus in iis enarrandis admodum facundis, peti possunt Vide haec descripta a Dione in consecratione Augusti a), deinde Pertinacis procurante Severo b), cui adde Herodianum Severi ἀποθέωσιν a filiis institutam prolixe enarrantem c). Nonnulla etiam typi, qui consecrationum numos distinguunt, et de quibus paullo infra, docebunt.

Consecrationem principum senatus arbitrio fuisse permissam, et ab hoc decerni solitam, et scriptores docuere, et

a) L. LVI. §. 34. et 42. b) L. LXXIV. §. 5. c) L. IV. sub init.

veterum monumenta. Ait Tertullianus [a]): *Vetus erat mos, ne qui deus ab imperatore consecraretur, nisi a senatu probatus*, quod et repetit Orosius [b]). Confirmat id ipsum Prudentius [c]):

Vera ratus, quaecunque fiant auctore senatu,
Contulit ad simulacra fidem, dominosque putavit
Aetheris, horrifico qui stant ex ordine vultu.

Et paullo infra de Augusto [d]):

Testantur tituli, produnt consulta senatus,
Caesareum Iovis ad speciem statuentia templum.

Diximus in numis Divi Hadriani, quamdiu senatus restiterit Antonino Pio petenti, ut consecrationis honorem parenti decerneret. Idem a senatu flagitasse M. Aurelium pro Faustina sua, in hac diximus. Idem aperte comprobant Claudii, et Vespasiani numi aurei argenteique cum consecrationis typis, in quibus scriptum legitur EX. S. C., et plenius in numo Marcianae: EX. SENATVSCONSVLTO. Cui quidem juri nihil putamus derogatum propterea, quod nonnunquam imperatores, aut milites consecrationem per vim a senatu extorsere, quo modo teste Capitolino ad senatum scripsit Macrinus [e]): *Antonino autem* (Caracallae) *divinos honores et miles decrevit, et nos decrevimus, et vos P. C. ut decernatis, cum possimus imperatorio jure praecipere, tamen rogamus etc.* quibus ipsis verbis senatus jus plenius confirmatur. Diximus in numis Caracallae ex testimonio Dionis, et Spartiani, quo furore milites senatum ad consecrandum illud monstrum adegerint. Gordianum III. a militibus nullo intercedente senatus consulto inter divos fuisse relatum, colligo ex Capitolino [f]), et Eutropio.

Habuere consecrationum numi certas suas inscriptiones, et typos. Intelligo autem hoc nomine eos tantum numos, qui causa consecrationis, ejusque in vulgus promulgandae cusi sunt, continentque tum in aversa typos, qui nonnisi sacrum hunc ritum, animamque coelo receptam enunciant. Nam sunt numi non pauci, quorum antica imperatorem quidem DIVVM appellat, sed aversa nihil ad consecrationem pertinens attulit. Hujus generis est v. g. numus D. Augusti, in cujus altera pagina legitur SIGNIS. RECEPTIS, et sic in aversa numorum D. Vespasiani: CERES. AVGVST. — VICTORIA. AVGVSTI., quibus adde numos Domitillae, Faustinarum etc., quos utique numos ad restituendam memoriam majorum, parentum, conjugum post eorum excessum imperavit adfectus. Ergo numorum, quos proprie consecrationis appello, primum inscriptiones, deinde typos proferamus.

Primorum imperatorum aevo consecratio magis typis, quam verborum formulis indicata fuit. Verbum CONSE-

a) Apolog. cap. V. sub init. b) L. VII. cap. 4. c) contra Symmach. L. I. v. 223. d) v. 249. e) in Macrino cap. 6. f) in Gord. cap. 34.

CRATIO, quod numus Alexandrinus Cari vertit AΦIEPΩCIC, serius sese intulit, neque ante Plotinam, Marcianam, Matidiam insertum monetae reperio. Dedit quidem Mediobarbus numos Liviae, Domitillae, Domitiani hoc vocabulo notatos, sed hi omnes haud dubie conficti sunt. Quos praeterea addidit, Augusti, Vespasiani, Titi, Nervae, Trajani, genuini quidem sunt, sed non iis, quorum sistunt capita, synchroni, Treboniani scilicet aevo, aut secundum alios Gallieni, signati, quorum infra mentionem faciam. Deinceps hoc vocabulo nihil frequentius. MEMORIAE vocabulum jam recitat Mediobarbus ex numo Hadriani, sed obiter, nulla mentione typi, unde ejus suspecta fides. Primi sunt D. Claudii Gothici numi, qui illud usurpant scripto: MEMORIAE. AETERNAE, quae formula deinceps obvia. Non me fugit, jam multo ante scriptum in numis: MEMORIAE. AGRIPPINAE, et MEMORIAE. DOMITILLAE, nimirum Agrippinae senioris, et Domitillae Vespasiani filiae; at constat, vocabulum MEMORIA non fuisse certam consecrationis notam, sed tantum insignioris in mortuum adfectus. Sane neque Agrippinam, neque hanc Domitillam coelitibus adscriptam novimus. Vide, quae diximus in numis Domitillae. Huc pertinet insigne marmor nuper Gabiis repertum, et cujus jam in numis Domitiae Aug. a me facta mentio, quod incipit: IN. HONOREM. MEMORIAE. DOMVS. DOMITIAE. AVGVSTAE etc. sed quae Domitiani uxor neque ipsa consecrata unquam fuit. Atque in hoc piae venerationis sensu verbum MEMORIA etiam a Christianis fuit acceptum, rationem suggerente D. Augustino [a]): *Non ob aliud vel* memoriae *vel monumenta dicuntur ea, quae insignita fiunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis morte subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant, et admonendo faciunt cogitari.* Quae causa fuit, cur veteribus saepe idem fuerit memoria, et sepulchrum. Vide marmora Gruteri [b]). Non raro apud sanctos patres legitur: *Memoria martyrum*, quibus intelliguntur aut festa horum honori constituta, vel erectum monumentum, vel loculus, quo eorum lipsana continentur. Vide huc pertinentia in numis Agrippinae senioris. Sanam etiam significationem habet formula: REQVIES. OPTIMORVM. MERITORVM, quae primum occurrit in numis D. Claudii Gothici, et per plures deinceps Caesares continuatur. Singularis est epigraphe in numo Faustinae junioris: SIDERIBVS. RECEPTA, in numo M. Aurelii: AVG. PARENTI. SVO.

Etiam DIVI, DEI, ΘΕΟΥ appellationes huc commode vocabimus. Quaeritur, sitne aliquod inter *deum*, et *divum* discrimen? Erit, si Servium audimus haec notantem [c]): Divum *et* deorum *indifferenter plerumque ponit poeta, quanquam sit discretio, ut* deos *perpetuos dicamus*, divos *ex hominibus factos, quasi qui diem obierint, unde* divos *etiam imperatores vocamus.* Idem alibi iisdem

a) de cura pro mort. b) in indice pag. XC. sub Memoria. c) ad Aen. L. V. 45.

paene verbis repetit [a]). Et persuaserit istud Servio perpetuus urbis ipsius usus, in cujus moneta Augusti consecrati nunquam *dei*, semper *divi* appellantur, dempto unico, quod norim, Gallieni numo, in cujus aversa legitur DEO. AVGVSTO, etsi moneta municipalis in conferendo Augustis etiam vivis dei nomine parsimoniam suam non probaverit, sed cujus leges non audimus. Etiam Dio, cum de consecratis Augustis, et ipsa consecratione loquitur, illos plerumque ἥρωας, hanc τιμὰς ἡρωικὰς appellat, et constat, non paucos veteres inter deos, semideos, heroes discrevisse. Tamen quoscunque velimus hos inter statuere gradus, non existimo, nomine dei et divi aliquid diversum intelligi. Iam enim ipse Servius contrarias sibi auctoritates opponit, cum eodem loco addit: *Sed Varro, et Attejus contra sentiunt, dicentes* divos *perpetuos*, deos, *qui propter sui consecrationem timentur, ut sunt dii Manes.* Scriptores veteres si consulamus, promiscue utrumque ab iis adhibitum videmus. Enimvero diserte Plinius alter consecratos hos ipsos imperatores deos vocat [b]). Nota irrisio Vespasiani morituri: *ut puto, deus fio* [c]). Mitto Latinorum scriptorum infinita testimonia alia, utroque vocabulo συνωνύμως usorum. Accedit, horum DIVVS a Graecis semper fuisse in ΘΕΟΣ versum, quod est certum Latinorum *deus*. Sic cum hi dixere in numis: DIVVS. AVGVSTVS — DIVO. CARO, illi: ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ — ΘΕΩ. ΚΑΡΩ. In numis quidem Graecorum non paucis pro ΘΕΟΣ legitur ΘΕΙΟΣ, quod significat *divinus*, et aliquam adeo cum DIVVS videatur habere adfinitatem, sed noveris numos hos omnes a Goltzio fuisse confictos. Monendum denique, dicere Spartianum, multa alia fuisse decreta Hadriano, *quae ad honorem* quasi *numinis pertinerent* [d]), ex quo sequeretur, nequaquam creditum Spartiano imperatores consecratos pro perfectis diis fuisse habitos. Verum testatur Casaubonus, vocabulum *quasi* in codice regio desiderari, et videri adjectum a pio aliquo hanc impietatem impatienter ferente. Ceterum inferiore aevo multum detractum fuisse significationi DIVVS, et hoc intellectam altiorem aliquam in superiorum principum manes reverentiam nulla divinitatis opinione, inde patet, quod ipsi principes Christiani passi sunt, majores suos, etsi in Christi fide mortuos, divos appellari, et ipsi in rescriptis suis M. Aurelium, L. Verum, Caracallam etc. passim divos appellant, ac praecipue, quod Constantinus M. dicitur divus in ipsis iis numis, quos ob illatum monogramma Christi dubitari non potest a Christianis fuisse imperatos, quo de argumento lege copiosius disserentem abbatem Mazzolenum [e]). Quid quod jam apud Senecam Octavia, etsi marito suo Neroni infensa, tamen hujus patrem naturalem Domitium *divum* appellat his verbis [f]):

Nero, ipse divo Domitio genitus patre.

Commemoratis variis inscriptionum

a) ad Aen. XII. 139. b) in Paneg. c. 11. c) Suet. c. 23. d) in Hadr. c. ult. e) Animadv. III. pag. 79. f) in Octavia v. 249.

modis diversos etiam typos ad significandam consecrationem advocari solitos perlustremus.

Pars adversa caput ejus sistit, cui honos is decretus fuit, sed variat capitis cultus. Iulius Caesar imminens habet capiti suo *astrum*, quo notari cometam in ejus numis satis diximus, quem esse animam Caesaris in coelum recepti sibi persuasit vulgus. Hic ergo typus, quia huic uni proprius, ad successores non transivit. *Caput radiatum* in Augusto certum est consecrationis signum; nam ante Neronem nullus principum vivus corona radiata usus est, de quo vide dicta in numis Neronis vagis. In numis iis, in quibus Trebonianus aut proximorum alius superiorum principum consecrationem restituit, de quibus infra, radiatum semper caput est. *Caput laureatum* habent consecrati Vespasianus, Titus, Nerva, Antoninus Pius, etsi et coronam radiatam admiserint. *Caput nudum* cum Nerva incipit, atque hic cultus diu deinceps duravit. D. Saloninus in plerisque radiatus iterum est. D. Claudius Gothicus jam lauream, jam radios jactat, ac praeterea primus is est, in cujus numis *caput velatum* comparet, quod deinde offert etiam Constantius Chlorus, et Gal. Maximianus, etsi uterque neque nuditatem, neque lauream abnuat. Velatum etiam est caput D. Constantini M., et saepe una laureatum. Velum sacer habitus vulgo creditum, velati pontifices, cum sacris operati sunt, velati augures, Vestales, cum velo etiam saepe ab artificibus propositae animae, v. c. cum a Mercurio traducuntur. Divarum Augustarum capita nullus saepe peculiaris cultus discernit, ut Domitillae, Iuliae Titi filiae, Plotinae, Marcianae, Matidiae, Sabinae. At Sabina, et utraque Faustina non raro velum ordinario suo capitis cultui superinjecere. Velo deinde usae sunt etiam Maesa, et Mariniana. D. Iulia Augusti uxor ritu Cereris caput habet spicis coronatum.

Pars aversa varios habet typos, ex quibus eos omitto, qui cum consecratione non connectuntur; nam et alienos alios non raro huic fuisse insertos, supra monui.

Aquila obvia in numis divorum Augustorum, et Augustarum. Vide numos Plotinae, Marcianae, Matidiae, Hadriani, Sabinae, M. Aurelii etc. Causa advocati hujus alitis est, quod in consecrationis caerimoniis succenso rogo ex summa ejus compage emitti aquila consuevit, velut animam in coelum latura [a]). Haec aquila in restitutis Treboniani aevo consecrationibus potior est typus.

Aquila animam Augusti, vel Augustae sursum evehens, in numis Sabinae, M. Aurelii, Faustinae utriusque, Maesae, Salonini. Causam elegantis hujus typi continuo dedimus. In praeclara basi marmorea columnae Antonini Pii, in qua finguntur Antoninus Pius, et Faustina uxor ab alato genio in altum evecti, tamen aquila una Antoninum, altera

---

a) Dio L. LVI. §. 42, et L. LXXIV. §. 5. Herodian. L. IV. sub init.

Faustinam comitatur a). Teste Artemidoro b): ἐθος παλαιον ἀποθνησκοντας τατης (de regibus, virisque illustribus agit) πλασσειν τε και γραφειν ἐπ' ἀετῳ ὀχεμενες, *vetus mos est, mortuos principes ab aquila sursum elatos effingere.*

Pavo, in Augustarum tantum numis, Faustinae utriusque, Domnae, Marinianae. Nosses novas Iunonis aemulas.

Pavo animam Augustae sursum evehens, vide numum Domnae.

Victoria animam Augustae sursum evehens, in numis utriusque Faustinae.

Rogus, inde ab Antonino Pio obvius consecrationis typus in numis Augustorum utriusque sexus. Haec compages Dioni dicitur πυρα πυργοειδης, τριβολος, ἐλεφαντι και χρυσῳ μετα ἀνδριαντων τινων κεκοσμεμενη, *rogus in formam turris, cum triplici contignatione, ebore, et auro, et nonnullis statuis ornatus* c), in quem deinde imperatoris lectus inferebatur. Herodianus eum describit tanquam suggestum specie quadrangula, inferius aridis fomitibus oppletum, cui deinde alter simili quidem forma et ornatu, sed contractior imminet patentibus portis instructus, quibus impositus est tertius quartusque rursum contractior, sic ut phari speciem tota compages praeferat. Illato deinde in secundam contignationem cadavere, finitisque consuetis caerimoniis admota face universam molem succendi. Haec, sed latius, Herodianus d). Hanc ejus tabulati formam, qualem descripsere veteres, praeclare ob oculos sistunt numi copiosi, quos inter audio celebrari numum Maesae haud ita pridem Romae repertum, de quo ejus possessor cl. Ennius Vicecomes, in re antiquaria illustri hodie in urbe fama, ad exc. Garampium sedis apostolicae nuncium Vindobonam scripsit, esse usque adeo nitidum, integrumque, ut, quod in funebribus his rogis nunquam hactenus fuit observatum, in secunda contignatione appareat Augustae cadaver lecto impositum.

Ara, non rarus etiam hic typus, obvius praecipue in numis consecrationum Treboniano forte imperante restitutarum. Aram ad principem consecratum pertinere, suapte patet.

Thensa a quatuor elephantis tracta, etiam hic typus non infrequens. Vide numos Augusti, Vespasiani, Iuliae Titi, Antonini Pii, M. Aurelii, L. Veri, Pertinacis, atque in his typi explicatum.

Thensa a quatuor equis tracta, in numis Claudii et Vespasiani.

Carpentum a binis mulis feminis tractum, in numis Iuliae Titi, typus sacer, et in feminarum numis haud rarus. Eum vide explicatum in numis Liviae, Agrippinae senioris, et Domitillae.

Phoenix, aeternitatis symbolum. Vide numos Trajani.

Lectisternium Iunonis, in numis Faustinae junioris, velut novae nunc Iunonis.

Templum, in numis D. Augusti, Romuli Caesaris. Quanquam et mortuis illustribus non consecratis erecta fuere privatim templa, ut diximus in numis Domitiae Aug.

---

a) Vignoli de col. Anton. b) Oneirocr. L. II. c. 20. c) L. LXXIV. §. 5. d) L. IV. sub init.

Omitto typos alios ignobiliores. Quibus in consecratione sua usi fuerint principes Christiani, disce ex numis Constantini M.

* * *

Egimus hactenus de numis, qui paullo post ipsam principum consecrationem, et hujus quidem promulgandae causa percussi sunt. At superest aliud numorum genus, qui in adversa offerunt caput imperatoris cujuspiam, in aversa epigraphen CONSECRATIO, typum aquilae, vel arae luculentae, argentei omnes, et qui omnes a posteriore quopiam imperatore uno consilio signati sunt, ut ex subjectis observationibus patebit, quas antequam ordior, lubet eorum omnium, qui hactenus reperti sunt, catalogum apponere.

DIVO. AVGVSTO. *Caput radiatum.* Ӿ CONSECRATIO. *Aquila expansis alis.* (Mus. Caes.) In aliis: *Ara luculenta.* (Mus. Caes.)

DIVO. VESPASIANO. *Caput radiatum.* Ӿ *Eadem duplicis generis aversa.* (Mus. Caes.)

DIVO. TITO. *Caput radiatum.* Ӿ *Vt in praecedentibus.* (Mus. Caes.)

DIVO. NERVAE. *Caput radiatum.* Ӿ *Vt in praecedentibus.* (Bimard ad Iobert T. I. pag. 298.)

DIVO. TRAIANO. *Caput radiatum.* Ӿ *Vt in praecedentibus.* (Mus. Caes.)

DIVO. HADRIANO. *Caput radiatum.* Ӿ *Vt in praecedentibus.* (Mus. Caes.)

DIVO. PIO. *Caput radiatum.* Ӿ *Vt in praecedentibus.* (Mus. Caes.)

DIVO. MARCO. *Caput radiatum.* Ӿ *Vt in praecedentibus.* (Mus. Caes.)

Alius, *sed scriptum:* DIVO. MARCO. ANTONINO, *et solito Aquilae typo.* (Baldin. in Vaill. T. II. pag. 374.)

DIVO. COMMODO. *Caput radiatum.* Ӿ *Vt in praecedentibus.* (Mus. Caes.)

DIVO. SEVERO. *Caput radiatum.* Ӿ *Vt in praecedentibus.* (Mus. Caes.)

DIVO. ALEXANDRO. *Caput radiatum.* Ӿ *Vt in praecedentibus.* (Mus. Caes.)

Ex hoc catalogo tum et horum numorum inspecta natura, sequentia eruimus: nonnisi Augustos in hujus communionem honoris fuisse vocatos, praeteritas Augustas, etsi consecratas publice, atque iisdem caerimoniis. Sed etiam ex viris Augustis consecratis desiderari Claudium, L. Verum, Pertinacem, Caracallam, de quo defectu nonnulla adhuc commemorabimus infra. Ex argento quidem esse omnes, sed prave adulterato, qualis nimirum mixturae esse solet argentum inde a Philippo usque ad Gallienum, atque intra hoc ipsum illos temporis intervallum fuisse signatos, ipsos cum hujus aevi moneta comparatos plane persuadere. Atque hae omnes causae collatae suapte evincunt, numos hos omnes non esse coaevos iis, quorum capita offerunt. Quis enim unquam in universa Augusti moneta numum vidit tam prave argenteum, aut tam pravi operis? Evincunt etiam quia una omnibus species, iidem typi, unum omnium auctorem atque architectum, quocunque istud consilio factum, esse existimandum. At quis hic statuendus? Hactenus omnes artis nostrae magistri, quos inter Bandurius [a]),

a) Tom. I. pag. 187.

et hunc secutus Baldinus [a]), Patinus [b]), Havercampus [c]), Iobertus [d]), ejusque commentator Bimardus [e]) istud honoris Gallieno tribuerunt, quia fabricae ratio cum hujus moneta communis istud exigere videbatur. Postea Pellerinius ex museo suo argenteum protulit: DIVO. AVGVSTO. *Caput Augusti radiatum.* X IVNONI. MARTIALI. *Templum, in quo dea sedens adstante pavone.* Ex quo arguit, numos hujus classis omnes Treboniani imperio deberi. Nam cum haec aversa Iunonis Martialis in solorum Treboniani et Volusiani moneta, et quidem perfrequenter, occurrat, forte fortuna acciderit, quod alias saepe, ut monetariorum indiligentia permutarentur matrices, et pro debito consecrationis typo aliena haec aversa cum Augusti capite jungeretur. Ejus instituti causam Pellerinius in Treboniani pietate posuit, qui cum omnium tum deorum opem propter morborum incommoda imploraret, consecratos etiam Augustos ceu veros deos proposuit observavitque, tanto majore fiducia, quanto magis horum intererat, rem Romanam stare. Haec vir eruditus [f]). Postremus Taninius Philippo adjudicandos censet [g]). Si, inquit, auctorem haberent Gallienum, nescire se, cur praeterire placuisset Gordianum, ac Decium, quorum memoria populo R. gratissima fuit. Alterum argumentum petit ex thesauro numorum in agro Forosemproniano reperto. Horum postremi fuere cum imagine Decii et liberorum, nullus principis posterioris, et tamen in hoc numorum acervo (fuere autem ducentis plures) nonnulli nostri argumenti reperti sunt. Ex quo arguit, si Gallieni jussu forent signati, haud dubie is thesaurus dedisset aliquos saltem numos Treboniani, Volusiani, Valeriani, Gallieni. Ergo conjicit a Philippo cusos, et in ludis saecularibus in vulgus erogatos. Atque ex eadem causa fallere etiam Pellerinii sententiam existimat, hoc numorum genus Treboniani imperio includentis.

Ex his eruditorum sententiis quae videatur tenenda, arduum est definire. Possunt hercle falli, qui causa fabricae Gallienum praetulere. Difficile enim est, hanc intra paucorum annorum spatium discernere, sic ut hi numi feriri non potuerint ab imperatoribus proxime praecedentibus. Pellerinii argumentum a matricis permutatione captum speciosum magis videatur, quam solidum. An enim, si a Gallieno signatos statuamus, fieri non poterat, ut in partem aversam irreperet matrix ad Treboniani imperium pertinens? An non infinita habemus exempla matricum ex distantium multo amplius imperiorum moneta male compositarum? Neque satis validae videntur omnes Taninii causae. Ait, Gallienum omissurum non fuisse Gordianum ac Decium populo acceptos. Verum non satis apparet, eum, qui hanc monetam imperavit, quisquis is fuit, anxie spectasse, qui principes populo probarentur, qui minus. De-

a) ad Vaill. Tom. II. pag. 373. b) ad Sueton. in Aug. cap. ult. c) Impp. Morelli Tom. I. pag. 333. d) Tom. I. pag. 201. e) Ibid. pag. 297. f) Rec. III. pag. XLIX. g) Suppl. Band. pag. 70.

sunt id genus numi Pertinacis praeclarae ad posteros memoriae viri, et tamen suos habet Commodus imperii R. opprobrium, et cujus consecrati honori ne sua quidem aetas numos, nisi forte deperditi sunt omnes, signavit. Verum ipse Taninius non dissimulat difficultatem sibi a laudato Pellerinii numo cum typo Iunonis Martialis oblatam. Nam cum typus hic ad imperium Treboniani pertineat, quo pacto numus is signari potuit a Philippo, qui Trebonianum praecessit? Facile laqueum hunc vitasse existimat vir eruditus, respondendo, non in unius Treboniani, et conlegae Volusiani moneta typum Iunonis Martialis observari, sed jam etiam testibus Vaillantio, et Mediobarbo in moneta Augusti et Philippi. Minus commode. Augusti numum a Vaillantio citatum haud dubie esse cum Pelleriniano ejusdem naturae, neque adeo Augusto coaevum, jam monui in moneta Treboniani ad hunc ipsum Pellerinii numum. Neque moror numum Philippi, quem Mediobarbus ipse non vidit, sed ex Occone, teste parum idoneo, retinuit. Certum adeo hactenus manet, numos Iunonis Martialis nonnisi imperante Treboniano ex certa lege fuisse signatos. At supererat Taninio alius difficultatem hanc elevandi modus, etiam si hic Iunonis typus Treboniano proprius statuatur. Quid enim vetat post tot exempla adserere, hunc Pellerinii numum signatum quidem Treboniano imperante, sed sive ab incauto monetario, sive, quod pronius credere, falsario cum matrice Iunonis sociatam matricem Augusti consecrati, quae ex Philippi imperio superfuit?

Quae igitur in universa hac causa adfirmari possunt, haec sunt. I. Eos omnes ab uno eodemque Augusto uno consilio fuisse percussos, cujus supra rationem exposuimus. II. Non ergo nisi post Alexandrum Severum feriri potuisse, quia ejus quoque consecrati in hac serie numi exstant. III. Suadente fabrica et metalli mixtione eorum exortum imperiis Philippi et Gallieni circumscribendum. Propius forte aliquid olim definiri poterit, si aliquoties deinceps detegentur thesauri cum eadem peristasi, qualem de Forosemproniano prodidit Taninius. Quod fuerit imperatoris consilium, cum placuit, praecedentium Augustorum consecrationes restituere, incertum sane. Si Philippum habent auctorem, ansam dederint ludi saeculares. Si successorum aliquem usque ad Gallienum, moverint pium imperatorem gravissima mala, quibus, ut diximus, per haec imperia orbis Romanus vexatus est.

Dixi altius, in hoc elencho ex Augustorum consecratorum numero desiderari Claudium, L. Verum, Pertinacem, Caracallam. In *ἀδυνατοις* putandum non est, horum quidem etiam nomine numos similes fuisse paratos, sed nondum in apricum prolatos. Tamen minus istud videtur verisimile, cum id genus numi, si Nervae demas, parabiles vulgo sint. Ad haec aliorsum constat, principes quosdam Augustos, cum divorum majorum placuit memoriam restituere, eorum statuisse numerum, quem suasit adfectus. De Alexandro Severo

narrat Lampridius [a]), eum *in larario suo* habuisse etiam *divos principes*, *sed optimos electos*, *et animas sanctiores*. Et de Tacito Aug. Vopiscus [b]): *Divorum templum fieri jussit*, *in quo essent statuae principum bonorum*, *ita ut iisdem natalibus suis*, *et parilibus*, *et Kal. Ianuariis*, *et Votis libamina ponerentur*. Augustum illum, quisquis fuit sacrae hujus monetae auctor, non respexisse majorum probitatem, inde patet, quod recepit Commodum pessimum, exclusit Pertinacem optimum. In marmore Fratrum arvalium Commodo imperante posito, quod est inter Mariniana loco XXXII., legitur: ITEM ANTE CAESAREVM (id est: templum Caesarum, de quo infra) DIVIS N*umero* XVI. VERBEC. (verveces) IMMOLAVIT N*umero* XVI. In alio arvali imperantis Alexandri Severi, Marinio XLIII., legitur: ITEM ANTE CAESAREVM DIVIS N. XX. VERBEC. N. XX. Quoniam in marmore priore inde ab Augusto usque ad Commodum vivum memorantur Divi nonnisi XVI. numero, cum tamen multo amplior fuerit eorum numerus, qui solennibus caerimoniis coelo illati fuere, cogitur Marinius profiteri, in hunc catalogum receptos non fuisse, nisi Augustos, eorumque uxores, exclusis adeo filiabus, sororibus, aut aliter sanguine junctis, consecratisque, quales fuere Claudia Neronis et Poppaeae filia, Iulia Titi, Marciana, Matidia etc. In marmore altero enunciantur Divi XX., sed et hic rursum deficit numerus, nam a Commodo usque ad Alexandrum Sev. accessere Divi quinque, Commodus, Pertinax, Severus, Domna, Caracalla. Vt adeo non satis constet, quos singulis adsciscere, quos negligere placuerit. Vide haec uberius exposita apud ill. Marinium [c]). Eodem loco idem hic vir ornatissimus argumentis solidis comprobat, in istud Divorum templum, quod in Palatio dedicatum fuit Augusto et cum successoribus deinde communicatum, receptum non fuisse D. Iulium Caesarem. En tibi sententiam hanc isto etiam numorum genere confirmatam; nam ejus dictatoris numus similis adhuc conspectus non est. Addo, in Kalendariis hactenus cognitis neque natalem Iulii Caesaris, neque ludos circenses, quos in memoriam illustrium ejus victoriarum constitui dignum fuisset, memorari, ut adeo ipse a Romanis ex numero principum suorum plane exclusus fuisse videatur.

CAESAREVM in arvalibus his monumentis memoratum est locus sacer uni pluribusve Caesaribus dedicatus, quo modo habemus Serapeum, Heracleum, Iseum Serapidi, Herculi, Isidi sacra. Non in urbe modo, sed et in provinciis fuere Caesarea, et Augustea, Graecis Σεβαςεια. Istud divorum Caesarum templum fuisse idem cum templo Augusti, quod aedificare coepit Tiberius, perfecit Caligula, existimant eruditi, sic ut deinde singuli Caesares consecrati suas in eo haberent aediculas, seu cellas. Vide de hoc argumento plura apud Marinium [d]).

* * *

Superest inquirere, quousque principum Romanorum consecratio duraverit.

a) Cap. 29. b) Cap. 9. c) Frat. arv. pag. 385. d) Frat. arv. pag. 82. 384.

Quamdiu deorum cultus valuit, nequaquam mirum, insanum hunc ritum fuisse continuatum. At magis profecto mirum, principes quoque Christianos paganorum exemplum secutos. Praeter Constantinum M. Eutropius ejus filium Constantium, et Iovianum in deorum numerum relatos scripsit, et adhuc Valentinianum a filio Gratiano consecratum prodidit Ausonius his verbis hujus pietatem depraedicans [a]): *hujus vero laudis locupletissimum testimonium est pater divinis honoribus consecratus.* Interim in his consecrandis ritum ab eo, qui olim viguit, multum diversum, et qui cum sacris Christianis componi commode possit, fuisse observatum, dubitari nequit. Enimvero, quae Christiani in Constantini M. funere praestiterunt, a Christianae religionis legibus aliena non fuere. Vide haec ab Eusebio enarrata [b]). Neque aliud docent numi ejus mortui honori dedicati, quos suo loco descripsimus. Ceterum et hi postremi sunt, qui in memoriam imperatoris vita functi signati fuere.

CAPVT XIV.

DE NVMIS VOTORVM.

Vt historia omnis aevi, sic veterum quoque monumenta vota publice suscepta solutaque non raro eloquuntur. Ad numos quod attinet, in Graecorum pecunia, quamdiu sui juris fuere, votorum argumenta non reperias, factis historicis non facile in eam admissis. Neque eorum frequens mentio in moneta Romanorum consulari. In solis denariis gentis Noniae legitur SEX. NONI*us* PR*aetor* L*udos* V*otivos* P*ublicos* F*ecisse.* Tamen historia reip. Romanae copiosa offert exempla votorum, sicubi periculum aut imminebat, aut imminere visum, publice privatimque conceptorum, et solutorum. Imperio unius potestati permisso ad vota pro totius civitatis incolumitate suscepta accessere alia pro salute, ac prosperitate Caesarum, domusque Augustae S. C. decreta, quorum numi non pauci servavere memoriam, qualia fuere, quae pro salute, valetudine, reditu Augusti sunt suscepta testantibus istud ejus denariis, quos ad annum V. C. 738 recitavimus: VOT. P. SVSC. PRO. SAL. ET RED. AVG. — PRO. VALETVDINE. CAESARIS. S. P. Q. R. et similiter, addi-

a) in Grat. actione c. 8. b) Vit. Const. L. IV. c. 71.

ta etiam causa, velut: *Iovi Optimo Maximo S. P. Q. R. votum susceptum pro salute imperatoris Caesaris, quod per eum resp. in ampliore atque tranquilliore statu est.* Addo memorabile exemplum adfectus in Augustum, quod refert Suetonius a): *omnes ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro salute ejus stipem jecisse.* In aliis numis clypeus, cui inscriptum CL*ypeus* V*otivus*, adjecta iterum causa: OB. CIVES. SERVATOS. Huc pertinent VOTA. PVBLICA in nuptiis Augustarum, ut Lucillae, et Crispinae. Votorum etiam naturam habent faustae acclamationes, ac preces, ut in numo Commodi: PIO. IMP. OMNIA. FELICIA, vel in numis Hadriani, et Alexandri Severi: S. P. Q. R. AN*num* N*ovum* F*austum* F*elicem* OPTIMO. PRINCIPI. PIO, vel in numo Constantini M. PLVR*es* NATAL*es* FEL*iciter*, vel in nuptiis Marciani, et Pulcheriae teste etiam numo: FELICITER. NVBTIIS. Ceterum non prodita causa in moneta Romanorum jam inde ab Augusto obvium est legere: VOTA. PVBLICA. In numo Ephesiorum cum capite Maximi Caesaris legitur ΒΩΤΑ, vocabulo Latino Graecum ementito. Vide, quae ibi notavimus.

Fuerunt praeterea vota alia quotannis publice suscepta, inter quae praecipua duo, una, quae Kalendis Ianuariis, qua die consules processere, pro imperii salute nuncupari sunt solita, altera, quae III. Nonas ejusdem mensis pro imperatorum salute suscipi consuevere. Horum posteriorum frequens apud scriptores mentio. Cajus ICtus b): *Post Kalendas Ian. die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.* Plutarchus Ciceronem natum scribit ἡμερᾳ τριτῃ των νεων καλανδων, ἐν ᾗ νυν ὁι ἀρχοντες ἐυχονται και θυȣσιν ὑπερ τȣ ἡγεμονος, *die tertio Ianuarii, quo nunc magistratus vota concipiunt, et sacrificant pro principe* c). Capitolinus d): *Denique ante tertium nonarum diem votis ipsis etc.* Lucianus e): ἐνθενδε ἡν μεν ἡ τȣ ἐτȣς ἀρχη, μαλλον δε ἡ ἀπο της μεγαλης νȣμηνιας τριτη, ἐν ᾗ ὁι Ρωμαιοι κατα τι ἀρχαιον ἐυχονται τε ἀυτοι ὑπερ ἁπαντος τȣ ἐτȣς ἐυχας τινας, και θυȣσι, Νȣμα τȣ βασιλεως καταϛησαμενȣ τας ἱερȣργιας ἀυτοις. *Post haec erat anni principium, imo tertius dies a Kalendis Ian., quo Romani ex vetere instituto vota pro toto anno concipiunt, et sacrificant, auctore ipsis sacri hujus ritus Numa rege.* Satis apparet, Lucianum hoc loco utraque vota sibi vicina confundere. Enimvero diserte utraque distinguit Dio f), et Vopiscus g): *ita, ut iisdem natalibus suis, et Parilibus, et KALENDIS IANVARIIS, et VOTIS libamina ponerentur*, etiam in celebri marmore fratrum Arvalium apud Gruterum h) alia sunt vota Kal. Ian., alia III. nonas Ian. Denique Tacitus, ubi objectatum Thraseae perhibet, *principio anni vitare eum solenne jusjurandum, nuncupationibus votorum non adesse* i). Et vero vota III. non. Ian. suscipi solita generatim tantum dicta fuisse *Vota*, confirmatur Kalendario Furii Dionysii Philocali, in quo juxta III. non. Ian. legitur: VOTORVM. NVNCVPATIO. Eadem Tertulliano

a) in Aug. c. 57. b) de verbor. signific. c) in vit. Cic. sub init. d) in Pertin. e) in pseudolog. f) L. LIX. §. 24. g) in Tacito. h) Pag. 118. i) Ann. XVI. 22.

dicuntur *annua votorum nuncupatio* a). Sed haec, saltem verbis expressis, in imperatorum moneta nondum reperi. Vota Kalendis Ian. suscepta fuisse principibus quaestuosa, patet ex decreto Arcadii et Honorii b): *Quando votis communibus felix annus aperitur, in una libra auri, et solidis obryzatis principibus offerendi devotionem animo libenti suscipimus, statuentes, ut deinceps sequentibus annis uniuscujusque sedulitas principibus suis talia inferat semper, et deferat.*

Ab his votis differunt illa, quae ab imperatoribus post exactam certam annorum periodum celebrata sunt, et ab hac vocata *qinquennalia, decennalia, quindecennalia etc.* et saepe in vetere moneta, praecipue declinantis imperii occurrunt. Horum natura probe cognita quoniam non parum ad chronologiae et historiae scientiam videbatur posse conferre, a viris aliquot magni in critica vetere nominis in severum examen vocata fuit, quorum primus hoc in argumento vires suas exercuit Henricus Norisius vulgata dissertatione, quam *Parergon chronologicum de votis decennalibus appellavit*, alter Antonius Pagius maximam partem suae *Dissertationis hypaticae* illustrandis horum votorum legibus impendit, et hic dicta restituit in *Critica Baronii*, tertius Albertus Mazzolenus abbas Benedicto-Casinas in eandem doctrinam magno studio inquisivit in *Animadversione II. de votis decennalibus*, quam tractatui de tribunicia potestate subjecit. Etiam eruditus Ducangius de numis his votivis aliqua praeclare dictavit in *Dissertatione de imperatorum inferioris aevi numismatibus ß. XL.* Antequam de variis horum sententiis judicabimus, juvat horum votorum originem, et quae alia cum his conjuncta fuere, jam ab iisdem his viris adcurate prodita, paucis commemorare.

Votorum decennalium origo et causae ab Augusto sunt repetendae. Hic cum anno V. C. 727 speciem praeferret, tanquam qui restituere remp. vellet, exoratus tamen a patribus propositum omitteret, ut tamen esse popularis videretur, et a regiae potestatis suspicione Romanos averteret, *imperium in suas provincias* (nam harum alias sibi retinuit, alias senatui populoque permisit) *decennale suscepit, intra quod tempus eas se redacturum in ordinem promisit.* Haec Dio c). Prosequitur infra d): *Cum autem primum ei decennium exivisset, aliud quinquennium, atque eo circumacto rursum aliud quinquennium, post decennium, ac eo finito aliud iterum quinquies decretum est, ita ut continuatis decenniis per totam vitam imperii summam obtinuerit. Quam ob causam posteriores quoque imperatores, etsi non amplius ad certum tempus, sed per omne vitae spatium iis imperium deferatur, tamen singulis decenniis festum, quasi ob ejus renovationem agunt, quod hodie etiam fit.* Scripserat autem haec imperante Alexandro Severo.

Habemus originem decennalium gravissima hac Dionis auctoritate comprobatam, neque, quod noverim, a scriptore quopiam in dubium vocatam. At

a) de corona milit. c. 12. b) Cod. Iust. L. XII. tit. 49. c) L. LIII. §. 13. d) l. c. §. 16.

quoniam Dio hoc loco decennalium tantum meminit, quaeri jure potest, utrum quinquennalia quoque, quorum non raro ab auctoribus, et in veterum monumentis fit mentio, ab eodem fonte ducantur. Adfirmat istud Norisius nixus testimonio Dionis narrantis, Agrippam propter Augusti principatum anno V. C. 738 ludos quinquennales dedisse, unde Caesarum quinquennia, ac propterea ludos celebrari coeptos arguit vir eruditus a). Verum abbas Mazzolenus hanc doctrinam solidis argumentis impugnat, probatque, his Agrippae ludis intelligendos eos, qui Augusto propter victoriam Actiacam decreti fuere, et qui nec quinquenniis, nec decenniis ejus imperii respondent; recte vero a Dione dici, eos ludos actos propter Augusti principatum, quia revera hic a postrema hac belli civilis victoria judice etiam Dione duci potuit, ac debuit. Vide haec ab erudito auctore praeclare, ac copiose exposita b). Atqui Norisius dempto hoc Dionis testimonio, sed quod aliter intelligendum diximus, nullum aliud potuit adferre, quod probaret, primorum imperatorum aetate, atque etiam diu post, vota quinquennalia fuisse nuncupata, aut qui ad haec pertinerent, ludos quinquennales fuisse factos. Sane primi, ut dicemus, sunt Postumi tyranni numi, qui vota quinquennalia inscripta habent, et auctores veteres, cum eorum meminere, multo adhuc posteriora iis tempora adsignant.

Diximus, causam constitutorum decennalium Augusto fuisse imperium per decennia prorogatum. Successor Tiberius, etsi renovare decennia noluit, festa tamen in his celebrari solita non omisit. Ac de primis quidem haec Dio c): *Decem annis imperii ejus exactis ad resumendum id nihil illi decreto opus fuit, neque enim necesse putavit, illud Augusti exemplo interrumpere. Ludi tamen decennales facti.* De alteris decennalibus haec d): *Vicesimo imperii anno instante, licet ipse frequens in Albano, et Tusculi esset, tamen in urbem non venit, sed consules L. Vitellius, et Fabius Persicus decennium nuncupavere, tanquam ei, ut Augusto usitatum, tunc imperium prorogarent.* De eorum, qui proxime successere, decennalibus nihil diserte prodidere veteres. Primus fuit Antoninus Pius, qui ea numis inscripsit, deinceps perfrequens eorum mentio, ac denique fastidiosa.

Quo tempore decennalia vota coeperint in duo aequalia spatia dividi, et constitui quinquennalia, non satis compertum. Existimant nonnulli, ea Alexandri Severi aetate nondum fuisse in usu, quia Dio in laudata altius oratione acta quidem ab Augusti successoribus decennalia memorat, sed quinquennalium mentionem plane negligit. Primus, quod hactenus norimus, fuit Postumus, qui ea in numis vulgavit, scripto in his QVINQVENNALES. POSTVMI. AVG. Verum inde non continuo sequitur, ante Alexandrum ea in usu non fuisse, aut eorum auctorem fuisse Postumum. Nam exstat monumentum Postumo, atque ipso etiam Ale-

a) Vot. decenn. cap. 1. b) Vot. decenn. pag. 212. c) L. LVII. §. 24. d) L. LVIII. §. 24.

xandro Severo vetustius, quod votorum quinquennalium meminit, lucernam veterem intelligo vulgatam a Passerio [a]), in qua exhibentur duae Victoriae tenentes clypeum, cui inscriptum: VOT. V. ANTON. A. N. Quod si nomine ANTON. velimus intelligi postremum ex Antoninis, erit is Elagabalus, et probabit monumentum istud, jam ante Alexandrum vota haec suscipi consuevisse, ac forte minore cum solemnitate, quam serius celebrata fuere, satis cognitis Romanorum studiis, multiplicandi festorum ludorumque causas, quo illi modo contraxere etiam constitutum legibus ludorum saecularium tempus, ut observavimus in numis Maximiani Herculei. Primus ea restituit Constantius Chlorus adhuc Caesar, deinceps Constantinus M. et filii Caesares perpetui in his fuere. Vulgato quinquennalium exemplo nihil obstabat, quo minus et alteri decennales suam haberent intercapedinem, et sic reliqui quoque, unde nata vota XV., XXV., ac denique XXXV. in numis quoque obvia.

Observandus etiam varius haec in numis vota scribendi, enunciandique modus.

VOTIS. DECENNALIBVS, vel VOTIS. X.

VOTIS. VICENNALIBVS, in numis Alexandri Sev., vel VOTIS. XX. — VOTA. VICENNALIOR. scriptura insolens in numo Constantini jun.

PRIMI. DECENNALES, in numis Antonini Pii et Severi.

FELICIA. DECENNALIA, in numis Constantis.

* * *

VOTA. SVSCEP. DECENN. — VOTA. SVSCEPTA. DEC. III. — VOTA. SVSCEPTA. XX. — VOTA. SOLVTA. DEC. in numis Antonini Pii, et sequentium impp.

Continent hae formulae *vota suscepta*, et *vota soluta*. Interest enim inter utrumque. Suscipimus vota ad obtinendum bonum futurum, solvimus eo obtento. Ergo qui imperium adivit, vota in proximum decennium nuncupavit, hoc elapso ea, quae susceperat, solvit, et nova in alterum decennium inchoavit. Conceptorum sic votorum jam Roma libera dedit specimina. *Eodem die*, inquit Livius [b]), *decrevit senatus*, *C. Popillius cos. ludos per dies decem Iovi O. M. voveret*, *donaque circa omnia pulvinaria dari*, *si resp. decem annos in eodem statu fuisset.* — — *Praeeunte verba Lepido P. M. id votum susceptum est.* Vtriusque voti conjuncti meminit Martialis [c]):

Quantus io Latias mundi conventus ad aras
SVSCIPIT et SOLVIT pro duce vota suo.

At maxime argumentum istud illustrant verba Plinii junioris, quia praeterea et causas votorum, et horum propria vocabula continent. Scripsit ad Trajanum [d]): *Solennia vota pro incolumitate tua*, *qua publica salus continetur*, *et suscipimus*, *domine*, *pariter et solvimus*, *precati deos*, *ut velint ea semper solvi*,

---

a) Lucern. fict. Vol. II. tab. 81. b) L. XLII. c. 28. c) L. VIII. ep. 4. d) L. X. ep. 44.

semperque signari. Respondit imperator: *Et solvisse vos cum provincialibus diis immortalibus vota pro mea salute, et incolumitate, et nuncupasse, libenter, mi Secunde carissime, cognovi ex literis tuis.* Idem infra [a]): *Vota, domine, priorum annorum nuncupata alacres laetique persolvimus, novaque rursus suscepimus, precati deos etc.* Legimus in epigrammate fratrum Arvalium [b]): *III. non. Ian. Sulpicius Camerinus magister collegi fratrum Arvalium nomine vota nuncupavit pro salute Neronis — — — victimis immolatis in Capitolio, quae superioris anni magistri voverant, persolvit, et in proximum annum nuncupavit.* Suetonius de Augusto [c]): *Vota, quae in proximum lustrum suscipi mos est, collegam suum Tiberium nuncupare jussit. Nam se negavit suscepturum, quae non esset soluturus.*

* * *

VOT. X. ET. XX. in numis Gallieni. VOTIS. X. ET. XX. FEL. vel: VOTIS. X. PROBI. AVG. ET. XX. in numis Probi.

VOTIS. V. MVLTIS. X. obvium. Idem significat VOT. QQ. MVLT. X. in numis Maxentii. — PRIMIS. X. MVLTIS. XX. Diocletiani. — VOTIS. X. MVLT. XV. — VOT. XV. MVLT. XX. Theodosii M. — VOT. XX. MVLT. XXX. — VOT. XXX. MVLT. XXXX. in Theodosio II. aliisque.

VOTIS. XX. SIC. XXX. — SIC. XX. SIC. XXX. in numis Diocletiani. — SIC. X. SIC. XX. Constantii jun., Constantis.

VOTIS. MVLTIS. in numis Majoriani et Iustiniani.

Primus modus secundum ea, quae proxime diximus, exprimit decennalia suscepta, neque ab hoc differt modus alter, nisi quod addito MVLTIS longam principi vitam precatur. Tertius modus eandem habet significationem variante tantum formula, cujus germanus sensus est: *sic feliciter solvantur tricennalia, ut soluta fuere vicennalia.* Saepe enim addita particula *Sic* formam benevolentiae, et pii voti constituit. Virgilius Arethusae Najadi bene precatus ait [d]):

> *SIC tibi, cum fluctus subterlabere Sicanos,*
> *Doris amara suam non intermisceat undam.*

Postrema numis inscripta vota a molesto se calculo liberant scripto VOTIS. MVLTIS. Inde a Iustiniano nulla amplius in moneta votorum mentio.

* * *

Quae his votis in moneta vetere data sint nomina, aut quibus eorum numerus signis indicatus, ex hoc catalogo vidimus. Iisdem nominibus ea compellant etiam scriptores, apud quos reperias etiam *quinquennalia octava, nona etc.* pro *votis* XXXX. XXXXV. Liberius haec nonnunquam vocantur *lustra*, quo de nomine infra. Numi Alexandrini haec imperatorum decennia sic exprimunt: ΠЄΡΙΟΔος ΔЄΚΑЄΤηρις, *periodus decennalis*, Commodi. — ΠЄΡΙΟΔΟC. ΔЄΚΑΤΗ eodem sensu, Alexandri Sev. — ΔЄΚΑЄΤΗΡΙC. ΚΥΡΙΟΥ. Gallieni. Graecis scriptoribus ea dicuntur v. g. *ἑορτη ἐικοσαετηρις, τριτοι δε-*

a) L. X. ep. 101. b) Gruter pag. 118. c) Cap. 97. d) Eclog. X. 4.

κ. ϑων κυκλοι, τεταρτη περιοδος etc. Quinquennalia in Chronico Alexandrino plane Latine dicuntur *Κυινκενναλια*.

* * *

Expositis inscriptionum modis etiam de typis nonnulla observanda. In numis Antonini Pii, in quibus primum decennalia saltem expresse memorantur, tum et M. Aurelii semper sistitur imperator sacrificans. Atqui cum his votis semper fuisse conjuncta sacrificia, infra docebimus. Eundem typum continuavit quoque Commodus, sed qui jam coepit vota sua coronae laureae inscribere, qui typus per plura deinceps imperia fere unicus fuit. Quaecunque fuit causa coronam cum votis jungendi, forte quia provinciae tum semper coronas aureas offerre imperatori consuevere, istud certum, haec vota frequenter ab auctoribus dici *coronas*. Eusebius tricennalia Constantini M. vocat *τριακονταετηρικες ςεφανες*, *tricennales coronas* a). Idem alibi b): *Sed et tricennalium orationum CORONAS ei texentes nuper in ipso palatio sacrum ejus caput redimivimus*. Exhibet Boxhornius lapidem veterem sic inscriptum c):

PRAESENTIAE
MATRIS. DEVM
P. SEPTIMIVS. FELIX
OB. CORONAM
MILLESIMI
VRBIS. ANNI

quo loco erudite addit: ubi per coronam millesimi anni nonnisi periodum mille annorum auctor voluit designare. Frequentes etiam Victoriae in votorum decennalium typis fuere partes, v. g. *Victoria armis insidens clypeum tenet, in quo* VOT. *etc.* idque jam inde a Caracalla, et Alexandro Severo, vel: *Victoria in clypeo super palmae trunco posito scribit* VO. DE., in numis Commodi, vel: *Duae Victoriae clypeum palmae adfigunt, in quo* VOT. *etc.* in numis Diocletiani. Et duravit hic mos in imperatorum Christianorum tempora, nam saepe in horum numis votivis *Victoriam stantem, quae dextera oblongam crucem tenet*, videre est. Causa hujus typi ab ipso Augusto decennalium auctore, tum ab horum votorum natura haud dubie petenda est. Quod enim unus denique imperio praefuit, istud sane unis de aemulis victoriis debuit. Dio cum narrasset d), Octavianum in curia Iulia posuisse imaginem Victoriae, eamque spoliis Aegyptiis decorasse, addit: *δηλων, ὡς ἐοικεν, ὁτι παρ᾽ ἀυτης την ἀρχην ἐκτησατο*, *quo scilicet ostenderet, ejus sibi ope imperium fuisse partum*. Quare in imperatoriis omnis aevi numis obvium est videre imperatorem Victoriae signum manu praeferentem, aut saltem illud in parte aversa sociatum. In concipiendis vero his votis non minus pro salute, et incolumitate principis, quam imperii supplicatum est, sed quae fere solis victoriis obtinetur. Praeclare argumentum istud illustrat Ammianus, cum de Tripolitanis Africae narrat d), eos *adlapso legitimo die concilii, quod apud eos est annuum, Severum et Flaccum cre-*

a) Orat. de laud. Const. M. cap. VI. b) in prooem. ad vitam Const. M. c) Quaest. Rom. XVIII. d) L. LI. §. 22.

avisse legatos, *Victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob imperii primitias oblaturos*, nimirum cum is ob eandem causam vota quinquennalia nuncuparet. Vide, quae de Victoria imperii velut insigni alia dixi in numis Octaviani. Quo loco non utique omittendum, quod in Alexandrinis Aegyptiorum numis observamus. In horum enim area inde ab Alexandro Sev. tantum tunc comparet palmae ramus, quando imperator annum imperii X. juxta Aegyptiorum computum est auspicatus, et votis adeo decennalibus solvendis locum fecit. Atqui palmae ramum Victoriae esse attributum, nemini non notum. Consule, quae de hoc more in parte I. hujus operis ad numos Alexandrinos Gallieni observavi. Numi votorum aurei Constantii Chlori Aug. pro solito Victoriae typo adstitutas habent literas colligatas NK., quas legendas Νίκη, suo loco indicavi. Reliqui votorum typi nihil magnopere animadversione dignum offerunt. Ceterum Victoriam non modo votorum decennalium sed quorumcunque aliorum fuisse ministram, docent lucernae veteres apud Bellorium a), et Passerium b), in quibus fingitur Victoria s. palmae ramum, d. tenens clypeum, cui inscriptum: ANNO. NOVO. FAVSTVM. etc. atque hanc allegoriam non fuisse recens inventam, sed jam primo Augustorum saeculo usurpatam, docet lucerna similis in Herculani ruinis reperta c).

* * *

Haec festa magnifico, varioque apparatu, et continuatis per plures dies muneribus fuisse celebrata, ex veterum scriptis intelligimus. Pauca hic solum lubet attingere, partim quia argumentum hoc jam erudite exposuit Norisius d), partim quia, si quis in his imperator sive sumptibus, sive stupore modum excessit, istud jam ad ipsos ejus numos enarravimus. A sacrificiis factum initium, et numi docent, et votorum natura persuadet. Haec excepere ludi circenses, et theatrales. Panegyrici quoque in imperatorum laudes recitati, quorum aliquot hodieque supersunt, Nazarii, Mamertini, Eusebii, Themistii.

* * *

Diximus, Augustum horum fuisse votorum auctorem. Inquirendum restat, quo illa tempore desiverint. Ex quo insanis illa sumptibus peragi coepere, deinde etiam multiplicari, cum sua propria haberent Augusti, Caesares, et conlegae, serius etiam utriusque orbis principes, gravia sine dubio toti imperio exstiterunt. Legimus quidem praeter incredibilem in his magnificentiam amplas etiam largitiones in populum, donativa in milites facta, quo modo Severus, multis certe ipse moderatior, in decennalibus suis HS bis millies effuderat teste Dione e), at legimus etiam, sumptus inanibus his ludicris impendendos a miseris, attritisque provinciis fuisse imperatos, quod tantum vulgo malum est habitum, ut auctore Libanio quinquennalia appropinquantia horrorem animis injicerent, seditiones etiam

a) Lucern. ant. P. III. tab. 5. b) Lucern. fict. tab. VI. c) Lucerne d'Ercol. tab. VI.
d) de Vot. dec. cap. I. e) L. LXXVI. §. 1.

per oppida excitarent. Vide horum exempla apud Mazzolenum [a]). Infame istud tributum, dictum chrysargyrum, sublatum denique fuit ab Anastasio, ut idem vir eruditus eodem loco post alios docet, et forte etiam cum hoc ipsa votorum insania. Certe post Anastasium eorum in numis amplius non fit mentio, si demas insolens VOT. XIII. in numo Iustini. Postremus votorum meminit numus Iustiniani I. scripto generatim VOT*is* MVLT*is*, qua formula usus jam fuit Majorianus. Non multo post invaluit in numis formula imperantium nominibus subjecta ANNOS. MVLTOS, aut similiter, quod votum dicebatur πολυχρονιζειν τȣς βασιλεις, ut diximus altius in numis Iustiniani II. pag. 228.

Hactenus varios votorum decennalium modos, ritusque explicavimus. Superest, ut, quantum ea ad scientiam historicam, et chronologicam imperatorum conferant, quae est pars praecipua hujus argumenti, et a viris praestantissimis magna contentione agitata, inquiramus, qua de re antequam nostrum stabiliamus judicium, juvat indagare, quantum opis ad universam hanc causam rite cognoscendam adferant numi, quod sequentia ex iis hausta observata praestabunt.

OBSERVATVM I. *Imperatores mox ab adito imperio susceperunt vota seu quinquennalia, seu decennalia, eaque signaverunt in numis.*

Satis istud probant vel soli Pertinacis, et Balbini numi inscripta vota decennalia exhibentes, etsi uterque mensem imperii tertium non excessit. Eadem etiam offerunt numi Philippi, Decii cum filiis, Treboniani, Volusiani, Aemiliani. Idem factum cum quinquennalibus, ex quo haec bissectis decennalibus induci coepere.

OBSERVATVM II. *Imperatores aliqui evoluto demum decennio decennalia solverunt.*

Ante Antoninum Pium istud ex numis probari non potest, quia decennalia nondum monetae inscribi consuevere. Hoc temporis intervallum placuisse Augusto, et Tiberio, ex historicis colligimus, de quo vide Norisium [b]). Idem verisimile est constituisse sequentium imperatorum aliquos. Legimus in numis Antonini Pii: VOTA. SOL. DEC. II., et: VOTA. SVSCEPTA. DEC. III. addita utrobique tribunicia potestate XXII., ergo post exactum bis decennium. In numis M. Aurelii cum tribunatu XXV. junguntur VOTA. SOL. DECENN., et VOTA. SVSCEP. DECENN. II. Aurelius dictus est Augustus circiter die VII. Martii V. C. 914 in tribunatu XV., et tribunatum XXV. orsus est V. C. 924, ergo inter vota suscepta et soluta annorum X. cyclus intercessit. In numis Caracallae est: VOTA. SOLVT. DEC. TR. P. XI. COS. III., ex quo conjici rursum potest, Caracallam exacto decennio vota solvisse. Sed ex his numorum dictatis verisimile tantum fit, inter vota suscepta solutaque solidum interfuisse decennium, non vero adhuc plane certi sumus propter ea, quae monebimus in observato X. Scriptores

a) de Vot. dec. pag. 248.

b) de Vot. dec. cap. II.

nonnulli decennalia diserte in plenum decennium extenderunt. Ait Claudius Mamertinus [a]): *neque orationis ejus, quam composueram, facio jacturam, sed eam reservo, ut quinquennio rursus exacto decennalibus tuis dicam, quoniam quidem lustris omnibus praedicandis communis oratio est.* Cum ait: *quinquennio rursus exacto*, intelligit certe decennium exactum. Ad haec vota quinquennalia comparat cum lustris, quod et facit Eumenius [b]), quae quidem efficiunt quinquennium completum saltem juxta probatiorem veterum sententiam, etsi fuerint quoque, qui tantundem iis, quantum Olympiadibus impertivere, nimirum annos completos quatuor, et iniens quintum. Ex his sequitur, primos imperatores, quod et ipsa rei natura videtur postulare, post completos annos X. celebrasse decennalia, eandem deinde legem nonnullos ex successoribus fuisse secutos, ut evidenter demonstrari nequit, tamen admodum est probabile.

OBSERVATVM III. *Aliqui imperatores labente anno quinto vel decimo, certe nondum completo, quinquennalia, aut decennalia solverunt.*

In numo singulari Commodi, qui est in museo Caesareo, legitur: VOT. SOL. DEC. P. M. TR. P. XI. IMP. VIII. COS. V. P. P. Commodus dictus est Augustus V. C. 930, et trib. potestatem XI. adivit V. C. 939, ergo labente anno X. imperii solvit decennalia. In numis Postumi cum TR. P. X. junguntur VOTA. XX., id est, suscepta, ergo haec suscepit labente adhuc anno X. Mazzolenus post alios ex historicis probat, Diocletianum vicennalia celebrasse die XX. Novembris V. C. 1056. Auspicatus est imperium mense Septembri V. C. 1037. Celebravit ergo haec vota anno imperii XX. nondum circumvoluto. Multum ergo fallitur Norisius, dum contendit [c]), primum fuisse Licinium, qui decennalia anno X. ineunte, non evoluto egerit, quod deinde per totam dissertationem de votis X. probare nititur. Constantinum M. ineunte anno XXX. celebrasse tricennalia, certum est, si modo verum, quod refert Idacius, ea ab illo acta V. C. 1088 VIII. Kal. Aug. Dictus fuit Caesar eadem die V. C. 1059, ergo illa soluta anno XXX. ineunte. Exempla votorum anticipatorum alia, quae viri laudati congessere, omitto, quia a numorum doctrina non juvantur, sed scriptorum tantum testimoniis nituntur. Eumenius in oratione, qua Constantino M. ob remissa Aeduis quinque annorum reliqua vetera gratias agit, haec habet: *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius! — — — Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt. Illa enim quinto incipiente suscepta omnibus populis jure communia, nobis haec propria, quae plena sunt.* Quibus ex verbis jure possumus arguere, Constantini M. aetate anno quinto ineunte agi quinquennalia consuevisse. Sed et Theodosio M. idem intervallum placuisse, facile eruimus. Certum est, eum ad imperium admotum ineunte anno Christi 379. Certum etiam

---

a) in Genethl. Maximiani sub init. b) Grat. act. pro Aeduis cap. 13. c) de numo Licini pag. 76.

ex Themistio a), eum quinquennalia edidisse consule Saturnino, qui processit anno 383, labente adeo quinto imperii sui anno.

OBSERVATVM IV. *Imperatores non solverunt vota a tempore initae tribuniciae potestatis, sed imperii.*

Evidens est ex numis M. Aurelii, hunc Augustum nonnisi in tribunatu XXV. solvisse decennalia, qui tamen ante aditum imperium jam numeravit tribunatus XV. Idem plane exemplum in numerandis suis decenniis dabit Tiberius jam tribunatibus XV. ante imperium insignis. Satis igitur ab his numis refutantur, qui in contraria sententia fuere, Norisius, ac praecipue Pagius, qui Marci imperium votis quinquennalibus, decennalibus, quindecennalibus imperii Caesarei, proconsularis, Augustei implevit, quorum neque numi, neque scriptorum vel unus meminere. Vide de hoc alia in observato X.

OBSERVATVM V. *Inferiore aevo Caesares quoque sua habuerunt vota.*

De Caesaribus superioris Augustorum aevi nihil constat, sed haud dubie decennalia Caesarum conjuncta fuere cum decennalibus patrum Augustorum. Serius Caesares separata sua, propriaque habuisse vota, numi invicte docent In numis Constantii Chlori adhuc Caesaris habemus VOTA. V. — X. — XX. Idem offerunt numi Gal. Maximiani. Magis definite istud docent numi Crispi, et Licinii jun., in quibus legitur: VOT. V. CAESARVM. NOSTRORVM. Nazarius initio Panegyrici ad Constantinum M. bis memorat *quinquennalia beatissimorum Caesarum.*

OBSERVATVM VI. *Imperatores inferioris aevi in numerandis votis addidere etiam sua Caesarum vota.*

Exemplo sunto numi Constantii II. Legitur in his: VOTIS. XXX. MVLTIS. XXXX. Ergo vota tricennalia solvit; Quin et solvendo ultra progressum, docet Idacius: *Constantio IX. et Iuliano Caes. II. cos. — — introivit Constantius Aug. Romam IV. Kal. Majas, et edidit XXXV.* Constantius Augusti titulum non tenuit nisi annis XXIV, ergo nisi adnumeratis votis suis Caesareis non potuisset solvere vota XXX., nedum XXXV. Idem observatur in ejus aevi imperatoribus aliis, ut inquirenti facile patebit.

OBSERVATVM VII. *Vota, quae sunt propria imperatorum, leguntur etiam in numis filiorum, vel conlegarum, denique etiam uxorum, et sanguine, vel adfinitate junctorum.*

In numis Caracallae cum TR. P. V. COS. junguntur VOTA. SVSCEPTA. XX., quae sunt patris Severi. Vna, eademque vota leguntur tam in numis Diocletiani, quam conlegae Maximiani Herculei, quos quidem verisimile est junxisse sua vota, etsi non eundem uterque habuit imperii natalem. Diserte in numis Crispi Caesaris: VOT. XX. D. N. CONSTANTINI. MAX. AVG., tum et in numis Constantini jun. adhuc Caesaris: VOTA. VICENNALIOR. Epigraphe: VOTIS. XXX. MVLTIS. XXXX. in numis Iuliani praedicat vota

a) Orat. XVI.

Constantii II. In numis Gallae Placidiae VOTA. XX. MVLT. XXX. sunt filii Valentiniani III. Illa, quae notantur in numis Eudoxiae, quae fuit uxor Theodosii II., Pulcheriae, aliarumque ejus aetatis Augustarum, ad coaevos Augustos pertinent, ut in singularum moneta diximus.

OBSERVATVM VIII. *Imperatores superioris aevi nonnisi solutis votis prioribus susceperunt vota ordine sequentia.*

Docent istud numi Antonini Pii, M. Aurelii, Gallieni, Postumi. Istud suapte manifestum commemorandum tamen fuerat causa perversitatis, quam dabimus in observato sequente.

OBSERVATVM IX. *Multi imperatores inferioris aevi nondum solutis votis prioribus anticipaverunt sequentia.*

Imperavit Tacitus menses sex, legimus tamen in ejus numis VOTIS. X. ET. XX., item: VOTIS. XX., ergo qui ne quinquennalia quidem solvere potuit, usus est formula, qua usi sunt ii, qui decennalia re ipsa solverunt. In Probi sexennis numis legas: VOTIS. X. ET. XX. atque ne non soluta decennalia intelligas, en tibi in numis ejus aliis: VOTA. SOLVTA. X. quin etiam: VOT. XXX. MVLTIS. XXXX., quae quidem prodigia quibus quaeso sacris procurabis? Ejusdem naturae monstra vide in moneta Licinii, Constantis, Magnentii, Galli, Iuliani, Ioviani, Valentiniani I., Valentis, Zenonis, Anastasii; in numis Basilisci, cujus imperium annuum fuit, jactantur vota XXXX. Adeo verum est, quod ad numos similes dixit Bandurius a), Augustos complures vicennalia spe tantum, et cogitatione praecepisse. Enimvero quod oratores permissum sibi putant, futuri temporis exitum verborum lenociniis occupare, istud sibi juris et ipsi videntur adrogasse. Sic enim libuit dicere Nazario in votis quinquennalibus Crispi, et Constantini jun. b). *Fruimur quidem nos praesentium maxima voluptate, sed lenocinatur his jam futuri ratio, et quae temporibus disparata sunt, animorum praesumptione junguntur. — — — Quinquennalia beatissimorum Caesarum occupatos in gaudiis habent, sed in destinatis decenniis jam vota properantia, et spes volucres constiterunt. — — — Verum quid agimus vicenis, aut jam tricenis annis circumscribendo, quae aeterna sentimus? Ampliora sunt merita principum, quam optata votorum etc.*

OBSERVATVM X. *Imperatores vota sive suscepta, sive soluta non raro per annos sequentes in numis restituerunt.*

Hujus testimonium praebent primum numi Antonini Pii; nam ut in his VOTA. SVSCEP. DECENN. III. junguntur cum TR. P. XXII., sic eadem junguntur etiam cum TR. P. XXIII. Commodi VOTA. DECENN*alia* SVSC*epta* legas in ejus trib. potestate VI. IX. et X., et tandem SOL*uta* DEC*ennalia* in tribunatu XI. Severus quoque variis per primum decennium annis vota suscepta decennalia inscripsit, et quidem VOT. SVSC. DEC. adhuc in trib. potestate X., et Constantinus M. soluta vicennalia pluribus post haec annis restituit, ut dictum in hujus numis. Hinc erudimur, ex numis nos certos esse non posse,

a) Tom. II. pag. 429. b) in Paneg. Constant. M. cap. 2.

quo definite anno imperator quispiam vota decennalia solverit. Exemplo esto laudatus numus Antonini, qui cum votis susceptis decennalibus III. jungit tribunatum XXII., unde arguimus, Antoninum hoc labente solvisse decennalia II., et suscepisse decennalia III., verum an istud certa fide, magnopere ambigo. Non enim ideo haec vota in tribunatu XXII. praestabimus fuisse soluta, quia hunc tribunatum numus cum his votis componit; nam videmus, eadem deinde vota jungi cum tribunatu XXIII., ut diximus. Quis ergo post haec certos nos praestabit, ea ipsa vota soluta non fuisse in Antonini tribunatu XXI., deinde ejus facti memoriam fuisse repetitam in numis tribunatus XXII., quemadmodum vere repetitam vidimus in numis tribunatus XXIII.? Desunt ejus facti testes numi, verum an hi omnes aetatem tulerunt? Si fides Norisio [a]), revera exstat numus talis cum mentione horum votorum, et tribunatus XXI., sed museum, unde singularem hunc numum hauserit, reticet. Quod si falsus non est vir eruditus, ea, quae continuo disputavi, praeclare confirmantur. At insignite idem peccat, dum occasione hujus numi eodem loco arguit, vota cum trib. potestate XXI. esse initi tribunatus, vota cum trib. potestate XXII. esse dignitatis Augusteae. Sin istud, necesse erit, tertium aliquod exordium constituere, nam eadem vota leguntur etiam cum TR. P. XXIII., ut vidimus.

OBSERVATVM XI. *Complures imperatores vota nuncuparunt per saltum.*

Legimus VOT. QQ. MVL. XX. in numis Maxentii, — VOTIS. XXV. MVLT. XXXX. in numis Constantini junioris, — VOTIS. XXV. MVLTIS. XXXX. Constantii II. — VOT. XV. MVLT. XXX. Gratiani, — VOT. V. MVLT. XX. Theodosii jun., et similiter in aliis pluribus, cum receptus nuncupandi mos fuisset: VOT. QQ. MVL. X. — VOTIS. XXV. MVLT. XXX. etc. ex quo uno modo satis apparet, quantum Romae senescentis aetate vetera instituta ad arbitrium fuerint immutata.

* * *

Hunc observatorum catalogum studiosius contexui propterea, ut quantum votorum numis inscriptorum ratio ad chronologiam imperatorum adferat subsidii, scientia certa, comprobataque teneamus. Eo perlecto nemo, opinor, erit, qui non continuo profiteatur, perparum esse, quod valere ad praesentem causam possit, reliquam omnem rationem incertam, ambiguam, inconstantem, perversam. Ergo si quod speramus a votorum doctrina adminiculum, a scriptoribus erit mutuandum. Ab his fontibus quidquid hauriri potest, jam petivere praeclari IIIviri, quos principio hujus tractatus cum laude nominavi, Norisius, Pagius, Mazzolenus, eorumque testimonia, cum fieri potuit, cum numorum fide composuere. Horum singuli in hac votorum analysi certum sibi habuere scopum propositum. Norisius in eo totus fuit, ut comprobaret, Augustum, et successores decennalia nonnisi anno decimo evoluto solvisse, subinde vero primum fuisse Lici-

a) de Vot. dec. pag. 122.

nium, qui illa anno imperii decimo solvendo legitimum et hactenus praefixum tempus anticipaverit. Pagius in dissertatione sua hypatica Parte II. cap. II. canones octo definivit, ad quos universam de votis decennalibus doctrinam adegit. Mazzolenus quid maxime vellet, declaravit articulis VII. et XXXIII. suae de votis X. dissertationis, nimirum imperatores prima quinquennalia ante finem quinquennii completi, et prima decennalia ante finem decennii completi celebrare consuevisse, secunda vero et reliqua quinquennalia atque decennalia fuisse completa, et annis V. vel X. integris coaluisse.

Quod evenire solet, debetque iis, qui incerta, vaga, fluctuantia ad certam quandam legem revocare obnixius laborant, nimirum ut doctrina tradita postremo aeque sit incerta, fluctuansque, quam sunt ea, unde illam hauserunt, istud eruditis his IIIviris jure merito accidisse, in aperto est. Quam vera edixerit Norisius, docebunt observata, quae modo proposui, cum ejus praeceptis comparata. Quid de Pagii canonibus, verbose, et magna rerum argumentorumque farragine expositis, judicandum sit, ample, ac vere exposuit Mazzolenus toto articulo IV. dissertationis laudatae, cujus summa eo redit, ludere virum insignem, qui nova saepe indicia, novasque semper conjuncturas quinquennalium promit, aut memoratas repetit, qui saepe ex consulatibus quinquennalia arguit, quamvis ex quinquennalibus consulatus arguere instituerit, et quae sunt id genus alia. Exposui breviter judicium Mazzoleni, ne solus ego audacius, inconsultiusque arguere videar, qui Pagii in historia critica cum laude versati votorum doctrinam in eruditis commentis habendam omnino mihi persuadeo. Qua de veritate si quis statim volet convinci, is quaeso vel solos titulos octo canonum, in quibus universa ejus doctrina nititur, obiter inspiciat, ac tum experietur continuo, quam is pro libidine quinquennalium decennaliumve justa spatia laxet, contrahatve, ea cum consulatibus copulet, aut ab iis separet, tametsi confidenter pronunciaret [a]), *ea vota a Caesaribus, vel imperatoribus consulari trabea indutis, quod nemini hactenus observatum, peragi fuisse solita, indeque secundam consulatuum Caesareorum regulam deduci*, paucis ut rem complectar, quam is omnia ad merum arbitrium advocet, ut dictis suis fidem faceret, cum tamen ostendere vellet, quod diserte eodem loco in se recepit, quantum sacra, profanaque historia per quinque circiter saecula accurata votorum cognitione illustrari possit. Istud certe adfirmare possum, tantum abesse, ut perlecta hac Pagii disputatione tanta rerum verborumque copia, et ambagibus conscripta amplius in votorum legibus erudirer, ut deinceps adhuc essem multo incertior, et vix aliquem ex incredibili lectionis fastidio fructum referrem. Ad Mazzoleni praecepta quod attinet, satis intellexi, eum sententiam de primo votorum anno incompleto non aliam ob causam excogitasse, quam ut doctrinam suam de anno primo tribuniciae pote-

a) Cap. II. sub init.

statis incompleto votorum etiam similitudine amplius consolidaret. Quid in hoc tribunatus Caesarei calculo praestiterit, alibi diximus, quid in praesente votorum argumento, etsi operose conscripto, tanto magis difficile est decidere, quia jam primum causam ipsam, quam propugnare et explicare intenderat, tam ambigue, et obscure proposuit, ut vel in hoc nobis interprete sit opus, ac denique universa ejus doctrina conquisitis undique ex historia ac moneta vetere exemplis, ac saepe violenter ad causam adactis perpetuum est aenigmatum, ac orationis obscurae confusaeque argumentum.

Cur in hoc votorum examine parum viri hi clarissimi profecerint, duplicem video esse causam, atque unam quidem, quia scriptores veteres explicatam nobis eorum rationem non tradidere, atque etsi non raro nos instruant, quo quis imperator anno decennalia vota peregerit, tamen non indicant, utrum haec festa tempore legitimo, an alieno fuerint obita, numi vero raro nobis annum dictant, qui certus sit, nullique dubio obnoxius, ut ex observatis meis licet perspicere: alteram, quia iidem viri eruditi, ut supra innui, arrepta semel sua de iis sententia libertatem abjecere, votorum tempus, ut revera est, incertum, confusumque profitendi, sed maluere ipsorum monumentorum veterum ingratiis stabilire leges, quas suas unquam fuisse ipsa haud dubie inficietur antiquitas. Vtroque ex capite cautior ego nolo tentare vadum, ex quo reperire exitum difficile est, et satis me praestitisse existimo, votorum statum, quatenus is intelligi ex numis potest, propositis observatis exponere, quae quidem, quisquis attente perlegerit, ultro fatebitur, singulis eruditorum sententiis, quas commemoravi, palam adversari.

Quae ergo in his tenebris ad votorum intelligentiam videntur posse crui, haec fere reperio: inde ab Augusto institutore decennalia annis X. exactis fuisse soluta, serius tempus ea solvendi ex causa sive justa, sive arbitraria aut fuisse anticipatum, aut prorogatum. Haec varietas non in his unis votorum solennibus observatur. Diximus in tractatu de tribunicia potestate, hanc principio renovatam fuisse die natali imperii, at docet experientia, circum Antoninorum tempora, ac deinceps placuisse eam renovari Kalendis Ianuariis. In celebrandis saecularibus ludis duplex fuisse observatum tempus, atque illud nonnunquam anticipatum, alibi disputavimus. Quod si imperatores permissum sibi putavere, in rebus gravissimis, et universam remp. spectantibus veterem morem infringere, quanto ii facilius potuerunt ad voluntatem definire tempus votorum, quae ad se unos pertinuere? et quanto istud minus mirum in principibus animi stolidi et impotentis, et unum suum arbitrium in consilium adhibentibus? Teste Suetonio Nero certamen quinquennale, cujus ipse auctor fuit, et cujus ipse tempus, quo ageretur, designavit, ante praestitutum diem revocavit [a]). Domitianus nulla cognita causa ludos saeculares sexennio

a) in Nerone c. 21.

toto praevertit. Quanto deinde magis confusam esse oportuit votorum rationem, cum plures Augusti, ac Caesares una imperarent, ac denique fatiscente imperio omnia vetera instituta pervertentur? Quae tum in votorum negotio prodiverint monstra, abunde ex observatis meis potest intelligi. Credamus ergo aut numis, aut scriptoribus Eusebio, Marcellino, Idacio, aliisque, cum nobis certum nuncupatorum votorum annum memorant, at non credamus Norisio, Pagio, Mazzoleno, cum certam nobis rationem ex tanta rerum et caligine et confusione praescripturos quantacunque eruditionis mole et redundantia spondent. Ego me ita comparatum animo profiteor, ut facile negligam fumum quemcunque, quando ex hoc, ut vult Horatius, lux elici non potest.

CAPVT XV.

DE LEGIONIBVS ET COHORTIBVS, EARVMQVE SIGNIS.

In moneta cum Romana, tum externa non raro notantur legiones, earumque signa. Romana eas offert in denariis M. Antonii, Severi, Gallieni, Victorini, Carausii, paucorumque aliorum, externa plerumque in numis coloniarum. Operae pretium me facturum puto, si eas per universum regnum numismaticum sparsas, collectasque ob oculos sistam subjectis nonnullis observatis.

* * *

LEG. I. M. Antonii. — LEG. I. LIB. MACRIANA. Clodii Macri. — LEG. I. ADIVT. Severi. — LEG. I. ADI. Gallieni. — LEG. I. AVG. Gallieni. — LEG. I. MIN. Severi, Gallieni. — LEG. I. MIN. RESTITVTA. Aureoli. — LEG. I. ITAL. Gallieni.

LEG. II. M. Antonii. — LEG. II. ADIVT. Severi. — LEG. II. ADI. Gallieni. — LEG. II. ITAL. Gallieni. — LEG. II. PART. Gallieni, Carausii. — II. coloniae Parianae Mysiae. — ΛΕΓ. B. TPAI. in numis Alexandrinis Numeriani et Carini. — Addo: LEG. SECVNDA. AVGVS. in aenea lamina apud Buonarrotium [a]).

a) Osserv. istor. tab. 38.

LEG. III. M. Antonii. — LEG. III. AVG. vel: LEG. III. LIB. AVG. Clodii Macri. LEG. III. ITAL. Severi, Gallieni. — LEG. III. Coloniae Acci Tarraconensis. — LEG. III. GAL. Damasci et Tyri. — LEG. III. PAR. Sidonis. — L. III. PIA. Rhesaenae Mesopotamiae.

LEG. IIII. vel IV. M. Antonii. — LEG. IIII. FL. Severi, Gallieni, Carausii. — LEG. IIII. FLAVIA. P. F. Victorini. — LEG. IV. Caesaraugustae Tarracon. — IIII. Viminacii Moesiae superioris.

LEG. V. M. Antonii. — LEG. V. MAC. Severi, Gallieni. — LE. V. Emeritae Lusitanicae, Patriciae Baeticae. — V. Antiochiae Pisidiae. — LEG. V. MACEDON. Heliopolis Coelesyriae. — V. Beryti Phoenices. — V. Daciae.

LEG. VI. M. Antonii. — LEG. VI. ANTONINVS. ET. VERVS. AVG. REST. ibid. — LEG. VI. MAC. (lectio suspecta.) Gallieni. — LEG. VI. Acci Tarracon., Caesaraugustae Tarracon., Ruscinonis Narbonensis. — VI. Ptolemaidis Galilaeae. — LEG. VI. F. Damasci Coelesyriae.

LEG. VII. M. Antonii. — LEG. VII. CL. Severi, Gallieni. — LEG. VII. — — Carausii. — VII. Coloniae Parianae Mysiae, Viminacii Moesiae super.

LEG. VIII. M. Antonii. — LEG. VIII. in denario Pinarii Scarpi. — LEG. VIII. AVG. Severi, Gallieni. — LEG. VIII. - - Carausii. — LEG. VIII. AVG. Heliopolis Coelesyriae. — VIII. Beryti Phoenices.

LEG. VIIII. vel IX. M. Antonii. — LEG. VIIII. AVG. Gallieni. — LEG VIIII. GE. Carausii. — PRINCIPI. LEG. IX. Iuliae Baeticae. — IX. Ptolemaidi Galilaeae.

LEG. X. M. Antonii. — LEG. X. GEM. Gallieni. — LEG. X. FRETENSIS. P. F. Victorini. — LEG. X. Caesaraugustae. — LE. X. Emeritae Lusitanicae, Patriciae Baeticae. — X. Ptolemaidis Galilaeae.

LEG. XI. M. Antonii. — LEG. XI. CL. Severi, Gallieni. — XI. Ptolemaidis Galilaeae. Addo: L. XI. C. P. F. in gemma musei Florentini [a]).

LEG. XII. vel: LEG. XII. ANTIQVAE. M. Antonii.

LEG. XIII. M. Antonii. — LEG. XIII. GEM. Severi, Gallieni. — XIII. Daciae.

LEG. XIIII. vel XIV. M. Antonii. — LEG. XIIII. GEM. M. V. Severi. — LEG. XIIII. GEM. Gallieni.

LEG. XV. M. Antonii.

LEG. XVI. M. Antonii. — LEG. XVI. in quinario Augusti. Vide, quae de hoc numo in legionariis M. Antonii denariis notavi.

LEG. XVII. vel: LEG. XVII. CLASSICAE. M. Antonii.

LEG. XVIII. vel: LEG. XVIII. LYBICAE. M. Antonii. — LEG. IIXX. Gallieni.

LEG. XIX. M. Antonii.

LEG. XX. M. Antonii, Gallieni. — LEG. XX. VAL. VICTRIX. P. F. Victorini. — LEG. XX. V. V. Carausii, et in lamina aenea apud Buonarrotium [b]).

---

a) Tom. II. tab. 19. b) Osserv. istor. tab. 38.

LEG. XXI. M. Antonii. — LEG. XXI. GEM. Gallieni, nisi in hoc forte legendum: LEG. XIII. GEM., ut loco suo notavimus.

LEG. XXII. M. Antonii, Severi, Gallieni. — LEG. XXII. PRI. Severi. — LEG. XXII. PRIMIGENIE. Victorini. — XXII. Patrarum Achaiae.

LEG. XXIII. XXIV. M. Antonii.

LEG. XXVI. M. Antonii.

LEG. XXVII. M. Antonii, non satis certa fide, ut notavimus.

LEG. XXX. M. Antonii. — LEG. XXX. VLP. V. Severi. — LEG. XXX. VLP. Gallieni. — LEG. XXX. VLP. VICT. P. F. vel VLPIA. PIA. F. Victorini. — LEG. XXX. VLPIA. Carausii.

* * *

CHORTIVM. PRAETORIARVM. M. Antonii. — COHH. PRAET. Gallieni. COHOR. PRAE. Col. Philippensis Macedoniae.

CHORTIS. SPECVLATORVM. M. Antonii.

* * *

Quae ad legionem Romanam, ejusque cohortes pertinent, mei non esse instituti existimo docere, quod argumentum tractarunt viri summi, ac novissime majore studio cl. le Beau Gallus, multis illustratum dissertationibus, quae insertae sunt Memoriis inscriptionum inde a Tomo XXV., sed in quibus multa adhuc desiderantur, et vereor, ne materiam praeclare coeptam promotamque imperfectam relinquant tomi sequentes. Pauca tantum juvat commonere, quae vel nova in hoc argumento docent numi, vel jam ante cognita confirmant, et quae utiliter servire poterunt iis, qui retractare aliquando hanc causam volent.

Legiones ante M. Antonium moneta Romana non memorat. Hujus IIIviri denarii postremam offerunt legionem XXX, plena priorum duarum decadum serie, sed decade tertia nonnullis lacunis informi; nam desunt legiones XXV. XXVIII. XXIX. et forte etiam XXVII. Antonium aliquo tempore legiones XXX. sub signis habuisse, laudata in denariis legio XXX. dubitare non sinit. Verum cur deficiunt legiones trigesimam proxime praecedentes? an quia aut bellis absumptae fuere, quo modo Augustus in clade Variana tres legiones amisit? an quia militibus exhaustae cum legionibus aliis permixtae fuerunt, atque hae eo tempore, quo denarii hi cusi sunt, non amplius exstitere? Verum quo fato contigit, ut postremae tantum tertiae decadis legiones bellis absumerentur, aut cum aliis miscerentur, aliis praecedentium decadum salvis? At harum etiam numi aliquando poterunt ex terrae visceribus emergere, ut haud ita pridem emersere legio XXVI. et XXX. Esto: quanquam ejus exigua jam spes supersit tantis eruditorum in inquirenda moneta vetere ad hunc diem studiis. Verum quo iterum fato contigit, ut, si legionem I. demas, aliae priorum decadum sint obviae, tertiae decadis aliquot necdum lucem viderint? Aenigmati huic solvendo hactenus me imparem sum expertus. Quid eruditi alii dictaverint, ignoro, neque etiam memini, ab alio quopiam hanc quaestionem in examen vocatam. Id unum addo, etiam Augustorum aetate decadem tertiam similem legionum inopiam pro-

dere, ut proxime docebitur. Ceterum non adversari historiae, Antonium legionibus omnino XXX. imperitasse, cum et aemulo Octaviano testibus Appiano [a]), et Orosio [b]) paruerint legiones XL. plures, quin et Lepido legiones omnino XX., jam diximus in moneta hujus IIIviri.

Auctum nimio legionum numerum sopitis bellis civilibus contraxit Augustus. Refert Dio ad annum V. C. 758 [c]) eo tempore legiones civium R. fuisse XXIII., secundum alios XXV., atque ex his sua aetate (sub Alexandro Sev. scripserat) superfuisse solas XIX., quas continuo enumerat. Reliquas ait legiones aut plane fuisse solutas, aut ab ipso jam Augusto et aliis imperatoribus cum aliis legionibus mixtas. In imperatorum numis legio postrema proditur XXII. Subinde in his numorum septem proxime consequentium hiatus usque ad legionem XXX. Quas medias memorant marmora, medicam utique manum postulant. Vnicum cum legione XXIII. e Lazio vulgavit Gruterus [d]), unicum cum LEG. XXIIII. GEM. MART. VICTR. [e]) sed in quo verius legendum LEG. XIIII., nam hujus certa cognomina fuere *Gemina Martia Victrix*. Vnicum denique cum LEG. XXIX. [f]). Harum sane nullam reperit Muratorius. Atqui constat etiam, quam turpia in numeris eloquendis mendacia effutiant marmora vulgata. Vtrum harum aliquam per Augustorum imperium prodiderint scriptores, dubitem, neque nunc inquirere vacat. Proxima his succedit legio XXX. a Trajano conscripta, a numis et marmoribus frequenter laudata, neque ultra hanc adsurgit legionum numerus; nam legio XXXVI., quam ex Victorini numo promulgavit Mediobarbus, haud dubie in falsa lectione nititur, ut suo loco indicavi. Gruterus et Muratorius aliquoties legionem XXXV. offerunt, sed quae verius ab iniqua interpunctione conscripta videtur, certiore lectione XXX. V. nempe: *Vlpia*, vel similiter. Et vero tricenarium hunc legionum numerum confirmat lepidum Favorini sophistae responsum, qui reprehensus ab amicis, quod orta de vocabuli cujuspiam usu lite Hadriano cessisset, *non recte*, inquit, *suadetis familiares*, *qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere*, *qui habet XXX. legiones* [g]). Cur vero Trajanus legionem recens a se conscriptam trigesimam appellaverit omissis, quos dixi, praecedentibus proxime numeris, in causa fuerit, quod legiones, quarum duae tresve eodem numero comprehensae fuere, seorsum adnumeravit. Ipsum vero jam Augustum eodem numero plures designasse legiones, testis luculentus est Dio loco laudato, quo imperante sub signis fuisse narrat τϱια τα τϱιτα, *tres tertias*, nempe: Gallicam, Cyrenaicam, Augustam, duas sextas, Victricem, et Ferratam etc. Eodem exemplo ex successoribus Galba instituit primam adjutricem, etsi jam fuerit prima Italica a Nerone constituta. Vide reliquas apud

a) Bell. civ. L. V. cap. 53. b) L. VI. cap. 18. c) L. LV. §. 23. d) Pag. 472. 4. e) Pag. 1096. 6. f) Pag. 468. 1. g) Spartian. in Hadriano.

Dionem, in marmoribus, in praefixo hic numorum catalogo. Vir cl. Brotierus, cum ex auctoribus omnia de legionum numero et nominibus testimonia ab Augusto usque ad Trajanum collegisset, etsi legione XXII. posteriorem non reperit, adnumeratis tamen, quas dixi, tribus tertiis, duabus sextis etc. collegit legiones omnino XXX [a]). Quod si interim harum una sive disperiit, sive alteri cuipiam contributa fuit, potuit Trajanus legionem, quam recens conscripserat, appellare trigesimam, nempe pro vero legionum tum existentium numero.

Certae fuere causae, propter quas legiones numis inscriberentur. Fecere istud M. Antonius, Macer, Severus, aliique imperantes, ut earum benevolentiam, quando hac una spes sua, salusque nitebantur, sibi promererentur. Memorant eas coloniarum numi, sive quod in has Augusti certarum legionum veteranos deduxerunt, sive quod in his legiones ad provinciarum custodiam excubuere. Sic in Emeritae Lusitanicae numis leguntur LE*giones* V. X. at constat etiam ex Dione, Augustum ibi milites emeritos collocasse, ut in hujus coloniae moneta dictum. Viminacii stetisse legiones IIII. et VII. ad Moesiae custodiam, ejus coloniae numi testantur. Ex eadem causa numi Daciae offerunt legiones V. et XIII., numi Aegypti legionem II. Trajanam. Ceterum difficile est saepe conjicere, ex utra causa legiones in coloniarum numis memorentur, an quod earum milites emeriti in illis fuerint collocati, an quod ibi in provinciarum tutelam stationem nactae sint. Hujus dubii aliquas causas jam dedi in numis Heliopolis Coelesyriae.

Legiones certas suas habent appellationes a variis causis petitas. Stante rep. solis fere tantum numeris distinguebantur, ut legio I. II. etc. A duce denominatas video legiones *Valerianas*, de quibus egi in denariis gentis Valeriae Flaccorum. In denariis M. Antonii habemus legiones *Antiquam*, *Classicam*, *Lybicam*, de quibus egimus in ejus moneta. Sub imperatoribus varii generis adjecti tituli, ab horum nominibus, v. g. *Augusta*, *Flavia*, *Trajana*, *Vlpia* etc. a diis, ut: *Minervia*, a regionibus, ut: *Italica*, *Parthica*, *Macedonica* etc. ab eventu, ut: *Victrix*, *Adjutrix*, *Liberatrix etc.* Tituli similes in numis prostantes exigua tantum pars sunt eorum, quos magno numero offerunt marmora, quae consule, tum et scriptores veteres, quorum testimonia contulerunt viri illustres Fabricius et Reimarus [b]), Brotierus [c]), Vaillantius et Bandurius ad legionarios Gallieni numos. De nomine GEMELLAE vel GEMINAE, legionibus saepe tributo, ejusque causa, tum et de coloniis, quae a deductis illuc legionum gemellarum veteranis GEMELLAE nomen abstulere, egimus parte priore in dissertatione de coloniis. At nullum epitheton in numis aut marmoribus frequentius tribuitur legionibus, quam P*ia* et F*idelis*. Haec nomina praeclare expli-

a) ad Tacit. Tom. III. pag. 413. b) ad Dionis L. LV. §. 23 seq. c) ad Tacit. Tom. III. pag. 408.

cat Dio, quo teste effecit Ti. Claudius, ut legiones VII. et XII., quae in Camilli seditione fidem sibi servaverant, *Claudiae et Fideles et Piae* (Κλαυδιεια και Πιςα και Ευσεβη) senatusconsulto nominarentur [a]). Adde illustre marmor imperante Commodo positum, quod est apud Gruterum [b]), et Fabrettum [c]), in quo C. Vesnius Vindex dicitur TRIB. MIL. LEG. VIII. AVG. QVO. MILITANTE. CVM. LIBERATA. ESSET. NOVIA. OBSIDIONE. LEGIO. PIA. FIDELIS. CONSTANS. COMMODA. COGNOMINATA. EST. Placuit deinde honorifica haec vocabula, quod passim marmora et Gallieni numi docent, cum legionibus omnibus communicare, ut commonerentur pietatis et fidei in principem, ad quas sacramento sese obligaverant. In Gallieni numis omnibus, ac tantum his, dicuntur legiones VI. P*iae* VI. F*ideles*, vel VII. P*iae* VII. F*ideles*, de qua insolente et tamen constante formula, vide quae in illis notavimus.

De *Cohortibus Praetoriis* et *Speculatorum* vide dicta in numis M. Antonii.

* * *

Inter signa militaria aquilam principem obtinuisse locum, et cum legionibus omnibus fuisse communem, res est palam cognita. Ejus ex auctoribus causas varias collegit cl. le Beau [d]). Legionariae hae aquilae hastis impositae saepe in numis exhibentur fulmen unguibus tenere. Vide icones Florezii. Sed neque hanc peristasin praeterivere veteres. Narrat Dio [e]), inter prodigia Cn. Pompejo filio in Hispania oblata, fuisse etiam illud, quod *aquilae ejus legionariae alas concutientes, et fulmina aurea, quae earum aliquae pedibus stringebant, abjicientes, illi palam malum denunciabant, et ad Caesarem ipsae avolabant.* Idem refert Iulius Obsequens [f]). Alio loco perhibet Dio [g]), eandem hanc legionum aquilam insistere sacello, quod illi *νεως μικρος*, *templum parvum*, vocatur, qui modus utrum in aliquo monumento vetere exhibeatur, nondum inquisivi, neque si inquirerem, sperem, me ejus exemplum reperturum. Non satis consulte Stewechius sacellum istud vidit in numo Constantini M., cujus et iconem dedit [h]). Ast illud, quod sacellum putavit, aliud non est, quam pannus quadratus, aut vexillum ipsum, quale continuo describemus, et passim offerunt numi aevi Constantiniani. At praeter aquilam in monumentis veterum varii generis signa effecta conspicimus. Iam in numis M. Antonii legionariis videmus positam aquilam inter duo signa trinis orbibus distincta et superne in cuspidem desinentia, quae deinceps brevitatis causa *signa simplicia* dicemus. Similis formae, et eodem numero signa videre est in denariis Clodii Macri et Severi, tum et in notis signorum a Parthis receptorum numis, inscriptis SIGNA. P. R., quorum complures stitit Morellius in incertis Familiarum Tab. 2, denique in moneta peregrina Caesaraugustae, Patrarum, Emeritae, Nicaeae, Iuliopolis.

---

a) L. LX. §. 15. b) Pag. 485. 8. c) Inscript. pag. 665. d) B. L. Tom. XXXV. pag. 285. e) L. XLIII. §. 35. f) de Prodig. c. 126. g) L. XL. §. 18. h) ad Vegetii L. II. c. 6.

In numis Augusti signorum receptorum testibus Mars ultor d. aquilam, s. signum simplex tenet. In denariis gentis Semproniae Iulii Caesaris et IIIvirorum aetate cusis juxta aquilam defixum est signum simplex, sed cui infra dictos orbiculos illigatus est pannus quadratus, de quo mox. Ejusdem formae signum Parthus genuflexus offert in notis denariis gentis Aquilliae, Durmiae, Petroniae. In aliis ex cuspide superiore praefigitur manus dextera explicata symbolo concordiae et fidei militaris. Talia signa comparent in citata Morellii tabula sub litera Q., et si eidem auctori fides, dexteram explicatam jam offert denarius M. Antonii ab Aurelio restitutus. In obviis Trajani numis consulatus V. stat aquila inter duo signa, quorum uni dextera, alteri corona praefixa est. In aliis solea equorum ferrea, corona, et similia, qualia insculpta exstant in columna cochlide Trajani. Frequentissimum inter signa est pannus quadratus ex hasta suspensus. Vexilla vocat Cedrenus, eaque his verbis describit [a]): Βιξιλα, παραπετασματα ἐκ πορφυρας και χρυσȣ εἰς τετραγωνον σχημα πεποιημενα. *Vexilla, vela ex purpura et auro forma quadrata.* Et Isidorus [b]): *Vexillum, et ipsum signum bellicum, tractum nomen habens a veli diminutione, quasi velillum.* Similem vexilli descriptionem, quod inserto Christi monogrammate adornavit Constantinus M., habes apud Eusebium [c]). In numis aliis hujus aevi, quos vide apud du Cange, varia alia his vexillis inscripta videre potes, v. c. S. P. Q. R. vel VOT. X. etc. Haec stante adhuc rep. in usu fuere. Horum unum fingitur in denario Morelliano inter signa a Parthis recuperata [d]), item in citatis gentis Aquilliae etc. denariis, et finguntur vexilla in numis Acci, Caesaraugustae, Damasci, Sidonis, Tyri, Ptolemaidis, Rhesaenae, denique et frequenter in numis imperatorum devexi imperii. De varia eorum forma modisque lege copiose disserentem cel. le Beau [e]). Fallitur ergo Ducangius, qui hujus formae vexilla olim fuisse tantum barbarorum, et nonnisi sero in legiones invecta docuit [f]). Ea inferiore aevo dicta fuisse *labara* novo et ignoto hactenus vocabulo, docebit idem Ducangius [g]). Draconum signis praefixorum inde a Trajano in legionibus frequens usus, de quibus aliqua jam attuli in moneta Philippi vaga, inscripta TRANQVILLITAS. AVGG., et videri possunt plura apud le Beau [h]).

Commemoratis variis signorum formis, quas cum in moneta vetere, tum in monumentis aliis reperimus, aliqua etiam de eorum usu sunt praecipienda. Constat, aquilam fuisse princeps legionis signum, et quamdiu ea constitit, perpetuum. Reliquarum ergo formarum signa propria erunt putanda cohortibus, manipulis, centuriis, quae fuere legionis partes, tum et equitatui. Verum quae singulis his partibus signa fuerint tributa, difficile est definire, neque satis consilii reperit cl. le Beau,

a) Hist. §. 81. b) Orig. L. XVIII. cap. 3. c) Vita Const. L. I. cap. 31. d) l. c. sub lit. N. e) B. L. Tom. XXXV. pag. 290. f) Dissert. de num. inf. aevi §. 20. g) l. c. h) l. c. pag. 302.

qui ad haec ambigua enucleanda omnem operam contulit. Hujus incerti causae praecipuae sunt, sive quod auctores veteres argumentum istud ex proposito nunquam sunt persecuti, sive quod varia aetate varius fuit signorum usus. Teste Plinio a) praeter aquilam ordines etiam anteivere lupi, Minotauri, equi, apri, sed et haec a Mario plane fuisse abolita idem profitetur. Animalia serius rursum signis fuisse illata, non addit, istud tamen alii sive auctores, sive monumenta diserte docent. Narrat Appianus b), legioni V. ob relatam egregiam de Scipionis elephantis in bello Africano victoriam datum a Iul. Caesare, ut elephanti ejus essent legionis insignia, idque sua adhuc aetate obtinere. Animalia varii generis alia, aut etiam numina fuisse signis praefixa, docent ea, quae dixi ad numos Viminacii, ac praecipue ad legionarios Gallieni numos, et quae, etsi huc pertineant, ne longior sim, non repeto. Tamen quas legionis partes haec signa anteiverint, non satis constat. Cohortes sua habuisse signa, ex veteribus quidem docuit cl. le Beau c), sed qui eorum formam non ediderunt. Conjicit idem, cohortes vexillis fuisse distinctas. Verum praeterquam quod is mox infra vexilla cum equitatu communicat, numis aliisque monumentis istud non confirmatur. In denariis M. Antonii cohortes praetoriae habent aquilam inter duo signa simplicia constitutam, et nihil adeo spectatis his signis differunt signa cohortium a signis legionum. Cohors speculatorum in iisdem Antonii denariis tria signa simplicia insertis coronis et navium rostris offert. Cohors praetoria in numis Philipporum Macedoniae tria signa simplicia sibi addidit. In elegante marmore literato, quod post alios adcuratius edidit cl. Cajetanus Marinius d), exhibentur duo signa simplicia opere anaglypho affabre elaborata, quibus inferne inscriptum: COH*ors* III. PR*aetoria*, ut adeo dubitari non possit, cohortis illud esse signum. Noti Caligulae numi cum epigraphe: ADLOCVT*io* COH*ortium* quatuor milites adstantes sistunt, quorum quivis aquilam gestat. Ex ipsis ergo veterum monumentis probari nequaquam potest, vexilla inter cohortium signa fuisse.

Vexilla in equitatu quoque fuisse, existimat cl. le Beau, et aliquot istud exemplis comprobare nititur e), quibus addere possum notos Neronis equestris decursionis numos, in quibus equites non raro vexillum praeferunt. Etiam Florezium in hac fuisse sententia video f). Quidquid erit, istud certum, inserto numis vexilli typo totam saepe legionem intellectam. Sic in numis Caesaraugustae pro aquila comparet vexillum; in numis Daciae, Viminacii, Damasci, Sidonis, Tyri, Rhesaenae habes vexilla, quibus inscripta sunt legionum nomina; numi Ptolemaidis quatuor offerunt vexilla, quibus inscriptum VI. IX. X. XI. totidem nimirum legionum numeri. Ergo in omnibus his monumentis vexillum aquilae locum occupavit, uti e converso paullo supra vidi-

a) L. X. §. 5. b) de bell. civ. L. II. cap. 96. c) l. c. pag. 289. d) Iscriz. Alban. pag. 120. e) l. c. pag. 295. f) Med. de Esp. pag. 131. et alibi.

mus, aquilam cohortibus quoque tribui. Paucis ut rem complectar, tam arbitrarium in veterum monumentis video signorum militarium usum, ut ex iis certi nihil et explorati erui possit, quae cohortibus, quae manipulis, quae centuriis, aut equitatui servierint. Isidorus, posteaquam praecipua legionum signa, scilicet aquilas, dracones, pilas enumerasset, sic finit [a]): *Cetera signa diversis praelata agminibus secundum militarem consuetudinem existunt, per quae exercitus permixtionem praeliorum agnosceret.*

Postremo etiam de imaginibus Caesarum, quae pars fuere signorum militarium, agendum, atque istud tanto lubentius, quia haec disputatio rem etiam numariam contingit. Praelatas eas fuisse, et religiose ab exercitu observatas, frequentia docent scriptorum veterum testimonia. En horum nonnulla. Vegetius agens de prima legionis cohorte [b]), *haec*, ait, *imagines imperatorum, hoc est, divina et praesentia signa veneratur.* Suetonius [c]): *Artabanus Parthorum rex transgressus Euphratem aquilas, et signa Romana, Caesarumque imagines adoravit.* Arrianus [d]): τα σημεια της ἐπιλεκτου στρατιας, ἀετοι, εἰκονες βασιλειοι, στεμματα, παντα χρυσα, ἀνατεταμενα ἐπι ξυστων ἠργυρωμενων. *Signa conscripti exercitus sunt aquilae, imagines principum, coronae, omnia ex auro, erecta super hastis deargentatis.* Exempla alia ex sequentibus pete. De iis, qui has imagines portabant, haec Vegetius [e]): *Aquiliferi, qui aquilam portant. Imaginarii, vel imaginiferi, qui imperatoris imagines ferunt.* Non Caesarum tantum Augustorumque, sed et illustrium privatorum imagines gestabantur. Germanicus Caesar in seditione militari praesentem patris Drusi imaginem pro concione adjuravit [f]). Teste Suetonio [g]) largitus est Tiberius *quaedam munera Syriacis legionibus, quod solae nullam Sejani imaginem inter signa coluissent.*

Cum ergo imagines principum certe in signis militaribus fuerint, quaeritur, quo modo illae, qua ex materia, et quo situ his in signis proponi consueverint. Constitisse has imagines numis maximi moduli, quae signis his quomodocunque insertae fuere, vetus fuit opinio Savoti [h]). *Numismata*, inquit, *formae maximae, quae vulgo* médaillons *vocantur, meo judicio illis imaginibus adnumerari possunt, quibus ornabantur signa militaria, praecipue minorum cohortium.* Non morarer in refutanda annosa hac, et nullis veterum testimoniis subnixa opinione, nisi eam haud ita pridem resuscitassent viri illustris a scientia antiquaria famae, cl. le Beau [i]), Comes Caylus [k]), et qui utriusque judicium adprobavit, ipse cel. Barthelemyus [l]). His adde Pellerinium, qui certos quosdam Constantini II. et Constantis numos aureos moduli plane ordinarii huic usui fuisse destinatos edicere non dubitavit [m]). Horum prior, ut suam nobis sententiam comprobaret, ad numos provocat non imperatorios modo, sed jam

a) Orig L. XVIII. c. 3. b) L. II. c. 6. c) in Cajo c. 14. d) in dissert. Epict. e) L. II. c. 7. f) Tacit. Ann. I. 43. g) in Tiber. c. 48. h) Num. antiq. cap. VIII. i) Mém. B. L. Tom. XXXV. pag. 298. k) Rec. d'Ant. Tom. IV. pag. 197. l) apud utrumque laudat. auctorem. m) Mel. I. pag. 169.

etiam consulares, in quibus conspicimus, his signis a summa hastae parte usque ad mediam insertos orbiculos, eorumque unum alteri impositum, atque hos olim stitisse imagines variorum numinum, deinde imperatorum, quod item com. Caylus alibi diserte docet a). In hac ergo sententia imagines principum hastae signi militaris fuerunt insertae. Alio modo, docet idem, numi maximae formae imperantium vultus complexi ex summa hasta ope catenulae dependebant, idque adprobat Barthelemyus prolatis numis compluribus musei regii. Amplius istud confirmat indicatis numis Iustiniani, quos edidit com. Caylus b), qui catenula connexi alteri usui, ut uterque existimat, servire non potuere, nisi ut signo militari adfixi penduli que sacrarum principis imaginum vices agerent.

En tibi sola haec argumenta, quibus praeclari hi viri numorum maximae formae usum satis putabant comprobatum nulla alia sive scriptorum veterum, sive monumentorum producta auctoritate. Ergo illi imagines Augustorum non credidere seorsim exstitisse, aut illas seorsim in signis militaribus numeravere, gestatasque hastis perinde, ac in aliis aquilam, sertum, manum explicatam, ac similia, et adeo has imagines principum, quos superstitio Romana aeternos sanxit, superisque aequavit, nonnisi quandam ad signa ordinaria accessionem putavere. Aliud docent oracula veterum, et certa monumentorum fides, nimirum imagines Caesarum separata fuisse signa nulla cum aliis communione, et sic in legione perinde atque alia publice exposita, praelataque. Ex allatis altius Vegetii, Suetonii, Arriani testimoniis manifeste docemur, aliud fuisse aquilas, aliud signa Romana, aliud imagines Caesarum. Atque has seorsim ab aliis jam ipsas dictas fuisse *signa*, palam docet Fl. Iosephus, qui cum narrasset, Pilatum Tiberii in Iudaea procuratorem clam Hierosolymas intulisse Caesaris imagines, quod deinde ingentis in populo motus causa exstitit, addit, eas *signa* fuisse vocatas, τας Καισαρος εικονας, σημαιαι καλενται c). Et apposite adeo ad haec Iosephi verba dixit Suidas d): Σημαιαι, σιγνα, προτομαι, commemorata continuo Iosephi narratione, quam modo adduximus. Recte Suidas has imagines vocat etiam προτομας; nam dubium non est, illas hastis praefixas protomarum habuisse speciem. Illustre argumentum (ut jam etiam ad ipsa monumenta delabamur) esto numus coloniae Viminacii, qui est in museo Caesareo, et jam olim editus a Froelichio e). In ejus aversa stat mulier, quae manu dextera signum militare tenet, cui more solito legio VII. inscripta est, ejus vero apici imminet protome Gordiani, sinistra simile signum cum mentione legionis IIII., et imminente illi protome uxoris Tranquillinae. Nemo adhaereat ad mulieris vultum ex signo militari conspicuum. Satis enim cognitum, uxorios maritos jam inde a

a) Rec. III. pag. 240. b) Rec. Tom. IV. pag. 197. c) de Bell. Iud. L. II. c. 9. §. 2.
d) sub Σημαιαι. e) IV. Tentam. pag. 123.

M. Aurelio uxoribus suis titulum *Matris castrorum* indulsisse. Quin jam conquestus est Tacitus [a]), Agrippinam Claudii, quod moribus veterum insolitum, signis Romanis praesedisse. Verisimile plane est, has principum protomas saepe laminis aureis vel argenteis in clypei formam fabrefactis insertas fuisse ad eum modum, quem alibi latius explicuimus [b]), aut in vexillis acu Phrygia pictas, aut quocunque modo forma majore, sic ut eminus ferire oculos possent, ex summa hasta conspicuas. Vide similes formas ex columna Trajani in pictura Morellii Segmento V. Ad haec si certum est, inter signa fuisse etiam simulacra variorum deorum, ut Victoriam, Herculem, Martem etc., eaque eo plane modo, quo aquilam, hastis gestata, cujus exempla praebet columna Trajani, et illustre marmor Romanum restitutum a Montfauconio [c]), et alia passim monumenta, quae causa, cur negemus, eundem morem valuisse in signis Caesarum imagines publicae venerationi offerentibus?

Quocirca cum de certo modo constet, quo principum vultus in militum signis apparuere, necesse non est, huc adigere numos maximi moduli, quam equidem sententiam multis hactenus placitam non falsam modo, sed plane absurdam, quod illustrium virorum pace dixero, ausim appellare. Falsam facile comprobavero. Inter omnes constat, hujus formae numos nonnisi inde ab Hadriano feriri coeptos. At jam inde ab Augusto frequens apud scriptores de his legionum imaginibus exstat mentio, et quod consequitur, has numis maximae formae constare non potuisse, qui tum nondum exstitere. Sed et absurdam jure dixi. Figebantur in castris imagines deorum principumque, ut ex alto conspicuae militem ad pietatem, reverentiam, fidem cohortarentur. Finge tibi numum volumine suo ex maxime porrectis unum, quos unquam in illustribus museis conspeximus, eumque sive ex signo militari pendulum, sive mediae hastae insertum. At observa pariter, in numis etiam amplissimi voluminis, utut late procurrat eorum margo, ipsum tamen principis caput plerumque non magnopere excedere illud, quod in aeneis I. formae conspicimus. Observa item, ut quid possit ingenerare animo reverentiam, illud non angustis finibus circumscriptum esse debere, sed eo volumine, ut oculis facile percipi possit. An vero istud praestabunt effigies ex hasta suspensae, illaeque tam arcti voluminis, ut, si principum lineamenta dignoscere velis, istud nisi oculis proxime admotis nequeas? Ergo Artabano regi, de quo altius egimus, cum ad adoranda signa R. accessisset, posteaquam fulgentem late aquilam, et simulacra deorum salutavit, cum ad imagines Caesarum ventum esset, aliud oblatum non est nisi vultus principis in angusto metallo expressus? Orto in legionibus Germaniae inferioris tumultu quidam ex primanis quintanisque saxa in Galbae imagines jecerunt [d]). Clarum experimentum, si scopum, quem pete-

a) Ann. XII. 37. b) Doctrina Vol. VI. pag. 121. c) Ant. expliq. Suppl. IV. pl. 21. d) Tacit. Hist. I. 55.

bant, adsequi jactu potuere. Atque post haec disputata jure arguemus, has principum imagines fuisse veras protomas sive caelatas in auro argentove, sive coloribus expressas, sive intextas vexillis quadratis, justaque eas magnitudine, ut longiore etiam intervallo a circumstantibus potuerint dignosci. Et jure adeo aspernabimur indigestam illam sententiam inde a Savoto praeclaris viris probatam de numis maximae formae signo militari insertis. Sunt multa, quae a majoribus tradita inconsulte a successoribus tolluntur, nulloque diu examine in posteros propagantur; quo modo phialae lacrimatoriae primo auctore Chifletio perdiu ab illustribus etiam antiquariis adsensum nactae sunt, donec annosae huic fabulae sanior Schöpflinus fidem omnem ademit a), quibus jure addas famigeratas illas Lucernas dictas vulgo perpetuas in veterum sepulcris saepe repertas b).

CAPVT XVI.

DE NVMIS INFERIORIS AEVI.

Hi multis causis adeo a moneta superioris et mediae imperatorum aetatis abludunt, praecipue ex quo unus Oriens esse Romanus perrexit, ut necesse sit, de ejus statu et conditione aliqua commemorare, ex qua tamen copia aliud hoc loco adferendum non putavi, quam quod explicatione, aut saltem mentione dignum esse videbatur. Quamobrem multa praetereo, quae monetae isti vulgo propria putantur, ut generatim typos, inscriptiones, literarum formam, varias ejus appellationes, artem paullatim in summam barbariem prolapsam, partim quod has partes jam alibi attigimus, partim quod illae usu et experientia consultisque numis, citius solidiusque, quam praeceptis discuntur. Ceterum qui hoc in argumento latius instrui cupit, adeat opus cel. Caroli du Fresne D. du Cange, ex quo plerique, quidquid ad hujus aevi monetam pertinet, hausere, et quod inscribitur: *de imperatorum Constantinopolitanorum, seu inferioris aevi numismatibus dissertatio.*

Materiam omnem, quam tractandam suscepi, sequentibus articulis complector:

§. I. de nominibus, ac titulis imperatorum.

a) Paciaudi Mon. Pelop. Vol. II. pag. 180.

b) ibid.

§. II. De cultu Augustorum.

§. III. De Christo, deipara, et sanctis.

§. IV. De inscriptionibus dubiis.

§. V. De pondere, et valore numorum hujus aevi.

§. VI. De urbibus, et officinis monetariis.

§. I.

De nominibus, ac titulis imperatorum hujus aevi.

Multa nomina ac titulos, quibus altius imperium usum est, praesens abolevit aetas suffectis novis. Illustris *imperatoris* titulus, sive instar praenominis, sive captus ex victoriis, tum et nomen *Caesaris* inde a Iuliano raro amplius reperiuntur. In insolentibus habenda epigraphe, quam offert aeneus Valentis III. formae, qui est in museo Caesareo: IMP. CE. VALENS etc. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ tamen legitur in numis Nicephori II. Phocae, Zimiscis, denique Ioannis VIII., et Constantini XIV. Palaeologorum. Paullatim etiam loco moti tituli *Dominus Noster*, et *Augustus*, etsi CEBACTOC legatur adhuc in numo Ioannis VI. Cantacuzeni, sed plumbeo. Eandem fortunam experti sunt tituli PIVS FELIX. Sed de horum fato curatius egimus in iis locis, in quibus horum nominum naturam explicavimus. Agendum jam de iis, qui superiore aevo ignoti, nunc denique accessere.

FLAVII praenomen. De hoc erudite disseruit Ducangius a). Flaviorum gens stante rep. non magnopere inclaruit. Dignitatem attulit Flavius Vespasianus, cujus gente cum Domitiano exstincta illud nomen in Augustis desinere coepit usque ad Constantium Chlorum, qui cum se oriundum ferret ex genere Claudii Gothici, cui fuisse nomen Flavio adfirmat Trebellius, nomen istud resuscitavit. A Chloro in filium Constantinum M. translatum propter hujus imperatoris celebritatem famae ad summum splendorem est provectum, atque ut olim Domitianus genti suae Flaviae templum erexit, sic et per Africam sacerdotium decretum Flaviae Constantini genti narrat Aurelius Victor c). Deinceps omnes, qui ex Constantii Chlori progenie fuere, Flavii praenomine usi sunt, Crispus, Delmatius, Hannibalianus, tres Constantini M. filii Constantinus junior, Constans, Constantius, Nepotianus, Constantius Gallus, et Iulianus, quin et Max. Fausta Constantini M. uxor, et Mag. Magnentius, etsi ad Chlori stirpem non pertinuerint. Illustri hac domo cum Iuliano exstincta, tamen, qui hunc excepit, Iovianus, etsi Flaviorum gentem non contingeret, Flavii sibi nomen addidit, et post eum longa Augustorum, et Augustarum series, etsi horum plures illo in numis abstinuere, testimonio tamen marmorum et scriptorum. Nimirum Flavii nomen a Constantino M. tantopere nobilitatum hac aetate tantum valuit, quantum olim nomen venerabile Caesaris, quod exstincta etiam cum Nerone Caesarum domo a successoribus adoptatum fuit. Addit Ducangius, illud a regibus quoque

---

a) Dissert. §. 36. b) Suet. in Domit. c. 1. 5. c) in Constant. M.

Gothis, et Longobardis fuisse adscitum, ut majorem sibi hac nominis superstitione auctoritatem conciliarent, quin etiam jam Constantini M. aetate cum summis reip. viris, consulibus, praesidibus, clarissimis, patriciis fuisse communicatum.

* * *

PERPETVVS Augustus. Successit in locum tituli PIVS FELIX. Iam in numis Constantini M., sed rarius, legitur PP. AVG., id est: *Per*P*etuus* AVG*ustus*, quo modo serius plerumque scriptum fuit. In numis Iuliani: PP. AVG. vel PERP. AVG. In numis Ioviani: P. F. P. AVG. vel P. F. PP. AVG. vel P. F. PERP. AVG. vel PPP. AVG. Perpetuitatem imperatoribus perinde atque aeternitatem tribui fuisse solitam, alias in horum numis vidimus.

* * *

VICTOR, quo titulo se jactabat in numis Constantinus M., ejusque filius Constantius, tum et Valens. — Insolentior est: FORT*issimus* CAES*ar*, quo usus est Decentius.

* * *

Pietatem in superos redolent tituli PISTOS, *fidelis*, vel si plures fuere, PISTV, pro ΠΙΣΤΟΙ. Vide numos Michaelis II. Balbi, Basilii I. Macedonis, aliorumque. — EVSEBES, Pius, dicti Leo VI., Constantinus X., etc. — SERVum CHRISTI se palam profitetur Iustinianus II. Rhinotmetus.

* * *

ΔЄCΠOTHC. Sic appellantur imperatores in obviis infimi aevi numis, olim in iis dicti *domini*, utroque nomine idem significante. Augustarum nomen fuit DESPOVNA, et sic vocatur in numis Theodora Theophili Aug. uxor. Sed ΔЄCΠOINA dicitur etiam virgo deipara in numo Constantini XII. Monomachi, quem vide. Vide de his titulis plura apud Ducangium a), et Spanhemium b). Ceterum *δεσποτε* nomen jam olim fuisse tributum imperatoribus, docet marmor Thyatirenum positum Caracallae, quod eum compellat TON. ΓHC. KAI. ΘAΛACCHC. ΔЄCΠOTHN. c)

* * *

BACIΛЄYC, *rex*. Nomen hoc, olim Romanorum odiis petitum, veteri imperatoris et Augusti vocabulo suffecere imperatores Orientis, ex quo linguae Latinae usus plane coepit disperdi. Et sane vocabulum istud faciliorem propterea nactum est aditum, quia jam olim imperatores R. a scriptoribus Graecis passim *βασιλεις* vocari sunt soliti, quin et nonnunquam sic vocati in numis, ut alibi praecepimus. Primam reperio Irenen Leonis IV. Chazari uxorem, Carolo M. coaevam, quae in numis BASILISSH dicitur. Obvia subinde NICIFOROS. BASILE. — BACIΛЄYC. PωMAIωN. et similia.

§. II.

De cultu Augustorum in numis inferioris aevi.

Cultus Augustorum in aetatis hujus moneta ab eo, quo majores usi sunt, varie, atque, ut processere tempora,

a) Dissert. §. 34. 35. b) Tom. II. pag. 487. c) Spon. Voyage Tom. III. p. 116.

magis, magisque abludit, sic ut ad extremum nihil veteris moris obtineret. Ad imagines ipsas quod attinet, rara in praecedentibus protome, nisi in numis maximi moduli, sola capitis pictura contentis. Ea jam inde a Probo etiam minutam monetam invasit, additis quoque manibus hasta clypeoque armatis, aut equum freno retinentibus. Postremum Augustos totos regio ornatu conspicuos proponere placuit. Inde ab Honorio in aureis, qui solidi sunt dicti, sistuntur medio corpore, vultu intuentibus adverso, panopliam induti, nimirum galeam, thoracem, tum dextera hastam, sinistra clypeum praeferentes, at solidorum partes, tum et numi aenei in sua plerumque protome acquievere. Varias alias causas operosum esset, atque inutile recensere, et docebunt numi inspecti.

Barbam, quam radere primi Augusti pro ejus aetatis more consuevere, ab Hadriano fuisse revocatam, alibi diximus. Valuit novum istud institutum usque ad Constantinum M., qui majores imitatus leve mentum praehabuit. Ejus exemplum secuti sunt filii, et qui ad gentem suam pertinuere, dempto Iuliano, cui, quippe philosopho, magna philosophiae pars in barba fuit reposita. Inde a Ioviano omnes iterum imperatores genas habuere leves. Primus Phocas barbam coepit adpendere, ac deinceps omnes usque ad imperii excidium. Narrat quidem Cedrenus, Heraclium adhuc privatum late promissam aluisse barbam, sed cum primum factus est imperator, aliorum Augustorum more comam, barbamque attondisse. Mirum sane, Ducangium haec Cedreni verba recitantem [a]) non opposuisse invicta numorum, quos vel ipse vulgaverat, testimonia, qui omnes Heraclium, et qui proxime praecessit, Phocam barbatos sistunt. An verisimile, alium cultum a monetariis tributum fuisse Heraclio, quam quo revera fuit, praecipue cum barba tum novi esset in Augustis exempli? Quare docentibus numis a Phoca imperatores omnes confidenter barbatos statuo. Neque mirum, ejus aetatis Augustos Graecae plerosque prosapiae abolito Latinorum barba abstinentium more paullatim ad gentis suae consuetudinem deflexisse.

Diadema, gestamen olim populo R. invisum, illudque laurea, radiisve destitutum, primus item invexit Constantinus M., ut in hujus moneta diximus. Idem quoque illud distinguere unionibus et gemmis instituit, quod ex numis ipsis manifeste apparet. Talis formae fuit diadema Iuliani II. testimonio Ammiani, ut diximus alibi [b]). Regium istud capitis ornamentum diu deinceps duravit, etsi non raro galeae locum cessit. Vide etiam dicta in tractatu de cultu capitis Augg. capite V.

Nimbus, seu circulus, sive discus circum caput, quali artificum manus hodie divorum coelitum capita distinguere solent, hoc etiam imperante numos occupavit. Verbum *nimbus* varie olim fuit acceptum. Quod ad rem numismaticam pertinet, fuit nimbus teste Isidoro [c]) *fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte feminarum.*

a) Dissert. §. 67. b) Vol. VIII. pag. 132. c) de Orig. L. XIX. 31.

Ejus ope puellae, ut pulcriores viderentur, *imminuebant frontes*, ut narrat Arnobius a). Nimbus hic in dearum fronte, praecipue Iunonis, saepenumero conspicitur, ut adeo capita hoc insignia non inique *nimbata* dici possint praeeunte Plauto b). Alio modo acceptus nimbus, et qui est proprie hujus loci, erat quaedam umbella, vel clypeus rotundus caput ambiens, cujus origo remotae est vetustatis. Apud Aristophanem c) aves suadent judicibus, ut sibi tanquam statuis lunulas, *μηνισκȣς*, faciendas curent, ne, si eorum suffragiis victae discederent, merda ab se contaminentur. Quo loco scholiastes: Μηνισκȣς, σκεπασματα των ἀνδριαντων, δια το μη ἀποπατειν κατ' ἀυτων τα ὀρνεα. *Lunulas, quae sunt operimenta statuarum, ne eas sordibus aves commaculent*, idque repetunt Hesychius, et Suidas. Fuisse autem has lunulas impositas capiti, paullo supra idem monuit. Quod alias usuvenire videmus, ut quae primum necessitatis, utilitatisve causa recepimus, subinde in ornamentum, ceu aedium fulcra in columnas, cesserint, idem his etiam umbellis evenisse videtur, quae adstitutae primum deorum statuis munditiae causa, deinde proprium quoddam eorum attributum evasere, quo veteres lucem quandam divinam ex iis promicantem intelligi voluere, quam Latini *nimbum* dixere. Eodem fere sensu Servius vocabulum *nimbus* explicat, quando ad verba: *nimbo succincta* Aen. X. 634 haec notat: *id est: nubibus, quia praemisit,* agens hyemem, *quod nisi esset, splendorem acciperemus, qui est circa corpus deorum.* Idem ad verba Aen. II. 616 *nimbo effulgens* addit: *nube divina*, cui in quibusdam ejus codicibus continuo subjicitur: *est enim fulgidum lumen, quo deorum capita cinguntur; sic etiam pingi solet.* Rursum ad verba: *Et lunam in nimbo* Aen. III. 587 *proprie nimbus est,* ait, *qui deorum vel imperantium capita quasi clara nebula ambire fingitur.* Sed nolim posteriori utrique Servii testimonio omnem habere fidem, quoniam in plerisque aliis ejus codicibus abesse video. Tamen pro hoc succurrit Isidorus d), qui, ut habent castigatiora ejus exemplaria, *nam et lumen*, inquit, *quod circa angelorum capita pingitur, nimbus vocatur.* Forte et nimbus est illud capitis ornamentum, quod inter alia tanquam Augustis proprium sic describit Mamertinus e): *illa lux divinum verticem claro orbe complectens.*

Sequitur indagandum, quo tempore nimbus adhiberi in monumentis coeperit. Philippus Buonarrotus, qui in ornamenti hujus originem prolixe inquisivit, non reperit aliud antiquius pictura ex thermis Titi capta, quae nimbatum sic Apollinem sistit f). Antiquius tempus adsignat pictura Herculanensis, in qua exhibentur duae figurae juveniles, ex quorum capite in orbem divergunt radii, quorum intervalla nebula tenuissima instar subtilis aranearum telae explet g). Nimbatum etiam videas Iovem in gemma, quam dedit Montfauconius h),

a) L. II. b) Poen. Act. I. sc. II. v. 135. c) in Avib. v. 1114. d) l. c. e) Paneg. ad Maximian. c. 3. f) Framm. di vetro pag. 61. g) Pitture d' Ercol. Tom. II. tab. X. h) Antiq. Supplem. Tom. I. pag. 41.

tum et in eadem tabula quatuor planetas nimbo circulari praefulgentes. Ex numis, qui eum praeferunt, Buonarrotio [a]), et Bimardo [b]) antiquissimus compertus est Antonini Pii, quem ostendit Oiselius [c]), in quo ejus Augusti caput in aversa stantis nimbus ambit. Est idem nitidissimus, ac primae formae aeneus in museo Caesareo, et inscriptus COS. IIII. In eo nimbus luculentus est, sed per intervalla radiis sectus. At vero nimbum purum, id est, sine radiis, sola circuli forma, post multos serius annos primus offert numus aureus Constantini M., quem vulgavit Morellius inscriptum: GAVDIVM. ROMANORVM [d]), sequitur alter aureus Faustae uxoris ab eodem vulgatus, sed sine iconismo [e]), deinde Constantis, Constantii, et obvii subinde alii imperatorum Orientis, ac praecipue in aureis praegrandibus Valentis, qui sunt in museo Caesareo.

Ejus nimbi significatio diversa non fuit ab ea, quam veteres adsignavere coronae radiatae, nimirum qua aeternitas, ac divina quaedam natura intelligebatur, ut alias diximus [f]). Hanc cum Graecorum, Romanorumque adulatio suis etiam principibus adsignaret, evidens est, illis in istud quoque ornamenti genus jus fuisse. Ex eadem causa illud artifices in omnis generis artefactis Christianam religionem spectantibus tribuerunt Christo, deiparae, angelis, hominibusque in coelum receptis, ut passim docent monumenta Christianorum inde a Constantino M. elaborata, atque inter haec numi quoque. Sed in his nimbus capiti Christi pone adfixus istud plerumque habet peculiare, quod crucem orbi suo inclusam exhibet. Secundum hos nimbo etiam ambiuntur capita Augustorum, Augustarumque, sic ut is, saltem in numis, horum symbolum fuisse proprium videatur. Colligo istud ex numo Valentis, in cujus aversa videas Valentinianum, et Valentem nimbatos, stantem vero in horum medio puellum Gratianum sine nimbo, quia tum Augustus nondum fuit. Mirandum autem foret, Christianos imperatores inde a Constantino M. in moneta publica divinitatis notam usurpasse, nisi aliorsum constaret, ejus aetatis ingenia in summo adversus religionem adfectu saepenumero aut prave fuisse religiosa, aut rudia, et male exculta, et ipsos ejus aetatis imperatores in legibus suis ac edictis *numen* suum, *aeternitatem*, *divinitatem* jactare non esse reveritos, cujus arrogantiae, verius insaniae exempla collegit Vandalius [g]). Neque animalibus nimbi honos negatus fuit, modo cum sacris illa, divinisque rebus connecterentur. Ita Romani adhuc idolorum cultores phoenici avi nimbum sunt largiti, quia nimirum aeternitatem significaverat, et illo Christiani artifices agnum dei, et quatuor evangelistarum animalia symbolica, sacrorum scilicet herorum reverentia, exornavere, neque alia de causa aquila duplex, jam ex longo Romani imperii insigne, nimbata

a) l. c. b) ad Iobert. Tom. I. pag. 420. c) Thes. num. tab. LXVII. 1. d) Spec. tab. VII. n. 1. e) ibid. pag. 53. f) Vol. VI. pag. 270. g) de Oraculis Dissert. II. c. 6.

habet capita, nisi quod illud sacrum vulgo habetur, et dicitur.

Saepe imperatores coelitus in numis coronantur, idque tum peragit vel manus ex alto demissa, quod perfrequens, aut Christus ipse, unde vocati *θεοςεπτοι*, *a deo coronati*, saepius deipara. Vide Ducangium a).

Praetereo alia capitis tegmina, ut *camelaucium*, de quo Ducangius b), quae, ut alia omnia, in variis imperatoribus varia fuere. Vide etiam, quae Anna Comnena de varia coronarum vel diadematum forma, qua aevo suo sive imperator, sive sebastocrator, sive Caesar utebantur, enarrat c).

Enarratis capitis ornamentis succedunt ea, quae imperatores praeferre manu consuevere.

Globus cruciger. Globus inde ab Augusto symbolum imperii in orbem terrarum est habitum, ut in hujus moneta diximus. Globo deinde imposita fuit Victoria, quia hujus beneficio imperium orbis non modo partum, sed et conservatum debebatur, quam opem cum subinde principes Christiani magis crucis signo acceptam referrent, in Victoriae locum crucem constituerunt. Globus hujus formae primum comparet in numis Ioviani Victoria eum gestante, serius frequens est in imperatorum manu. Neque vero novum istud imperii insigne scriptoribus fuit indictum, quorum testimonia dabunt Ducangius d), et Bandurius e). Vide, quae alia huc facientia diximus in moneta Ioviani.

Vexillum, quod fuit hastile, ex quo pannus quadratus pendebat, dictum etiam hoc aevo *labarum*, incerta vocabuli natura. Hujus formam vexilli fuisse perantiquam, et jam in usu tempore Romae liberae, minime vero, quod contendit Ducangius f), repertam a barbaris, et nonnisi sero a Romanis receptam, disputavimus altius pag. 494. Inde a Constantino M. plerumque monogramma Christi illi inscriptum legitur.

Mappa, *volumen*, *acacia*. Saepe imperator aliquid cylindri specie manu praefert, quod quid sit, nondum hactenus inter eruditos convenit. Alii mappam dixere, qua jacta imperatores, consulesve signum inchoandorum Circensium dedere. Alii volumen, quale saepe senatorum simulacra manu gestant. Alii acaciam, quae fuit pannus quidam pulverem intus continens, ut ait Codinus, quamque sinistra tenuere imperatores, ut constanter admonerentur et humanitatis, et moderationis. Elige, posteaquam haec disputata legeris apud Ducangium g), Iobertum et Bimardum h), et Philippum Buonarrotum i).

Narthex secundum aliquorum testimonia imperatoris quoque manu gestatur. Insigne istud Ducangio minus quoddam labarum fuisse videtur k). Ejus formam reperisse mihi videor in binis numis apud Pellerinium l).

Superessent adhuc nonnulla expedi-

a) Dissert. §. 29. b) l. c. §. 17. c) Alexiados L. III. p. m. 65. d) Dissert. §. 18. e) in numis Ioviani. p. 445. f) Dissert. §. 20. g) Dissert. §. 12, 13. h) Science des méd. Vol. I. p. 372 et 421. i) Framm. di vetri p. 251. k) Dissert. §. 21. l) Mel. I. tab. VI. n. 17 et 18.

enda, quae ad imperatorum in numis rem vestiariam pertinent, sed fas mihi puto hoc argumento abstinere, cum quia numi propter operis barbariem parum lucis adfundunt, tum quia haec causa etsi sedulo tractata parum habet utilitatis, voluptatis certe nihil.

§. III.

De Christo, *deipara*, *et sanctis.*

Constantinus M. damnato palam idolorum cultu ad sacra Christiana conversus continuo novi cultus argumenta inferri monetae praecepit, non tamen adhuc in hac aliud praeterquam monogramma Christi literis XP. colligatis indicatum reperitur, ut dixi in numis hujus Augusti, quo loco etiam monogrammatis hujus originem, et naturam explicavi. Serius crux ipsa illata numis additis variis inscriptionibus, ut: VICTORIA. AVGG. quae frequentissima, — DEVS. ADIVTA. ROMANIS, inde ab Heraclio I. — IHS. XPISTVS. NIKA inde a Constantino VI., — CVRIE. BOHΘH. TO. SO. ΔOVLO, vide numos Theophili. Coepit ergo esse crux non modo argumentum fidei Christianae, sed etiam victorum hostium. Iam inde ab Augusto saepe vidimus Victoriam globo, seu pilae insistentem, cujus causam suppeditat Isidorus a): *Pilam in signo constituisse fertur Augustus propter nationes sibi in cuncto orbe subjectas, ut magis figuram orbis ostenderet.* Serius globo dejecta Victoriae imagine imposita crux, argumento, ejus virtute non veterem modo superstitionem, sed imperii etiam hostes fuisse profligatos. Vide etiam dicta articulo praecedente, tum et in numis Ioviani. Sed de hoc crucis signo ac forma in variis hujus aevi monumentis habes largam messem in Iacobi Gretseri opere eruditissimo de Cruce, tum et nonnulla in laudata saepe Ducangii dissertatione.

Ipsa Christi effigies inde a Iustiniano II. Rhinotmeto in numis obvia. Sedet venerabili specie, nimbo caput ambiente, eoque crucis radiis quadrifariam secto. Attollitur dextera benedicentis more, sinistra Evangeliorum librum tenet. Vide hacc omnia latius exposita apud Ducangium. Scriptum juxta frequenter: D.N.IHS. XS. REX. REGNANTIVM, vel: IC. XC. O. ЄMAN8HΛ, quod postremum occurrit in numis Manuelis I. Comneni.

Secundum Christum maximus in hujus aevi numis honos habitus virgini deiparae. Pingitur in numis placido ac tranquillo statu aut stans expansis ad protegendum manibus, vel sedens, et infantem Christum in sinu gerens. Inscriptiones sunt: ΔЄCΠOINA.CωZOIC in numo Constantini XII. Monomachi, vel: ΘЄOTOC. BOHΘ. RωMANω, Romani IV. Diogenis, frequentissima est sigla MP. ΘΥ. id est: μητηρ Θεȣ. Singularis est imago deiparae moenibus urbis Constantinopolitanae circumdata, quam vide in numis Michaelis VIII. et Andronici II. Palaeologorum.

Sanctis quoque locus in moneta honorificus datus, ac primum quidem archangelo *Michaeli* in numo Theodori I.

---

a) de Orig. L. XVIII. c. 3.

Lascaris, aliisque nonnullis scripto O. ΑΓΙΟϹ. ΜΙ., vel: ΑΓΙΟϹ. ΑΡΧ. ΜΙ., deinde *S. Georgio:* O. ΓЄѠΡΓΙΟϹ in numis Alexii I. Comneni, Ioannis II. Porphyrogeniti etc. Hi tantum Ducangio fuere cogniti. Serius emerserunt *S. Eugenius:* O. ΑΓΙΟ. ЄΥΓЄΝΙΟ in numo Manuelis I. Comneni, et *S. Demetrius:* O. ΑΓΙΟϹ. ΔΗΜΗΤΡΙΟϹ, in numis Theodori I. Lascaris, et Andronici II. Palaeologi.

§. IV.

De inscriptionibus dubiis in numis inferioris aevi.

Inscriptiones in hujus aetatis moneta aut sunt ex vetere lege, ut: VICTORIA. AVG. — VOTA. PVBLICA etc. aut novae, et superiori aevo ignotae. Illae explicationem suapte facilem praebent. Hae, etsi novae, aut se ipsae quoque explicant, ut: GAVDETE. ROMANI — FELICITER. NVBTIIS — DEVS. ADIVTA. ROMANIS etc. aut significationem continent, a qua eruditi seu propter reperiundi difficultatem abstinendam manum duxere, seu, ubi explicare ausi sunt, parum istud sibi feliciter cessisse communis fert opinio.

In harum censum veniunt primum sequentes:

XCVI. vel VCVI. in numis Diocletiani.

XCVI. in numis Maximiani Herculei.

XCVI. vel VCVC. in numis Constantii Chlori nondum Augusti.

XCVI. in numis Gal. Maximiani nondum Augusti.

Sunt hi numi omnes argentei, in omnibus epigraphe intra lauream, omnes Diocletiano imperante signati, nam in numis Chlori, et Gal. Maximiani jam Augustorum hic modus non amplius comparet. Has literas Iobertus Harduinum secutus interpretatur *Decennalibus Constantii*, *Vota imperii* a). Quam sententiam in subjecta nota jure sugillat Bimardus. Causam enim sibi dari postulat, cur vota decennalia Constantii Chlori legantur in numis Diocletiani, et Maximiani, neque unquam horum decennalia, vel vicennalia in numis Chlori? Ad haec, cur nunquam in his numis reperiantur decennalia Diocletiani, vel Maximiani indicata simili modo sic: XDVI., vel XMVI.? Quaeri etiam posset, quem deinde sensum Iobertus tribui velit literis VCVI. vel VCVC., sed vereor, ut haec lectio sit sincera; nam etsi eam sic promulget Bandurius, tamen in numis similibus, quorum justus numerus est in museo Caesareo, non aliud legitur, quam XCVI. Conjicit Bimardus, legi forte posse *Decennalibus Caesarum vota imperii*, at quaerere iterum licebit, cur tantum decennalia Chlori et Gal. Maximiani Caesarum in his numis indicare placuerit, et non etiam vota Diocletiani et Maximiani Herculei Augustorum? Fatendum igitur, de harum significatione literarum nihil adhuc nobis certi constare.

a) Science des méd. Tom. II. pag. 153.

Eidem dubio subjicio etiam notas HK in numis Heraclii I., ΦK in numis Phocae, CN in numis Iustini I., de quibus egi in moneta Heraclii, et Iustiniani I.

* * *

Succedunt numi aenei omnis formae inde ab Anastasio, et per proxima imperia signati:

Literae Є, I, K, M majore forma in medio numi expressae, non raro etiam V.

Harum loco inde a Iustino II.

Numeri X, XX, XXX, XXXX.

Horum explicatio signorum varias, et non raro frivolas opiniones parturivit. Conjecit aliquando Iobertus, M indicare *Maria*, I *Iesus*, K *Constantinus*, sed ab hac se conjectura serius purgavit a). Sanxit olim Peyssonelus, ut testatur eruditus Guys b), literam M hujus aevi numis tam frequenter inscriptam esse initium nominis *Maria*, quia testibus historicis Graecis Constantinus M. Byzantium, cujus is alter conditor fuit, deiparae dedicavit. Similes opiniones commemorasse refutasse est.

Aliam sententiam parturivit fecundum Harduini ingenium, quam lubet verbis Ioberti exponere c). Statuit is, numeros hos indicare varia tributa imperatoribus pendi solita decimi, vicesimi, tricesimi etc. denarii, ut loquuntur Galli. Quare notae Graecae I, K, M notant denarium decimum, vicesimum, quadragesimum, et notae Latinae X, XX, XXX, XXXX ejusdem numeri denarium. At enim haec ipsa Harduini dictata copiosis, solidisque argumentis refutavit Iobertus d), quae restituere operae pretium non existimo, cum vix esse putem, qui sententiam hanc adprobare volent, et cupidis pateat ad laudatum auctorem aditus. Ipsius Ioberti de his opinio fuit e): his notis indicari pretium numi, sic ut notae I vel X significent decem obolos, vel quamcunque aliam minutioris pecuniae sub se contentae speciem, et sic per numeros alios progrediendo. Non repugnarem huic sententiae, partim quia jam moneta Romana stantis reip. similes habuit seu spectato pondere, seu valore divisiones, partim quia revera videmus, numos aeneos maximae formae semper praeferre M, vel ei respondens XXXX, aeneos III. formae semper I, eique respondens X, verum illud vellicat, quod M et XXXX legantur perinde etiam in numis I et II. formae, et I et X in numis quoque II. formae, et quidem in numis sub uno eodemque imperio signatis. Offendit et illud, quod admissa hac divisionis lege mirum videatur, cur nunquam, quod norim, occurrat litera Λ, cum tamen in numis divisionis Latinae frequenter occurrat respondens illi XXX. Priorem quidem difficultatem a fluctuante pondere captam Iobertus alibi, ubi idem argumentum latius persequitur f), elevat dicendo, fuisse, ut olim tempore Romae liberae, sic etiam hoc aevo causas, cur imperatores necesse duxerint, minori monetae ponderi majorem adsignare valorem. Sed vereor, ne haec omnia, etsi prae Harduinianis illis

a) Sc. des méd. Tom. I. p. 139. b) Voyage litt. de la Grèce Tom. II. p. 15. c) l. c. d) Tom. I. p. 180. e) Tom. I. pag. 140. f) Tom. II. pag. 46.

plus habent probabilitatis, speciosius dicta sint, quam verius. Quanquam, quaecunque sit manente eadem nota diversitas ponderis, salva tamen esse potest Ioberti doctrina, si perpendamus, hac aetate ut omnium rerum, sic et rei monetariae summam fuisse perversitatem. Ceterum si a removendis his dubiis manum retraho, tanto facilius veniam merebor, quanto certius constat, ne ipsos quidem illos, qui dedita opera hujus tantum aetatis monetam sibi explicandam sumpsere, Ducangium intelligo, et Bandurium, viros perspicaces sane, ac eruditos, implexam hanc, atque intricatam doctrinae partem voluisse attingere, eamque etiam procul habuerit Bimardus de la Bastie, etsi severus hic censor in omnibus fere aliis causis Ioberti dictata aut correxerit, aut novis solidisque argumentis confirmaverit.

* * *

Praeter inscriptionem partis aversae, literasque, quae imum numi segmentum occupant, saepe, praecipue inde ab Aureliano, occurrunt in area numi litera una, duae, rarius tres quatuorve, eaeque vel Latinae, vel Graecae, vel utraeque permixtae. Eas Iobertus esse *ἀρχαικας* vocabulorum existimat, sic ut B T significet B*eata* T*ranquillitas*, F T F*elicitas* T*emporum*, C R C*laritas* R*eipublicae*, etc. atque hanc explicationem certissimam existimat propterea, quia similia vocabula saepe plene perscripta in numis reperiuntur, ipsa vero propter spatii angustias tota inscribi non potuere [a]). At vero judicium istud, utut ingeniosum videri potest, palam tamen fallit. Certum est enim, inscriptionem aversae semper ad typum juxta positum referri, ergo si inscriptio quaedam typum jam habet, cujus causa adposita est, nonne otiosam putabimus epigraphen alteram, quae quorsum referatur, non habet? Esto Victoria et epigraphe, et typus partis aversae, quid quaeso ad hanc pertinebit B*eata* T*ranquillitas*, quam, ajunt, positae juxta literae B T eloquuntur? Ad haec non sufficit ad statuendam generalem quampiam legem, esse aliquas literas, ex quibus facilis quidam sensus possit erui, cum majore multo numero sint aliae, ex quibus istud obtineri nequit. Hujus generis sunt literae solitariae vel Latinae, vel Graecae, quae adeo initium epigraphes esse non possunt, cum haec raro, praecipue in numis inferioris aevi, unico vocabulo absolvatur, aut Latinae Graecis sociatae, ut ΓF. AΓ. etc. aut notae sine dubio arithmeticae seu Latinae, seu Graecae, ut VI vel KS., aut ejus rationis, quibus ne Harduini quidem ingenium significationem reperiat, ut BKV, IKV. Consultius igitur erit statuere, has literas aut esse notas monetariorum, quibus aut officinae se distinxere, aut aliquid intellectum fuit, quod cum explicare volumus, aliud nisi temporis jacturam non auferimus.

* * *

Supersunt notae quaedam chronologicae hujus classis numis insertae. Inde a Iustino I. et complura consequentia imperia in aversa monetae aeneae saepe legitur ANNO. I. II. III. etc. Hac epigraphe indicari annos imperii singu-

---

a) Tom. II. pag. 155.

lorum regnantium, dubium non est, cum quia, quid aliud intelligi possit, non satis appareat, tum quia inscriptus annorum numerus cum annis singulorum imperiorum plerumque recte conspirat. Dixi plerumque; nam etsi verum istud sit in plerisque, ut in Iustino I., Iustiniano, Iustino II., et Mauricio, tamen auctior est in nonnullis annorum numerus, quam quem eorum imperium capere possit. Imperavit Iustinus II. annos nonnisi XIII., at in numo Pellerinii a) legitur ANNO. KA. id est: vicesimo primo. In numo Tiberii II., qui regnavit annos VIII., legitur ANNO. XX. b) At omnium maxime dissident numi Phocae, cujus imperium cum annos VIII. non excederet, en tibi ANNO. XXXX. XXXXII. XXXXIIII. quin et mixto episemo XXXXϛI. Vide hos numos apud Bandurium, Taninium et in catalogo musei Caesarei. Vterque vir eruditus nodum hunc reliquit intactum, an quia dignus vindice non est visus? an quia numismatica hujus aevi ulcera, in quo facile me sibi habent concordem, quamcunque opem medicam respuunt?

Numeri horum numorum jam Graeci sunt, jam Latini, jam ex utraque lingua temere compositi. Has inter notas una est, quae ad formam τȣ G prope accedit, et est episemon, id est, nota senarii, quam ex ipsis his numis captam jam alibi proposui c). At displicet, me eodem loco notam proxime sequentem Ч ex iisdem etiam his numis tanquam senarii notam proposuisse, quam tamen in hujus aevi numis passim pro V positam conspicimus. Quare haec nota inter varias episemorum formas, quas ibi stiteram, locum habere non debet.

Indictiones memorantur in solorum Mauricii et Heraclii numis, quos vide.

§. V.

De pondere, et valore numorum inferioris aevi.

Qui in generalibus ad hoc opus Prolegomenis capite IX. legerit, atque, ut exopto, approbaverit quoque, me a disquisitionibus illis, quae ad pondus, ac valorem monetae veteris, etiam ejus, quae integerrimis Graecorum, Romanorumque rebus valuit, alieniore esse animo propterea, quod post praestantissimorum etiam virorum incredibiles conatus non magnopere profecimus, is nequaquam mirabitur, nolle me ad enucleandas easdem monetae praesentis causas operam longiorem, atque industriam conferre. Facile enim quisque intelligit, quanto nunc turbatiora, magisque ad prolapsionem vicina fuere imperia, tanto magis confusam, inconstantemque fuisse rei monetariae rationem. Neque vero aliam ob causam argumentum istud attingendum tamen visum, quam ne quis illud plane a me omissum neglectumque possit reprehendere. Commode factum, ut eruditus quidam Gallus Dupuy in naturam ejus monetae, quae inde a Constantino M. per orbem R. obtinuit, ampla dissertatione, et toto ingenii nisu inquireret d).

---

a) Mel. I. pag. 219. b) Band. pag. 660. c) Vol. IV. pag. 384. num. 12. d) B. L. Tom. XXVIII. pag. 647.

Eruditus hic vir, ut conquisitis undique coaevorum scriptorum testimoniis omnem impendit operam ad explicandam recte librae rationem, quantum ea solidorum numerum dederit, quae fuerit metalli unius ad aliud ratio, et quae sunt id genus alia, fatendum tamen est, eum illorum more, qui praecessere, grammaticum magis egisse, quam antiquarium, neglecta penitus quaestione, utrum ejus periodi moneta tanto numero hodieque superstes cum legibus, quas dictaverat, conspiret, quod tamen ii, qui arti numismaticae propter numos ipsos dant operam, cumprimis nosse cupiunt. Si potest haec monetae cum legibus concordia reperiri, cur eam nos docere negligunt eruditi? sin numi ipsi vario suo, ac nimium divergente pondere non modo latas leges perturbant, sed plerumque palam violant, quae tanta potest esse artis nostrae studiosis scientiae operosae, parumque sibi ad summam profuturae utilitas? Omisso igitur omni in haec inquirendi conatu de uno *solido*, numo ejus aevi principe, variisque nominibus monetae tum inditis agere instituo.

SOLIDI praecipuum fuit in re monetaria inferiore nomen, non modo quod numus aureus fuit, maximique in moneta aurea ordinaria ponderis, sed etiam quia, ut olim in sestertiis, ita nunc in solidis, omnis ratio pecuniaria peragi coepit. Numi solidi, tanquam ab Alexandro Severo percussi jam meminit Lampridius [a]), existimant tamen eruditi, Lampridium προληπτικως locutum, nomenque solidi nonnisi Constantini M. aetate in usum receptum, at perperam, jam enim video Apuleium, qui Antoninorum aevo floruit, *solidos aureos* memorare [b]). Istud certum, inde a Constantino frequentem esse in imperatorum constitutionibus ejus mentionem. Nomen haud dubie tulit a partibus, quas continuit, ut revera Lampridius semisses et tremisses aureos ibidem, tanquam solidi partes memorat, quomodo denarius olim divisus est in quinarios et sestertios, et habemus numos aureos stante rep. signatos, quorum solidis, sive integris inscriptum LX, aliis XXXX, aliis XX. Ad pondus quod attinet, fuere in uncia solidi VI., ergo in libra solidi LXXII. Exstat constitutio Valentiniani [c]): *Quotiescunque certa summa solidorum pro tituli qualitate debetur, aut auri massa transmittitur, in LXXII. solidos libra feratur accepto.* Hic solidorum LXXII. in libra numerus insulsis adlusionibus hoc aevo ansam dedit. Sic in actis papae Marcellini LXXII. episcopi Sinuessae congregati vocantur *LXXII. solidorum libra occidua*, et LXXII. discipulos Sedulius appellat *auream libram.* Martialis similem lusum [d]) alias indicavi [e]).

In hunc locum distuli mentionem ponderum, quae EXAGIVM. SOLIDI. inscribuntur, suntque hactenus cognita sequentia:

D. N. HONORIVS. P. F. AVG. *Caput Honorii barbatum.* ☧ EXAGIVM. SOLIDI. *Mulier stans d. bilancem, s. cornucopiae.* Pondus AE. parvum quadra-

a) in Alexandro c. 39. b) Metam. L. IX. p. m. 178. c) Cod. L. X. tit. 70. §. 5. d) L. X. ep. 24. e) Vol. V. pag. 29.

tum. (du Cange Famil. Byzant. pag. 63. Bandur. p. 539)

DDD. NNN. AAAVVVGGG. *Tria capita impp. diademata, quorum medium puerile.* ✠ EXAG. SOL. SVB. V. INL. IOANNI. *(sic)* COM. S. L. *Typus idem, in area astrum, in imo* CONS. Pondus AE. rotundum II. formae. (Tanini ex mus. Borgia. p. 353, et tab. VIII.)

DDD. NNN. GGG. *Tria capita impp.* ✠ EXAGIVM. SOLIDI. *Typus idem.* Pondus AE. rotundum II. formae (ibidem ex eodem.)

De his solidorum exagiis erudite disseruit Ducangius [a]). Nomine ἐξαγιȣ inferiore aevo intelligebatur *pondus*, *ponderatio*, fuitque pondus explorando legitimo solidi ponderi destinatum. Ait Novella XXV. de pretio solidi Theodosii jun. et Valentiniani: *De ponderibus quoque, ut fraus penitus amputetur, a nobis aguntur EXAGIA, quae sub interterminatione superius comprehensa sine fraude debeant custodiri.* Ergo his exagiis insculptae fuere Augustorum effigies, ut perinde atque numi ipsi sacra intelligerentur. Factum subinde, ut, quod olim in talento, asse etc. evenit, pondus in significationem adpensi, seu numi solidi transiret, et solidus ipse diceretur exagium, cujus testimonia ex ejus aevi scriptoribus petita vide apud Ducangium. Fuit ergo exagium ejusdem cum solido ponderis, et testatur Taninius, exagia a se vulgata, quae sunt denariorum trium, granorum sedecim, cum pondere solidorum Arcadii, Honorii et Theodosii jun. apprime convenire. Zonaras cum narrasset [b]), Nicephorum Phocam monetae ponderi detraxisse, addit: μεχρι ἐκεινȣ παντος νομισματος ἐξαγιȣ ςαθμον ἑλκοντος, *cum hactenus singuli numi* (i. e. solidi aurei) *exagii pondus haberent.* Est in museo Caesareo exagium formae talis et magnitudinis:



Pondus ipsum est aeneum, sed literae introrsum sculptae argento expletae sunt. Pars aversa tota vacua est. Nemini non suapte occurret, epigraphen legendam SOL*idi* VI., atque istud pondus revera esse exagium, sed solidorum plurium, nimirum quot inscriptione enunciantur, et comperi instituto ad bilancem examine, exagium istud solidos VI. Honorii vel Arcadii pondere fere aequare, modicum vero hunc defectum tribuendum utique aerugini, quae metallum adrosit. Atque haec praeterea experimenta nos instruunt, quinam ejus aetatis numi aurei (nam multiplex eorum est pondus, ac volumen) pro solidis sint habendi. Nimirum ii, qui secundum Taninii examen denarios III. grana XVI. librae hodiernae Romanae adpendunt, monetae vero nostrae aureum Hungaricum cum 12 circiter granorum excessu. Sed et hujus ponderis major tum monetae aureae pars fuit, duravitque, etsi cum

a) Diss. de inf. aevi num. §. 77. b) L. XVI. pag. 203 edit. Paris.

aliqua deminutione, in Ducarum usque tempora. Minus promptum de solidi partibus judicium, quas aliqui semisses, et tremisses cum Lampridio amant appellare, nam instituto examine certam aliquam earum ad solidum rationem reperire non potui. Tremissis mentio non raro apud aevi hujus scriptores occurrit, quo nomine, ut olim trientis in asse, indicatur tertia solidi pars. Vide haec latius apud Ducangium a), tum de Exagii nomine et etymologia apud eundem in Glossario med. et inf. Graecitatis sub Εξαγιον et ϛαγιον, item apud Gothofredum Cod. Theod. Tom. V. pag. 175.

De exagio secundo aliqua adhuc restant observanda. In parte antica haud dubie proponuntur capita trium imperatorum, Arcadii, Honorii, et Theodosii jun. Pars aversa eloquitur confectum istud esse SVB. V*iro* INL*ustri* IOANNI. COM*ite* S*acrarum* L*argitionum*, neque dubium est, ut jam monuit cl. Taninius, hunc Iohannem esse eundem, qui summis sub Honorio muneribus functus hoc e vivis erepto imperium Ravennae occupavit, et cujus etiam numi supersunt.

Valebat solidus XII. *milliaresia* monetae argenteae, milliaresium XXIV. *folles* monetae aeneae. Sunt adhuc aliae numorum species a scriptoribus memoratae, at quoniam omnium horum ratio ex residua moneta vetere colligi nequit, licebit his longius, curatiusque recensendis abstinere, et lectorem harum cupediarum avidum ad prolixos Ducangii, Dupuy, et Gothofredi b) commentarios amandare, apud quos calculos quidem pecuniarios adfatim reperias, nullam autem veteris monetae cum his compositae rationem, de qua modo lubet nonnulla distinctius commemorare.

Nimirum quaeritur, quae fuerit monetae imperatoriae, qualis ea sub Augusto, Tiberio etc. signabatur, ad eam, qualis inferiore aevo pondere iniquiore cusa fuit, ratio ac habitus. Quaestio implexa admodum atque impedita, quamque attingere malim, et expositis tantum meis dubiis alterius industriae atque ingenio solvendam relinquere, quam ipse privatis meis opibus explicare. Quod argumentum ut melius intelligatur, ex utroque codice eas proferam leges, quae causae explicandae poterunt servire, atque in uno tantum auro morabor, cum quia inferiore aetate, ut paullo altius dixi, causae pecuniariae ad monetae aureae modulum exigebantur, et principum constitutiones fere tantum monetae aureae meminere, tum quia constituta auri ratione facilior est ad viliora metalla progressus. Leges ergo huc facientes sunt hae:

Lex I. Valentiniani et Valentis.

Solidos veterum principum veneratione formatos ita tradi ac suscipi ab ementibus et distrahentibus jubemus, ut nihil omnino refragationis oriatur, modo ut debiti ponderis sint, et speciei probae, sciturus universis, qui aliter fecerint, haud leviter in se vindicandum c). Et paullo post d):

a) Dissert. §. 85. 86. b) ad Cod. Theod. L. IX. tit. 21. c) Cod. Iust. L. XI. tit. 10 l. 1. d) Ibid. l. 3.

Impp. Grat. Valent. et Theod. *Vniversos auctoritas tua proposito edicto commoneat, obryzatorum omnium solidorum uniforme pretium postulare, capitali scilicet supplicio puniendo etc.*

Lex II. Theodosii II. et Valentiniani III.

Frequens ad nos, Quirites, temerarii ausus querela pervenit, ut in parentum nostrorum contumeliam insigniti solidi eorum nominibus ab omni emptore recusentur, quod diu impunitum esse non patimur. Hoc ergo edicto agnoscat universitas, capitale manere supplicium, si quisquam vel domini patris mei Theodosii, vel superiorum principum solidum aureum integri ponderis refutandum esse crediderit, vel pretio minori taxaverit a).

Lex III. Leonis.

Si pecuniarum nervi sufficiens et copiosa illarum materia est, remque publicam pecuniarum vis stabilit, recte profecto veteres defectum velut morbum quendam ac tabem inde profugarunt, dum omne genus numismatis, etsi ad veteres et priscos principes referretur, similiter valere voluerunt. Verum egregium hoc institutum, haud scio, qua de causa posteriores principes in eadem forma consistere non permiserint, ac, tanquam subditorum opulentiae inviderent, quae numismata superiorum principum effigiem ferrent, iis publico usu interdixerint, sua vero sola in communi commercio esse voluerint. Nae illi, quantum hinc in communibus negotiis novitatis, quantum item detrimenti, quod cum ad omnes, tum praecipue ad pauperiores, potiusque auxilio et defensione indigentes pertineat, existeret, intelligere noluerunt. —— Eapropter nos novo recentiorum placito non acquiescentes, veterum autem providentiam sequentes, sancimus, ut secundum benignum illorum, reique publicae commodissimum judicium numismatis omne genus, quod quidem formam, materiamque non adulteratam, et plenum pondus habeat, sive vetustioris cujuspiam principis, sive recentioris sit, aequaliter et aestimetur, et in republica tractetur etc. b)

§. IV. De Nicephoro Phoca.

Numisma attenuavit tetartero excogitato. Cumque eo modo duplex esset numus, pensiones publicae graviorem exigebant, minor in sumptibus faciendis dissipabatur. Cumque esset lege et consuetudine receptum, ut omnes numi imagine imperatoris alicujus notati, modo ponderi nihil decederet, idem valerent, ipse sua insignes imagine praeferri aliorum depressis pretiis voluit, eaque re haud leviter subditis in permutationibus incommodavit. — Apparet, eundem avaritiae quoque sordibus fuisse contaminatum. Nam cum usque ad eum quodvis numisma hexagium penderet, ille tetarterum excogitavit pondere imminuto.

Verba haec exstant in *Constitutionibus imperatoriis* sub titulo: *Nicephori Phocae*, neque tamen sunt lex, sed enarratio eorum, quae Nicephorus hic in monetae legibus nefarie mutavit. At enarrant haec Zonaras c), et Cedrenus d).

Haec ergo, quae coram proposui, testimonia docent omnia, veterum principum numos per totum imperium in commerciis, nisi pondere aut metalli probitate deficerent, justos validosque

---

a) Leges Nov. Theod. tit. 25. b) Leonis constitutio LII. c) Annal. L. XVI. pag. 203 edit. Paris. d) Hist. sub Niceph. pag. 658 edit. Paris.

fuisse agnitos, tum si forte venditores acceptare illos renuerent, graviter in fastidiosos hos fuisse animadversum, aut si eorum usu a nonnullis principibus fuit interdictum, a successoribus perniciosam hanc legem fuisse abrogatam. Falsum igitur, quod vir quidam praeclare eruditus adfirmare non dubitavit, mortuorum principum monetam continuo aboleri fuisse solitam, de quo egi alibi [a]). Enimvero si mirus hic mos, et propter varias alias causas plane incredibilis, apud Romanos obtinuisset, ferendis his, ac tanta cum severitate legibus opus non fuisset.

Quare cum vetus moneta ipsis legum praeceptis jus suum tueri pergeret, quaeri jure potest, cum tanta fuerit ponderis inaequalitas inter monetam auream primorum Caesarum, et alteram inferioris aevi, etsi non variaret auri puritas, illudque non subito, et lata certa quapiam lege, sed paullatim, et, ut videri possit, arbitrarie imminutum fuerit, quaeri, inquam, potest, quis tum valor numis tam variis singulorum imperiorum, sive Augusti essent, sive Flaviorum, Antoninorum, Philipporum, fuerit publice constitutus. Praeclaro Rinckio verus monetae veteris status plane ignotus esse debuit, cum non dubitavit adserere [b]): *Ex hac lege* (quam alhius primo loco dedi) *etiam apparet, quod eo, nimirum Valentiniani tempore, idem fuerit pondus in moneta aurea, quod antiquitus fuit receptum; nam verba*, modo ut debiti ponderis sint, *hoc satis innuunt.* Aliud docent numi ipsi ad trutinae judicium comparere jussi. Occupavit molestum laborem auctor musei Pembrockii, qui singulorum aureorum pondus adstituto granorum Anglicorum numero indicavit. En captum ex hac ejus industria generale quoddam specimen:

Numi	*granorum Angl.*
Augusti circiter — — — —	125
Caligulae, Claudii — — — — —	118
Neronis usque ad Nervam — — — —	114
Trajani usque ad Caracallam — — — —	112
Elagabali, Alexandri Sev. — — — —	100
Deinceps usque ad Constantinum M. varie nutando acquievere sumpto medio inter — — —	90 et 80
A Constantino M. usque ad exitum — — —	69

Omisi quinarios, aliosque minoris ponderis, sed qui cum respectu ad classem suam solidorum proportionem sequuntur.

Rudem dedi contracti in moneta aurea ponderis imaginem, sed ex qua tamen pondus summum cum infimo contendendo, tum et medias jacturas, con-

a) Vol. I. in Proleg. gen. cap. 16. b) de vet. num. pot. pag. 98.

stituta haec publice aurei imperatorii imminutio, quantum ad praesens argumentum pertinet, abunde potest intelligi. Adcuratius, et quod optimum factu fuerat, ope bilancis hanc causam discussere Nauzeus et Barthelemyus [a]), ex quorum examine confectum, aureos Augusti appendisse grana Parisina $149\frac{7}{9}$, inde ab extremis Neronis annis usque ad Caracallam grana $136\frac{8}{13}$, sequentium deinde imperatorum aureis valere jussis, quia ad nullam eos probabilem legem reducere poterant eruditi hi IIviri. Pondus solidi sub Constantino M. et successoribus Dupuyus redigit ad grana Parisina $87\frac{1}{2}$ [b]), et durasse justum hoc pondus saltem adhuc sub Nicephoro Phoca, et aliquamdiu postea, patet ex allato supra §. IV., qui de Nicephori hujus fraude palam conqueritur. Ex Plinio docui alibi [c]), principio a Romanis ex libra auri deductos aureos XL., atque etsi paullatim eorum minueretur pondus, tamen imperante Nerone nonnisi aureos XLV. ex libra fuisse captos. En tibi ex Constantini lege ex libra auri enatos aureos omnino LXX., ut altius dictum.

Quapropter cum tantum sit in pondere discrimen inter aureos primorum imperatorum et inferiorum, aureo Constantini M. granis Parisinis LXII. ab aureo Augusti deficiente, an verisimile putabimus, graves hos veterum principum aureos inde a Constantino M. ad commercii adhuc usum valere potuisse? An tum in foro rerum venalium comparendum cum bilance fuit, ut exigere posset emptor, quantum sibi pro exhibito aureo graviore ex aurea moneta leviore sit rependendum? Leges altius a me recitatae non sine gravibus minis praecipere non desinunt: suscipiuntor aurei superiorum principum, modo *integri*, *debiti*, *justi ponderis* sint. Quis negabit, aureos Neronis, Antoninorum, Gordiani, Valeriani, Diocletiani, etsi jam imminuti ponderis, tamen illa aetate, qua signabantur, integrum, debitum, justumque pondus habuisse? Ergo si nomine *superiorum principum* comprehensi fuissent etiam illi, quos modo memoravi, alia scilicet lege opus fuisset, quae admoneret populum, quod in singulorum moneta aurea justum pondus habendum sit, ut defectu aureorum sui temporis cum excessu superiorum comparato verum posset numo suo pretium constituere. Atque propter eandem hanc causam, cum in edicto, quod supra sub lege I. exposui, jubent imperatores, *obryzatorum omnium solidorum uniforme pretium postulare*, non poterant eidem legi subjicere aureos illos veteres ponderis tantopere divergentis. Ac demum, cum Constantinus M. capitis poenam in illum decrevit, qui in moneta aurea *mensuram circuli exterioris adraserit, ut ponderis minuat quantitatem* [d]), non ille tum intelligere numos illos antiquos potuit, de quorum in singulis debito pondere non constabat, sed suos tantum intellexit solidos, quibus ipse certum pondus praescripsit.

Ex quo consequitur, verisimile plane esse, neque aliam mihi cognitam pro-

a) B. L. Tom. XXX. p. 359. b) B. L. Tom. XXVIII. p. 713 et 753. c) Vol. V. p. 28.
d) Cod. Theod. L. IX. tit. 22. l. 1.

positas difficultates explicandi viam, quam statuendo, veteres hos aureos, Augusteos intelligo, Neronianos etc. propter ponderis modum, qui cum moneta inferioris aevi conciliari non potuit, non amplius rationem monetae, sed mercis habuisse, fusosque etiam passim, atque ad legem stabiliti tum numi aurei fuisse conversos, ea omnino ratione, qua olim Romae cum peregrinis Victoriatis, Philippis, Cistophoris etc. fuisse actum, alibi diximus [a]). Enimvero a moneta illos ordinaria fuisse exclusos, colligo ex Novella Majoriani, quae exstat inter Novellas alias Codici Theodosiano sub finem adnexas [b]), in qua omissis aliis haec praecipit imperator: *Praeterea nullus solidum integri ponderis calumniosae adprobationis obtentu recuset exactor*, *excepto eo Gallico*, *cujus aurum minore aestimatione taxatur. Omnis concussionum removeatur occasio*, *nihil mutaturae nomine postuletur etc. Illis quoque fraudibus obviandum est*, *quas in varietate ponderum exactorum calliditas facere consuevit*, *qui vetustis caliginibus abutentes*, ***FAVSTINAE***, *aliorumque nominum nescientibus faciant mentionem. Quibus penitus amotis*, *atque in perpetuum hac lege damnatis*, *a praetoriana sede ad singulas non solum provincias*, *sed etiam civitates pondera examinata mittantur*, *quibus tam omnis exactor*, *quam negotiator utatur etc.* Existimat cel. Gibbon [c]), fraudem exactorum in eo constitisse, quod illi acceptare nollent leves ejus aetatis aureos, et exigerent ponderosiores illos, quales Faustinae aetate feriri sunt soliti, quod si opportune contigit, propter auctius horum pondus fere duplam fuisse exactionem. Dubitari nequit, diversitatem ponderis horum facinorosorum hominum fraudi occasionem dedisse. At istud jure displicet, quod illustris hic scriptor in subjecta nota 42 ex hujus legis verbis eruit, Majorianum aureis omnibus, commatis adeo etiam Augustei etc., liberum in commercio cursum permisisse, cum tamen contrarium potius, si verba, etsi parum dilucide composita, curatius expendas, capiendum sit. Vocat lex monetam Faustinae aliorumque *vetustas caligines*, eorumque nomina vulgo *nesciri*. Vtrumque quo pacto verisimile putandum, si eorum hactenus moneta libere in commercio versabatur? Qua item ratione verisimile dicemus, a Majoriano veteri illi monetae restitutam fuisse civitatem, quando ille hac sua lege has caligines vetustas *penitus amotas et in perpetuum damnatas* esse voluit?

Addo denique, illis, qui deinceps adhuc continuatum veteris hujus pecuniae valorem malunt, nequaquam suffragari verba in laudatis legibus occurrentia, ut: solidi *veterum principum*, vel *superiorum*, vel *priscorum*. Nam respectu Valentiniani et Valentis, qui primi legem hujus argumenti emisere, jam Constantinus M. filiique, veteres, superiores, prisci principes dici poterant, quin necesse sit, his ἐπιθέτοις Augustum, Flavios, Antoninos designatos existimare. Manifeste istud eruo ex lege II., in qua queruntur Theodosius II. et Va-

a) Vol. I. Proleg. gen. pag. LXXXIV. b) Tom. VI. pag. 33. c) Decline of the R. Emp. chap. XXXVI. pag. m. 141.

lentinianus III., solidos nominibus parentum suorum insignitos, quos inter diserte Theodosium M. nominat, ab emptoribus recusari. Ex quo satis apparet, hos aliosque principes in ferendis id genus legibus propositam sibi habuisse monetam superiorum proxime imperatorum, ejusque pondus a Constantino M. recens praescriptum, non veterem illam ab Augusto et successoribus signatam.

Hactenus dicta ad solam monetam auream pertinent. At si, ut verisimile dixi, jam superiorum principum aurei serius mercis modum habuere, multo istud certius de argenteis adfirmari poterit, quod horum non modo spectato pondere, sed etiam metalli mixtione vario Augustorum aevo varia fuit conditio, de quo alibi explicatius egimus a). De comparata moneta aenea dicere nihil attinet, non modo quod haec nullas certas leges admittit, sed fuere etiam inferiore aevo imperia, quae, ut numis aureis abundabant, vix tamen vel argenteos, vel aeneos tulere.

§. VI.

De urbibus et officinis monetariis.

Diximus in Prolegomenis ad numos familiarum cap. VI., stante rep., primisque Augustorum saeculis Romae tantum monetam lege ordinaria signari consuevisse. At serius, barbaris quaquaversum Romano imperio imminentibus, maxima legionum parte ad imperii fines excubante, ipsis etiam imperatoribus propter has ipsas causas jam raro in urbe praesentibus, opportunius visum, ne Roma usque pecunia petenda esset ad stipendia aliosque sumptus necessaria, certas destinare per imperium urbes, in quibus signaretur moneta. Hujus distributionis aliqua etiam fortasse causa fuerit, quod multiplicata eodem in loco monetariorum corpora propter operarum multitudinem periculosa etiam urbi esse coepere. Enimvero imperante Aureliano tanta eorum uno consilio tumultuantium Romae coorta est seditio, ut jam non sufficerent cohortes vigilum, sed justi exercitus robore esset supprimenda b). Iam vero cum circa idem tempus urbium nomina coeperint numis inscribi, verisimile etiam, eodem tempore hanc officinarum per provincias distributionem fuisse peractam.

In marmore Muratorii c), sed secundum restitutam a Marinio veram lectionem d), fuit Romae imperante Constantino M. *Valerius Pelagius procurator Sacrae Monetae Vrbis*, additis continuo *Praepositis et Officinatoribus*. In Notitia imperii sex nominantur procuratores una cum urbibus, sed tantum imperii in Occidentem siti, quarum illi monetae praefuere, scilicet monetae Siscianae, Aquileiensis, urbis Romae, Lugdunensis, Arelatensis, Trevirorum, quam postremam confirmat etiam marmor editum a Seb. Donato e), in quo legitur MONETAE. TREVERICAE. PRAESES. Adde testimonium Trebellii, quod jam indicavimus in numis Victorinae Victorini

a) Vol. I. Proleg. gen. p. XXVI. b) Vopisc. in Aureliano. c) Pag. 260. 3. d) Frat. arv. pag. 470. e) Supplem. ad Thes. Murat. pag. 263. 7.

tyranni uxore: *cusi sunt ejus numi aerei, aurei, et argentei, quorum hodieque forma exstat apud Treviros.* His etiam Mediolanum accenset Ausonius [a]), cum ab eo in illius urbis laudibus celebrentur etiam

Templa, Palatinaeque arces, opulensque MONETA.

Sidonius Narbonem [b]):

Portis, porticibus, foro, theatro,
Delubris, Capitoliis, MONETIS.

Praeter haec scriptorum marmorumque testimonia sunt etiam alia numorum, qui urbium monetariarum, et utriusque quidem imperii meminerunt, scriptis in eorum segmento harum nominibus, sed saepe nimium parce, una, vel duabus tantum literis initialibus, unde non raro explicandi nascitur difficultas. Harum notarum uberem catalogum dedit Ducangius [c]), quem etiam Mediobarbus operi suo inseruit, ubi descriptus exstat inter numos Valentiniani I. Alium postea adornavit Iobertus [d]). Ex his inscriptiones illas excerpam, quae judicium de urbium nominibus minus dubium faciunt.

* * *

Alexandria.

ALE. De monetariis apud Aegyptios agit Edictum XI. Iustiniani. De Dracontio monetae Alexandrinae praeposito egi in numis Iuliani II. p. 38.

Antiochia Syriae.

ANT. — ANTΓ. ANTΔ. ANTH. etc.

Aquileia.

AQ. — AQPS. — AQOBF. — SMAQP. Plenius in Iuliani aeneis II. formae: AQVILS.

Arelatum.

AR. ARL. PARL.

Carthago.

CAR. KAR. KART.

Catana.

CAT. reperitur in unius Mauricii numis. His exc. princeps Turris Muciae integram tabulam XXIV. Siciliae suae numismaticae implevit, testatus, eos copiose per insulam suam reperiri.

Constantinopolis.

CON. CONS. — In numis aeneis II. formae Iuliani: CONSPΓA. PCONST. SCONST. T. CONST. MSCONST. etc. CONOB. COMOB. CORNOB., de cujus inscriptionis significatione agemus infra separato articulo. — KONSTAN. in aureo Iuliani musei Caesarei.

Cyzicus.

CYZΓ. KYZ. KYZB. Plenius in numis Iuliani: CYZICA.

Officinae monetariae Cyzicenae aliquoties apud scriptores veteres fit mentio. Narrat Sozomenus agens de imperio Iuliani [e]), jam ex praecepto superiorum principum numerosum corpus monetariorum cum uxoribus et omni familia Cyzicum translatum fuisse, jussumque, quotannis certum numorum numerum fisco repraesentare. In Historia tripartita cap. 17 narratur, Iulia-

a) Carm. 289. b) Carm. 23. c) Diss. de inf. aevi num. §. 52. d) Sc. des méd. Tom. II. pag. 41. e) Hist. eccl. L. V. c. 15.

num publicos artifices opificesque cum uxoribus atque liberis Cyzicum habitare jussisse.

Heraclea, incertum quae, an Ponti, an, quae olim Perinthus dicta fuit, Thraciae.

HERACLA. in numis Iuliani.

Lugdunum.

LVG. LVGPS. LVGD. LVGDOFFP. LVGDOFFS.

Mediolanum.

MDPS. MED., quod posterius est in aureo Valentiniani I. mus. Caes.

Nicomedia.

NIC. NIKO.

Ravenna.

RAV. RV. RVPS. Vide dissertationem Phil. Argelati de num. Ravenn. in opere: *de Monet. Ital. P. III.*

Roma.

ROM. ROMA. PROM. — VRB. ROM. in aeneis III. formae Iuliani.

Serdica.

SERD. in numo Probi, quem dedi Vol. VII. pag. 501.

Sirmium.

ASIRM. BSIRM. in numis Iuliani.

Siscia.

SIS. SISPZ. SISCP. — ASISC. BSISC. ΓSISC.

Thessalonica.

TES. TESA. TESB. TESΔ.

Theupolis, eadem, quae Antiochia Syriae. V. hujus numos.

THEV. THEVP. inde a Iustiniano. *Dei urbem* vocabulum istud notat, addendum fuerat: *irati;* nam non alia magis urbs saltem inde a Trajano Dei iram iteratis terrae tremoribus experta est, quae mala repetita causam dedere Iustiniano novae hujus appellationis. Lege Cedrenum sub Iustiniano. Commune ergo infelix haec *Dei urbs* cum Iudaeis, *Dei populo*, fatum habuit.

Treviri.

TR. TRP. TRMS. TRO. TROB. TROBS.

Ex hoc catalogo plane liquet, inscriptiones inferne positas designare urbes, quae numis vitam dedere, in quo, ut dixi, propositum mihi fuit, eas tantum commemorare, quae dubitandi causam non praebent. Sunt enim copiosae aliae, quae explicationis sunt sane incertae. Sic literas PLON Iobertus legit: P*ercussa* L*ugduni in* O*fficina* N*ona*, pro quo Bimardus mavult: P*ecunia* LON*dinensis*, quia, inquit, dubitari nequit, hoc aevo in Britannia quoque monetam fuisse signatam. Item obvia: MOSTQ. MOSTR. quae Ducangius legit: MO*neta* S*ignata* T*reviris*, sic ut Q, R, T sint notae monetariorum, at Iobertus: M*oneta* O*fficinae* S*ecundae* T*revirorum.* Item: S. M. T. S. B. interprete Ioberto: S*acra* M*oneta*, T*reviris* S*ignata* S*ecundae* O*fficinae*. Praetereo copiosa exempla alia aeque dubia, quae suppeditant ambo auctores laudati, quorum in multis explicatio ut vera esse potest, firmum tamen adsensum vix reperiat. Difficile enim est, cum inscriptio literis tantum ἀρχαιϰσαις constat, in iis explicandis non hallucinari. Inter omnes hac in causa praestant numi Iuliani,

quia maxime loquaces. Ab hac epigraphes parsimonia factum, ut, qui eas interpretari sategerunt, in sententias oppido diversas abirent. At vel ob hanc ipsam causam hierophantae Harduino uberem dedere materiam, in iis explicandis ingenium suum experiundi. Nam cum olim in Antirrhetico literas v. g. ANTA. juxta cum plerisque aliis legisset ANT*iochiae officina I.*, subinde in numis saeculi Constantiniani legere maluit *Primae Narbonensis tributum I.*, et v. g. literas SMLDV interpretari: S*ocietas* M*ercatorum* L*ugdunensium* D*onum* V*oluntarium*, *Gallice* don gratuit, et deinceps totus esse in corporibus, societatibus mercatorum Narbonensium, Lugdunensium etc. horumque tributis, beneficiis etc. Nolo in hujus generis inscriptionibus longius versari, quia, quae certa sunt, vel valde verisimilia, suapte se produnt, quae incerta, et aenigmatis similia, omittere praestat, cum nulla sani sensus eruendi spes adfulget.

De inscriptione CONOB.

In segmento monetae inferioris aevi obvium est legere epigraphen CONOB, frequenter etiam COMOB, rarissime CORNOB, quod postremum observavi tantum in numis Anthemii, quorum tres sunt in museo Caesareo, et observavit Taninius in uno Euphemiae, sed quae ipsa fuit Anthemii uxor. Valuit illa in moneta aurea, sic tamen, ut nonnunquam argenteam etiam invaserit, quin et aeneam, etsi rarissime, ut dicetur. Coepta est adhiberi sub Valentiniano I., et duravit usque in imperium Leonis III. Isauri. Ait cl. Henrion mox laudandus, jam illam comparere in aureis Constantini jun., et fratris Constantii, verum ubi sint hi numi, neque mihi compertum. Quin nullus dubitem, ipsos hos numos non esse filiorum Constantini M., sed Constantii Patricii, et Constantii III. tyranni, qui fuere Valentiniano I. posteriores.

Istud literularum quinque conlegium eruditorum ingenia magis vexavit, quam quaecunque alia epigraphe multorum versuum dives, et quod isto est molestius, necdum post tot saecula finita lis, vix aliqua ejus finiendae spe apparente. Lubet praecipuas antiquariorum adferre sententias, addito juxta, quatenus laborent, ut sane laborare omnes quivis facile intelliget.

Primus fuit Cedrenus, qui earum nobis literarum explicationem tradidit a): *ὅτι*, inquit, *τα ἐν τοις νικαριοις τȣ νομισματος ὑποκειμενα τα* Ρ*ωμαικα γραμματα δηλȣσι ταυτα: το* K *κιβιτατες, το* O *ὀμνες, το* N *νοςραι, το* O *ὀβεδιαντ, το* B *βενερατιονι, τȣτεςιν, ἁι πολεις πασαι τῃ ἡμετερᾳ πειθαρχειτωσαν προσκυνησει. Literae Latinae, quae victoriatis numis subjectae leguntur, hanc habent sententiam:* C*ivitates* O*mnes* N*ostrae* O*bediant* B*enerationi.* Ex quo patet, veteri etiam huic aevo suum non defuisse Harduinum, neque ego hanc sententiam commemorandam duxissem, nisi praefulgeret antiquitate.

Antonius Augustinus interpretatus est: CON*stantinopolitanum* OB*ryzum*, quia

a) in Theodos. M.

hujus aetatis scriptoribus obryzum idem fuit, quod purissimum [a]). Ejus opinioni adhaesere non pauci alii.

Ducangius Ortelium, Occonem, Tristanum, aliosque secutus legendum censet: CON*stantinopoli* OB*signatum*, vel: CO*nstantinopoli* M*oneta* OB*signata* [b]). In eadem sententia fuere Morellius [c]), et Rinckius [d]).

Iobertus sic legit: CON*stantinopoli* O*fficina* II. vel: CO*nstantinopoli* M*oneta* O*fficinae* II. vel: CO*nstantinopoli* R*omae* N*ovae* O*fficinae* II. [e])

Mitto conjecturas aliorum alias, sed plane infirmas, quas videre potes apud Iac. Gretserum [f]), et Vaillantium, de quo continuo.

Vaillantii patris, cujus deinde dictata secutus est filius, Henrionis, et Gallandi de hac epigraphe judicia exponuntur in dissertatione, quae inserta est Historiae academiae inscriptionum [g]). Doctrina Vaillantii est, legendum CON*flatum* OB*ryzum*, vel: CO*nflata* M*oneta* OB*ryza*. Ejus capita praecipua sunt: In Codice Theodosiano, ait, reperiuntur vocabula *solidi obryziaci*, *auri obryza*, *solidi obryzati*. Ergo literae OB. in numis aureis facile possunt esse principium τȣ obryzum, indicando nimirum auri puritatem. Quod si literae CON. expleantur potius legendo CON*flatum*, quam CON*stantinopolis*, enervari omnes difficultates, quae alteram hanc lectionem vexant, quasque mox commemorabimus. Atque haec Vaillantii sententia in cl. Henrione adversarium, in Gallando patronum nacta est.

Enumeratis variorum sententiis, quid harum unicuique obstet, inquiramus.

Omnes, ut vidimus, dempto Vaillantio, CON in Constantinopolin solvunt. At enim judicium istud, etsi majorem suffragiorum partem nactum est, molestis impeditum laqueis video. Valere posset, si tantum legeretur in numis eorum imperatorum, quibus Oriens fuit attributus, verum cur Honorius, et qui eum secuti sunt Occidentis principes, cum Romam famae multo illustrioris tenerent, pro hac Constantinopolin inscriberent? aut cum Romae possent, mallent aurum suum in urbe aemula signari? Ait Ducangius, imperatorum utriusque orbis numismata in utraque urbe fuisse cusa ad mutuae consensionis, concordiae, et benevolentiae argumentum. Promiscue utrinque cusos fuisse numos, tum dedero, cum mihi ostenderit aureos imperatorum Orientis inscriptos ROM. ROMOB. vel similiter, et justo quidem etiam numero, ut jactatum istud concordiae argumentum stare possit, quod praestare nobis vir eruditus nunquam poterit. Quid quod CONOB istud non modo eorum numis inscriptum legitur, quorum cum imperatoribus Orientis constabat amicitia, sed etiam, quos hi in imperatorum Occidentis numero non habuere, quales fuerunt Constantius III., Iohannes, Priscus Attalus, aliique, quin et Iovinus et Sebastianus Galliae tyranni. Sed et hanc difficultatem elevat Ducangius dicendo, fa-

---

a) Dial. VII. b) Diss. de aevi inf. num. §. 47. c) Specim. pag. 89. d) de vet. num. pot. c. X. pag. 72. e) Scienc. des méd. Tom. II. pag. 42. f) de Cruce L. II. c. 56. g) Tom. I. pag. 263.

cium istud ab his propterea, quia volebant persuadere populis, non modo in totum imperium, sed etiam ejus metropolin sibi jus esse, vel quod is tum invaluisset usus, ut characteres hi pro praecipua nota imperatoriae monetae haberentur, ne quid sibi ad supremae dignitatis claritudinem videretur deesse. Verum si illud, cur non potius Romam prae Constantinopoli inscribere placuit? sin istud, an etiam reges Franci in Gallia, et Gothi in Hispania monetam suam esse imperatoriam voluere, cum videamus eandem notam inscriptam numis aureis Theodeberti, et Childeberti, tum et Leovigildi, Hermenegildi, et Recaredi [a])? Ceterum non nego, Occidentis post Honorium imperatores, quin et tyrannos etiam propterea numis suis τo CONOB inseruisse, quia monetam suam volebant adsimilari illi, quae tum per imperium in usu fuit, verum istud pernego, literis CON. in epigraphe CONOB. Constantinopolin designari. Ad reges Francos et Gothos quod attinet, fuisse semper barbarorum, cultiorum gentium monetam temere et inconsulto imitari, alibi ostendimus [b]).

Posset et illud delicatioribus displicere, quod in hac doctrina nimium saepe immutanda esset harum significatio literarum, atque ut Iobertum audiamus, CONOB significaret CON*stantinopoli* O*fficina* II., COMOB. CO*nstantinopoli* M*oneta* O*fficinae* II., et CORNOB. CO*nstantinopoli* R*omae* N*ovae* O*fficina* II. [c]) At enim idem hic nodus quamcunque etiam sententiam fatigat, ut conferenti patebit.

CON*flatum* OB*ryzum*, vel CO*nflata* M*oneta* OB*ryza* Vaillantii eo saltem praestat, quod vocabulum *conflatum* ad omnes omnium urbium officinas potest referri, et quod haec sententia omnes scopulos vitat, ad quos altera mentione Constantinopolis adliditur. At vero quo is pacto explicabit scriptum CORNOB, in quo N ab O interjecto R sejungitur? Nemo non videt, hunc scribendi modum Vaillantii doctrinam magnopere solicitare. Reliqua crisis, qua cl. Henrion vocabulum *conflare* objurgat, magni mihi momenti haud videtur. Minus illud placet propter insolentiam, nimirum dici *conflatum*, cum adessent formulae aliae cultus simplicioris, cujusmodi fuere SACRA. MONETA, vel, ut in Antiochenis, MON*eta* VRB*is*, vel ut in numis familiarum: ARG. PVB., vel EX. A. PV., ad quorum normam planius fuerat scribere: MON. OB. vel AVR. OB. vel EX. A. OB. vel similiter. De vocabulo *obryzo* paullo infra agemus.

Iam vero in significationem literarum OB secundum triplicem eruditorum doctrinam inquiramus.

OB Ioberto est O*fficina* II. Sin istud, mirum profecto, inde a Valentiniano I. usque ad Leonem III. semper constitisse morem, ut aurum non signaretur, nisi in officina II., nunquam I., vel III., aliave. Est in museo Caesareo aeneus Valentis, in cujus area est OF. II., in imo CON. Ergo Constantinopoli in

---

a) Bouteroue, Florez. b) Vol. IV. pag. 176. c) Sc. des méd. pag. 42.

Officina II. signabatur aes. At quod maxime sententiam hanc ferit, est, quod in plerisque hujus aevi aureis praeter solitum CONOB leguntur etiam literae A, B, Γ etc. vocabulis AVGG. vel AVGGG subjectae, quibus designari officinarum numerum, infra disputabimus. Ergo necesse est fallere traditam τȣ OB explicationem.

OB pro OB*signatum* adrisit pluribus, ut diximus. Ducangius hanc sententiam firmat exemplis TROB. TROBS. AQOB. THSOB. id est: TR*eviris*, AQ*uileiae*, T*hessalonicae* OB*signata*. At enim an usque adeo certum est, in his quoque το OB significare *obsignatum?* Sin istud, necesse non fuisset Ioberto aliam circumspicere explicationem, qui in omnibus his exemplis legit *Officina* II. Hoc ergo pacto incertum incerto explicatur. Quaeri praeterea jure potest, quod jam Ducangio dubium est visum, utrum Latini pro *signare monetam* dixerint etiam *obsignare.* Legimus *obsignare literas*, *testamentum*, *lagenam*, id est: σφραγίζειν, an etiam *monetam*, magnopere dubito.

OB pro OB*ryzum* constituit Ant. Augustinus, et praeter alios Vaillantius uterque. Huic sententiae maxime adversatur illud, quod, etsi verum est, literas CONOB in aurea hujus aetatis moneta dominari, tamen non raro reperiantur etiam in argento, quin et nonnunquam in aere, cui utrique metallo vox *obryzum* non competit. Argenteos complures hoc signo notatos per opus suum dedit Bandurius, v. g. Prisci Attali, Valentiniani III., Zenonis, Constantis II., Constantini Pogonati etc. etsi is in singulis observet, id genus numos ad exemplar aureorum fusos fuisse. Verum diu ante Bandurium testatus est Iac. Gretserus [a]), vidisse se argenteos aeneosque probi commatis his literis insignes, majorem vero similium argenteorum numerum citat cl. Henrion in laudata Vaillantii dissertatione, neque eorum exempla desunt in museo Caesareo. Ex aeneis unum maximae formae Valentiniani III. dedit Bandurius, et teste Henrione Vaillantius ipse aeneum III. formae Hanniballiani vulgavit. Accedit, literas OB reperiri in obviis aeneis, v. g. OBSIS. TROB. TROBS. TESOB. etc. Cum ergo illae in his, quippe aeneis, *obryzum* significare non possint, haud dubie in aureis quoque alium exigent explicatum. Minus tamen commode Henrion objicit Vaillantio, maximam numorum nota CONOB insignium partem esse auri impuri, atque adeo non obryzi. Satis compertum, hujus quoque aevi aureis auri bonitatem non deesse. Quod si nonnulli occurrunt pejoris naturae, aut tales sunt avaritia principum, aut prava falsariorum arte, sed quorum interfuit addito CONOB. fraudem dissimulare, quo modo videmus a quibusdam Augustis jactari in numis victoriam, etiam cum maxime vincerentur.

Peracta variarum sententiarum crisi, si quis a me requirat, quo pacto explicandas has notas putem, candide profitebor, tam parum mihi de earum

---

a) de Cruce L. II. c. 56.

vero sensu constare, quam adhuc parum quaecunque eruditorum proposita doctrina satisfecit. Est hoc in omnibus fere disciplinis, ut saepe earum rerum, quae maxime sunt obviae, causas non intelligamus. Nihil in arte nostra frequentius, quam legere notam NCAPR primorum imperatorum numis incusam, tamen nemo hactenus explicationem attulit, quae plane omnibus adrideret. Ex sententiis antiquariorum, quas dedimus, omnium minime videtur laborare ea, quae fuit Vaillantiorum, atque etiam id, quod maxime illi officere videtur, nimirum CONOB etiam in sequiorum metallorum numis legi, excusat Gallandus adferendo exempla numerorum III. formae altioris imperii, qui, etsi aenei sunt, tamen coaevis imperatorum aureis aeneisque sunt simillimi, quo modo Cistophoros, qui natura argentei fuere, aeneos, et certae antiquitatis ipse vidi. R. TERTIA Valentiniani aetate numis tantum aeneis inscriptum fuit, illud tamen offert aureus Valentis apud Pellerinium [a]). Observo denique, eandem sententiam praeplacuisse quoque acutissimo Bimardo [b]).

* * *

Supersunt nonnulla de officinis quoque monetariis observanda, quarum numi aut certam earum faciunt mentionem, aut verisimilem. En horum exempla ex numis, qui sunt in museo Caesareo, petita.

OF. I. — OF. II. — OF. III. obvia in aeneis III. formae. Exstat etiam ibi argenteus Valentis cum OF. II. In imo plerumque legitur CON. In numo Gratiani per aream scriptum OF. II. RS. in imo LVGF. Sunt haec in numis Valentiniani I., Valentis, Gratiani.

LVGDOFFP. LVGDOFFS. in numis Iuliani, legendum: LVGD*uni* OFF*icina* P*rima* — S*ecunda.*

VIENNA. DE. OFFICINA. LAVRENTI, de quo numo egimus in moneta Mauricii Aug.

Hi numi disertam faciunt officinarum mentionem. At sunt praeterea alii, qui eas haud dubie designant:

R. PRIMA. — R. SECVNDA. — R. TERTIA. — R. QVARTA. in aeneis III. formae Valentiniani, et Valentis. Sed est etiam R. TERTIA in aureo Valentis, quem ex Pellerinio paullo ante citavi. R. praecedens aut Romam significat, aut aliud, quod ignoro. In marmore Sponii Calvius dicitur *manceps officinarum aerariarum quinque* [c]).

Officinas verisimiliter quoque indicant notae arithmeticae Graecae urbium nominibus vel praefixae, vel suffixae, ut: ASIS. BSIS. ΓSIS, etc. vel TESA. TESB. TESΓ. etc. tum et obvia in numis aureis, praecipue inde ab Arcadio: VICTORIA. AVGGGA. vel AVGGGB. vel Γ, Δ, Є, S, Z, H, Θ, I, quo postremo auctiorem me videre non memini, neque diutius inquirere lubet. Lectae opinor fuere notae Graecorum, quia in Latinis dubitari posset, utrum Q quartam vel quintam

a) Mel. I. tab. VI. n. 11. b) ad Iobert. Tom. II. p. 384. c) Misc. p. 214.

officinam, S secundam vel sextam indicent. Vix credam, refutandos adhuc esse antiquarios, qui adjectis his literis indicari annos imperii sibi plane persuaserant; quos inter fuit Norisius, qui explicans literas SMNΓ ait: *Etenim ibidem visitur Γ, qua numerali Graecorum nota tertium imperii annum designari ex innumeris numismatibus antiquariis omnibus compertum est* [a]).

FINIS VOLVMINIS VIII.

a) Diss. de numo Licinii cap. III.

INDICES III.

IN VOLVMINA VI. VII. VIII.

QVORVM

I. est: Augustorum, Caesarum, tyrannorum etc.

II. Inscriptionum.

III. Rerum.

INDEX I.

AVGVSTORVM, CAESARVM, TYRANNORVM etc.

Achilleus tyrannus. VIII. 28.
Aelianus (A. Pomponius). VIII. 41.
Aelianus (Q. Valens). VII. 450.
Aelius (L.) Caesar. VI. 524.
Aemilianus (Aemilius). VII. 371.
Aemilianus (Alexander). VII. 468.
Agrippa (Marcus). VI. 162.
Agrippa Postumus Caesar. VI. 174.
Agrippina Germanici. VI. 212.
Agrippina Claudii. VI. 255.
Albinus (Clod.) VII. 161.
Alexander Severus. VII. 267.
Alexander Aemilianus. VII. 468.
Alexander tyrannus. VIII. 60.
Alexander Basilii I. fil. VIII. 244.
Alexius I. Comnenus. VIII. 260.
Alexius II. Comnenus. VIII. 262.
Alexius III. Angelus. VIII. 264.
Alexius IV. Angelus. VIII. 264.
Alexius V. Ducas Murzuphlus. VIII. 264.
Allectus. VIII. 49.
Amandus. VIII. 40.
Anastasius I. VIII. 205.
Anastasius II. (Artemius). VIII. 230.
Andronicus I. Comnenus. VIII. 263.
Andronicus II. Palaeologus. VIII. 268.

Andronicus III. Palaeologus. VIII. 269.
Andronicus IV. Palaeologus. VIII. 271.
Anthemius. VIII. 196.
Antinous. VI. 528.
Antonia Claudii filia. VI. 251.
Antonia Drusi sen. VI. 178.
Antoninus Pius. VII. 1.
Antoninus (Vranius.) VII. 288.
Antoninus (Sulpicius.) VII. 288.
Antonius (M.) IIIvir. VI. 35.
Antonius (M.) IIIviri fil. VI. 68.
Antonius (C.) IIIviri frater. VI. 40.
Antonius (L.) IIIviri frater. VI. 42.
Aquilia (Iul. Severa) Elagabali. VII. 259.
Arcadius. VIII. 168.
Artavasdus. VIII. 233.
Artemius Anastasius. VIII. 230.
Athalaricus Gothus. VIII. 213.
Athenodorus Palmyrenus. VII. 492.
Attalus Priscus. VIII. 180.
Attila Hunnorum rex. VIII. 190.
Augustus Octavianus. VI. 69.
Avitus (M. Maecil.) VIII. 193.
Aurelianus. VII. 479.
Aurelius (M.) Antoninus. VII. 43.
Aureolus. VII. 464.

Baduila Gothus. VIII. 212.
Baduila alter. VIII. 214.
Balbinus (Caelius.) VII. 305.
Balduinus I. imperator Orientis, capta a cruce signatis Constantinopoli, ejusque successores Latini Henricus, Petrus, Robertus, Balduinus II., omnes sine numis *(ut prius credebatur, sed vide notam ibidem subjectam)*. VIII. 264.
Balista tyrannus. VII. 461.
Basiliscus. VIII. 204.
Basilius I. Maced. VIII. 242.
Basilius II. Romani II. fil. VIII. 249. 252.
Bonosus. VII. 507.
Britannicus Claudii fil. VI. 253.
Brutus (M. Iunius.) VI. 19.

Caesar (Iulius) dictator. VI. 1.
Caesonia Caligulae. VI. 229.
Caius M. Agrippae fil. VI. 169.
Caligula. VI. 218.
Caracalla. VII. 199.
Carausius. VIII. 42.
Carinus. VII. 513.
Carus. VII. 508.
Cassius (Caius.) VI. 25.
Celsus. VII. 469.
Censorinus. VII. 477.
Chlorus (Constantius I.) VIII. 28.
Christophorus Romani Lecapeni fil. VIII. 245.
Clara (Didia) Iuliani I. filia. VII. 151.
Claudia Neronis filia. VI. 287.
Claudius I. (Ti.) VI. 233.
Claudius II. Goth. VII. 470.
Clodius Macer. VI. 288.
Commodus. VII. 102.
Constans I. Constantini M. fil. VIII. 109.
Constans II., qui et Constantinus. VIII. 225.
Constans tyrannus. VIII. 177.
Constantina Constantii Galli. VIII. 126.
Constantinus I. Magnus. VIII. 71.
Constantinus II. Magni fil. VIII. 105.
Constantinus III. tyrannus. VIII. 176.
Constantinus, qui et Constans II. VIII. 225.
Constantinus IV. Pogonatus. VIII. 226.
Constantinus V. Copronymus. VIII. 232.
Constantinus VI. Leonis IV. filius. VIII. 236.
Constantinus VII. Theophili fil. VIII. 240.
Constantinus VIII. Basilii I. fil. VIII. 243.
Constantinus IX. Romani Lecapeni fil. VIII. 245.

Constantinus X. Porphyrogenitus. VIII. 246.
Constantinus XI. Romani II. fil. VIII. 253.
Constantinus XII. Monomachus. VIII. 254.
Constantinus XIII. Ducas. VIII. 256.
Constantinus XIV. Palaeologus. VIII. 272.
Constantius I. Chlorus. VIII. 28.
Constantius II. Constantini M. fil. VIII. 113.
Constantius Gallus. VIII. 124.
Constantius III. patricius. VIII. 175.
Crispina Commodi. VII. 138.
Crispus. VIII. 100.
Cyriades tyrannus. VII. 470.

Decentius. VIII. 123.
Decius. VII. 342.
Delmatius. VIII. 103.
Desiderius. VIII. 124.
Diadumenianus. VII. 240.
Diocletianus. VIII. 1.
Domitia Domitiani. VI. 399.
Domitianus Vespasiani fil. VI. 367.
Domitianus (L. Domitius). VIII. 41.
Domitilla Vespasiani. VI. 345.
Domitilla Vespasiani filia. VI. 349.
Domna (Iulia). VII. 194.
Donata (Iunia) Postumi. VII. 447.
Drusilla Agrippinae sen. filia. VI. 231.
Drusus senior. VI. 175.
Drusus Tiberii fil. VI. 202.
Drusus Germanici fil. VI. 216.
Dryantilla (Sulpicia). VII. 463.

Elagabalus. VII. 244.
Etruscilla (Herennia) Decii. VII. 347.
Eudocia (Aelia) Arcadii. VIII. 170.
Eudocia Constantini XIII. et Romani IV. VIII. 257.
Eudoxia (Aelia) Theodosii II. VIII. 184.
Eudoxia (Licinia) Valentiniani III. VIII. 188.
Eugenius. VIII. 167.
Euphemia (Ael. Marc.) Marciani filia. VIII. 197.
Eutropia Maximiani Herc. VIII. 27.

Fausta (Fl. Maxima) Constantini M. VIII. 98.
Fausta, incertum quae. VIII. 118.
Faustina Antonini Pii. VII. 37.
Faustina M. Aurelii. VII. 76.
Faustina Elagabali. VII. 260.
Filepicus Bardanes. VIII. 229.
Firmus (M.) VII. 496.
Flaccilla (Aelia) Theodosii M. VIII. 164.
Florianus. VII. 499.
Focas. VIII. 221.

Galba. VI. 290.
Galerius Antoninus Antonini Pii fil. VII. 42.
Galla Placidia Theodosii M. filia. VIII. 175.
Galliena (Licinia). VII. 437.
Gallienus. VII. 389.
Gallienus (Q. Iulius) Caesar. VII. 435.
Gallus (Constantius). VIII. 124.
Germanicus Caesar. VI. 208.
Geta. VII. 227.
Glycerius. VIII. 198.
Gordiani Africani I. et II. VII. 299.
Gordianus III. Pius. VII. 309.
Grata (Iusta) Honoria Valentiniani III. soror. VIII. 189.
Gratianus. VIII. 157.

Hadrianus. VI. 473.
Hanniballianus. VIII. 104.
Helena Constantii Chlori. VIII. 33.
Helena Crispi. VIII. 101.
Helena Iuliani II. VIII. 142.
Heraclius I. VIII. 222.
Heraclius II. Constantinus. VIII. 224.
Herennianus Palmyrenus. VII. 491.
Herennius Etruscus Decii fil. VII. 348.
Herodes Palmyrenus. VII. 491.
Honorius. VIII. 171.
Hostilianus. VII. 350.

Ingenuus. VII. 470.
Ioannes I. Zimisces. VIII. 250.
Ioannes II. Comnenus Porphyrogenitus. VIII. 261.
Ioannes III. Vatatzes. VIII. 265.
Ioannes IV. Lascaris. VIII. 265.
Ioannes V. Palaeologus. VIII. 270.
Ioannes VI. Cantacuzenus. VIII. 270.
Ioannes VII. Palaeologus. VIII. 271.
Ioannes VIII. Palaeologus. VIII. 271.
Iohannes tyrannus. VIII. 185.
Iovianus. VIII. 147.
Iovinus. VIII. 179.
Irene Leonis IV. VIII. 235.
Isaacius I. Comnenus. VIII. 256.
Isaacius II. Angelus. VIII. 263.
Iulia Augusti filia. VI. 167.
Iulia Titi filia. VI. 365.
Iulianus (Didius) VII. 147.
Iulianus (M. Aur.) VII. 521.
Iulianus (Fl.) VIII. 127.
Iusta Grata Honoria Valentiniani III. soror. VIII. 189.
Iustinianus I. VIII. 208.
Iustinianus II. Rhinotmetus. VIII. 227.
Iustinus I. VIII. 206.
Iustinus II. VIII. 216.

Laelianus (Vlp. Corn.) VII. 448.
Leo I. VIII. 194.
Leo II. VIII. 199.
Leo III. Isaurus. VIII. 231.
Leo IV. Chazarus. VIII. 234.
Leo V. Armenius. VIII. 238.
Leo VI. Sapiens. VIII. 243.
Leontius I. VIII. 201.
Leontius II. VIII. 228.
Lepidus IIIvir. VI. 34.
Libius Severus. VIII. 196.
Licinius pater. VIII. 61.
Licinius filius. VIII. 68.
Livia Augusti. VI. 146.
Lollianus. VII. 449.
Lucilla L. Veri. VII. 98.
Lucius M. Agrippae filius. VI. 169.

Macer (Clodius) VI. 288.
Macriani pater et filius. VII. 465.
Macrinus. VII. 236.
Maeonius Palmyrenus. VII. 491.
Maesa (Iulia) VII. 266.
Magnentius VIII. 121.
Majorianus. VIII. 195.
Mamaea (Iulia) VII. 286.
Manuel I. Comnenus Porphyrogenitus. VIII. 261.
Manuel II. Palaeologus. VIII. 271.
Marcellus Octaviae filius. VI. 161.
Marciana Trajani soror. VI. 467.
Marcianus. VIII. 191.
Marcus Basilisci filius. VIII. 204.
Maria Michaelis VII. VIII. 259.
Mariniana Valeriani. VII. 388.
Marinus. VII. 337.
Marius (M. Aur.) VII. 454.
Martinianus. VIII. 70.
Matidia Marcianae filia. VI. 469.
Mathaeus Cantacuzenus. VIII. 271.
Mauricius. VIII. 219.

Maxentius. VIII. 55.
Maximianus (Valer.) Herculeus. VIII. 15.
Maximianus (Galer.) VIII. 34.
Maximinus (Iul. Verus). VII. 290.
Maximinus Daza. VIII. 51.
Maximus (Iul. Verus). VII. 297.
Maximus (Magnus). VIII. 165.
Maximus tyrannus. VIII. 178.
Messalina (Valeria) Claudii. VI. 251.
Messalina (Statilia) Neronis. VI. 287.
Michael I. Rhangabe. VIII. 237.
Michael II. Balbus. VIII. 239.
Michael III. Theophili filius. VIII. 241.
Michael IV. Paphlago. VIII. 254.
Michael V. Calaphates. VIII. 254.
Michael VI. Stratioticus. VIII. 256.
Michael VII. Ducas. VIII. 258.
Michael VIII. Palaeologus. VIII. 267.
Michael IX. Palaeologus. VIII. 269.

Nepos (Iulius). VIII. 202.
Nepotianus. VIII. 119.
Nero Germanici filius. VI. 216.
Nero Domitius. VI. 260.
Nerva. VI. 403.
Nicephorus I. VIII. 233.
Nicephorus Logotheta. VIII. 237.
Nicephorus Focas. VIII. 249.
Nicephorus Botaniates. VIII. 260.
Nigrinianus. VII. 520.
Nonius. VIII. 120.
Numerianus. VII. 510.

Octavia soror Augusti. VI. 159.
Octavia Neronis. VI. 285.
Odenathus Palmyrenus. VII. 491.
Olybrius (Anicius). VIII. 198.
Orbiana (Sall. Barb.) Alexandri Sev. VII. 284.
Oriuna credita Carausii uxor. VIII. 43.
Otacilia (Marcia Severa) Philippi I. VII. 332.
Otho. VI. 300.

Pacatianus. VII. 338.
Paula (Iul. Corn.) Elagabali. VII. 258.
Paulina Maximini I. VII. 296.
Pertinax. VIII. 140.
Pescennius Niger. VII. 152.
Petronius Maximus. VIII. 190.
Philippus I. pater. VII. 320.
Philippus II. filius. VII. 333.
Phocas. VIII. 221.
Piso Frugi. VII. 460.
Placidia (Galla). VIII. 175.
Plautilla (Fulvia). VII. 224.
Plotina Trajani. VI. 465.
Pompeius (Sextus). VI. 26.
Poppaea Sabina Neronis. VI. 286.
Postumus pater. VII. 437.
Postumus filius. VII. 447.
Priscus Attalus. VIII. 180.
Probus. VII. 500.
Procopius. VIII. 156.
Proculus. VII. 507.
Pulcheria Marciani. VIII. 192.
Pupienus (Clodius). VII. 305.

Quartinus (T.) VII. 299.
Quietus. VII. 468.
Quintillus. VII. 477.

Regalianus. VII. 461.
Romanus I. Lecapenus. VIII. 245.
Romanus II. Constantini X. fil. VIII. 248.
Romanus III. Argyrus. VIII. 254.
Romanus IV. Diogenes. VIII. 257.
Romulus Maxentii fil. VIII. 59.

Romulus Aug. VIII. 203.

Sabina Hadriani. VI. 519.
Salonina Gallieni. VII. 418.
Saloninus Gallieni fil. VII. 421.
Saturninus I. VII. 470.
Saturninus II. VII. 507.
Saturninus III. VIII. 113.
Scantilla (Manlia) Did. Iuliani. VIII. 150.
Sebastianus. VIII. 179.
Severa (Iul. Aquil.) Elagabali. VII. 259.
Severina Aureliani. VII. 487.
Severus (Septimius). VII. 166.
Severus (Fl. Val.) VIII. 50.
Severus (Libius). VIII. 196.
Soaemias (Iul.) Elagabali mater. VII. 264.
Sophia Iustini II. VIII. 217.
Sponsianus. VII. 340.
Stauracius. VIII. 237.
Stephanus Romani Lecapeni fil. VIII. 245.
Sulpicius Antoninus. VII. 288.
Supera (Cornelia) Aemiliani. VII. 374.
Sylvanus. VIII. 127.

Tacitus. VII. 496.
Tetricus pater. VII. 455.
Tetricus filius. VII. 459.
Thecla Theophili filia. VIII. 241.
Theia Gothus. VIII. 212. 215.
Theodahatus Gothus. VIII. 213.
Theodora (Fl. Maximiana) Constantii Chlori. VIII. 33.
Theodora Theophili. VIII. 241.
Theodora Constantini XI. filia. VIII. 255.
Theodoricus Gothus. VIII. 211.
Theodorus I. Lascaris. VIII. 265.
Theodorus II. Angelus. VIII. 265. 266.
Theodorus III. Lascaris. VIII. 265.
Theodosius I. Magnus. VIII. 162.
Theodosius II. VIII. 180.
Theodosius III. Adramytenus. VIII. 230.
Theophano Romani II. VIII. 248.
Theophilus. VIII. 240.
Tiberius. VI. 182.
Tiberius Drusi jun. fil. VI. 207.
Tiberius II. Constantinus. VIII. 218.
Tiberius Iustiniani II. fil. VIII. 228.
Tiberius Absimarus. VIII. 229.
Timolaus Palmyrenus. VII. 491.
Titiana Pertinacis. VII. 146.
Titus Vespasianus. VI. 350.
Trajanus. VI. 411.
Tranquillina (Sabinia) Gordiani III. VII. 318.
Trebellianus. VII. 469.
Trebonianus Gallus. VII. 354.

Vabalathus Palmyrenus. VII. 492.
Valens tyrannus. VII. 461.
Valens (Aur. Val.) VIII. 70.
Valens Valentiniani I. frater. VIII. 152.
Valentinianus I. VIII. 149.
Valentinianus II. VIII. 160.
Valentinianus III. (Placidius). VIII. 186.
Valeria (Gal.) VIII. 40.
Valerianus sen. VII. 376.
Valerianus jun. VII. 436.
Verina (Aelia) Leonis I. VIII. 195.
Verus (Annius) M. Aurelii fil. VII. 82.
Verus (L. Aurelius) M. Aurelii frater. VII. 87.
Vespasia Polla Vespasiani mater. VI. 349.
Vespasianus. VI. 319.
Vespasianus jun. VI. 402.
Vetranio. VIII. 119.
Victor (Fl.) VIII. 166.
Victorina Victorini I. mater. VII. 453.
Victorinus pater. VII. 450.
Victorinus filius. VII. 453.
Vitalianus. VIII. 207.
Vitellius. VI. 308.

Vitiges Gothus. VIII. 214.
Volusianus. VII. 366.
Vranius Antoninus. VII. 288.
Vrbica (Magnia) Carini. VII. 517.
Zeno. VIII. 199.
Zenobia Palmyrena. VII. 493.
Zenonis (Aelia) Basilisci. VIII. 204.
Zimisces (Ioannes). VIII. 250.
Zoe Carbonopsina Leonis. VI. VIII. 248.
Zoe Constantini XII. Monomachi. VIII. 255.

INDEX II.

INSCRIPTIONVM.

ABVNDANTIA. *Tetricus I.* VII. 456.
ABVNDANTIA AVG. *Decius.* VII. 343. *Gallien.* VII. 405. *Tetricus II.* VII. 459.
ABVNDANTIA TEMPORVM. *Salonina.* VII. 418.
ACHILLIS PENTESILEA. *Contorn.* VIII. 287.
ACT. IMP. *August.* VI. 107. 110.
ADIVTRIX AVG. *Victorin. I.* VII. 451. *Carausius.* VIII. 44.
ADLOCVTIO AVG. *Gallienus.* VII. 401. *Probus.* VII. 502.
ADLOCVTIO AVGG. *Numerianus.* VII. 512.
ADLOCVTIO COH. *Caligula.* VI. 221. *Nero.* 268.
ADLOCVTIO MILITVM. *Probus.* VII. 503.
ADOPTIO TRIBVNIC. POTESTAS. *Hadrianus.* VI. 475.
ADVENT. *vel* ADVENTVS AVG. *vel* AVGG. *Hadrianus.* VI. 476. *et deinceps obvium.*
ADVENTVI AVG. AFRICAE. VI. 488. ALEXANDRIAE. 489. ARABIAE. 492. ASIAE. 492. BITHYNIAE. 492. BRITANNIAE. 493. CILICIAE. 494. GALLIAE. 494. ITALIAE. 495. IVDAEAE. 495. MACEDONIAE. 498. MAVRETANIAE. 498. MOESIAE. 499. PHRYGIAE. 500. SICILIAE. 500. THRACIAE. 501. *Sunt omnes Hadriani.*
ADVENTVS AVGVSTI. *Caracalla.* VII. 208. *Geta.* 231. *Elagabalus.* 248.
ADVENTVS AVGVSTORVM. *Philippus I.* VII. 320. *Valerianus.* 380.
ADVENTVI AVG. FELICISSIMO. *Severus.* VII. 175.
ADVENT. AVG. GALL. *Severus.* VII. 187.
ADVENTVI CARI AVG. *Carus.* VII. 508.
ADVENTVS S. D. N. AVG. *Marcianus.* VIII. 191.

AED. DIV. FAVSTINAE. *Faustina sen.* VII. 39.
AEDE. DIVI AVG. REST. *Antoninus.* VII. 25.
AEGYPTOS. *Hadrianus.* VI. 488.
AEGYPTO CAPTA. *Augustus.* VI. 83.
AELIANA PINCENSIA. *Hadrianus.* VI. 446.
AENEAS. *Contorn.* VIII. 288.
AEQVITAS AVG. *Hostilianus.* VII. 353. *et in aliis obvium.*
AEQVITAS AVGVSTI, *in spurio Vitellii.* VI. 318.
AEQVITAS II. *Severus.* VII. 167. *Domna.* 196.
AEQVITAS PVBLICA. *Aquilia.* VII. 260. *Salonina.* 418.
AEQVITATI PVBLICAE. *Severus.* VII. 188.
AESCVLAPIVS. *Antoninus.* VII. 32.
AETERNITAS. *Vespasianus.* VI. 337. *Titus.* 355. *Faustina sen.* VII. 39. *Faustina jun.* 81. *Pertinax.* 144.
AET. AVG. *Trajanus.* VI. 423. *Hadrianus.* 478.
AETERNITAS AVG. *Pescennius.* VII. 154. *et deinceps obvium.*
AETERNIT. IMPERI. *Severus.* VII. 179. *Caracalla.* 202. *Geta.* 228.
AETERNITAS IMPER. *Philippus I.* VII. 328.
AETERNITAS P. R. *Vespasianus.* VI. 323.
AETERNITATI AVGG. *Valerianus.* VII. 381. *Gallienus.* 406.
AETERNITATI FLAVIORVM. *Titus.* VI. 360.
AETERNITATIBVS. *Alexander Sev.* VII. 278.
AETERNA MEMORIA. *Chlorus.* VIII. 32. *Max. Herc.* 27. *Romulus.* 59.
AETERNAE MEMORIAE. *Gal. Max.* VIII. 38.
AETERNA PIETAS. *Constantinus M.* VIII. 92.
AFRICA. *Hadrianus.* VI. 488. *Antoninus.* VII. 4. *Severus.* 171.
AGIT SPE TESEVS. *Contorn.* VIII. 288.
AGRIPPINA IVLIA. *Caligula.* VI. 220.
AGRIPPINA DRVSILLA IVLIA. *Caligula.* VI. 219.
AHALA. *Brutus.* VI. 20.
ALACRITATI. *Gallienus.* VII. 406.
ALAMANNIA DEVICTA. *Crispus.* VIII. 100.
ALEXANDER MAGNVS MACEDON. *Contorn.* VIII. 289.
ALEXANDRIA. *Hadrianus.* VI. 489. *Antoninus.* VII. 4.
ALIM. ITAL. *Trajanus.* VI. 424.
AMOR MVTVVS AVG. *Balbinus.* VII. 305.
AMPLIATORI CIVIVM S. P. Q. R. *Antoninus.* VII. 12.
ANCILIA. *Antoninus.* VII. 13.
ANNO I. II. etc. *Iustinus I.* VIII. 207. *et deinceps.*
ANN. DCCCLXXIIII. NAT. VRB. P. CIR. CON. *Hadrianus.* VI. 501.
ANNONA AVG. *M. Aurelius.* VII. 62. *Macrinus.* 239. *Salonina.* 418.
ANNONAE AVG. *Severus.* VII. 176.
ANNO. AVG. *Commodus.* VII. 111.
ANNONA AVG. CERES. *Nero.* VI. 268.
ANN. AVG. SAECVLI FELICISSIMI. *Caracalla.* VII. 203.
APOLLINI ACTIO. *Augustus.* VI. 105.
APOLLINI CONS. *Claudius Goth.* VII. 475. *Carausius.* VIII. 44.
APOLLINI CONS. AVG. *Gallienus.* VII. 395.

APOLLINI CONSERVA. *Gallienus*. VII. 395. *Macrianus*. 467.
APOL. CONSERVAT. *Aemilianus*. VII. 372.
APOLLINI AVGVSTO. *Antoninus*. VII. 13. *Severus*. 171.
APOL. MONETAE. *Commodus*. VII. 122.
APOL. PAL. *vel* PALATINO. *Commodus*. VII. 124.
APOLLI. PAL. S. P. Q. R. *Gallienus*. VII. 395.
APOLL. SALVTARI. *Volusianus*. VII. 368.
APOLLO SALVTARIS. *Trebonianus*. VII. 357.
APOLLINI SANCTO. *Pescennius*. VII. 154.
APOLLONI SANCTO. *Iulianus*. II. VIII. 137. 141. 142.
APOLONIVS TYANEVS. *Contorn*. VIII. 292.
A POP. FRVG. AC. *Domitianus*. VI. 387.
APVLEIVS. *Contorn*. VIII. 292.
AQVA TRAIANA. *Trajanus*. VI. 425.
ARA PACIS. *Nero*. VI. 268. *Lollianus*. VII. 449.
ARA PVDIC. *Plotina*. VI. 465.
ARAB. ADIAB. *Severus*. VII. 172. 173.
ARAB. ADQ. *Trajanus*. VI. 420.
ARCVS AVGG. *Severus*. VII. 185. *Caracalla*. 204.
ARMENIA. *Nero*. VI. 263. *Verus*. VII. 93.
ARMEN. *M. Aurelius*. VII. 50. *Verus*. 90. 91.
ARMENIA CAPTA. *Augustus*. VI. 98.
ARMENIA DEVICTA. *M. Antonius*. VI. 47.
ARMEN. RECEP. IMP. VII. *Augustus*. VI. 82.
ARMENIA ET MESOPOTAMIA IN POTESTATEM P. R. REDACTAE. *Trajanus*. VI. 438.
ARNASI *vel* ARNAZI. *Trebonianus*. VII. 357. *Volusianus*. 368.
ARTEMIVS VINCAS IMPERATOR PLENA. *Contorn*. VIII. 293.
ASIA. *Hadrianus*. VI. 492. *Antoninus*. VII. 4.
ASIA RECEPTA. *Augustus*. VI. 82.
ASINA. *Honorius*. VIII. 173.
AVCTOR PIETAT. *Commodus*. VII. 118.
AVG. *Vespasianus*. VI. 326.
AVGVR PONT. MAX. *Iul. Caesar*. VI. 6.
AVGVR PONTIF. *Augustus*. VI. 82.
AVGVR TRI. POT. *Vespasianus*. VI. 331. *Titus*. 359.
AVGVSTA. *Galba*. VI. 292. *Faustina sen*. VII. 39.
AVGVSTA IN PACE. *Salonina*. VII. 418.
AVGVSTI COS. *Caracalla*. VII. 203.
AVG. PARENTI SVO. *M. Aurelius*. VII. 67.
AVGVSTVS AVGVSTA. *Nero*. VI. 269.
AVSPIC. FEL. *Diocletianus*. VIII. 5.

BASILICA VLPIA. *Trajanus*. VI. 432. 433.
BEATA TRANQVILLITAS. *Licinius jun*. VIII. 69. *Crispus*. 100 *et alii deinceps*.
BEATITVDO PVBLICA. *Magnentius*. VIII. 121.
BONAE FORTVNAE. *Valerianus*. VII. 383. *Gallienus*. 406.
BONAE SPEI. *Pescennius*. VII. 154. *Severus* 170.
BONO GENIO PII IMPERATORIS. *Max. Daza*. VIII. 54. *Licinius sen*. 64.

BONONIA OCEANEN. *Constans. I.* VIII. 110.
BON. EVENT. *Galba.* VI. 293. 298. *Gallienus.* VII. 406.
BONVS EVENTVS. *Pescennius.* VII. 154. *Severus.* 170. *Caracalla* 201.
BONVS EVENTVS AVGVSTI. *Titus.* VI. 359.
BONO REIPVBLICAE. *Grata.* VIII. 189.
BONO REIPVBLICAE NATI. *Fl. Victor.* VIII. 166.
BRITANNIA. *Hadrianus.* VI. 493. *Antoninus.* VII. 4. 14. *Commodus.* 113.
BRITANNIS (DE) *Claudius.* VI. 240.
BRVTVS (L.) PRIM. COS. *Brutus.* VI. 20.

CAESARES GEMINI. *Caius et Lucius.* VI. 174.
CAES. AVG. CONS. S. C. OB. R. P. CONS. *Augustus.* VI. 103.
CALLIOPE AVG. *Probus.* VII. 504.
CAPIT. RESTIT. *Domitianus.* VI. 377.
CAPPADOCIA. *Hadrianus.* VI. 493. *Antoninus.* VII. 5.
CARITAS MVTVA AVGG. *Balbinus.* VII. 305.
CASTOR. *Geta.* VII. 229. *Gallienus.* 396. *Postumus.* 441.
CENSOR. *Claudius.* VI. 242.
CERES. *Tiberius.* VI. 185.
CERES AVGVSTA. *Claudius.* VI. 239. *Iulia Titi.* 366.
CERERI FRVGIFERAE. *Pescennius.* VII. 154. *Severus.* 170.
CERTAM. QVINQ. ROM. CON. *Nero.* VI. 264.
CHORTIS SPECVLATORVM. *M. Antonius.* VI. 53.
CHORTIVM PRAETORIARVM. *M. Antonius* VI. 52.
CIVIBVS SERVATEIS. *Augustus.* VI. 88.
CIVIB. ET SIGN. MILIT. A PARTH. RECVP. *Augustus.* VI. 101.
CIVITATIBVS ASIAE RESTITVTIS. *Tiberius* VI. 192.
CLARITAS AVG. *Postumus.* VII. 441.
CLEM. *M. Aurelius.* VII. 47.
CLEMENTIA AVG. *M. Aurelius.* VII. 63. *Albinus.* 163.
CLEMENTIAE. *Tiberius.* VI. 187.
CLEMENTIAE CAESARIS. *Jul Caesar.* VI. 9.
CLEOPATRAE REGINAE REGVM FILIORVM REGVM. *M. Antonius.* VI. 47.
CL. V. *Augustus.* VI. 96. 121. 128.
COCLES. *Antoninus.* VII. 32.
COHORT. PRAEF. PRINCIPI SVO. *Gallienus.* VII. 406.
COL. L. AN. COM. *Commodus.* VII. 122.
COMES AVG. *Tetricus sen.* VII. 456. *Probus.* 504. *Carausius.* VIII. 44.
COMITI AVG. *Postumus.* VII. 442.
COMITATVS AVGG. *Diocletianus.* VIII. 5. *Chlorus.* 29.
COM. ASI. *vel* ASIAE. *Augustus.* VI. 100. *Claudius.* 245.
COM. ASI. ROM. ET AVG. *Nerva.* VI. 410. *Trajanus.* 444.
COM. BIT. ROMSPAVG. *Hadrianus.* VI. 514.
COMM. CONSENS. *Augustus.* VI. 105.
CONCORDIA. *Galba* VI. 298. *Hadrianus.* 475. *Antoninus* VII. 14. *Faustina sen.* 38. *Faustina jun.* 77. *Aquilia.* 260. *Faustina Elag.* 261. 262. *Otacilia.* 332.
CONCORDIA AVGVST. *Iulia Titi.* VI. 366. *Domitia* 401. *M. Aurel.* VII. 48.

CONCORDIA AVG. *Sabina.* VI. 521. *Paula.* VII. 258. *Gordiani I.* et *II.* 302. *Decius.* 343. *Supera.* 374.

CONCORDIA AVGG. *Geta.* VII. 231. *Orbiana.* 285. *Tranquillina.* 318. *Herennius.* 349.

CONCORDIA AVGGG. *vel* AVGGGG. *Valentinianus I.* VIII. 150.

CONCORDIA AVGG. ET CAESS. NNNN. *Max. Herc.* VIII. 18.

CONCORDIA AVGG. *vel* AVGVSTORVM. *(in antica) Philippus I.* VII. 320. 321. 323. *Decius.* 345. *Trebonianus.* 355. *Valerianus.* 380. *Gallienus.* 408. 410.

CONCORDIA AETERNA. *Paula.* VII. 258.

CONCORDIAE AETERNAE. *Caracalla.* VII. 203. *Plautilla.* 226.

CONCORD. EQVIT. *Postumus.* VII. 442. *Aureolus.* 465.

CONCORDIA EXERCITVVM. *Nerva.* VI. 404.

CONCORDIA IIII. EXERCIT. *Valerianus.* VII. 383.

CONCORD. EXERC. VIII. *Gallienus.* VII. 406.

CONCORDIA FELIX. *Caracalla.* VII. 203. *Plautilla.* 226.

CONCORDIA IMPERII. *Fl. Severus.* VIII. 50. *Constantinus M.* 72.

CONC. MIL. *Commodus.* VII. 114.

CONCORDIA MILITVM. *Did. Iulianus.* VII. 149. *Pacatianus.* 339. *Marius.* 454. *Severina.* 487.

CONCORD. MILIT. FELIC. ROMANOR. *Max. Herc.* VIII. 25.

CONCORDIA P. P. *Pescennius.* VII. 154.

CONCORDIA PROVINCIARVM. *Galba.* VI. 293.

CONG. DAT. POP. *Nero.* VI. 270.

CONGIAR. P. R. *Nerva.* VI. 404.

CONG. P. R. *Trajanus.* VI. 413.

CONGIAR. PRIMVM P. R. DAT. *Titus.* VI. 354.

CONGIAR. SECVND. *Trajanus.* VI. 417.

CONG. II. COS. II. *Domitianus.* VI. 370.

CONGIARIVM TERTIVM. *Trajanus.* VI. 426.

CONG. AVG. III. *M. Aurelius.* VII. 51.

CONG. AVG. IIII. *M. Aurelius.* VII. 53. *Verus.* 93.

CONG. AVG. VIIII. *Antoninus.* VII. 27.

CONS. PRINC. AVG. *Aurelianus.* VII. 481.

CONSECRATIO. *Numi sic inscripti exhibentur in tractatu singulari de numis consecrationum Vol. VIII. pag. 456.*

CONSEN. EXERCIT. *Vespasianus.* VI. 323.

CONSENSV SENAT. ET EQ. ORDIN. P. Q. R. *Augustus.* VI. 126.

CONSERVATOR AVG. *Elagabalus.* VII. 249. *Valerianus.* 383. *Gallienus.* 395. *Tacitus.* 497. *Florianus.* 499. *Probus.* 500.

CONSERVATORES AVG. *Postumus.* VII. 442.

CONSERVATORI AVGGG. *Carausius.* VIII. 44.

CONSERVATOR AFRICAE SVAE. *Max. Herc.* VIII. 25. *Maxentius.* 57.

CONSERVATORES KART. SVAE. *Max. Herc.* VIII. 25. *Maxentius.* 58.

CONSERVATORES VRB. SVAE. *Max. Herc.* VIII. 26. *Maxentius.* 56. 57.

CONSERVAT. PIETAT. *Gallienus.* VII. 406. *Claud. Goth.* 472.
CONSTANT. AVG. *Carausius.* VIII. 44.
CONSTANTIAE AVGVSTI. *Antonia.* VI. 179. *Claudii.* 236.
CONSTANTINIANA DAPHNE. *Constantinus M.* VIII. 81.
CONSVL. AVGG. NN. *Max. Herc.* VIII. 16.
COS. QVINQ. *Iul. Caesar.* VI. 8.
COS. OCTAVO DESIG. IX. *Augustus.* VI. 89.
COS. ITERO. *Hadrianus.* VI. 477.

DACIA. *Hadrianus.* VI. 494. *Antoninus.* VII. 5. *Decius.* 343.
DACIA AVGVST. PROVINCIA. *Trajanus.* VI. 428.
DACIA CAP. *Trajanus.* VI. 418.
DACIA FELIX. *Decius.* VII. 343. *Aurelianus.* 481.
DACICA. *Trajanus.* VI. 423.
DANVBIVS. *Constantinus M.* VIII. 85.
DANVVIVS. *Trajanus.* VI. 418.
DARDANICI. *Trajanus.* VI. 446.
DEAE SEGETIAE. *Gallienus.* VII. 399. *Salonina.* 419.
DEBELLATORI GENTIVM BARBARARVM. *Constantinus M.* VIII. 83. *Constantius II.* 116.
DECVRSIO. *Nero.* VI. 271. *Hadrianus.* 503. *Contorn.* VIII. 305.
DEDICATIO AEDIS. *Faustina sen.* VII. 39.
DEO AVGVSTO. *Gallienus.* VII. 396.
DEO CABIRO. *Claud. Goth.* VII. 472.
DEO MARTI. *Gallienus.* VII. 398.
DEO VOLKANO. *Valerianus.* VII. 384. *Gallienus.* 400. *Saloninus.* 422.
DEO SANCTO NILO. *Iulianus II.* VIII. 136.
DEO SANCTO SERAPIDI. *Iulianus II.* VIII. 136. *seq.*
DEO ET. DOMINO NOSTRO (*vel* NATO) AVRELIANO AVG. *(in antica.) Aurelianus.* VII. 482.
DEO ET DOMINO CARO INVIC. AVG. *(in antica) Carus.* VII. 508.
DESTINATO IMPERAT. *Caracalla.* VII. 200.
DEVS ADIVTA ROMANIS. *Heraclius I.* VIII. 223. *et deinceps.*
DIANA. *Carausius.* VIII. 45.
DIANA EPHESIA. *Claudius.* VI. 245. *Hadrianus.* 514.
DIANA PERGENSIS. *Nerva.* VI. 410. *Trajanus.* 444.
DIANAE CONS. *Carausius.* VIII. 45.
DIANAE CONS. AVG. *Gallienus.* VII. 396.
DIANAE REDVCI. *Postumus.* VII. 442.
DIANAE VICTRI. *Trebonianus.* VII. 358. *Aemilianus.* 372.
DII NVTRITORES. *Saloninus.* VII. 421.
DII PATRII. *Caracalla.* VII. 205. *Geta.* 228.
DIS AVSPICIB. *Severus.* VII. 171.
DIS CVSTODIBVS. *Pertinax.* VII. 141.
DIS GENITALIBVS. *Crispina.* VII. 139.
DIS GENITORIBVS. *Pertinax.* VII. 141.
DISCIPLINA AVG. *Hadrianus.* VI. 503.
DIVA AVGVSTA. *Galba.* VI. 293.
DIVAE MATIDIAE SOCRVI. *Matidia.* VI. 472.
DIVI CAESARIS MATER. *Domitia.* VI. 401.
DIVI M. Pii F. *Severus.* VII. 173. 174.
DIVI NERVA ET TRAIANVS PAT. *Trajanus.* VI. 433.

DIVIS PARENTIBVS. *Plotina*. VI. 466.
DIVVS AVGVSTVS PATER. *Tiberius*. VI. 193.
DIVVS PATER TRAIANVS. *Trajanus*. VI. 433.
D. N. IHS. XPS. DEI. FILIVS. *Contorn*. VIII. 174.
DONA AVG. *Gallienus*. VII. 406.

EID. MAR. *Brutus*. VI. 24.
EMMANOVHL. *Zimisces*. VIII. 250.
ENTTLOICKCSS. *Philippus I*. VII. 329.
EPHE. *Vespasianus et filii*. VI. 339.
EQVESTER ORDO PRINCIPI IVVENT. *Nero*. VI. 261. *Commodus*. VII. 104.
EQVIS ROMANVS. *Constantinus M*. VIII. 82.
EXERCITVS BRITANNICVS. *Hadrianus*. VI. 493. *Cappadocicus*. 493. *Dacicus*. 494. *Germanicus*. 494. *Hispanicus*. 495. *Iudaicus*. 496. *Mauretanicus*. 498. *Moesiacus*. 499. *Noricus*. 500. *Parthicus*. 500. *Raeticus*. 500. *Syriacus*. 501.
EXERCITVS INLVRICVS. *Decius*. VII. 344.
EXERCITVS ISC. *Postumus*. VII. 442.
EXERCITVS PERS. *Probus*. VII. 504.
EXERCITVS VAC. *Postumus*. VII. 442.
EX ORACVLO APOLLINIS. *Philippus I*. VII. 321.
EXPECTATE VENI. *Carausius*. VIII. 45.
EX S. C. *Claudius*. VI. 244. *Vespasianus*. 338.
EX S. C. OB CIVES SERVATOS. *Claudius*. VI. 239.
EX SENATVSCONSVLTO. *Marciana*. VI. 469.
EXVLES ROMAE RED. S. P. Q. R. *Nerva*. VI. 411.
EXVPERATOR OMNIVM GENTIVM. *Constantinus M*. VIII. 83.

FATIS VICTRICIBVS. *Diocletianus*. VIII. 6.
FECVNDITAS. *Lucilla*. VII. 99. *Domna*. 196. *Etruscilla*. 347.
FECVND. AVGVSTAE. *Faustina jun*. VII. 78.
FECVNDITAS AVG. *Maesa*. VII. 267. *Gallienus*. 407. *Vran. Antoninus*. 289.
FECVNDITAS TEMPORVM. *Otacilia*. VII. 332.
FELICITAS. *Carausius*. VIII. 45.
FEL. AVG. *Commodus*. VII. 114.
FELICITAS AVG. *M. Aurelius*. VII. 58. *Postumus*. 442.
FELICITAS AVGVSTA. *Paula*. VII. 258.
FELICITAS CAES. NOSTR. *Fl. Severus*. VIII. 50.
FELICIT. DEORVM. *Mariniana*. VII. 388.
FELICITAS IMPP. *Philippus I*. VII. 328.
FELICITAS PERPETVA. *Mamaea*. VII. 287. *Constans I*. VIII. 110.
FELICITAS PVBLICA. *Severus*. VII. 179. *Volusianus*. 368.
FELICITAS REIPVBLICAE. *Carus*. VII. 508. *Constantinus M*. VIII. 84.
FELICITAS ROMANORVM. *Constantius II*. VIII. 113. 116. *Gallus*. 125.
FELICITAS SAECVLI. *Severus*. VII. 179. 182. *Caracalla*. 218. *Geta*. 229.
FEL. TEMP. *M. Aurelius*. VII. 49.
FELICIT. TEMPOR. *Pescennius*. VII. 155. *Severus*. 170.

FELICITAS TEMPORVM. *Tranquillina*. VII. 318. *Iulian. tyr.* 521.
FELICITATI AVG. *M. Aurelius*. VII. 64.
FELICITATI CAES. *Commodus*. VII. 105.
FELICITATI PVBLICAE. *Carus*. VII. 508.
FELICITATEM ITALICAM. *Caracalla*. VII. 219.
FELICITATEM PO. R. *Gordianus III*. VII. 314.
FELICIA DECENNALIA. *Constans I*. VIII. 110.
FELICIA TEMPORA. *Caracalla*. VII. 218. *Probus*. 504. *Constantinus M*. VIII. 84.
FELIX ADVENTVS AVGGG. *Valens*. VIII. 153.
FELIX ADVENTVS AVGG. NN. *Diocletianus et sequentes*. VIII. 7.
FELIX INGRESSVS SEN. AVG. *Max. Herc*. VIII. 26.
FELIX PROCESS. CONSVLAT. AVG. N. *Maxentius*. VIII. 56.
FELIX PROCESSVS COS. II. AVG. *Constantinus II*. VIII. 107.
FELIX PROCESSVS COS. IIII. AVG. N. *Constantinus M*. VIII. 74. — COS. VI. AVG. N. *Idem*. 75.
FELIX RESPVBL. *Iustinus II*. VIII. 217.
FELIX TEMPORVM REPARATIO. *Constans I*. VIII. 111. *et deinceps frequenter*.
FELIX CARTHAGO. *Max. Herc*. VIII. 18. *Maxentius*. 55.
FELIX TICINVS. *Baduila*. VIII. 215.
FEL. MVNICIPI VELITERNI. *in numo plumbeo*. VIII. 318.
FELICITER NVBTIIS. *Marcianus*. VIII. 191.
FIDES AVGVST. *Plotina*. VI. 466.
FIDEI COH. *vel* COHORTIVM. *Commodus*. VII. 123.
FIDEI EQVITVM. *Gallienus*. VII. 407.
FIDES EXERCITVM. *Vitellius*. VI. 317.
FIDES EXERCITVVM. *Pertinax*. VII. 145.
FIDES EXERCITVS. *Gordianus III*. VII. 314.
FIDES EXERCITVS VIII. *Gallienus*. VII. 407.
FIDEI LEG. *Severus*. VII. 167. 160.
FIDES MAXIMA. *Probus*. VII. 504.
FIDES MILITVM. *Macrinus*. VII. 239. *et plures deinceps*.
FIDES MVTVA AVGG. *Balbinus*. VII. 305.
FID. PRAETORIANORVM. *Gallienus*. VII. 407.
FIDEM MILITVM NN. *Carausius*. VIII. 45.
FISCI IVDAICI CALVMNIA SVBLATA. *Nerva*. VI. 404.
FLOREAS SEMPER. *Baduilla*. VIII. 215.
FLORENTE FORTVNA P. R. *Galba*. VI. 298.
FLVRENS SEMPER. *Iustinus. I*. VIII. 207.
FORTI FORTVNAE. *Gal. Maximianus*. VIII. 38.
FORTVNA AVGVST. *Domitilla*. VI. 345.
FORT. DVCI. *M. Aurelius*. VII. 63. *Commodus*. VII. 115.
FORTVNAE MANENTI. *Commodus*. VII. 115.
FORTVNAE MVLIEBRI. *Faustina jun*. VII. 78.
FORTVNA OBSEQVENS. *Antoninus*. VII. 24.

FOR. RE. *Augustus*. VI. 100.
FORT. RED. *Hadrianus*. VI. 476. *M. Aurelius*. VII. 57. 62. *Caracalla*. 208. *Geta*. 231.
FORT. RED. AVG. S. P. Q. R. *Augustus*. VI. 100.
FORTVNA REDVX. *Pacatianus*. VII. 339.
FORTVNAE REDVCI. *Pescennius*. VII. 155. *Severus*. 170.
FORTVNAE REDVCI CAES. NN. *Diocletianus*. VIII. 8.
FORVM TRAIANI. *Trajanus*. VI. 432.
FVNDATOR PACIS. *Severus*. VII. 178. *Licinius jun*. VIII. 69.

GALLIA, *addito etiam* HISPANIA. *Galba*. VI. 293. 294.
GALLIENVS CVM EXER. SVO. *Valerianus*. VII. 385.
GAVDETE ROMANI. *Max. Herc.* VIII. 18.
GAVDIVM ROMANORVM. *Max. Herc.* VIII. 19. *Daza*. 54. *Constantius II*. 113. *Iovianus*. 147.
GAVDIVM ROMANORVM ALAMANNIA *vel* FRANCIA. *Constantinus M*. VIII. 84. *Crispus*. 100.
GAVDIVM ROMANORVM SARMATIA. *Constantinus II*. VIII. 107.
GENIO ANTIOCHENI. *Iulianus II*. VIII. 137. 141.
GENIO AVGVSTI. *Nero*. VI. 272. *Gal. Max.* VIII. 38.
GENIO CIVITATIS. *Iulianus II*. VIII. 137. 141.
GENIO EXERCITVS. *Gal. Max.* VIII. 38.
GENIVS EXERC. ILLVRICIANI. *Decius*. VII. 344.
GENIO FIL. AVG. *Constantinus M*. VIII. 73.
GEN. *vel* GENIVS ILLVRICI. *Decius*. VII. 344. *Aurelianus*. 481.
GENIO IMPERATORIS. *Gal. Max.* VIII. 38.
GEN. LVG. *Albinus*. VII. 163.
GENIO P. R. *Galba*. VI. 296.
GENIO POPVLI ROMANI. *Diocletianus*. VIII. 8. *aliique deinceps*.
GENIVS P. R. *Augustus*. VI. 97. 98. *Vitellius*. 317. *Gallienus*. VII. 416.
GENIO S. P. Q. R. *Gallienus*. VII. 416.
GERMANIA. *Hadrianus*. VI. 494.
GERMANIA CAPTA. *Domitianus*. VI. 379.
GERMANIA SVBACTA. *M. Aurelius*. VII. 60.
GERMANICVS MAX. TER. *Valerianus*. VII. 385. *Gallienus*. 401.
GERMANICVS MAX. V. *Gallienus*. VII. 401. *Postumus*. 442.
GERMANIS (DE) *Drusus sen*. VI. 176. 177. *M. Aurelius*. VII. 63. *Commodus*. 105.
GLORIA EXERCITVS. *Delmatius*. VIII. 103.
GLORIA EXERCITVS GALL. *Constantinus M*. VIII. 83.
GLORIA EXERCITVS KARTH. *Alexander tyr*. VIII. 60.
GLORIA NOVI SAECVLI. *Gratianus*. VIII. 159.
GLORIA ORBIS. *Probus*. VII. 502.
GLORIA ORBIS TERRAE. *Theodosius II*. VIII. 181.
GLORIA ORVIS *(sic)* TERRARVM. *Theodosius M*. VIII. 163. *Theodosius II*. 181. *Marcianus*. 192.
GLORIA REIPVBLICAE. *Constantius II*. VIII. 116.

GLORIA ROMANORVM. *Iulianus II.* VIII. 128. *Iovianus.* 147. *Valens.* 153. *Gratianus.* 159.
GOTHIA. *Constantinus M.* VIII. 83.

HERCVLES ADSERTOR. *Galba.* VI. 298.
HERCVLES ARGIVVS. *Postumus.* VII. 443.
HERCVLI COMITI AVG. *Postumus.* VII. 443.
HERCVLI COMITI CAESS. NOSTR. *Max. Daza.* VIII. 54.
HERC. COMMODIANO. *Commodus.* VII. 125.
HERCVLI CONS. AVG. *Gallienus.* VII. 396.
HERCVLI CRETENSI. *Postumus.* VII. 443.
HERCVLI DEBELLATORI. *Max. Herc.* VIII. 19.
HERC. DEVSONIENSI. *Postumus.* VII. 443.
HERCVLI ERYMANTHINO. *Postumus.* VII. 443. ERYMANTHIO. *Probus.* 504.
HERC. GADIT. *Hadrianus.* VI. 504.
HERCVLI IMMORTALI. *Postumus.* VII. 443.
HERCVLI INVICTO. *Postumus.* VII. 443.
HERCVLI LIBYCO. *Postumus.* VII. 443.
HERCVLI MAGVSANO. *Postumus.* VII. 444.
HERCVLI NEMAEO. *Postumus.* VII. 444.
HERC. PAC. *Verus.* VII. 91.
HERCVLI PACIFERO. *Postumus.* VII. 444. *Probus.* 501.
HERCVLI ROMANO. *Commodus.* VII. 131. *Postumus.* 444. *Probus.* 504.
HERC. ROM. CONDITORI. *Commodus.* VII. 131.
HERCVLI THRACIO. *Postumus.* VII. 444.
HERCVLI VICTORI. *Fl. Severus.* VIII. 51.
HERCVLI MAXIMIANO AVG. *Diocletianus.* VIII. 9.
HERO LEANDRVM. *Contorn.* VIII. 288.
HILARITAS. *Commodus.* VII. 105.
HILARITAS AVGG. *Tetricus I.* VII. 456.
HILAR. TEMPOR. *Clara.* VII. 151.
HISPANIA. *Galba.* VI. 294. *Vespasianus.* 338. *Hadrianus.* 495. *Antoninus.* VII. 5.
HISPANIA CLVNIA SVL. *Galba.* VI. 294.
HOC SIGNO VICTOR ERIS. *Constantius II.* VIII. 116. *Vetranio.* 120. *Gallus.* 126.
HONOS. *M. Aurelius.* VII. 44.
HONOS ET VIRTVS. *Galba.* VI. 295. *Vitellius.* 310.
HORATIVS. *Contorn.* VIII. 292.

IANO CONSERVATORI. *Pertinax.* VII. 141.
IANO PATRI. *Gallienus.* VII. 396.
IAN. CLV. *Augustus.* VI. 89.
IHS. CRIST. D. F. REX REGNANTIVM. *Iustinianus II.* VIII. 228. *et similiter deinceps.*
IMP. ET CAESAR AVG. FILI. *Caracalla.* VII. 205.
IMPER. RECEPT. *Claudius.* VI. 235.
IMPERII FELICITAS. *Caracalla.* VII. 200. 201.
IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. *Theodosius II.* VIII. 182. *Eudoxia.* 184. *Valentinianus III.* 187. *Pulcheria.* 192. *Leo I.* 194.

IND. *vel* INDICTIONE *additis numeris. Mauricius.* VIII. 221. *Heraclius I.* 224.
INDVLG. AVG. *Gallienus.* VII. 407.
INDVLGENTIA AVG. *Antoninus.* VII. 22. *Alexander.* 268.
INDVLGENTIA AVGG. IN CARTH. *Severus.* VII. 183. *Caracalla.* 204.
INDVLGENTIA AVGG. IN ITALIAM. *Severus.* VII. 190.
INDVLG. FECVNDAE. *Caracalla.* VII. 207.
INDVLG. PIA POSTVMI AVG. *Postumus.* VII. 444.
IN HOC SIN. VIC. *Constantinus M.* VIII. 83.
INT. VRB. *Gallienus.* VII. 416.
INVICTA ROMA AETERNA. *Priscus Attalus.* VIII. 180.
INVICTA ROMA FELIX KARTHAGO. *Alexander tyr.* VIII. 61.
INVICTA ROMA FELIX SENATVS. *Contorn.* VIII. 302.
INVICTA VIRTVS. *Severus.* VII. 190.
INVICTO IMP. TROPAE. *Pescennius.* VII. 155. *Severus.* 170.
INVICTVS AV. *Carausius.* VIII. 45.
INVICTVS SACERDOS AVG. *Elagabalus.* VII. 249.
INVICTVS *(sc. Sol.) Gallienus.* VII. 408.
IO. CANTAB. *Gallienus.* VII. 398.
IOVI AVGG. *Diocletianus.* VIII. 9.
IOVI CONSERVATORI. *Domitianus.* VI. 379 *et deinceps frequenter.*
IOVI CONSER. IOVII CONS. *Diocletianus.* VIII. 9.
IOVI CONSERVATORI LICINI AVG. *Licinius sen.* VIII. 64.
IOVI CONSERVATORI N. K. L. Y. K. C. *Max. Herc.* VIII. 20.
IOVI CRESCENTI. *Gallienus.* VII. 398. *Saloninus.* 422.
IOVI CVSTODI. *Domitianus.* VI. 393.
IOVI DEO. *Augustus.* VI. 127.
IOVI DEFENS. SALVTIS AVG. *Commodus.* VII. 127.
IOVI EXSVPER. *Commodus.* VII. 115.
IOVI FVLGERATORI. *Claudius Goth.* VII. 472. *Diocletianus.* VIII. 9.
IOVI IVVEN. *Commodus.* VII. 120.
IOVI OLYM. *Augustus.* VI. 122.
IOVI PACATORI ORBIS. *Valerianus.* VII. 385.
IOVI PRAE. ORBIS. *Pescennius.* VII. 155. *Severus.* 168.
IOVI PROPVGNATORI. *Severus.* VII. 178. *Gallienus.* 398. *Diocletianus.* VIII. 9.
IOVI STATORI. *Gallienus.* VII. 398. *Vabalathus.* 492.
IOV. TON. *Augustus.* VI. 92.
IOVI TVTATORI. *Diocletianus.* VIII. 9.
IOVI VICTORI. *Commodus.* VII. 108. *aliique passim.*
IOVI VLTORI. *Gallienus.* VII. 398.
IOVI VOT. SVSC. PRO SAL. CAESARIS AVG. S. P. Q. R. *Augustus.* VI. 103.
IOVIS CONSERVATOR. *Max. Herc.* VIII. 19.
IOVIS CVSTOS. *Vespasianus.* VI. 337.
IOVIS PROPVGNATOR. *Alexander.* VII. 278.
I. O. M. *Commodus.* VII. 111.
I. O. M. SPONSORI SAECVLI AVG. *Postumus.* VII. 444.
I. O. M. SPONSOR SEC. AVG. *Commodus.* VII. 127.
I. O. M. ET FORT. CONSER. DD. NN. AVG. ET CAES. *Licinius sen.* VIII. 65.
I. O. M. ET VICT. CONSER. DD. NN. AVG. ET. CAES. *Licin. sen. ibid.*

I. O. M. ET VIRTVTI DD. NN. AVG. ET CAES. *Licin. sen. ibid.*
I. O. M. S. P. Q. R. V. S. PR. S. IMP. CAE. QVOD. PER. EV. R. P. IN. AMP. ATQ. TRAN. S. E. *Augustus.* VI. 105.
I. O. MAX. CAPITOLINVS. *Vitellius.* VI. 312. 317.
IOVI ET HERCVLI CONS. AVGG. *Carausius.* VIII. 46.
IOVIO ET HERCVLIO. *Diocletianus.* VIII. 9.
IO. IO. TRIVMP. *Domitianus.* VI. 393. *Tessera.* VIII. 316.
IO. SAT. IO. *Tessera.* VIII. 316. 318.
IOX. *Carausius.* VIII. 46.
ISIS FARIA. *Iulianus II.* VIII. 136. 140.
ITALIA. *Hadrianus.* VI. 495. *Commodus.* VII. 113.
IVDAEA. *Hadrianus.* VI. 495.
IVDAEA CAPTA. *Titus.* VI. 354.
IVNO. *Otacilia.* VII. 332.
IVNO AVG. *Salonina.* VII. 419.
IVNO AVGVSTAE. *Mamaea.* VII. 288.
IVNO REGINA. *Scantilla.* VII. 150. *Soaemias.* 265. *Etruscilla.* 347. *Supera.* 374. *Gallienus.* 397. *Claud. Goth.* 472.
IVNONI REGINAE. *Sabina.* VI. 521.
IVNONI REGINE. *Dryantilla.* VII. 464.
IVNONI LVCINAE. *Lucilla.* VII. 99.
IVNONI MARTIALI. *Trebonianus.* VII. 358. *Volusianus.* 367. 368. *Hostilianus.* 353.
IVNONI SISPITAE. *Antoninus.* VII. 14. *Commodus.* 107.
IVPPITER CVSTOS. *Nero.* VI. 272. *Domitianus.* 393.
IVPPITER LIBERATOR. *Nero.* VI. 272.
IVSSV RICHIARI REGES. *Honorius.* VIII. 172.
IVSTITIA. *Hadrianus.* VI. 476.
IVSTITIA AVGVSTI. *Pescennius.* VII. 155.
IVST. VENER. MEMOR. *Constantinus M.* VIII. 93.
IVVENTA IMPERII. *Caracalla.* VII. 201.
IVVENTAS. *M. Aurelius.* VII. 45. *Claudius Goth.* 472.
IVVENTVS. *M. Aurelius.* VII. 46. *Crispus.* VIII. 101.
IVBENTVS AVG. *Gallienus.* VII. 408.

LAETITIA. *Antoninus.* VIII. 20. *Faustina jun.* 78. *Aquilia.* 260.
LAETITIA AVG. *Claud. Goth.* VII. 475.
LAETITIAE S. P. Q. R. *Commodus.* VII. 116.
LAETITIA TEMPORVM. *Severus.* VII. 182.
LAOCOON. *Contorn.* VIII. 288.
LARGITIO. *Constantius II.* VIII. 117.
LEANDRVM HERO. *Contorn.* VIII. 288.
LEG. etc. *Catalogum legionum, quas numi offerunt, vide Vol. VIII. pag. 488.*
LIBERALITAS *etc. epigraphe obvia.*
LIBERALITAS AVGGG. *Regalianus.* VII. 462.
LIBERALITAS AVG. II. *Antoninus.* VII. 14. *Severus.* 175. *Caracalla.* 200. *Elagabalus.* 248. *Alexander.* 271. *Gordianus III.* 310. *Philippus sen.* 322.
LIBERALITAS AVG. III. *Hadrianus.* VI. 504. *Verus.* VII. 92. *Severus.* 182. *Elagabalus.* 249. *Alexander.* 271. *Gordianus III.* 312. *Philippus I.* 323. *Philippus II.* 334. *Gallienus.* 408.
LIBERALITAS AVG. IIII. *Hadrianus.* VI. 504. *Antoninus.* VII. 17. *Commodus.* 110. *Severus.* 184. *Elagabalus.*

249. *Alexander.* 272. *Gordianus.* III. 312. *Gallienus.* 408.

LIBERALITAS AVG. V. *Hadrianus.* VI. 504. *Antoninus.* VII. 18. *M. Aurelius.* 57. *Commodus.* 110. *Severus.* 186. *Caracalla.* 205. *Geta.* 231. *Alexander.* 276.

LIBERALITAS AVG. VI. *Hadrianus.* VI. 504. *Antoninus.* VII. 19. *M. Aurelius.* 62. *Commodus.* 116. *Severus.* 187. *Caracalla.* 206. 208. *Geta.* 230.

LIBERALITAS AVGG. VI. ET V. *Caracalla.* VII. 208. *Geta.* 231.

LIBERALITAS AVG. VII. *Hadrianus.* VI. 504. *Antoninus.* VII. 23. *M. Aurelius.* 62. 64. *Commodus.* 123. *Caracalla.* 209.

LIBERALITAS AVG. VIII. *Antoninus.* VII. 24. *Commodus.* 131. *Caracalla.* 210.

LIBERALITAS AVG. VIIII. *Antoninus.* VII. 27.

LIBERATIS CIVIBVS. *Pertinax.* VII. 142.

LIBERATOR ORBIS. *Constantinus M.* VIII. 85.

LIBERATOR REIPVBLICAE. *Magnentius.* VIII. 122.

LIBERI. IMP. *Vitellius.* VI. 315.

LIBERI IMP. AVG. *Vespasianus.* VI. 327. 332.

LIBERIS AVG. COL. A. A. P. *Claudius.* VI. 246.

LIBERO PATRI. *Severus.* VII. 171.

LIBERO P. CONS. AVG. *Gallienus.* VII. 398.

LIBERTAS. *Brutus.* VI. 20. 24. *Cassius.* 25. *Nero.* 273.

LIBERTAS AVGVSTA. *Claud.* VI. 239. *Claud. Goth.* VII. 475.

LIBERTAS P. R. *Galba.* VI. 295.

LIBERTAS PVBLICA. *Marciana.* VI. 469. *Iulianus tyr.* VII. 521.

LIBERTAS RESTITVTA. *Galba.* VI. 295. 298. *Hadrianus.* 505.

LIBERTATIS P. R. VINDEX. *(in antica) Augustus.* VI. 83.

LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM. *Hadrianus.* VI. 505.

LVD. SAEC. *vel* LVDOS SAE. *Augustus.* VI. 102.

LVD. SAEC. FEC. *Domitianus.* VI. 385. *Severus.* VII. 185.

LVGVDVNI A. XL. *M. Antonius.* VI. 38.

LVNA LVCIFERA. *Gallienus.* VII. 398.

MAC. AVG. *Nero.* VI. 273.

MAG. IVVENT. *Tessera.* VIII. 315. 318.

MAGNIFICENTIAE AVG. *Commodus.* VII. 127.

MARS ADSERTOR. *Galba.* VI. 298.

MARTI AVGVSTO. *Pescennius.* VII. 155.

MARTI CONSER. *Gallienus.* VII. 398.

MART. PACAT. *Commodus.* VII. 121.

MARTI PACIF. *Probus.* VII. 501.

MARTI PATR. SEMP. VICTORI. *Constantinus M.* VIII. 85.

MARTI PROPAG. IMP. AVG. N. *Maxentius.* VIII. 58.

MARTI PROPVGNATORI. *Hostilianus.* VII. 352.

MARS VICTOR. *Numerianus.* VII. 54.

MARTI VICTORI. *Pescennius.* VII. 156. *Severus.* 170. *Gordianus.* 314.

MARS VLTOR, *vel* MARTI VLTORI. *Augustus.* VI. 96. 97. 100. *Galba.* 296.

298. *Albinus.* VII. 163. *Caracalla.* 200. *Carausius.* VIII. 46.
MATER AVGG. *Domna.* VII. 196.
MATER AVGVSTI ET CASTRORVM. *Mamaea.* VII. 288.
MAT. AVGG. MAT. SEN. M. PATRIAE. *Domna.* VII. 196.
MATER CASTRORVM. *Domna.* VII. 196.
MATRI CASTRORVM. *Faustina jun.* VII. 79. 81.
MATER DEVM. *Soaemias.* VII. 265.
MATRI DEVM CONSERV. AVG. *Commodus.* VII. 127.
MATRI DEVM SALVTARI. *Faustina sen.* VII. 39. *Contorn.* VIII. 284.
MAVRETANIA. *Antoninns.* VII. 5.
MAVRETANIA. *Hadrianus.* VI. 498. *Antoninus.* VII. 5. *Commodus.* 132.
MEMORIA DIVI CONSTANTI. *Chlorus.* VIII. 32.
MEMORIAE AETERNAE. *Claud. Goth.* VII. 474. *Max. Herc.* VIII. 27. *Chlorus.* 32.
MEMORIAE AGRIPPINAE S. P. Q. R. *Agrippina sen.* VI. 213.
MEMORIAE DOMITILLAE S. P. Q. R. *Domitilla Vesp. F.* VI. 346.
MEMORIA FELIX. *Chlorus.* VIII. 32.
MENTI LAVDANDAE. *Pertinax.* VII. 142.
MERCVRIO CONS. AVG. *Gallienus.* VII. 398.
MERCVRIO FELICI. *Postumus.* VII. 445.
MET. METALLI etc. *Vide numos metallorum in moneta Trajani.* VI. 445.
MILIARIVM SAECVLVM. *Philippus I.* VII. 324.
MINERVA AVG. *Gallienus.* VII. 399.
MINER. FAVTR. *Postumus.* VII. 445.
MINERVA SANCTA. *Severus.* VII. 190.
MINERVA VICTRIX. *Commodus.* VII. 121. *Pescennius.* 156. *Severus.* 170. *Orbiana.* 285.
MINERVALES. *Tessera.* VIII. 318.
MLETHRM PROPVGNATOREM PII. *Gordianus III.* VI. 316.
MODERATIONI. *Tiberius.* VI. 187.
MON. RESTITVTA. *Alexander.* VII. 279.
MONETA AVG. *Trebonianus.* VII. 361. *et saepe deinceps.*
MONETA IOVI ET HERCVLI AVGG. *Diocletianus.* VIII. 9.
MONETA VRBIS VESTRAE. *Crispus.* VIII. 101. *Constantinus II.* 107.
MONETA *vide* SACRA.
MVNIFICENTIA. *Antoninus.* VII. 19. *Commodus.* 111. *Severus.* 176.
MVNIFICENTIA GORDIANI AVG. *Gordianus III.* VII. 315.

NAVIVS. *Antoninus.* VII. 32.
NEP. RED. *Vespasianus.* VI. 327.
NEPTVNI. *Sex. Pompejus.* VI. 29.
NEPTVNO AVG. *Claud. Goth.* VII. 473.
NEPTVNO CIRCENS. CONSTITVT. *Nerva.* VI. 406.
NEPTVNO CONS. AVG. *Gallienus.* VII. 399. *Tetricus sen.* 456.
NILVS. *Hadrianus.* VI. 499.
NOBILITAS. *Geta.* VII. 228. *Elagabalus.* 248.
NOBIL. AVG. *Severus.* VII. 169.
NOBILITAS AVG. *Commodus.* VII. 116. 118. *Philippus sen.* 328. *Tetricus pat.* 456.
NOVA SPES REIPVBLICAE. *Arcadius.* VIII. 169.

OB CIVES SERVATOS. *Galba.* VI. 298.

OB CIVIS SERVATOS. *Augustus.* VI. 121. 123.
OB CONSERVATIONEM PATRIAE. *Gallienus.* VII. 408.
OB CONSERVATIONEM SALVTIS. *Gallienus.* VII. 408.
OB LIBERTATEM RECEPTAM. *Gallienus. ibid.*
OB REDDIT. LIBERT. *Gallienus. ibid.*
OB VICTORIAM TRIVMFALEM. *Constans I.* VIII. 111. *Constantius II.* 117.
OLYMPIAS REGINA. *Contorn.* VIII. 289. 290.
OPI AVG. *Antoninus.* VII. 15.
OPI DIVIN. *Pertinax.* VII. 143.
OPTIME MAXIME. *Commodus.* VII. 116.
ORIENS. *Hadrianus.* VI. 478. *Allectus.* VIII. 49.
ORIENS AVG. *Valerianus.* VII. 386. *Saloninus.* 422. 423. *Regalianus.* 462. *Numerianus.* 512.
ORIGINI AVG. *Probus.* VII. 505.
ORIVNA AVG. *Carausius.* VIII. 46.

PACATOR ORBIS. *Severus.* VII. 190. *Caracalla.* 219. *Gallienus.* 398. *Marius.* 455.
PACE P. R. TERRA MARIQ. (*vel* VBIQ.) PARTA IANVM CLVSIT. *Nero.* VI. 273.
PACI. *Herennius.* VII. 349.
PACI AVGVSTAE. *Claudius.* VI. 236. 240. *Domitillae.* 345. *Titus.* 352.
PACI AVGVSTI. *Claudius.* VI. 236. *Vespasianus.* 334.
PACI ORB. TERR. AVG. *Vespasianus.* VI. 334.
PACI PERP. *Augustus.* VI. 92.
PACIS EVENT. *Vespasianus.* VI. 334.
PALATIVM NERVAE. *Nerva.* VI. 411.
PANNONIA. *L. Aelius.* VI. 526.
PANNONIAE. *Decius.* VII. 345. *Hostilianus.* 352. *Aurelianus.* 481.
PANNONIAE AVG. *Iulianus tyr.* VII. 521.
PAR. AR. AD. *Severus.* VII. 177.
PART. ARAB. PART. ADIAB. *Severus.* VII. 172.
PARTHIA. *Antoninus.* VII. 5.
PARTHIA CAPTA. *Trajanus.* VI. 439.
PATER SENATVS. *Commodus.* VII. 118.
PATRES SENATVS. *Balbinus.* VII. 306.
PATIENTIA AVGVSTI. *Hadrianus.* VI. 506.
PAVLLIN. *Nero.* VI. 265.
PAX. *Augustus.* VI. 83. 126. *Hadrianus.* 476.
PAX AETERNA. *Pacatianus.* VII. 339.
PAX AVG. AVGG. AVGGG. *M. Aurelius.* VII. 52. *Gallienus.* 392. *Saloninus.* 422. *Claud. Goth.* 475. *Max. Herc.* VIII. 20. *Carausius.* 47.
PAX AVGVSTI. *Vespasianus.* VI. 334. *Maximinus I.* VII. 291. *Probus.* 501.
PAX FVNDATA CVM PERSIS. *Philippus I.* VII. 321.
PAX GERM. ROMA. *Vitellius.* VI. 316.
PAX ORBIS TERRARVM. *Otho.* VI. 302.
PAX PERPETVA. *Valentinianus I.* VIII. 150.
PAXS. AVG. *Galba.* VI. 296. *Aemilianus.* VII. 372.
P. D. *Commodus.* VII. 116.
PENTESILEA ACHILLIS. *Contorn.* VIII. 287.

PERPETVA CONCORDIA. *Severus.* VII. 179.
PERPETVETAS *(sic) Valentinianus II.* VIII. 162.
PERPETVITAS AVG. *Fl. Severus.* VIII. 50.
PERPETVITATE AVG. *Florianus.* VII. 499. *Carus.* 509.
PERPETVITATI AVG. *Alexander.* VII. 279.
PHOENICE. *Antoninus.* VII. 5.
PIET. *Trajanus.* VI. 423.
PIETAS. *Sex. Pompejus.* VI. 27. *Livia.* 150. *Drusus jun.* 205. *Hadrianus.* 476. *Sabina.* 521. *Antoninus.* VII. 2. 20. 22. *Otacilia.* 332.
PIETAS AVG. *vel* AVGG. *M. Aurelius.* VII. 46 *et frequenter deinceps.*
PIETAS AVGVST. *Domitilla.* VI. 345. *Domitia.* 401. *Matidia.* 471.
PIETAS AVGVSTAE. *Otacilia.* VII. 332. *Fausta.* VIII. 99.
PIETAS AVGVSTORVM. *Decius.* VII. 345.
PIETAS AVGVSTORVM *(in antica) Valerianus.* VII. 380. 385.
PIETATI AVG. *Sabina.* VI. 522. *Antoninus.* VII. 26. *Pescennius.* 156. *Severus.* 170.
PIETAS COS. *L. Antonius.* VI. 42.
PIETAS DDD. NNN. AVGVSTORVM. *Valens.* VIII. 154.
PIETAS MVTVA AVGG. *Balbinus.* VII. 306.
PIETAS FALERI. *Gallienus.* VII. 409.
PIETAS ROMANA. *Theodora.* VIII. 34.
PIET. SAECVLI. *Gallienus.* VII. 409.
PIETATI SENATVS. *Commodus.* VII. 117.
PIETATIS AVGVSTAE. *Livia.* VI. 157.
PINCENSIA (AELIANA) *Hadrianus.* VI. 446.
PIO IMP. OMNIA FELICIA. *Commodus.* VII. 124.
PLEBEI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO. *Nerva.* VI. 406.
PLVR. NATAL. FEL. *Constantinus M.* VIII. 72.
PNR. *Claudius.* VI. 238.
POPVL. IVSSV. *Augustus.* VI. 73.
POR. OST. AVGVSTI. *Nero.* VI. 276
PORTVM TRAIANI. *Trajanus.* VI. 426.
POTESTAS PERPETVA. *Alexander.* VII. 279.
P. R. REST. *Brutus.* VI. 24.
PRAEF. CLASS. ET ORAE MARIT. EX S. C. *Sex. Pompejus.* VI. 28.
PRAETOR. RECEPT. *Claudius.* VI. 235.
PRAESIDIA. REIPVBLIC. *Chlorus.* VIII. 29.
PRIMI DECENNALES. *Antoninus.* VII. 18. *M. Aurelius.* 59. *Commodus.* 113.
PRIMIS X. MVLTIS XX. *Diocletianus.* VIII. 12.
PRIMI XX. IOVI AVGVSTI. *Diocletianus.* VIII. 12.
PRIMO AVSPIC. *Gal. Maximianus.* VIII. 35.
PRINCIPI IMPERII ROMANI. *Maxentius.* VIII. 58.
PRINC. IVVENT. *Cajus et Lucius.* VI. 172. *Commodus.* VII. 105.
PRINCEPS IVVENTVTIS. *Obvium primo in numis Caesarum, serius et Augustorum.*
PRINCIPIA IVVENTVTIS. *Crispus.* VIII. 101.
PROF. AVG. *Caracalla.* VII. 206.
PROFECTIO AVG. *Trajanus.* VI. 431. *M. Aurelius.* VII. 58. *Verus.* 90. *Se-*

verus. 175. 176. 178. *Caracalla.* 210. *Alexander.* 275. 277.
PROPAGO IMPERI. *Caracalla.* VII. 203. *Plautilla.* 226.
PROPVGNATORI. *M. Aurelius.* VII. 64.
PRO VALETVDINE CAESARIS S. P. Q. R. *Augustus.* VI. 103.
PROVID. *Iul. Caesar.* VI. 12.
PROVIDENT. *Augustus.* VI. 128.
PROVIDENTIA. *Severus.* VII. 186.
PROVID. AVG. *Commodus.* VII. 117. 119.
PROVIDENTIA AVG. *obvium.*
PROVIDENTIAE AVG. *Commodus.* VII. 128.
PROVIDENTIA DEORVM. *Hadrianus.* VI. 507. *M. Aurelius.* VII. 49. *Pertinax.* 144. *Caracalla.* 207. *Max. Herc.* VIII. 24.
PROVIDENTIA DEORVM, QVIES AVGG. *Diocletianus.* VIII. 14. *Max. Herc.* 24.
PVDIC. *Hadrianus.* VI. 507.
PVDICITIA. *Sabina.* VI. 521. *Faustina jun.* VII. 79. *Maesa.* 267. *Otacilia.* 333. *Etruscilla.* 347.
PVDICITIA AVG. *Orbiana.* VII. 285. *Gordianus III.* 315. *Tranquillina.* 318. *Decius.* 345. *Hostilianus.* 352. *Volusianus.* 368. *Vrbica.* 519.
PVELLAE FAVSTINIANAE. *Faustina sen.* VII. 40.

QVADRAGENSVMA REMISSA. *Galba.* VI. 296.
QVIES AVGVSTORVM. *Diocletianus.* VIII. 14.
QVI LVDIT ARRAM DET QVOD SATIS SIT. *Tessera.* VIII. 316.
QVINQVENNALES POSTVMI AVG. *Postumus.* VII. 438.
QVOD VIAE MVNITAE SVNT. *Augustus.* VI. 105.

RCC. *Caligula.* VI. 224.
RECTOR ORBIS. *Did. Iulianus.* VII. 49. *Severus.* 190. *Caracalla.* 219.
RECVPERATOR VRBIS SVAE. *Constantinus M.* VIII. 85.
REDITVS AVG. *Florianus.* VII. 499.
REGI ARTIS. *Claudius Goth.* VII. 473.
REGNA ADSIGNATA. *Trajanus.* VI. 439.
RELIG. AVG. *M. Aurelius.* VII. 60.
RELIGIO AVGG. *Valerianus.* VII. 386.
RELIQVA VETERA HS NOVIES MILLIES ABOLITA. *Hadrianus.* VI. 478.
REN. (HADRIANVS AVG. P. P.) *Hadrianus.* VI. 514.
RENOVATIO VRBIS ROME. *Magnentius.* VIII. 122.
REPARATIO MVNERIS FELICITER. *Contorn.* VIII. 302.
REPARATIO TEMPORVM. *Valentinianus I.* VIII. 150.
REQVIES OPTIME MERITO. *Max. Herc.* VIII. 27.
REQVIES OPTIMORVM MERITORVM. *Claudius Goth.* VII. 475. *Max. Herc.* VIII. 27. *Chlorus.* 32.
REST. NVM. *Galba.* VI. 297.
REST. ITALIAE. *Trajanus.* VI. 427.
RESTITVTOR GALLIAE. *Gallienus.* VII. 402.
RESTIT. GALLIAR. *Gallienus.* VII. 409.
RESTITVT. ORIENTIS. *Valerianus.* VII. 386.
RESTITVT. SAECVLI. *Probus.* VII. 505.
RESTITVTOR LIBERTATIS. *Magnentius.* VIII. 122.
RESTITVTOR VRBIS. *Severus.* VII. 178. *Caracalla.* 219.

RESTITVTOR MON. *Alexander*. VII. 279.

RESTITVTORI ITALIAE. *M. Aurelius*. VII. 58.

RESTITVTORI ACHAIAE. VI. 487. AFRICAE. 488. ARABIAE. 492. ASIAE. 492. GALLIAE. 494. HISPANIAE. 495. ITALIAE. 495. LIBYAE. 497. MACEDONIAE. 498. MAVRETANIAE. 498. NICOMEDIAE. 499. PHRYGIAE. 500. SICILIAE. 500. *Sunt omnes Hadriani*.

RESTITVT. GENER. HVMANI. *Valerianus*. VII. 386.

RESTITVTOR ORBIS. *Valerianus*. VII. 386. *Aurelianus*. 482.

RESTITVTORI ORBIS TERRARVM. *Hadrianus*. VI. 507.

REX PARTHVS. *Trajanus*. VI. 437.

REX ARMENIIS DATVS. *Antoninus*. VII. 15. *Verus*. 91.

REX PARTHIS DATVS. *Trajanus*. VI. 439.

REX QVADIS DATVS. *Antoninus*. VII. 15.

RHENVS. *Domitianus*. VI. 380.

ROMA. *Nero*. VI. 266. 277. *Otho*. 302.

ROMA RENASCES. *Galba*. VI. 297. 298.

ROMA RESVRGES. *Vespasianus*. VI. 327.

ROMAE AETERNAE. *Pescennius*. VII. 156. *Gordianus I.* et *II.* 302. *Hostilianus*. 353. *Macrianus*. 467. *Alexander tyr*. VIII. 61.

ROMAE AETERNAE V. *Carausius*. VIII. 48.

ROMAE RESTITVTAE. *Constantinus M.* VIII. 85.

ROM. ET AVG. *Augustus*. VI. 100. 135, *aliique*.

ROMANO. RENOVA. *Carausius*. VIII. 48.

ROMVLO AVGVSTO. *Antoninus*. VII. 15.

ROMVLO CONDITORI. *Hadrianus*. VI. 507.

R. XL. LIBERTAS AVG. *Galba*. VI. 296.

R. XL. ROMA. *Galba. ibid.*

SABINAE. *Contorn*. VIII. 287.

SACERD. COOPT. IN OMN. CONL. SVPRA NVM. EX S. C. *Nero*. VI. 261.

SACERDOS DEI SOLIS ELAGAB. *Elagabalus*. VII. 250.

SACERDOS DIVI AVGVSTI. *Antonia*. VI. 179. *Claudius*. 235.

SACERDOS VRBIS. *Alexander*. VII. 270.

SACRA MONET. AVGG. ET CAESS. NOSTR. *Diocletianus*. VIII. 10. et *coaevi alii*.

SACRA MON. VRBIS. *Constantinus II.* VIII. 107.

SACRA MON. VRB. AVGG. ET CAESS. NN. *Diocletianus*. VIII. 10. et *coaevi alii*.

SAECVLARES AVGG. *Philippus pat. et fil. et Otacilia*. VII. 325. *Max. Herc.* VIII. 20.

SAECVLARES (*vel* SAECVLARHS) AVG. *Gallienus*. VII. 409.

SAECVLARIA SACRA. *Severus*. VII. 185.

SAEC. AVR. *Hadrianus*. VI. 508.

SAEC. FEL. *Commodus*. VII. 114.

SAECVLI FELICITAS. *Faustina jun.* VII. 79. *Trebonianus*. 361. *Marius*. 455. *Probus*. 505. *Carus*. 509.

SAECVLO FECVNDO. *Albinus.* VII. 162.
SAECVLO FRVGIFERO. *Pertinax.* VII. 144. *Albinus.* 162. *Severus.* 169.
SAECVLVM. *Tetricus fil.* VII. 459.
SAECVLVM NOVVM. *Philippus pat.* VII. 327. *Hostilianus.* 352. *Trebonianus.* 361. *Volusianus.* 368.
SAL. *Sex. Pompejus.* VI. 27.
SALVATOR REIPVBLICAE. *Vetranio.* VIII. 120.
SALVIS AVGG. ET CAESS. AVCTA (*vel* FELIX) KART. *Diocletianus.* VIII. 11. *et coaevi.*
SALVIS AVGG. ET CAESS. FEL. ORBIS TERR. *Max. Herc.* VIII. 23.
SALVS. *Nero.* VI. 277. *Hadrianus.* 478.
SALVS AVG. *Tetricus fil.* VII. 460. *Claudius Goth.* 473.
SALVS AVGVSTA. *Livia.* VI. 157.
SALVS AVG. NOSTRI. *Constantius II.* VIII. 117.
SALVS GENERIS HVMANI. *Augustus.* VI. 98. 108. *Galba.* 297. *Caracalla.* VII. 219.
SALVS MVNDI. *Olybrius.* VIII. 198.
SALVS PROVINCIARVM. *Postumus.* VII. 445.
SALVS REIPVBLICAE. *Constantinus M.* VIII. 85. *Fausta.* 99.
SALVS ET GLORIA ROMANORVM. *Iustinianus I.* VIII. 209.
SALVTI AVG. *M. Aurelius.* VII. 58.
SALVTI AVGVSTI. *Pescennius.* VII. 156.
SALVTI AVGVSTOR. *M. Aurelius.* VII. 49.
SALVSTIVS AVTOR. *Contorn.* VIII. 292.
SANCT. DEO SOLI ELAGABAL. *Elagabalus.* VII, 249.
SAPIENTIA. *Constantinus M.* VIII. 85. *Contorn.* 287.
SAPIENTIA PRINCIPIS. *Licin. pater.* VIII. 65. *Constantinus M.* 87.
SARMATIA GAVDIVM ROMANORVM. *Constantinus II.* VIII. 107.
SARMATIA DEVICTA. *Constantinus M.* VIII. 87.
SARM. (DE) *M. Aurelius.* VII. 64. *Commodus.* 106. 107.
SCYTHIA. *Antoninus.* VII. 5.
SEC. ORB. *Commodus.* VII. 121.
SECVRITAS AVG. *vel* AVGG. *Gordianus I. et II.* VII. 302. *Herennius.* 349. *Hostilianus.* 353. *Licin. pater.* VIII. 66.
SECVRIT. ORB. *Commodus.* VII. 121.
SECVRITAS PERPETVA. *Caracalla.* VII. 199. 200. *Saloninus.* 422. *Probus.* 502. *Gal. Max.* VIII. 37.
SECVRITATI PERPETVAE. *Caracalla.* VII. 207.
SECVRITAS P. R. *Otho.* VI. 302. *Vitellius.* 317.
SECVRIT. PVBLICA. *M. Aurelius.* VII. 62. *Hanniballianus.* VIII. 104.
SECVRITAS REIPVBLICAE. *Hanniballianus.* VIII. 104. *Iuliann II.* 133. *Iovianus.* 147.
SECVRITAS TEMPORVM. *Macrinus.* VII. 239.
SENATVS PIETATI AVGVSTI. *Galba.* VI. 297.
SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS. *Trajanus.* VI. 431.
SENATVS ROMANVS. *Vitellius.* VI. 317.
SENTIAM FELICITER. *Tessera.* VIII. 318.
SERAPIDI COMITI AVG. *Gallienus.* VII. 400.
SERAPIDI CONSER. AVG. *Commodus.* VII. 128.

SEVERI AVG. PII FIL. *Caracalla.* VII. 200. 201. *Geta.* 228.
SIC V. SIC X. *Licinius fil.* VIII. 69.
SICIL. *Augustus.* VI. 93. 101. 108. 110.
SICILIA. *Hadrianus.* VI. 500. *Antoninus.* VII. 5.
SIDERIBVS RECEPTA. *Faustina jun.* VII. 81.
SIGNA P. R. *Augustus.* VI. 96. 97. 98.
SIGNIS RECEPTIS. *Augustus.* VI. 94. *seq. Vespasianus.* 329.
SIGNIS RECEPTIS S. P. Q. R. *Augustus.* VI. 95. 100. 128.
SIGNIS RECEPT. DEVICTIS GERM. *Germanicus.* VI. 209.
SIGNIS A SARMATIS RESTITVTIS. *Domitianus.* VI. 371.
SIS. *Constantinus II.* VIII. 108.
SISCIA AVG. *Gallienus.* VII. 410.
SISCIA PROBI AVG. *Probus.* VII. 505.
SOL AVG. *Claud. Goth.* VII. 473.
SOL DOMINVS IMP. ROMANI. *Aurelianus.* VII. 482.
SOLI CONSER. *Tetricus fil.* VII. 459.
SOLI CONS. AVG. *Gallienus.* VII. 460.
SOLI INVICTO. *Gallienus.* VII. 400. *Macrianus.* 467.
SOLI INVICTO COMITI. *Daza.* VIII. 54. *Constantinus M.* 75. *Crispus.* 101.
SOLVS AVG. *Claudius Goth.* VII. 473.
SOVSTI. *Faustina sen.* VII. 41.
SPES. *Drusus sen.* VI. 177.
SPES AVGVSTA. *Claudius.* VI. 238.
SPES PVBLICA. *Diadumenianus.* VII. 241. *Aemilianus.* 372. *Saloninus.* 422. *Constantinus M.* 87.
SPES RP. *Valens.* VIII. 155.
SPES REIPVBLICAE. *Fausta.* VIII. 99.
SPES ROMANORVM. *Mag. Maximus.* VIII. 165.
SPEI FIRMAE. *Pescennius.* VII. 156.
SPEI PERPETVAE. *Caracalla.* VII. 199.
S. P. Q. R. *Augustus.* VI. 81. *Galba.* 297. 298. *Faustina jun.* VII. 80. *Gallienus.* 410.
S. P. Q. R. ADSERTORI LIBERTATIS PVBLICAE. *Vespasianus.* VI. 329.
S. P. Q. R. AN. N. F. F. OPTIMO PRINCIPI. *Hadrianus.* VI. 508. *Antoninus.* VII. 11. *Alexander.* 280.
S. P. Q. R. EX S. C. *Hadrianus.* VI. 509.
S. P. Q. R. IVLIAE AVGVST. *Livia.* VI. 149. *Domna.* VII. 197.
S. P. Q. R. MEMORIAE AGRIPPINAE. *Agrippina sen.* VI. 213.
S. P. Q. R. OB C. S. *Caligula.* VI. 222. 223. *Albinus.* VII. 163.
S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. *Trajanus passim. Antoninus.* VII. 18. *Severus.* 170. *Gallienus.* 410. *Daza.* VIII. 54. *Alexander tyr.* 61. *Licin. pater.* 66. *Constantinus M.* 87.
S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. *Caligula.* VI. 225.
S. P. Q. R. PARENT. CONS. SVO. *Augustus.* VI. 113.
S. P. Q. R. IMP. CAE. QVOD. V. M. S. EX EA P. Q. IS AD A. DE. *Augustus.* VI. 105.
S. P. Q. R. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS etc. *Constantinus M.* VIII. 87.
S. P. Q. R. V. P. RED. CAES. *Augustus.* VI. 63.
S. P. Q. R. V. S. PRO. S. ET. RED. AVG. *Augustus.* VI. 103.
STA BOV. *Geta.* VII. 234.
SVFPD. *Domitianus.* VI. 387.

SVMMVS SACERDOS AVG. *Elagabalus.* VII. 250.
SYRIA. *Antoninus.* VII. 5.

TELLVS STABILITA. *Hadrianus.* VI. 509. *Commodus.* VII. 119.
TEMPLVM DIVI AVG. REST. *Antoninus.* VII. 25.
TEMPORVM FELICITAS. *Antoninus.* VII. 20. *Ann. Verus.* 83. *Commodus.* 112. 129. *Alexander.* 280. *Orbiana.* 285. *Laelianus.* 449.
TERENTIVS. *Contorn.* VIII. 292.
TIBERIS. *Galba.* VI. 298.
TRAIECTVS. *Caracalla.* VII. 206. *Gordianus III.* 312. *Carinus.* 514.
TRANQVILLITAS AVGG. *Philippus pat.* VII. 328. *Tacitus.* 497.
TRES GALLIAE. *Galba.* VI. 293.
TR. P. XXXVII. COS. XVII. P. P. *Theodosius II.* VIII. 182.
TR. P. XXXXII. COS. XVII. P. P. *Theodosius II. ibid.*
TRIVMFVS CAESARVM. *Constans I.* VIII. 109.
TRIVMP. AVG. *Vespasianus.* VI. 326.
TRIVMPHVS PARTHICVS. *Trajanus.* VI. 441.
TRIVMPHVS QVADORVM. *Numerianus.* VII. 512.
TRIVMFATOR GENTIVM BARBARARVM. *Constans I.* VIII. 111. *Constantius II.* 117. *Valentinianus I.* 151. *Valens.* 155. *Theodosius M.* 163. *Arcadius.* 169. *Honorius.* 173.
TVTELA AVGVSTI. *Vitellius.* VI. 318. *Vespasianus.* 329.
TVTELA AVG. *Carausius.* VIII. 48.
TVTELA ITALIAE. *Nerva.* VI. 407.

VBERITAS. *Carausius.* VIII. 48.
VBERITAS AVG. *Hostilianus.* VII. 352.
VBIQVE PAX. *Gallienus.* VII. 411.
VBIQVE VICTOR *vel* VICTORES. *Licin. pat.* VIII. 66. *Constantinus M.* 90.
VCVI. *Diocletianus.* VIII. 12.
VEHICVLATIONE ITALIAE REMISSA. *Nerva.* VI. 408.
VENVS. *Maeonius.* VII. 491.
VENVS AVG. *Domitia.* VI. 401. *Claudius Goth.* VII. 474. *Amandus.* VIII. 41.
VENVS AVGVST. *Iulia Titi.* VI. 365.
VENVS CAELESTIS. *Soaemias.* VII. 265.
VENERIS FELICIS. *Hadrianus.* VI. 510.
VENVS GENITRIX. *Paula.* VII. 258.
VENERI GENETRICI. *Plotina.* VI. 466. *Hadrianus.* 511.
VENVS VICTRIX. *Caracalla.* VII. 211. *Supera.* 374. *Faustina jun.* 80. *Carinus.* 515. *Gal. Valeria.* VIII. 40.
VERONA NPRITE COND. *Max. Herc.* VIII. 10.
VESTA. *Livia.* VI. 150. 151. 152. *Caligula.* 221. *Vespasianus.* 332. *Iulia Titi.* 366. *Trajanus.* 423. *Faustina sen.* VII. 38. *Aquilia.* 260. *Supera.* 374.
VESTA P. R. QVIRITIVM. *Vitellius.* VI. 317.
VIA TRAIANA. *Trajanus.* VI. 421.
VICTOR GENTIVM BARBARAR. *Constantinus M.* VIII. 90.
VICTOR OMNIVM GENTIVM. *Maxentius.* VIII. 59. *Constantinus M.* 90. *Constantius II.* 117.
VICTORES AVGVSTI. *Valens.* VIII. 155.

VICTORIBVS AVGG. NN. *Constantinus M.* VIII. 91.
VICTORIA AET. *Gallienus.* VII. 415.
VICTORIA ALEXANDRI AVG. *Alexander tyr.* VIII. 61.
VICTORIA AVG. III. VI. VII. VIII. VIIII. *Gallienus.* VII. 415.
VICTORIA AAAAGGGG. *Constantinus III.* VIII. 177.
VICTORIA AVG. LIB. ROMANOR. *vel* LIB. ROM. ORB. *Magnentius.* VIII. 122. *Decentius.* 123.
VICTORIA BEATISSIMORVM CAESS. *Chlorus.* VIII. 30. *Constantius II.* 115.
VICTORIAE BRITANNICAE. *Severus.* VII. 188. *Caracalla.* 207. *Geta.* 231.
VICTORIA CARPICA. *Philippus pater.* VII. 323.
VICTORIA CEA. *Carausius.* VIII. 48.
VICT. CONSTANT. AVG. *Chlorus.* VIII. 31.
VICTORIA CONSTANTINI AVG. *Daza.* VIII. 54.
VICTORIAE DD. NN. AVGG. *Magnentius.* VIII. 122.
VICT. GAL. AVG. *Gallienus.* VII. 415.
VICT. GAL. AVG. III. *Gallienus.* VII. 415.
VICTORIAE AVGG. IT. GERM. *Gallienus.* VII. 402. *Saloninus.* 422.
VICT. GERM. *M. Aurelius.* VII. 60. *et deinceps frequenter.*
VICTORIA G. M. *Valerianus.* VII. 386. *Claud. Goth.* 474.
VICTORIA GOTHICA. *Claud. Goth.* VII. 474. *Aurelianus.* 484. *Tacitus.* 498. *Probus.* 506. *Constantinus M.* VIII. 90.
VICTOR. IVST. AVG. *Pescennius.* VII. 156. *Severus.* 170. *Domna.* 197.
VICTORIA NAVALIS. *Vespasianus.* VI 330. *Titus.* 354. *Domitianus.* 370.
VICTORIA OTHONIS. *Otho.* VI. 302.
VIC. PARTHICAE. *M. Aurelius.* VII. 57. *Severus.* 178. *Caracalla.* 218. *Macrinus.* 238. *Valerianus.* 378. *Gallienus.* 415. *Saloninus.* 422.
VICTORIA PARTHICA MAXIMA. *Severus.* VII. 180. *Caracalla.* 202.
VICTORIA PONTICA AVG. *Tacitus.* VII. 498.
VICTORIA PRINCIPVM. *Theodahatus.* VIII. 214.
VICTORIAE SARMATICAE. *Diocletianus.* VIII. 12 *et sequentes.*
VICTOR. SEVER. AVG. *Severus.* VII. 170.
VICTORIOSO SEMPER. *Probus.* VII. 505.
VIENNA DE OFFICINA LAVRENTI. *Mauricius.* VIII. 220.
VIRTVS *M. Aurelius.* VII. 46.
VIRTVS EXERCITVS GALL. *Constantinus M.* VIII. 91. *Constans I.* 112. *Iulianus II.* 134.
VIRT. EXERC. ROM. *Theodosius M.* VIII. 164.
VIRTVS HERCVLI CAESARIS. *Chlorus.* VIII. 30.
VIRTVTI HERCVLIS. *Max. Herc.* VIII. 23.
VIRTVS ILLYRICI. *Aurelianus.* VII. 484. *Diocletianus.* VIII. 12. *Max. Herc.* 23. *Chlorus.* 30.
VIRTVS IOVI CAESARIS. *Gal. Max.* VIII. 36.
VIRTVS MILITVM. *Max. Herc.* VIII. 26.
VIRTVS VALERI. *Gallienus.* VII. 416.
VIRTVTI ET FELICITATI. *Trajanus.* VI. 436.

VITELL. (L.) CENSOR II. *vel* COS III. CENSOR. *Vitellius.* VI. 313.
VNDIQVE VICTORES. *Numerianus.* VII. 513. *Chlorus.* VIII. 30.
VN MR. *Constantinus M.* VIII. 93.
VOLKANVS VLTOR. *Augustus.* VI. 96.
VOTA. *Aurelius.* VII. 53.
VOTA AVGVSTI. *Victorinus.* VII. 452.
VOT. DECENN. *Pertinax.* VII. 144.
VOTA ORBIS. *Valerianus.* VII. 386.
VOTA ORBIS ET VRBIS SEN. ET P. R. *Constantinus M.* VIII. 91.
VOTA PVBLICA. *Augustus.* VI. 113 *et deinceps frequenter usque ad Honorium. Vide horum plerosque collectos, et explicatos Vol. VIII. pag. 136.*
VOTA ROMANORVM. *Arcadius.* VIII. 169.
VOTA SOLVTA DECENN. (*vel* X.) *Antoninus.* VII. 25. *M. Aurelius.* 59. *Commodus.* 118. 119. *Caracalla.* 206. *Probus.* 506.
VOTA SVSCEPTA. *Trajanus.* VI. 439.
VOT. P. SVSC. PRO. SAL. ET. RED. I. O. M. SACR. *Augustus.* VI. 103.
VOTA SVSCEPTA X. *Antoninus.* VII. 19. *Caracalla.* 203.
VOTA SVSCEP. DECENN. *Antoninus.* VII. 25. *Commodus.* 110. 112. 114.
VOTA SVSCEP. DECENN. II. *M. Aurelius.* VII. 59.
VOTA SVSCEPTA XX. *Severus.* VII. 182. *Caracalla.* 203.
VOTA SVSCEPTA DEC. III. *Antoninus.* VII. 26.
VOTA VICENNALIOR. *Constantinus II.* VIII. 108.
VOTIS DECENNALIBVS. *Severus.* VII. 179.
VOTIS FELICIBVS. *Commodus.* VII. 126. 129.
VOTIS MVLTIS. *Majorianus.* VIII. 195.
VOTIS ROMANORVM. *Diocletianus.* VIII. 12.
VOTIS VICENNALIBVS. *Alexander.* VII. 275.
VOTIS V. — X. *etc. Vide haec enumerata et explicata in tractatu de numis votorum Vol. VIII. pag. 473.*
VOT. XIII. *Iustinus I.* VIII. 207.
VOTO PVBLICO MVLTIS XX. IMP. *Carausius.* VIII. 49.
VOTVM PVBLICVM. *Carausius.* VIII. 49.
VRBS ROMA. *Constans I.* VIII. 112.
VRBS ROMA AETERNA. *Trajanus.* VI. 428. *Hadrianus.* 510.
VRBS ROMA BEATA. *Constans I.* VIII. 112.
VRBEM RESTITVTAM. *Vitellius.* VI. 316.
VTILITAS PVBLICA. *Max. Herc.* VIII. 18. *Fl. Severus.* 50. *Constantinus M.* 92.

XV. S. F. *Augustus.* VI. 102.
XVVIR. SACR. FAC. *Vitellius.* VI. 316.
XXXX. REMISSAE. *Galba.* VI. 296.
X. CONSTANTI AVG. *Chlorus* VIII. 31.
X. M. XX. *Gal. Max.* VIII. 86.
XX. MAXIMIANI AVG. *Max. Herc.* VIII. 23.
XC. — XCVI. — XCVIT — XCVIIT — VCVC. *Diocletianus.* VIII. 12. *Max. Herc.* 23. *Chlorus.* 30. *Gal. Max.* 36.

INDEX GRAECVS.

ΑΝΑΞΑΡΚΟϹ. ΝΙΚΟΚΡΕΩΝ. *Contorn.* VIII. 291.
ΑΝΑϹΤΑϹΙϹ. *Zimisces.* VIII. 251.
ΑΦΙΕΡΩϹΙϹ. *Carus.* VII. 509.
ΓΕΩΡΓΙΟϹ. (Ο.) *Alexius I.* VIII. 260. *et deinceps.*
ΔΗΜΗΤΡΙΟϹ. (Ο. ΑΓΙΟϹ.) *Theodorus Ducas.* VIII. 266. *Andronicus II.* 269. *Ioannes VI.* 270.
ΔΙΜΙΤΡΙ. (Ο. Α.) *Constantinus VI.* VIII. 236.
ΔΟΜΕϹΤΙΚΟϹ. (ΜΕΓΑϹ) *Ioannes VI.* VIII. 270.
ΔΡΑΧΜΗ. ΔΙΔΡΑΓΜΟΝ. *Nero.* VI. 279.
ΕΝ. ΤΟΥΤΩ. ΝΙϹΑΤ. *etc. Basilius II.* VIII. 252.
ΕΤΗϹΙΑ. ϹΤϹϹΙΤΙΑ. *Antoninus.* VII. 35.
ΕΥΓΕΝΙΟ. (Ο. ΑΓΙΟ.) *Manuel I.* VIII. 262.
ΕΦ. ϹΚΩΠΙ. *Tessera.* VIII. 317.
ΗΡΩϹ. ΑΓΑΘΟϹ. ΑΝΤΙΝΟΟϹ. *Antinous.* VI. 530.
ΘΕΟΝ. ΑΝΤΙΝΟΟΝ. Η. ΠΑΤΡΙϹ. *Antinous.* VI. 532.
ΘΕΟΤΟϹ. ΒΟΗΘ. ΡΩΜΑΝΩ. *Romanus IV.* VIII. 258.
ΘΕΟΥ. ΟΠΛΟΦΟΡΟΥ. *Gordianus III.* VII. 314.
ΙΑΚΧΟϹ. ΑΝΤΙΝΟΟϹ. *Antinous.* VI. 530.
ΙΑΚΧΟϹ. ΝΕΟϹ. ΑΝΤΙΝΟΟϹ. *Antinous.* VI. 535.
IHSVS XRISTVS BASILEV BASILE. *Zimisces.* VIII. 250 *et deinceps.*
IHS. XPS. REX REGNANTIVM. *vel* IHSVS XPISTVS NIKA. *Michael II.* VIII. 239 *et deinceps.*
ΚΑΡΠΟΦΟΡΟΣ. *Livia.* VI. 168.
ΚΟΣΩΝ. *Brutus.* VI. 20.
ΚΥΡΙΕ. (*vel* ΚΕ.) ΒΟΗΘΕΙ. *Alexius I.* VIII. 260. *Andronicus II.* 269.
CVRIE ΒΟΗΘΗ ΤΟ CO DOVLO. *Theophilus.* VIII. 240.
ΜΙ. (Θ. ΑΓΙΟϹ) *Theodorus Ducas.* VIII. 266.
ΜΡ. ΘΥ. *Zemisces.* VIII. 251 *et deinceps*
ΝΕΑ. (ΗΡΑ) *Messalina Claudii.* VI. 252.
ΝΕΙΚΗ. ΟΠΛΟΦΟΡΟΣ. *Gordianus III.* VII. 314.
ΝΙΚΟΚΡΕΩΝ. ΑΝΑΞΑΡΚΟϹ. *Contorn.* VIII. 291.
ΟΜΟΝΟΙΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Domitianus.* VI. 394.
ΟΠΛΟΦΟΡΟΣ. *Gordianus III.* VII. 314.
ΟΥΔΕΝ. ΕΜΟΥ. ϹΟΥ. ΕϹΤΑΙ. ΑΚΚΙΖΩΜΕΝΟΥ. *Contorn.* VIII. 291.
ΠΑΝΙ. ΑΝΤΙΝΟΩ. *Antinous.* VI. 535. 536.
ΠΑΤΡΟΣ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ. *Livia.* VI. 148.
ΠΛΑΤΩΝ. *Augustus.* VI. 131.
ΠΟΛΙΟΥΧΟϹ. *Domitianus.* VI. 394.
ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΩΝ. *Pescennius.* VII. 157.
ΠΥΘΙΟϹ. ΝΕΟϹ. ΑΝΤΙΝΟΟϹ. *Antinous.* VI. 535.
ΤΩ. ΣΩΤΗΡΙ. ΤΗΣ. ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ. *Nero.* VI. 278.
ΦΥΛΑΞΕ. *Tessera.* VIII. 318.
ΩΜΗΡΟϹ. *Contorn.* VII. 291.

INDEX III.

RERVM.

Acacia in manibus impp. infimi aevi. VIII. 505.
Acclamationes in circensibus: VINCAS, NIKA, PLACEAS, contorniatis inscriptae. VIII. 301.
Achaiae infinita beneficia praestat Hadrianus. VI. 487.
Achilles cum Penthesilea a se caesa. VIII. 287.
Adfinis Maxentii in numis dictus Chlorus. VIII. 32.
Adoptio insolens Severi in gentem M. Aurelii. VII. 173.
Aegidis Palladiae origo. VI. 375.
Aeneas Anchisen efferens. VI. 4. VII. 30. Scrofae cum suculis occurrens. *ibid.*
Aenei max. mod. sub Hadriano feriri coepti. VI. 512.
Aeolis dicta Agrippina utraque, et cur. VI. 214.
Aera orbis conditi a Graecis post abolitos consulatus invecta. VIII. 267. 333.
Aesculapius in numo Gallieni. VII. 395. cum Hygeia sacrificans adstante cane. VII. 33. serpentis specie Romam invectus. VII. 32. Ei Caracalla Pergami sacra facit. VII. 212.
Aeterni dicti Augusti. VII. 181.
Aeternitas attributum divinum. VIII. 457. Ejus significatio. *ibid.* Principibus applicata habuit rationem pii voti. *ibid.* Solis et lunae specie adumbrata. VII. 181.
Aeternitatis symbola. VI. 423.
Afinia verisimilis Treboniani uxor. VII. 370.
Africae imago. VIII. 25.
Alamannia Romanorum gaudium. VIII. 84.
Alexander M. Numi contorniati hoc nomine inscripti non indicant Alexandrum Sev., sed regem Macedonum. VIII. 289. Ex causis politicis deus Ammon. VII. 174. Ejus aemulus Caracalla. VII. 219. Cum eo Constantinus M. tam virtute, quam corporis forma comparatus. VIII. 80.
Alexander Marci Antonii et Cleopatrae filius. VI. 49.
Alimenta pueris a Trajano praestita. VI. 424.
Alsan quadrigarius. VIII. 293.
Amazonis caput cum capite Commodi jugatum. VII. 128.
Ammonis caput in numo Augusti. VI. 87.
Amphion et Zethus novercam Dircen tauro adligatam raptantes. VIII. 287.
Amphitheatrum Flavium. VI. 357. 375. in numo Alexandri Sev. VII. 270. in numis spuriis Vespasiani. VI. 340.

Anagniae Latii officina monetaria M. Antonii. VI. 48.
Anastasis illustre templum Hierosolymis a Constantino M. in honorem Christi resurgentis aedificatum. VIII. 251.
Anaxarchus philosophus in contorniato. VIII. 291.
Ancilium forma. VII. 13.
Annus primus apud Graecos in numerandis annis regum vel imperatorum, etiam serius Germanicorum, plerumque incompletus. VIII. 448.
Annus natalis in principibus R. duplex. VI. 508.
Anni imperii numis infimi aevi inscripti. VIII. 509.
Antinous in lunam deductus. VI. 533.
Antiochiae typus in numo Hadriani commatis Romani. VI. 513.
Antonia Claudii Aug. et Petinae filia. VI. 251.
Antonii ab Hercule oriundi. VI. 44.
Antonius IIIvir provincias inter Cleopatrae filios distribuit. VI. 47. Habitus Bacchus et Osiris. 64 seq.
Antonini quot? VII. 254.
Antoninus V. dictus Elagabalus. VII. 234.
Anubin portat Commodus. VII. 118.
Apis cum inserta lateri lunula. VI. 530.
Apollo Actius stolatus. VI. 107. Apollo Augustus idem cum Actio VII. 13. Palatinus stolatus instar Actii. 124. Apollo Moneta. 122. Sanctus in numo Pescennii, ut in numis Antiochiae. 154. Salutis praeses. 357. Propterea a Caracalla auxilio vocatus. 212. Ab Augusto impensius cultus, et cur. VI. 81. 93. 107. Ejus oraculum in numo Philippi I. VII. 321.
Apollodorus Damascenus pontis Danubii architectus, VI. 419 et Fori Trajani. 432.
Apollonius Tyaneus in contorniato. VIII. 292.
Apuleius philosophus in contorniato. VIII. 292.
Aquaeductus Trajani. VI. 425.
Aquila princeps legionis signum. VIII. 493.
Aquila stans in medio noctuae et pavonis. VII. 33.
Ara Lugdunensis Romae et Augusti. VI. 135 seq.
Ara maxima Iovi ab Hercule statuta. VII. 30.
Arabes et Adjabeni a Severo devicti. VII. 172.
Arcus triumphalis. VI. 277.
Argentariorum varia nomina. VIII. 307. posita mensa usuram exercere soliti, unde mensarii et trapezitae dicti. *ibid.* Horum unus proponitur in contorniato. *ibid.*
Aries Mercurii comes. VII. 398.
Armeniam capit Augustus. VI. 98. Ei regem imponit Antoninus. VII. 15. Armeniaca tiara. VI. 98.
Arricidia Titi. VI. 364.
Artabanus Arsacidarum postremus ab Artaxerxe Persa eversus. VII. 273.
Asina pullum lactans. VIII. 174. 289.
Asini caput a Christianis adorari passim creditum. VIII. 173. Symbolum Daciae. VII. 344.
Asinus Apollinis inter Scythas victima. VII. 344.
Astrum juxta caput Iul. Caesaris, et cur. VI. 18.
Auguratus viventi adimi non potest. VI. 32.
Augustei nominis origo et occasio. VIII. 355. Vocabuli *Augustus* significatio et

etymon. *ibid.* Graecis Σεβαςος. *ibid.* Hereditate transivit in adoptatos Tiberium et Liviam. 356. subinde et ab extraneis adscitum. *ibid.* Summum splendorem, at nullam potestatem intulit. *ibid.* In M. Aurelio et L. Vero primum exemplum duorum uno tempore Augustorum. 357. Si plures uno tempore Augusti fuere, quis eorum honoratior. *ibid.* Numerus plurium una Augustorum scripto AVGG. AVGGG. etc. indicabatur. 358. Qui Caesares tantum fuere, dicti Augusti per consortium. *ibid.*

Augustus (semper). VIII. 359.

Augustus adhuc vivus pro deo cultus, at non in urbe. VI. 124.

Augustus iterum (ΔIC. CEB.), dictus Hadrianus in numo Mesembriae. VIII. 359.

Augusti dicti Perpetui. VIII. 358.

Augusta et Cεβαςη in eodem numo dicta Sabina. VIII. 359.

Augustarum varius capitis cultus. VIII. 364.

Augustalia ob reditum Augusti constituta. VI. 100.

Augustuli nomen in numis Romuli non exstat. VIII. 203.

Avitus (Iul.) maritus Maesae. VII. 245.

Aurelianus quadrigarius. VIII. 293.

Aurelius (M.). De ejus philosophia judicium. VII. 53.

Aurorae imago in numo Trajani. VI. 442.

Aurum coronarium. VII. 6.

Aurea Commodi moneta rara, quin jam etiam postremis imperantis M. Aurelii annis. VII. 135.

Auspices dii Hercules et Bacchus a Severo dicti. VII. 171.

A ω in numis Constantis I., ejusque significatio. VIII. 112.

Babulus quadrigarius. VIII. 293.

Bacchus infans in choro Nympharum et Satyrorum. VII. 18.

Bacchus Antinous. VI. 530.

Bacchi cista symbolum Asiae proconsularis. VI. 82.

Bacchanalia in contorniatis. VIII. 284.

Barbae apud Romanos alendae quae causae. VI. 76. Ejus in imperatoribus varius modus. VIII. 363. Eam cur aluerit Antonius IIIvir et viri illustres coaevi. VI. 36. Barbam ex Augustis primus promittit Hadrianus, et cur. 485. Ejus exemplum sequuntur successores, *ibid.* Post longum intervallum eam abjicit Constantinus M. VIII. 72. 502. revocat Iulianus II. VIII. 132. a successoribus iterum omissam restituit Phocas. VIII. 502.

Barchoceba Iudaeus in Romanos rebellis. VI. 496.

Βασιλευς. Hoc nomine vocati in numis Augusti infimi aevi. VIII. 366. 501.

Basilica, opus Trajani. VI. 433.

Bassianus Domnae pater. VII. 244. Idem nomen et Caracallae fuit. 199.

Belisarius in Iustiniani I. numis effictus creditus. VIII. 209.

Bonifacius quadrigarius. VIII. 293. perperam habitus pro Bonifacio Africae praefecto. *ibid.*

Borysthenes famigeratus Hadriani equus. VI. 510.

Bos Soli sacer. VII. 400.

Britanni exules orbis. VI. 247. scripti primum simplice T, serius geminato. VI. 240.

Britannicus dictus Caligula ex vitiatis Britannorum scortis. VI. 221.

Brutia dicta Crispina Commodi in numis peregrinis. VII. 139.

Brutus (Marcus) an a vetere L. Bruto oriundus. VI. 20.

Cabirus in numo Claudii Goth. VII. 472.
Caci historia in numo Antonini. VII. 29.
Caesar cognomen gentis Iuliae. VIII. 367. Inde a Iul. Caesare adoptionibus in alias gentes translatum. *ibid.* Hac lege postremus Caesarum fuit Caligula. *ibid.* Caesarum gente exstincta imperatores, etsi extranei, Caesaris tamen nomen sibi addidere. 368. Caesarum dignitas secundi fastigii. *ibid.* Pendebant ab arbitrio Augustorum. *ibid.* Varia tamen diversis temporibus Caesarum ratio. 369. Caesaribus additum nomen Nobilissimi. 370.
Caesarum genus a Venere et Anchise tractum. VI. 4.
Caesareum quid. VIII. 472.
Caligula. Hujus nominis origo. VI. 228.
Calliope Musa in numo Probi. VII. 504.
Calpurnia Iul. Caesaris. VI. 4.
Camelaucium tegmen capitis Augg. VIII. 505.
Camelus Arabiae symbolum. VI. 420.
Canis Aesculapii comes. VII. 33.
Caper Minervae comes. VI. 375.
Capillitio arrepti hostes frequens imago in numis inferioris aevi. VIII. 134.
Capitolium ardet sub Tito, restituitur et dedicatur a Domitiano. VI. 377.
Capitolinus agon a Domitiano constitutus. VI. 381.
Capricornus cur in numis Augusti. VI. 109. Dictus et Aegipan. *ibid.* Neptuni comes. VII. 399.
Caput nudum in impp. VIII. 363. velatum in iisdem, ejusque significatio. *ibid.* Constantini M. in coelum spectans. VIII. 80. Caput viventis monetae inferi nemini ante Iul. Caesarem permissum. VI. 7.
Caracallae nomen unde tractum. VII. 222.
Carpenti in feminis Augustis honos. VI. 149. Consecrationis signum non est. 347.
Carpi a Philippo I. victi. VII. 323.
Carthago a Diocletiano beneficiis aucta. VIII. 11. Ejus praestantia. *ibid.*
Censor dictus Claudius in marmoribus, at non in numis, nisi suspectis. VI. 242. 247. Censores in numis dicti L. Vitellius Vitellii Aug. pater. 313. Vespasianus. 344. Titus. 353. Domitianus. 378.
Centaurus Apollinis comes. VII. 395.
Cereris nomen datum Liviae. VI. 153. 157. Cereris specie proposita Sabina, et dicta etiam nova Ceres. 521. 522.
Certamen quinquennale a Nerone constitutum. VI. 264.
Cervomtius quadrigarius. VIII. 294.
Cervus Iunoni adstitutus, et cur. VII. 419.
Christi imaginem numis primus intulit Zimisces. VIII. 250. frequens in numis infimi aevi. VIII. 506.
Chrysopolus quadrigarius. VIII. 294.
Circenses natali urbis ab Hadriano constituti. VI. 502.
Circum maximum restituit Trajanus. VI. 427.
Citharoedorum habitus. VI. 107. 275. Eo usus quoque Nero. 275.
Classis Africana advehendo frumento a Commodo instituta. VII. 129.
Claudiae Quintae matronae miraculum. VIII. 41.
Claudia, quae et Iunia Claudilla, Caligulae uxor. VI. 229.

Claudia Claudii Aug. infelix filia. VI. 251.

Clementia Iul. Caesari propria. VI. 9. Tiberio et Caligulae adficta. *ibid.* Clementiae Iuliae templum. *ibid.* Clementiae caput et ara. 187.

Cleobis et Biton fratres Argivi. VII. 359.

Cleopatra M. Antonii et Cleopatrae filia. VI. 49.

Clypei votivi, eorumque usus. VI. 121.

Cocles (Horatius) ponte rupto in undis natans. VII. 32.

Coelestis Dea apud Carthaginem. VII. 183. Elagabali thalamis honoratur. 184. 251. 265.

Coepionis nomen a M. Bruto adscitum. VI. 24.

Cohors praetoria, ejus in bello usus. VI. 53.

Colendus venator. VIII. 302.

Colonia Commodiana Commodi jussu dicta Roma. VII. 123.

Columba concordiae symbolum. VII. 77.

Columna rostrata. VI. 86. cochlis Trajani. 429. Antonini Pii cum basi. VII. 28.

Cometes in numis Iul. Caesaris, et cur. VI. 11.

CONOB. COMOB. CORNOB. inscriptum numis inferioris aevi. VIII. 521. Variae de harum literarum significatione sententiae. *ibid.*

Consecratio vivorum et ejus exempla. VIII. 456. Consecrationis vivorum varii gradus. *ibid.* Graeculi etiam proconsules vivos consecrabant. 459. Impp. etiam vivi consecrati, sed extra urbem. 460. Consecratio mortuorum impp. 461. In iis non semper habita ratio vitae probe actae. 462. Catalogus Augustorum consecratorum 463. Ritus consecrationis. *ibid.* eam decernere ad senatum pertinuit. *ibid.* Numorum hujus classis inscriptiones et typi. 464. Vocabulum *Consecratio* serius in numis adhiberi coepit. *ibid.* Aliae consecrationis formulae. 465. Consecrationis numorum certa quaedam species multo serius signata. VIII. 469. Quis Augustorum ejus classis verisimilis auctor. *ibid.* Quamdiu hic consecrationis ritus duraverit. VIII. 472.

Consecratio Claudii ridicula. VI. 244.

Constantia Gratiani uxor. VIII. 158.

Constantinopolis vocata nova Roma. VIII. 97. Numi hujus urbis nomine inscripti. 95. Ejus moenia in numis Michaelis VIII. et Andronici II. VIII. 267. 268.

Consules Caesares. VIII. 326. Consules suffecti. 327. Consulatus continui. 327. Consulum designandorum arbitrium penes principes. VIII. 327. Consules non raro multis antea annis, quam magistratum inirent, designati. 328. Consules ordinarii, minores. *ibid.* Consules designati. *ibid.* Eam designationem numis quoque impp. inscriptam legimus. 329. Consulatus suscipiendi, et quidem saepius, quae principibus causae. 331. Consulatus orientalis et occidentalis. 332. Consulatus dimidius quis? 332. Consulatus post Constantinum M. et filios rarissime numis inscripti. 333. Consulatus sub principibus nihil attulit, nisi honorem. 332. 334. *Post consulatum* formula. 333.

Consulatibus, qui anno nomen dedere.

abolitis invecta in Oriente aera orbis conditi. VIII. 333.

Consularia insignia. VIII. 333.

Consularia ornamenta. VI. 114. VIII. 330. etiam in exteros collata. VIII. 330.

Consularis processus. VIII. 335. Quae illum in numis, et triumphum distinguendi ratio. 336. Peractus is junctis currui jam equis, jam elephantis. *ibid.* Sparsa tum in populum a consulibus pecunia. 337. quod dicebatur ὑπατειαν ποιειν. 338.

Contorniati numi. VIII. 277. unde sic vocati. *ibid.* Qui de his scripsere. 278. Eorum characteres. *ibid.* Perperam ab aliquibus cum numis duplicis metalli confusi. 279. Eorum typi. 281. In his raro apparet nexus partis anticae cum aversa. *ibid.* Catalogus impp. in his signatorum. 282.

Contorniatorum aetas. VIII. 310. usus. 311. Cur in his frequentiores Nero et Trajanus. 312. Eorum meritum. 313. in iis soloecismi et perversa scribendi ratio. *ibid.*

Coriolanus a familia sua cum Romanis conciliatus. VII. 41.

Cornelia Iul. Caesaris uxor. VI. 4.

Corona radiata. Ejus significatio. VI. 269. VIII. 362. Quae ejus gestandae leges. *ibid.*

Corona laurea Augg. VIII. 360. Varius ejus gestandae usus. *ibid.*

Corona querna decreta Augusto. VI. 88.

Corona navalis, classica, rostrata data M. Agrippae. VI. 164. item muralis. *ibid.*

Corona spicea in numis usae Livia, Antonia, Agrippina jun. VI. 257. Sabina. 522.

Coronae triumphales. VII. 8.

Coronae nexus cum votis. VIII. 479.

Corvus Apollini sacer. VI. 316.

Cosmus quadrigarius. VIII. 295.

Cossutia Iul. Caesaris uxor. VI. 4.

Crux frequens in numis infimi aevi. VIII. 505. 506. Ejus signum efficax in acie. 117. Crux super globo in numis inf. aevi frequens, ejusque significatio. 147. Crucem in monumentis vett. saepe viderunt viri pii, etiam cum crux non esset. 88. Crucis signo notati numi adhuc rari imperante Constantino M. *ibid.*

Cuniculus Hispaniae symbolum. VI. 495. adhuc in numo Laeliani. VII. 449.

Cupido Veneris collo inhaerens. VI. 6. eques super delphino. 81.

Custodes dii vel deae typo Fortunae. VII. 141.

Cybele cum suo Atye. VII. 39. VIII. 283. 284. Eam ementitur Domna. VII. 196.

Cydnus fl. in numo Antinoi. VI. 535.

Dacicum bellum Domitiani. VI. 381. Ejus nullum in numis vestigium. *ibid.*

Dacicus etiam dictus Domitianus, sed nunquam in numis. VI. 398. VIII. 455.

Damasci nomen inscriptum numis Leonis IV. VIII. 235.

Daphne Constantiniana. VIII. 82.

Dardania metallis dives. VI. 446.

Decursio quid? VI. 271. Decursiones in contorniatis. VIII. 293.

Delphinus Apollini sacer. VI. 316.

Demetrius (sanctus) in numis. VIII. 236. 266. Cultus Thessalonicae. 266.

Desiderius quadrigarius. VIII. 295.

Δεσποινα dicta Virgo Mater. VIII. 254.

Δεσποτης vocati Augusti infimi aevi, et Despuna Augustae. VIII. 501.
Deusoniensis Hercules. VII. 443.
Diadema Romanis exosum. VI. 18. VIII. 362. Illo tamen primus usus Constantinus M., eoque seu puro, seu gemmato, VIII. 79. 363. deinceps Augusti alii. 502.
Diadumenianus scribendum, non Diadumenus. VII. 241.
Diana Lucifera. VII. 35. cum Endymione. VIII. 285. cur ab Augusto enixius culta. VI. 93.
Dictatura Caesaris, ejusque iteratio explicata. VI. 14.
Divus, Deus, Θεος. Quod horum vocabulorum discrimen. VI. 125. VIII. 465.
Dominus. De natura hujus vocabuli. VIII. 364. Domini nostri etiam vocati impp. 365. Varius hujus tituli usus. *ibid.*
Domna nomen originis Syrae. VII. 197.
Domna Severi ab Alexandrinis dicta Iocasta. VII. 215.
Domninus Philocomus quadrigarius. VIII. 285.
Draco in signis militaribus. VII. 329.
Drusilla (Iul.) Caligulae ex Caesonia filia. VI. 230. 231. 232.
Drusus Claudii Aug. F. piro per lusum ore excepto praefocatus. VI. 250.
Ducentesima a Caligula remissa. VI. 224.

E litera, scripta etiam ut II. VI. 46.
Elagabalus deus, ejus etymon, cultus, forma, Elagabali Aug. in eum studia. VII. 250 seq.
Elephas in numis Iul. Caesaris, quae ejus significatio. VI. 4. Ejus caput symbolum Africae 489. Aeternitatis typus. VII. 328. loricatus. 19.
Elephantes a Romanis ad varios usus adhibiti. VI. 5. currum D. Augusti trahunt. 128. Eorum miserabilis caedes in ludis circensibus, et populi praeterea miseratio. VII. 315. Illis quaedam cum hominibus societas. *ibid.*
Elianus quadrigarius. VIII. 295.
Equestris ordinis incunabula, dignitas, progressus. VI. 126. VIII. 371 seq.
Equi transvectio praesente Censore. VI. 242.
Equus Mauretaniae symbolum. VI. 498.
Equorum nomina in contorniatis. VIII. 298. Eorum femori impressae notae. *ibid.*
Eugenius (sanctus) in numo Manuelis I. VIII. 262. 507.
Eugenius quadrigarius. VIII. 296.
Eurystheus metu apri in vase se occultans. VII. 443.
Eusebia Constantii II. uxor. VIII. 115.
Euthymius, Eutimius, Eutumius quadrigarii. VIII. 296.
Exagium Solidi. VIII. 511.
Exercitus coelestis Constantino M. suppetias missus. VIII. 91.

Fabia L. Aelii Caesaris filia. VI. 527.
Fadilla (Iun.) Maximo Caes. desponsata. VII. 297.
Fata tria. VIII. 6. Eadem cum Parcis, Fortuna, Nemesi. *ibid.* Eorum attributa. *ibid.*
Faustina jun. Dianae specie cervo insidens. VII. 81.
Faustina (Maxima) Constantii II. uxor. VIII. 115.
Felix. Quis primus ex impp. hoc nomine appellatus. VIII. 454. Plerum-

que conjunctum cum nomine Pii. *ibid.* Etiam Augustae utroque hoc nomine usae. *ibid.*
Filinus athleta. VIII. 302.
Filius Augustorum, nova dignitas. VIII. 53.
Flavii praenomen inde a Constantino M. gloriosum et appetitum. VIII. 500.
Forficula Iunoni addita. VII. 358.
Formulae acclamationum. VIII. 11.
Fors Fortuna. VIII. 38.
Fortissimus Caesar vocatus Decentius. VIII. 501.
Fortuna, vel Genius Constantinopolis. VIII. 96.
Fortuna dicta Fors, quae ejus significatio. VIII. 38.
Fortuna Dux. VII. 63. Manens. 115. Muliebris. 78. Obsequens. 24.
Francia Romanorum gaudium. VIII. 84.
Fratres pii in numis S. Pompeii. VI. 30.
Frumentaria largitio plebi a Nerva constituta. VI. 406.
Fulmina timet Augustus. VI. 92.
Fulvia M. Antonii. VI. 49.

Galea in numis tecti imperatores. VIII. 363. Quadrigariorum propria. 300.
Galeria Fundana Vitellii. VI. 309.
Galla Theodosii M. uxor. VIII. 163.
Galliarum numerus. VI. 293.
Gallienae Augustae inscriptio in numis Gallieni quid significet. VII. 411.
Gallus sibi genitalia praecidens. VIII. 284.
Gemini a lupa lactati etiam Constantinopolin designant. VIII. 97. Adhuc Iustiniani I. aetate fuere symbolum Romae. 216.
Genitales dii, quod eorum munus. VII. 139.
Genitores dii. VII. 141.
Genius Augusti, vel Caesaris. Quid illo intellectum. VIII. 458. Per eum jurari solitum, *ibid.* quod detractabant Christiani. *ibid.*
Genius, Fortuna, Tutela alicujus loci, numina adfinia. VIII. 141.
Genius Latinorum idem cum Τυχη Graecorum. VIII. 141.
Genius Lugdunensis. VII. 163.
Genii urbium suum habuere natalem. VIII. 141.
Gentiles qui a Romanis dicti. VI. 20.
Georgius (sanctus) in numis Alexii I. et deinceps aliorum. VIII. 260. 507.
Geticus dictus Caracalla ob caesum Getam. VII. 223.
Globus symbolum orbis terrarum. VII. 144. Eo Providentia notari solita. *ibid.* Globus cruciger. VIII. 505.
Gryphus Apollinis comes. VI. 443. VII. 395.
Γυνη, nempe Κλαυδιȣ, dicta in numo Agrippina jun. VI. 259.

Harpa Saturni attributum. VII. 381.
Heliogabalus perperam scriptum pro Elagabalus. VII. 250.
Hercules juventutis typus. VII. 472. Hercules et Nymphae Hesperides. 34. Gaditanus. VI. 504. salutis praeses. VII. 213. Ei thermae sacrae. *ibid.* Caci domitor. VII. 29. Herculis post caesum Cacum historia, ejusque ara maxima. 30. Hercules Prodicius. VI. 506. Cum Telepho infante. VII. 34. Hercules Romanus dictus Commodus. 126. Hercules dextera ori admota. VIII. 159. a Max. Herculio cumprimis observatus. 19. Ejus cum Centauris pugna. VII. 34. VIII. 285.

Eum prae aliis coluit Postumus. VII. 442 seq.
Herculia legio. VIII. 9.
Herus et Leandri amores. VIII. 288.
Hispania ex validissimis imperii provinciis una. VI. 338. Ejus in Vespasianum merita. *ibid.* Ab hoc Latii jure donatur. *ibid.*
Homerus in contorniatis. VIII. 291.
Horae quatuor, indices felicitatis temporum. VII. 83. 112.
Horatius in contorniatis. VIII. 292.

Ianus in numis Antonini. VII. 16. Commodi. 119. Pertinacis. 141. Ejus templum quoties clausum. VI. 89. 273. Ianus capite uno barbato, altero imberbi. VII. 396.
Imagines principum inter signa militaria. VIII. 496. Non constabant numis max. moduli. *ibid.*
Imperator ex primo instituto is, qui imperium militare habuit. VIII. 343. Imperator ex victoriis vetusti moris. *ibid.* Quae ad obtinendum hunc honorem requisita merita. *ibid.* Ex privatis postremus Blaesus a victoriis dictus imperator. 345. Imperatoris a victoriis titulus iteratus, et quibus legibus. *ibid.* Eum Augusti quoque admisere. *ibid.* Post Caracallam vix amplius numis insertus. 346. Imperatoris nomen summam in imperium potestatem indicans. *ibid.* Bleterii minus solidum de hac potestate judicium. 348. Imperatoris praenomen in Augustis significabat summum imperium. 349. Varia de hujus tituli usu observata. *ibid. seq.* Caesarum nonnulli dicti imperatores designati. 353.
Incendiorum Romae frequentium causa. VII. 384.
Indulgentia typo Spei, Pietatis, Providentiae. VII. 407.
Infans dilapsa matre a capra lactatus. VIII. 216.
Invicti Pii dicti Severus et Caracalla. VII. 179.
Iohannes athleta. VIII. 303.
Iovia legio, ala etc. VIII. 9.
Isis in numis Commodi, VII. 131 et Caracallae. 215. Cum sistro et situla. VIII. 140. Cane vecta. VI. 512. VII. 41. VIII. 139. Isidis Fariae imagines. 140. Isis et Osiris vasculum una tenentes. *ibid.*
Iudaei didrachmum in usum templi Hierosolymitani solvunt, serius in usum Capitolini. VI. 404. Hic fiscus acerbe agitur sub Domitiano, temperatur sub Nerva. *ibid.* Iudaei rebelles sub Trajano et Hadriano. 496.
Iuliani II. numi apertis indololatriae argumentis carent. VIII. 134.
Iuno cur dicta Lucina, ejusque attributa. VII. 99. Martialis. 359. Iunonis nomen datum Liviae. VI. 148. et Plautillae. VII. 227. Ei adstitutus cervus. 419. Ei aer consecratus. 358.
Iuppiter Cantaber. VII. 398. Crescens. 33. 422. Defensor salutis. 127. Exsuperantissimus. 115. Iuvenis. 120. Labrandensis. VI. 514. Laodicenus. *ibid.* Olympius. VI. 122. Praeses orbis. VII. 155. Sponsor securitatis. 127. Tonans. VI. 92.
Iuppiter cum Gigantibus pugnat. VII. 34. in medio Minervae et Iunonis sedens. 33. Ei nomine Inventoris Hercules aram ponit. 30.
Iustina (Flav.) Valentiniani I. uxor. VIII. 149.
Iustus dictus Pertinax in gemma vetere. VII. 145. Eodem nomine inscripti nu-

mi Graeci pro Δικαιος spurii habendi. 156.
Iuvenalia celebrat Nero. VI. 264.
Iuventas eadem cum Hebe. VII. 45. Ejus Romae templa et ludi. *ibid.* In ejus templo deponebant numum, qui togam virilem sumpsere. *ibid.*

Koppatias equus in contorniato. VIII. 299.
Κοσων. Numi sic inscripti cui tribuendi. VI. 22.

Laeta Gratiani uxor. VIII. 158.
Laetitiae typus controversus. VII. 21.
Laocoon a serpentibus compressus. VIII. 288.
Laurea Iul. Caesar libenter usus, et cur. VI. 17. Laurea sine diademate usus Iul. Caesar, simul cum hoc Augustus et successores. VI. 84. Laurea singulis Kalendis Ian. renovari solita. VII. 11.
Lauri ante Augusti domum positae. VI. 88.
Laurentius cum organo hydraulico. VIII. 303.
Legio Iovia, Herculia. VIII. 9.
Legio VI. vel VII. pia, VI. vel VII. fidelis, quid hi numeri significent. VII. 404.
Legionum numis inscriptarum catalogus. VIII. 488. Varia ad hos observata. 490. Legionum apud Romanos varia aetate numerus. 491. Variae legionum appellationes. 492.
Leo in numis M. Antonii. VI. 44.
Leo Caracallae dictus acinaces. VII. 214.
Leo Lugduni insigne. VI. 39.
Lex Valentiniani I., quae duas uno tempore legitimas uxores indulget, fabulosa. VIII. 149.
Liberi eodem curru cum patre triumphante vecti. VII. 16. 93.
Libertatis typus insolens. VI. 295.
Libertati tributa spica. VI. 298.
Literae solitariae in numis Philipporum. VII. 330.
Livia Augusti post hujus mortem dicta Iulia Augusta. VI. 147. Eadem dicta Ceres. 153. Mater patriae. 155. Iuno. 148. Καρποφορος. 168. Vestae cultu proposita. 155.
Livia, quae et Livilla, Drusi et Antoniae filia, uxor C. Caesaris Agrippae F. VI. 169. serius Drusi jun. 202.
Lollia Paulina Caligulae, mulier beata avitis opibus. VI. 229.
Lucilla in numis nonnisi unica. VII. 99.
Lucilla, v. Iuno.
Lucus cuipiam dicatus, consecrationis nota VI. 125.
Ludi Francici. VIII. 84. Parthici, seu triumphales in honorem Trajani. VI. 441. Pialia in honorem Hadriani. VII. 336.
Ludi saeculares, vide Saeculares.
Lugduni Genius. VII. 163.
Lugdunensium aera incerta. VI. 39.
Lupa gemellos lactans. VII. 31.
Lusius Quietus dux sub Hadriano eximius. VI. 498.
Lybicae in numo scriptum pro Libycae. VI. 51.
Lysifonus quadrigarius. VIII. 296.

Macellum quid. VI. 273.
Magni nomen datum Caracallae. VII. 219.
Magusanus Hercules. VII. 444.
Manas quadrigarius. VIII. 296.

Manus in altum efferre signum adprobantium. VI. 437.
Mappa in manibus imperatorum inf. aevi. VIII. 505.
Marcella minor M. Agrippae uxor. VI. 164.
Marcellae duae Claudii Marcelli et Octaviae filiae. VI. 160.
Marcellus (Sex. Varius) Elagabali pater. VII. 245.
Marcia Furnilla Titi uxor. VI. 364.
Marcianus (Gessius) Alexandri Sev. pater. VII. 246.
Margarita coryphaea. VIII. 304.
Maria V. M. frequens in numis infimi aevi. VIII. 506.
Marmorum judicium, praecipue in causa trib. potestatis, intutum. VIII. 399.
Mars Vltor. Ei ob recepta a Parthis signa templum dedicat Augustus VI. 95 seq. Mars ad Rheam accedens. VII. 31. Irruens cum hasta et scala. VIII. 285. Martis Venerisque furtivus amor. VII. 80.
Mater Idaea in navi, quam Cl. Quinta trahit. VII. 41.
Mater patriae dicta Livia. VI. 155. Quae praeterea Augustae aliae. VIII. 452.
Mater senatus dicta Domna. VIII. 452.
Matres castrorum dictae plures Augustae. VIII. 452.
Medullina (Livia) Claudii sponsa. VI. 250.
Medusae caput plerumque pectori Domitiani adfixum. VI. 375.
Memmia (Sulpicia) Alexandri Severi uxor. VII. 284.
Memoria mortuorum honori praestita. VI. 213.
Memoriae vocabulum in numis consecrationum. VIII. 465. Non semper certum est consecrationis indicium. *ibid.* Etiam a Christianis adhibitum. *ibid.*
Mensium nomina mutat Commodus VII. 130.
Mercurius religionis auctor. VII. 60. Pietatis symbolum. 345. Artium praeses. 406. Ejus attributa omnia in numo M. Aurelii. 60.
Mesopotamia duobus fluviis indicata. VII. 314.
Metalla in numis memorata. VI. 445.
Michael Archang. in numis infimi aevi. VIII. 506.
Miliarium saeculum quomodo explicandum. VIII. 325.
Milo Crotoniates in contorniato dubiae fidei. VIII. 302.
Minerva Providentia. VII. 186.
Minerva cum epigraphe SAPIENTIA. VIII. 287.
Minerva sapientiae dea. VIII. 65.
Minerva Iunoni Romae praelata. VI. 328.
Minerva cum Victoriola et palmae ramo. VI. 338.
Minerva papilionem homini a Prometheo formato imponens. VII. 34.
Minervae clypeus a Vitellio vocata praegrandis patina. VI. 310.
Minervam praecipue honorat Domitianus. VI. 375.
Minervae quinquatrus a Nerone auctae. VI. 276.
Minervina uxor I. Constantini M. VIII. 78.
Misitheus perperam, ut videtur, apud Capitolinum scriptum pro Timesitheus. VII. 319.
Moderationis caput. VI. 187.

Monetae aeneae status sub Augusto. VI. 134. 137. Ejus procuratio ab Augusto senatui demandata. *ibid.* Moneta aenea max. moduli sub Augusto an Romae, an foris signata? *ibid.* Moneta dicta sacra, et cur. VIII. 10.

Monogramma Christi describitur. VIII. 89.

Munificentia idem quod munus. VII. 19.

Navius augur cotem novacula dissecans. VII. 32.

Nemesis Victoria. VI. 511.

Nemeses Smyrnenses in numo Hadriani. VI. 514.

Nemesi communia attributa cum Pace. VI. 237.

NEPE sensus incerti in numis Phocae. VIII. 221.

Neptunus felicitatis typus. VII. 124. Auctor terrae motus. 399. Ejus se filium jactat Sex. Pompejus. VI. 29.

Neronia vocatum certamen quinquennale Neronis. VI. 264.

Nicocreontis Cypri reguli caput. VIII. 291.

Nilus deus, ejusque cubitus. VIII. 141.

Nimbus in capite Augg. VIII. 502. Ejus origo et forma. *ibid. seq.* Quando adhiberi coepit. 503. Ejus significatio. 504. cum sacris etiam animalibus communicatus. *ibid.*

NK scriptum pro NIKH. VIII. 31.

Nobilissimi dicti Caesares, et nonnullae feminae. VIII. 370.

Nobilitatis typus. VII. 116.

Noctua sapientiae imago. VI. 431. VIII. 65.

Nomina imperatorum a victis populis tracta. VIII. 454. Eorum catalogus. 455.

Nomina varia imperatoribus in numis inferioris aevi adjecta. VIII. 500.

Notae solitariae in numis Philipporum. VII. 330.

NVBIS CONS dictus Romulus incerta significatione. VIII. 60.

Numi aurei impp. superioris aevi utrum inferiore aevo habuerint rationem monetae. VIII. 513.

Numi argentei Augg. majoris formae, etiam cum Latine inscripti sunt, extra urbem signati fuere. VI. 132. seq.

Numi argentei majoris moduli a Caracalla feriri coepti. VII. 220.

Numi argentei inde a Claudio Goth. fere desunt. VII. 475.

Numi max. mod. cum inscriptione AEQVITAS vel MONETA. VII. 316.

Numi aenei maximae et tertiae formae sub Decio signati. VII. 345.

Numi aenei Pescennii, ut et Albini, ex quo hic Augustus dictus est, non exstant. VII. 153. 163.

Numi aenei III. formae a Vespasiano usque ad Hadrianum signati cum capitibus deorum, et in aversa cum horum attributis. VI. 443.

Numi aenei IV. formae inde a Nerone et Vespasiano usque ad Antoninum obvii. VI. 340.

Numi contorniati. vide Contorniati.

Numi plumbei. VIII. 317.

Numi Caracallae et Elagabali quomodo distinguendi. VII. 255.

Numi metallorum. VI. 445.

Numi inferioris aevi. De his longa observata. VIII. 499.

OBDVFILII SVI, incertae significationis, in numis Licinii I. VIII. 64.

Officinae monetariae in numis laudatae,

et quibus modis. VIII. 151. 518. 526.
Olexius memoratus in contorniato. VIII. 309.
Olympias regina. VIII. 290. Fingitur in lecto cum serpente. *ibid.*
Olympiodorus, Olympius quadrigarii. VIII. 296. 297.
Olympius dictus Hadrianus. VI. 518.
Ops sensus duplicis. VII. 143.
Optimi Maximi praeter Iovem dicti etiam aliqui Augusti. VII. 116.
Orestilla (Fabia) Gordiani I. uxor. VII. 300.
Orestilla (Livia) Caligulae uxor. VI. 229.
Organa musica. VIII. 303. Eorum alia hydraulica, alia pneumatica. *ibid.*

P à Latinis usurpatum pro B. VII. 24.
Pacis ara. VI. 268.
Pagii de Caesarum consulatu judicium impugnatur. VIII. 327.
Palladium in templo Vestae. VII. 101.
Palmyrae principes. VII. 488.
Pan Antinous. VI. 535 seq.
Pannonius quadrigarius. VIII. 297.
Pantheon complexum Iovem, Neptunum, Plutonem. VI. 514.
Pappus (avus) dictus Leo III. VIII. 234.
Parazonium quid? VI. 310.
Parricidae dicti percussores Iul. Caesaris. VI. 17.
Parthamasiris Armeniae rex. VI. 437.
Parthamaspates rex Parthiae a Trajano impositus. VI. 439.
Parthi Augusto signa restituunt. VI. 94 seq. Braccati. 95.
Pater senatus dictus Commodus. VIII. 452.
Patris et matris nomina in Augg. VIII. 450.
Patris patriae nomen quando primum usurpari coepit. VIII. 450. Quis ex impp. eo primum usus. 451.
Paullinus (Suetonius) illustris Britannorum victor. VI. 265.
Pax cum attributis Nemesis. VI. 237.
Pedem cuipiam rei imponere quid significet. VI. 44.
Pegasus Apollinis comes. VII. 400. Alacritatis symbolum. 406.
Penthesilea cum Achille. VIII. 287.
Pergami sociatus cultus Romae et Augusti. VI. 101.
Perpetui vocabulum Augustorum titulis additum. VIII. 358. 501.
Persae genium regis revereri soliti. VIII. 459. Cum illis fundata pax. VII. 321.
Pescennia Plautiana Pescennii vel Albini uxor. VII. 153.
Petina (Ael.) Claudii Aug. VI. 251.
Petronia Vitellii. VI. 309.
Petronius Maximus. VIII. 290.
Petronius cum organo hydraulico. VIII. 303.
Philadelphia a Graecis ad impetrandam Caracallae et Getae concordiam acta. VII. 231.
Philosophia M. Aurelii in examen vocatur. VII. 53.
Philosophissimus dictus M. Aurelius. VII. 66.
Philosophorum sectas omnes beneficiis ornat M. Aurelius. VII. 66.
Phoenix aeternitatis symbolum. VI. 441. 508.
Pietas Pompejanorum tessera. VI. 28.
Pileos qui populi gestaverint. VI. 526.
Pinci Moesiae metalla. VI. 446.
Pisti (fideles) dicti nonnulli impp. VIII. 252. 259. 501.

Pius. Qui jam olim, et deinde ex imperatoribus dicti Pii. VIII. 453.

Plautia Vrgulanilla Claudii Aug. VI. 250.

Plautianus imperante Severo praef. praet. Plautillae Aug. pater Caracallae jussu caeditur. VII. 224.

Πολυχρονιζειν τυς βασιλεις quid significet. VIII. 228.

Pompeja Iul. Caesaris. VI. 4.

Pomponia M. Agrippae. VI. 164.

Ponderis notae in moneta aenea Neronis. VI. 282.

Pondus et valor numorum infimi aevi. VIII. 510.

Pons Aelius in numis dubiis Hadriani. VI. 511.

Pons Danubii opus Trajani. VI. 418. opus Constantini M. VIII. 85.

Ponticus dictus Severus. VII. 193.

Pontifex max. Discrimen inter pontificatum max. reip. R., et imperatorum. VIII. 381. Quomodo ad impp. devolutus. *ibid.* Hactenus unicus pontifex max. 382. Quo tempore coeperunt esse duo pluresve. *ibid.* Pontifices max. simul omnibus sacerdotiis inaugurati. 384. Caesares pontifices quidem, at nunquam maximi. *ibid.* Quo tempore Augusti pontificatu max. abstinuerint. 386.

Pontificatum max. die Alliensi suscipit Vitellius. VI. 316.

Porca in ludis saecularibus Telluri mactata. VI. 385.

Porcus super signo militari. VI. 298.

Portus Ostiensis in numis. VI. 276.

Praenomina variarunt Commodus et Geta. VII. 134. 135.

Praenominibus Lucii et Publii in uno eodemque numo usus Geta. VII. 235.

Princeps juventutis. Hujus tituli origo. VIII. 371. Is principio Caesaribus et destinatis successoribus tribui solitus. 374. Catalogus principum juv. 375. Typi cum hoc titulo conjuncti. 376. Eorum principum cum ordine equestri nexus. *ibid.* An etiam cum Trojae ludo? 377. Serius ab ipsis etiam Augg. receptus. 378.

Principum juv. insignia hasta et clypeus. VI. 172.

Proconsules cum potestate extraordinaria. VIII. 339. Ejus exempla. *ibid.* Proconsulatus etiam Caesaribus decretus, sed perpetuus. 340. Variorum de caesareo hoc proconsulatu judicia. *ibid.* Proconsulatus etiam iterati. 342.

Prometheus hominem formans. VII. 34.

Providentiae typus ara. VI. 12. Varii alii ejus typi. VII. 144.

Pseudomoneta. VIII. 277.

Pueri et puellae alimentarii. VII. 40.

Pugilatus in contorniatis. VIII. 302.

Pugionem, quo fratrem occidit Caracalla, is in Serapidis templo consecravit. VII. 213.

Quadis regem imponit Antoninus. VII. 15.

Quadragensumae a Galba remissae. VI. 296.

Quadrigariorum cultus et arma. VIII. 299.

Quindecumvir sacris fac. dictus Vitellius. VI. 316.

Quindecumviri sacris fac. ludos saeculares procurant. VI. 102.

Ramus Apollinis Salutaris signum. VII. 357.

Rechiarius Suevorum rex in numo Honorii. VIII. 172.

Reliqua vetera ab Hadriano abolita. VI. 478.
Rheni imago. VI. 380. VII. 445.
Rhinoceros cum duplice cornu. VI. 393.
Rogus in consecrationis numis frequens. VIII. 468. Ejus forma. *ibid.*
Roma. Numi hoc nomine inscripti aevo Constantini M. VIII. 97. Iustiniani. 216.
Romae et Augusti cultus sociatus. VI. 100.
Romae veteris et novae discretae imagines specie muliebri. VIII. 97.

Sabinarum raptus. VIII. 287.
Sacerdotia plura in unum congesta. VI. 261.
Sacratissimi dicti imperatores. VIII. 191.
Saecula a metallis nomen adepta. VI. 508.
Saeculum aureum a Commodo jactatum. VII. 113.
Saeculares ludi a quibus acti. VIII. 20. Eorum novum canonem constituit Maximianus Herc. *ibid.* Eorum varii ritus in numis expressi. VI. 385.
Salatia dea. VI. 27.
Sallustii historici caput. VIII. 292.
Saturnus agriculturae praeses. VII. 381. Aeternitatis symbolum. *ibid.* Harpam manu gestat. *ibid.* Ejus certa indicia. *ibid.* Addita illi falx longior suspectae antiquitatis est. VIII. 316.
S. C. Haec nota in nonnullis aeneis primorum Augg. omittitur. VI. 192.
Scenica in contorniatis. VIII. 303.
Scribonia Augusti. VI. 120.
Scrofa cum suculis. VI. 336.
Scutica quadrigariorum. VIII. 300. Absque hac victores magnas sibi laudes promeruere. *ibid.* Ejus forma. 301.
Scyllae imago. VI. 30. Vlyssis navi insidiata. VIII. 285.
Σεβαςος. Ab hoc derivata varia infimi aevi prodigia Σεβαςοκρατωρ, Πρωτοσεβαςος etc. VIII. 359.
Segetia segetum praeses. VII. 419.
Sejanus Tiberii jussu caesus. VI. 196.
Seleucus quadrigarius. VIII. 297.
Sella aurea et corona Iul. Caesari decreta. VI. 10.
Semnos, a Graeco Σεμνος, dictus Caracalla. VII. 222. et Gordianus I. VII. 303.
Semper Augustus. VIII. 359.
Senatus R. se Commodianum Felicem appellat. VII. 119.
Senior, junior Augustus, qui dicti, et cur? VIII. 359.
Serapis idem cum Aesculapio. VII. 213. Ejus ope Vespasianus Alexandriae miracula patrat. *ibid.* in ejus templo Caracalla pugionem dedicat, quo fratrem occidit. *ibid.* Serapis in numis Commodi. 128. 131. Ejus specie Iulianus II. effictus. VIII. 138.
Serpens variorum numinum comes, idem in orgiis Bacchi magnum momentum. VIII. 307. Idem deorum Manium famulus silicernia degustare solitus. *ibid.*
Servus Christi dictus in numis Iustinianus II. VIII. 227.
Severa (Valeria) Valentiniani I. uxor. VIII. 149.
Signa recepta a Parthis. VI. 94 seq. Alia a Vespasiano. 329. a Sarmatis. 371. Signa in Vari clade amissa recuperat Germanicus. 209.
Signa militaria varii generis. VIII. 493.
Siscia Pannoniae in numis Gallieni. VII 410 et Probi. 505.

Soaemus Armeniae a Vero rex impositus. VII. 91.
Socratis caput, sed dubium, in contorniato. VIII. 291.
Sol dictus Dominus imperii R. VII. 482. Etiam in Occidente cultus. VIII. 45. Ejus imago magnae molis a Vespasiano dedicata. VI. 335. Ejus specie propositus Geta. VII. 229.
Sol et luna aeternitatis symbola. VI. 423. VII. 181.
Solidus numus quis? VIII. 511.
Speculatores varii generis. VI. 53 seq.
Spei bonae ara Romae. VII. 154.
Sphinx in numis Augusti. VI. 98. 120. Volusiani. VII. 368.
Spintriae. VIII. 315. Earum argumenta et usus. *ibid.* copia. 316.
Statua equestris Trajani mirandi operis VI. 436.
Stephanus quadrigarius. VIII. 297.
Στεφανοω allegorice pro honoro, remuneror. VII. 7.

Taurus Neptuni victima. VII. 129. Symbolum montis Tauri. VI. 99. in numis Iuliani II. ejusque causa. VIII. 133.
Telephus a cerva lactatus. VII. 34.
Telesphorus in numis Caracallae. VII. 212.
Telluri in ludis saecularibus mactata porca. VI. 385.
Tempestas Romae culta. VII. 129.
Templum Apollinis Palatini. VII. 125. D. Augusti. VI. 126 seq. VII. 25. Bacchi et Herculis. VII. 171. Clementiae Iuliae. VI. 9. Mentis. VII. 142. Opis. 143. Pacis. VI. 334. Romae et Veneris. 509. 510. Tempestatis. VII. 129. Vestae 79.
Templum Iovis Capitolini. VI. 327. sub Vitellio exustum restituitur a Vespasiano. *ibid.* Iudaei singuli didrachmum ad hos sumptus conferre jubentur. *ibid.* In eo tres cellae, Iovis, Minervae, Iunonis 328.
Templa et arae Augusto in provinciis decretae. VI. 135 seq.
Templa etiam non consecratis erigi in Italia permissum. VI. 400.
Terentius comicus in contorniato. VIII. 292.
Terrae motu collapsae Asiae urbes a Tiberio restituuntur. VI. 192.
Tesserae forma numorum. VIII. 314. Earum exempla. *ibid.*
Thensa divinitatis nota. VI. 128.
Theodorus (sanctus) in numo Alexii I. VIII. 262.
Theogamia ab Elagabalo celebrata. VII. 251.
Θεομητωρ dicta Agrippina jun. VI. 259.
Thermae Alexandrinae. VII. 272.
Thesei cum Centauro lucta. VIII. 288.
Titi praenomen utrum habuerit Vespasianus, non satis liquet. VI. 341.
Toxxotes equus. VIII. 298.
Trajanus Trajani Aug. pater. VI. 433. Ejus illustria facta, et obiti magistratus. *ibid.* a filio Aug. consecratus. *ibid.*
Tribunicia potestas impp. unde fluxerit VIII. 391. Cur eam appetierit Augustus. 392. Discrimen inter tribunatum veterem, et trib. potestatem impp. *ibid.* Ea a senatu conferri consuevit. 393. Impp. in trib. potestate suos habuere conlegas. 394. Ea singulis annis renovari et numerari solita. *ibid.* Variorum sententiae de modo iteratae hujus potestatis. 395. Regulae ad il-

lustrandum hunc modum necessariae proponuntur. 398. Trib. potestas ab Augusto usque ad Antoninum iterata est eo die, quo accepta, deinceps Kalendis Ian. 404. Quo ea tempore desiverit. 449.

Tripus auguratus insigne. VI. 31.

Triquetra fallax monetae Siculae indicium. VI. 60.

Triumphales quadrigae sine rectore. VI. 197.

Triumphantes liberos suos in currum recepere. VII. 93.

Triumphalia ornamenta. VI. 113. Ea Druso sen. decreta. 177.

Troja ludus. VI. 170. utrum is connexus cum principe juventutis. VIII. 377.

Tutela, nomen adfine Genio, vel Fortunae. VIII. 141.

Τυχη, Graecis Genius urbis. VIII. 141.

Valerianus junior neque Caesar fuit, neque Augustus. VII. 427 seq.

Valli castrensis forma. VIII. 67.

Vehiculationis onus a Nerva mitigatur. VI. 408.

Veliternorum numus plumbeus. VIII. 319.

Velum. Eo opertum caput augurum. VI. 17. 18.

Venatio mirabilis in amphitheatro. VII. 182. Venationes in contorniatis. VIII. 302.

Venus cum adhaerente collo Cupidine. VI. 6. Genitrix Romae culta. 511. Victrix in annulo Iul. Caesaris 8. pro tessera ante pugnas. *ibid.* obvia in numis Iul. Caesaris et Augusti. 81. Veneris nomen datum Iuliae Augusti filiae. 168.

Vercingetorix rex captivus in numo Iul. Caesaris. VI. 6.

Verissimi nomen datum M. Aurelio. VII. 67.

Verus. Numi hoc nomine inscripti ad quem Verum pertineant. VII. 84.

Vestae attributa commodata Liviae. VI. 155.

Vestales ante Vestae templum sacrificantes. VII. 101. Earum sex constitutae. *ibid.*

Vexillorum forma et usus. VIII. 494.

Viae munitae ab Augusto. VI. 105. a Trajano. 421.

Victoriae cum votis nexus. VIII. 479. Victoria insigne imperii. VI. 85. Ejus statua Tarento advecta. *ibid.* Victoria Nemesis. 511.

Victoriarum numerus positus in numis pro numero imperatoris ex victoriis. VII. 401.

Vlysses Scillae se opponens. VIII. 286.

Vota in numis memorata. VIII. 473. Eorum varia genera. *ibid. seq.* Vota decennalia, eorumque origo. 475. Quinquennalia, eorumque origo. 476. Variae in numis vota enunciandi formulae. 477. Votorum typi. 479. Horum nexus cum typo coronae. *ibid.* Quo tempore nuncupari desierint. 480. Observata varia ad vota numis inscripta. 481.

Vpupa pietatis symbolum. VI. 531.

Vrbes monetariae inf. aevi. VIII. 518.

Vrsus quadrigarius. VIII. 297.

Vulcanalia Romae acta. VI. 97.

Vulcanus dictus Vltor. VI. 96.

Vulcanus et Minerva colloquentes. VII. 34.

Vulcano sacra arma ejusque velut victima. VI. 97.

ADDENDA

AD

ECKHELII

DOCTRINAM NVMORVM VETERVM

EX

EIVSDEM AVTOGRAPHO POSTVMO

CVM TABVLA AENEA

VINDOBONAE

SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE

MDCCCXXVI.

A. Steinbüchel Lectori S. P.

Addenda ad Eckhelii doctrinam numorum veterum, quae tuis oculis subjiciuntur, Eckhelius exemplari, quo ipse utebatur, plagulis in singulorum voluminum calce annexis, inscribere solebat: ea nunc publici juris facimus, prout auctoris manu exarata in Museo Caesareo Regio Vindobonensi asservantur.

Vitam Eckhelii a cel. olim Millinio conscriptam, ex sermone gallico in latinum translatam, virique effigiem addidimus, quo liber omnibus partibus absolutior gratiorque tibi prodiret.

Nolumus te pluribus morari, lector benevole; id modo precamur, nobiscum venerandis viri Manibus solemni acclamatione pie parentes

HAVE. ANIMA. DVLCIS. IN. AETERNVM.

NOTITIA LITERARIA

DE VITA ET SCRIPTIS

IOSEPHI HILARII ECKHEL,

OLIM PARISIIS IN SOCIETATE PHILOMATHICA

AB A. L. MILLIN,

MUSEI ANTIQUITATUM PARISINI CONSERVATORE

PUBLICE PRAELECTA, ET EX GALLICO IDIOMATE LATINE REDDITA

AB EM. TH. HOHLER.

IOSEPHUS HILARIUS ECKHEL, natione Austriacus, patria Entzersfeldensis, genere honesto oriundus, quippe cujus pater administrandis praediis Comitis de Zinzendorf praeesset, natus est An. 1737.

Is, cum a teneris unguiculis singulari discendi cupiditate flagraret, admodum puer missus est ad studia literarum, quibus statim a principiis tanto ardore dedit operam, ut rudimenta linguae latinae quam celerrime imbiberet, atque in literis latinis et historiae scientia maximopere proficeret. Vix annum decimum quartum egerat, cum Viennae 17. Octobris An. 1751. in collegium Iesuitarum cooptaretur. Inde Leobii in Styria studia humaniora absolvit et, ad severiores disciplinas progressus, philosophiae, mathesi et theologiae, simulque studio linguae graecae et hebraicae operam navavit. Et jam tunc, duabus odis latinis a), quibus nuptias Iosephi II. celebraret, in lucem editis, egregia eruditionis classicae specimina praebuit.

Postea Viennam redux An. 1766 docere in academia Theresiana coepit linguam latinam; porro in academia militari Styrae ad Anesum grammaticam et rhetoricam, denique Viennae in gymnasio academico ab An.

---

a) Odae duae, quum Josephus II. et Josepha, Bavariae princeps, nuptiis jungerentur. Viennae Austriae 1765 in 4to.

1768 usque ad An. 1771 poëticam et rhetoricam tradendam suscepit, eo quidem profectu, ut inter discipulos exsisterent complures, qui postea in literatura germanica praestantes scriptores inclaruere; e quorum numero Ioannes Bapt. Alxinger, poëta egregius, fuit, qui, ut magistro imprimis carus, ita gratissimo animo semper ei devinctus erat, quippe qui ingenue fateretur, quidquid virium in se esset, quidque in literis profecisset, id omnino deberi magistro suo doctissimo eidemque humanissimo. Eo temporis spatio Eckhel complura opera in lucem edidit, quibus nomen suum in republica literaria magis magisque inclarescebat. Quippe An. 1768 perelegans carmen [a]) in abitum Mariae Carolinae, Serenissimae Archiducis Austriae, lingua vernacula condidit, et duobus annis post orationem eloquentiae plenam de itineribus a Josepho II. per Italiam institutis in lucem protulit [b]). Eodem tempore et commentarium Grammaticum in prophetias Hagei publicavit. Quae tamen studia longe aliena erant ab iis, quibus postero tempore nominis immortalitatem consequutus est, studiis scilicet rei numariae, cujus et vera principia primus aperuit, et terminos longe promovit. Ea studia Eckhel tunc temporis amplexus est tanto amore, ut quidquid otii a negotiis scholasticis superesset, rei numariae adhiberet. Itaque brevi tantum profecit, ut An. 1770, solenni professione sua Ordini Iesuitarum addictus, prae ceteris habitus fuerit dignus, qui celebri Khellio, magistro suo, circa hoc tempus defuncto, Custos numorum in societate exstantium succederet.

Is, cum totus Archaeologiae studiis deditus, ac in omni genere disciplinarum, quae ad haec studia sua facere viderentur, apprime versatus esset, incredibili cupiditate incendebatur Italiae visendae propter summos antiquitatis thesauros ibi reconditos. Demum An. 1770, postquam id obtinuisset, ut Romam mitteretur, profectus est mense Augusto, et in classica terra Italiae non tantum eruditione sua ampla et solida maximam sui existimationem excitavit, sed et ingenuo candidoque animo facile sibi con-

a) Gedicht auf die Abreise I. K. H. Marien Charlotten, Erzherzoginn von Oesterreich. Wien, 1768 in 8vo.

b) Rede auf die Reise Josephs II. in Italien. Wien 1770, in 8vo.

ciliavit amicitiam doctissimorum quorumque virorum, inprimis celeberrimi Lanzi, Marini, et Oderici.

Florentiae commorans, cum Edmundo Cocchi, tunc temporis Custode Musei numarii, in frequentiores disceptationes ingressus, occasionem nactus est, genuinas ideas de omni re numaria explicandi, atque novum systema suum numorum ordinandorum aperiendi. Cujus rei summam gravitatem facile perspexit vir prudens, qui, ut animo ingenuo sagacique praeditus et augendarum scientiarum cupidissimus erat, nullus dubitavit, quin hominem doctum et ingeniosum Magno Duci Leopoldo commendaret utpote dignum, cui cura Musei numorum Florentini secundum novum systema ordinandi committeretur. Quo munere honorifico noster ut summo successu, ita brevissimo temporis spatio perfunctus est.

Quare Leopoldi Magni Ducis singulari gratia commendatus Augustae Imperatrici Mariae Theresiae, Viennam reversus, post abolitionem societatis Iesuitarum, An. 1774 thesauro Caesareo numorum gemmarumque veterum et rei antiquariae in Universitate Vindobonensi docendae praefectus est.

Cum jam tunc de edendo opere egregio cogitaret, quod tandem An. 1775 in lucem prodiit, ei Denis, celeberrimus praeclari Khellii in munere Bibliothecarii Caesarei Aulici successor, commentarios de re numaria a Khellio relictos tradidit hunc in finem, ut in elucubrando opere notis et animadversionibus magistri doctissimi adjuvaretur. Quibus auxiliis usus, Eckhel in opere suo numos veteres secundum novum suum systema in ordinem disposuit, ac juris publici fecit [a]). Quod systema jam paullo fusius explicemus, oportet.

Inter amatores rei numariae sunt, qui non nisi unum alterumve genus numorum colligere student. Quorum in ordinem dispositio nihil difficultatis habet. Aliud obtinet in ordinandis collectionibus, numos omnis generis veteris aevi complectentibus. Ex usu quidem communi olim numi

---

a) Numi veteres anecdoti ex Museis Caesareo Vindobonensi, Florentino Magni Ducis Etruriae, Granelliano nunc Caesareo, Vitzaiano, Festeticsiano, Savorgnano Veneto aliisque Viennae Austriae 1775 in 4to.

secundum magnitudinem in varias series ordinari consueverant, ita ut primum numi autonomi ordine alphabetico et secundum metalli genus collocarentur; deinde numi regii secundum modulum et metalli genus, postea numi Romanorum Consulares et Imperatorii itidem secundum modulum et metalli genus distribuerentur, quibus alii numos coloniarum adserere solebant, alii vero in peculiares series sejungere amabant.

Quae distribuendi methodus, quamquam a praecipuis numismaticis adoptata et in locupletissimis Museis adhibita fuerit, tamen quam parum commoda sit, facile intelligitur. Ut enim ordinem rerum gestarum sequaris, alias atque alias series numorum secundum modulos et metalla distinctas perscruteris necesse est. Porro fit, ut numi terarum longissime distantium, siquidem ordine alphabetico se excipiant, penes se collocentur v. g. Panticapaeum in Tauride, Panormus in Sicilia, et Paphos in Cypro insula.

Pellerinus, hujusmodi distributionem a methodo philosophica, quae cujusque scientiae basis sit, necesse est, longissime aberrare sentiens, novam in hac re viam patefacere conatus est, eoque pervenit, ut numos urbium secundum regiones, unde originem traherent, ordinaret. Quae ordinandi ratio magnam quidem numorum explicandorum facilitatem suppeditabat; verum auctor hanc viam haud satis longe prosequutus est, sed quasi in primo limine sistens, numos non nisi secundum generales divisiones geographicas dispertitus est. Itaque cunctam cujusque regionis monetam in unum acervum congessit et ordine alphabetico composuit. Idem tamen numos urbium, regum, et coloniarum secernere coepit.

Eckhel noster primus exstitit, qui perspiceret, quantum incommoditatis diversae hae methodi haberent. In eo tamen cum Pellerino consensit, aeque ineptum et ridiculum esse, numos secundum metalli genus aut modulos dispertiri velle, quam si quis plantarum genera ex stirpis duritie aliisve proprietatibus in herbas, frutices et arbores divideret. Methodus enim in omni scientia fili instar est, quo, vitatis ambagibus et erroribus, per caecum labyrinthum cognitionis empyricae ducamur. Utut plurimas res usu quotidiano et communi experientia didicerimus, tamen, si methodus abest, scire nostrum nihil est, nisi farrago notionum memoriae inhaerentium.

Ordo accedat necesse est, quem ratio sola potest inferre. Methodus igitur in scientia rei numariae aeque necessaria est, ac in quavis historiae naturalis parte. Nam ut in historia naturali ope certorum characterum v. g. dentium in mammiferis, pinnarum in piscibus, organorum sexualium in plantis, facile dignoscas, ad quam speciem corpus aliquod pertineat, ita in moneta ope certorum characterum, uti metalli, fabricae, typi, styli et inscriptionis, facile determines, cui urbi, cui regi imperatorive adjudicandi sint singuli numi. Iam studium horum characterum efficit theoriam numismaticam, quae ad dijudicandos et in classes redigendos numos non minus necessaria est, quam methodus botanica ad determinandas ordinandasque plantas. Quodsi ergo celeberrimus Linneus nomen Restauratoris historiae naturalis jure promeritus est, doctissimus Eckhel noster, systematico ordine in re numaria introducto, parem palmam sibi evicisse putandus est.

In distribuendo describendoque Museo Viennensi Caesareo autem sequutus est ordinem hunc. Primum universos numos in duas classes divisit, scilicet in numos urbium et in numos Romanos.

Tum urbium numos secundum ordinem geographicum disposuit, et secundum provincias subdivisit; singularum vero provinciarum urbes ordine alphabetico collocavit, regesque, quorum ditioni subjectae erant, ordine chronologico subjunxit.

Numos coloniarum olim in usu fuerat separatos disponere, prout inscriptio esset vel graeca vel latina. A quo usu Harduinus primus discessit et cunctos coloniarum numos sibi coordinare instituit. Eckhel autem coloniarum numos numis autonomis adjungendos putavit, propterea, quod hac ratione series urbium plenior redderetur. Cui quidem coepto qui adversarentur, non defuerunt rei numariae sectatores; prudentissimi tamen quique in partes Eckhelianas transiere hac de causa, quod pars aversa hujus monetae fere magis ad urbes refertur, quarum jussu olim cusae fuere, quam ad principes, quorum facies in parte anteriore repraesentata est.

Insularum numos, quos Pellerinus sejunctim ordinandos putaverat, Eckhel noster terrarum adjacentium numis adjungere ob constantem utriusque monetae affinitatem malebat.

Quoad numos Romanos Eckhel novam plane rationem sequutus est. Eos nempe in numos Consulares et Imperatorios subdivisit. Numi Consulares, qui sub Consulibus facti fuerunt, etiam Romanarum gentium numi appellari solent, quia totidem series clarissimarum gentium Romanarum repraesentant. Quos noster, cum, propter incertitudinem rei, methodo systematica, sive chronologica, sive alia, disponere non auderet, ex ordine alphabetico distribuendos putavit.

In numis Imperatoriis ordinandis alii methodum alphabeticam, chronologicam alii sequi soliti fuerant; methodus alphabetica tamen, quia nihil luminis historiae illustrandae inferret, a plerisque derelicta. Sed ne in methodo chronologica quidem omnes iisdem usi fuerant principiis, siquidem Occo et Mediobarbus fastos Romanos, alii aliam divisionis rationem sequuti fuerant. Eckhel autem, quidquid boni apud singulos esset, in systema suum adoptandum putavit.

Eckhelianum itaque systema ordinem geographicum chronologico jungit et non tantum ipsam scientiam numismaticam promovet, sed et historiae plurimum luminis adfert. Si enim numos tali ordine distributas prae oculis habeas, facile fit, ut ex eorum serie cujusque regni provincias et urbes cognoscas, successionem principum edocearis, et varios idiomatis usitati characteres comprehendas; porro ex opulentia indigentiave metallorum prosperiorem miserioremve populorum statum intelligas; ex numorum formositate vel deformitate artium nascentiam, progressum et lapsum colligas; denique ex inscriptionibus magistratuum titulos, illustres viros, ritus, ludos publicos, dies festos Deosque et sexcenta alia, quae ad perfectam historiae cognitionem faciunt, perspicias.

Hisce principiis Eckhel in distribuendis usus est numis anecdotis, quos vel in Italiae Museis adnotaverat, vel in Museo Viennensi Caesareo a Iamerai Duval, Fröhlich et Khell, antecessoribus suis, nondum editos deprehenderat, atque secundum systema suum in classes redactos et ea, qua solebat, praecisione diligentiaque descriptos, operi suo inseruit.

Quod opus divisum est in partes duas, quarum prior praeter praefationem, qua numismatica auctor sua refert itinera, descriptionem numo-

rum anecdotorum, i. e. vel ineditorum vel perperam explicatorum ex omnibus Europae antiquae terris complectitur. Altera pars numos Asiae et Africae, praeterea omnes, qui dubii aut incerti sunt, continet. In hoc opere tamen Eckhel perpaucos tantum numos veterum Romanorum Consulares et Imperatorios descripsit, utpote quorum maxima pars jam aliunde satis cognita esset. Rei illustrandae causa in fine XVII tabulas aeri incisas adjecit, quae multitudinem numorum adcuratissime delineatorum repraesentant, et eo ipso genere meriti, quod in libris numismaticis haud raro desideratur, operis praestantiam magnopere augent.

Auctor noster, cum, hoc sublimioris ingenii et doctrinae monumento exacto, famam nominis sui in republica literaria jam summe extulisset, paullo post speciosius adhuc systematis sui exemplum exhibuit in edito Catalogo Musei Caesarei Viennensis a), quod non tantum ad instar Musei Florentini ordinaverat, sed et permagnis numorum thesauris locupletaverat. Totus enim officiis muneris sui addictus nullam praetermiserat occasionem Musei novis numis vel coëmtis vel permutatis ampliandi. Quo facto et numos ab Ilgnero collectos, et numos Imperatorum argenteos a comite Ariosti congestos adquisiverat. Quae propter ampla Musei Caesarei Vindobonensis incrementa, cum jam veteres indices a Fröhlich et Khell conscripti non sufficerent, Eckhel novum hunc Catalogum condendum suscepit, qui a primordio solum quidem in usum Musei destinatus, postea vero, urgente necessitate typis mandatus, et, sicuti praecedens auctoris nostri opus, Augustae Imperatrici Mariae Theresiae dicatus, publico exstitit documento, quantus numorum Augustae liberalitate accrevisset thesaurus, quantaque esset Caesarei Viennensis Musei opulentia. Itaque Eckhel jure asseruit, nullum Europae Museum conferri posse Vindobonensi Caesareo, nisi forte Parisinum, quod immensis opibus tantum inclaruerit, ut spes vix supersit, quacumque aetate aut quibuscumque sumptibus ejus posse aequiparari praestantiam. Eckhel catalogo suo VIII

---

a) Catalogus Musei Caesarei Vindobonensis numorum veterum, distributus in partes II. quarum prior monetam urbium, populorum, regum, altera Romanorum complectitur. Vindobonae 1779. Tomi II. in folio.

tabulas addidit, repraesentantes eos vel ineditos vel male explicatos numos, quos inter anecdotos nondum descripserat. In praefatione hujus operis crimina a celeberrimo Pellerino sibi objecta diluenda putavit; qui egregius rei numariae scriptor in praefatione Voluminis VII. et VIII., nec non in Additamentis ad Volumen IX. operis sui paullo acerbius conquestus erat, quod Eckhel noster, invidia ductus, complures ejus errores iniquo animo retexisse, vel omnino falsos ei imputasse videretur. Eckhel, cujus animus ab invidia semper longe alienus, id quod dignitati suae deberi videbat, pro humanitate sua mite respondit: rei numariae scientiam tot ac tantas involvere difficultates, ut doctissimi et celeberrimi quique homines in aliquot errores delabi possint, quin existimatio de solida et vasta eorum eruditione ullum exinde detrimentum patiatur. Nam fieri, ut, in explicandis numis veteribus, alius alio praestantiori exemplari utatur, adeoque rem melius tangat. Quoad errores autem, quos Pellerinus falso sibi imputatos asseruerat, Eckhel criticam suam argumentis luculentissimis firmavit: caeterum justas Pellerino laudes attribuit. In fine hujus catalogi notitiam historicam de Museo Caesareo Vindobonensi adseruit.

Ab An. 1779 usque ad An. 1786, nullum opus Eckhelianum in lucem prodiit. Quo temporis spatio interjecto Eckhel novam syllogen edidit numorum veterum anecdotorum a), quos interea in thesauro Caesareo repertos in classes systematis sui redegerat. Haec sylloge X tabulis aeneis aucta est. Caeterum continuationem non habuit.

Eodem tempore auctor noster et monographiam numismaticam b) publicavit, qua copiosiorem systematis sui usum ostendit. Materia hujus monographiae est moneta Antiochiae Syriae, cujus in descriptione auctor noster specimen artis criticae in re numaria exhibuit. In praefatione hujus opusculi primum loquutus est de doctrina numorum, qua condenda tunc occupabatur.

Ante quam opus hujus doctrinae, qua rei numariae scientiam penitus

---

a) Sylloge Ima numorum anecdotorum thesauri Caesarei. Viennae 1786, in 4to.

b) Descriptio numorum Antiochiae Syriae, sive specimen artis criticae numariae. Viennae 1786.

restauraturus esset, edendum susciperet, An. 1787, libellum [a]) praemittendum putavit, quo elementa rei numariae in usum tyronum ea mente proposuit, ut literarum studiosi, cognita rei gravitate et pulchritudine, ad studium numismaticum invitarentur. Itaque in hoc libello elementari summam rei numariae breviter exposuit et VI tabulis adjectis numos notatu dignissimos repraesentavit.

Auctor noster, quamquam studio numorum prae caeteris occupatus, tamen in omnibus partibus Archaeologiae aequaliter versatus fuit. Praeterea amplitudinem eruditionis acumine judicii et ingenii elegantia aequavit. Cujus rei exemplum dedit in expositione sua gemmarum Musei Caesarei Viennensis, quarum praestantissima exemplaria in hoc opere magnifico descripsit [b]).

Hoc quidem Museum, a quo tempore Eckhel ejus custos exsisteret, gemmarum thesauris, et a duce Lotharingiae et olim in castro Ambrasiensi provinciae Tyrolis collectis, ditatum fuerat; verum auctor noster in opere suo non omnem Musei copiam, sed eas praecipue gemmas illustrandas putavit, quae vel magnitudine sua vel objecto excellerent. Explicatio auctoris nostri exemplo proponi potest omnibus, quicumque hujus generis laboribus occupantur. Non enim imitatus est illos Archaeologiae scriptores, qui, dum omnia explicare, omnia ad mythologiam historiamve referre conantur, pulchritudinem artis negligunt; neque hos est sequutus, qui, unice occupati pulchritudine artis, cuncta posthabent, quae ad mythologiam historiamve illustrandam facere valeant: sed mediam viam inter prolixitatem Begeri et Gravellei siccitatem ingressus est. Descriptiones ejus breves et succinctae, perspicuae et adaequatae; nihilominus tamen plenae sunt ingeniosarum observationum, et idearum novarum, quae non nisi ab homine summae eruditionis et acerrimi judicii, quique omnes partes Archaeologiae ex asse teneret, proficisci poterant.

Prodiit hoc opus Gallico idiomate conscriptum, qua in re auctor no-

---

a) Kurzgefasste Anfangsgründe zur alten Numismatik. Wien 1787, in 8vo.

b) Choix de pierres gravées, du cabinet impérial des antiques, représentées en XL planches. A Vienne en Autriche, 1788 in folio.

ster consiliis liberi Baronis de Lecella, amici sui, cujus infra mentio facienda erit, usus est.

Tandem ab An. 1792 usque ad An. 1798, in lucem edita est octo voluminibus comprehensa Doctrina numorum a), qua condenda auctor noster, ut supra retulimus, jam pluribus abhinc annis occupatus fuerat. In numis anecdotis, porro in sylloge et in catalogo edito Eckhel systema suum quidem jam exhibuerat, ast nondum omnem rem numariam ad hoc systema redegerat; quod opus ingentis fuit laboris. Complures quidem Archaeologi antea jam de condenda historia generali numorum cogitaverant, sed rei difficultate absterriti fere a suis consiliis destiterant. Rasche solus rem ad finem perduxit; verum ejus opus, infatigabilis patientiae magis, quam solertioris industriae monumentum, formam lexici habet, adeoque nihil confert ad praecepta scientiae numismaticae statuenda; praeterea erroribus et tricis refertum est.

Cum philosophica indoles eadem ratione procedat, cuicumque scientiae adhibeatur, Eckhel noster eodem modo, quo Linneus systema naturae, condidit generale suum numorum systema, cujus analysim superius jam exposuimus. Nempe in capite operis singulariumque classium praemisit propositiones universales, quae regulas principales, nomenclaturam, determinationem characterum primariorum, literaturam et criticam scientiae numismaticae complectuntur, ac quodammodo philosophia numismatica appellari atque philosophiae botanicae Linnei comparari possunt.

Eckhel in systema suum non universos numos, quotquot eorum noti sint, sed eos tantum, qui notari mereantur, recepit. Simul indicem operum adjecit, in quibus singuli numi optime repraesentati et descripti reperiuntur; ipsis vero descriptionibus suis haud raro uberiorem explicationem adnexuit, vel geographiae et chronologiae, vel mythologiae historiaeque, literis et artibus nova lumina adferentem. Unumquodque octo doctrinae suae voluminum indicibus amplis et adcuratissimis instruxit, quarum ope investigatio materiarum magnopere facilitatur.

---

a) Doctrina numorum veterum. Vindobonae 1792 — 1798. Volum. VIII. in 4to.

Ita Eckhel noster de re numaria unus omnium optime meritus est, ut qui exactissimas quasque et certissimas notiones in unum corpus doctrinae redigere, et omnem scientiam numismaticam methodo philosophicae subjicere instituit. Ad quod opus perficiendum certe plurima eaque rarissima requirebantur ingenii praesidia, scilicet cognitiones in quocumque genere eruditionis fere immensae, studium numorum funditus exhaustum, judicium sanum, praecisio idearum maxima, animus immunis a praeoccupatis opinionibus, vis ratiocinii praepollens et diligentia veri, styli denique perspicuitas summa. Quarum virtutum nulla defuit Archaeologo nostro. Methodus sua adeo probata fuit doctae Europae, ut et cunctis operibus, quae de re numaria publicarentur, et singulis Museis ordinandis basin praeberet, quam hodiedum praebet, semperque praebitura est. Quin systemati botanico Linnei in eo praevalet, quod nullis innititur characteribus secundariis adeoque nulli mutationi unquam obnoxia est, nisi quoad singulos numos, quorum unus alterve forte minus rite explicatus fuerit. Ergo methodus Eckheliana quoad singulos numos semper quidem perfectionis patiens erit, sed constanter eadem manebit cum in basi, tum in forma.

Jam facile intelligitur, quantos scientiae thesauros complexus fuerit animus viri, qui tantum opus perficere valuerit. Hinc etiam oraculi instar fuit, quod consulerent omnes, quicumque aliquam difficultatem in re numaria proponendam solvendamve haberent.

Quae hucusque dicta sunt, sufficient, ut Eckhelii qua viri docti merita in republica literaria cognoscantur. Superest, ut pauca addamus, quibus palam fiat, quanta fuerit in homine morum amabilitas. Pulchrum est, quem propter ingenii magnitudinem admireris, eundem dignum exsistere, quem ames et magni aestimes.

Eckhel animi nobilitate non minus quam simplicitate et sinceritate sua excelluit. Sententiam suam non nisi diutina consideratione maturatam protulit, et cum moderamine enuntiavit. Errores, si quos incurrisset, modestus agnovit docilisque emendavit. In rebus ambiguis dubitare maluit quam paradoxa prosequi. Nihil nisi verum requisivit. In amicitia jungenda non promptus, ast firmus et constans fuit. Patriae amantissimus et addictissimus.

Quanta animi generositate et abstinentia fuerit, multa referri possent exempla; sed hoc unum sufficiet, ut cognoscatur, qualis hic vir fuerit. Ios. Heyrenbach ejusdem olim, cujus Eckhel, S. I. presbyter, in universitate Viennensi publicas praelectiones ex doctrina diplomatica habere instituerat, quas aliquanto tempore gratuitas continuavit, quia cathedra hujus doctrinae nondum erat fundata. Eckhel certior factus, viro docto propter indigentiam ab his praelectionibus, quae studiosae juventuti aeque necessariae ac utiles viderentur, discedendum fore, ipsum commovit, ut dimidio salarii sui accepto doctoris officium in publicam utilitatem continuaret. Heyrenbach hoc generosissimi amici beneficio adjutus usque ad mortem literis et patriae profuit, nec ejus morte quisquam magis adflictus visus, quam idem ille, qui vivum sumptibus suis sustentaverat.

Vir tantis virtutibus praeditus, totque meritis insignis morbo inflammatorio correptus est 16. Maji An. 1798, in domo liberi Baronis de Locella, celebris graecarum literarum cultoris, ad quem visendum se contulerat. Ubi valetudo ejus repente in tantum periculum incidit, ut domum suam revehi nequiret. Iam postero die inter amplexus amici carissimi ex vita decessit, annum agens sexagesimum sextum.

Ejus obitum viri literati per omnem Europam luxerunt. Folia publica hanc gravissimam literarum jacturam non tacuerunt. Illustrissimus Heyne, qui Winkelmanni memoriam in Germania panegyrico eloquentiae pleno honestaverat, et nostro Archaeologo justa persolvenda suscepit, nec apud exteras gentes defuerunt viri docti, probique literarum aestimatores, qui publice profiterentur, quantopere Eckhel noster de republica literaria promeritus fuisset. Cujus rei documentum haec ipsa notitia literaria est, quam, a Millino, Parisiis in societate philomathica olim praelectam ex idiomate Gallico latine reddere et hisce Additamentis praefigere operae pretium visum est.

Vindobonae Calendis Augusti 1826.

CORRIGENDA.

Pag.	Col.	Lin.	
Pag. 4	Col. 1	Lin. 5	*loco* observari, *lege* observavi.
— 4	— 2	— 21	*l.* εντυτουσθαι, *l.* εντυπουσθαι.
— 6	— 1	— 3	*l.* AVG. *l.* AV.
— 6	— 1	— 18	*l.* IMP. *l.* IM.
— 6	— 1	— 37	*l.* P. C. *l.* P. C. col. 1. post lin. 21.
— 7	— 1	— 11	*l.* dissimultato, *l.* dissimulato.
— 8	— 2	— ultimae duae	*l.* cur antiquist e. i. v. a monsense, *l.* our antiquists e. i. r. a. nonsense.
— 9	— 2	— 4	*l.* TASCT, *l.* TASCF.
— 9	— 2	— 10	*l.* TASCIIOVANTI, *l.* TASCIIOVANTI.
— 9	— 2	— 19	*l.* TASCIOVA, *l.* TASCIOVA.
— 11	— 2	— 23	*l.* eum, *l.* cum.
— 11	— 2	— 35	*l.* ne, *l.* me.
— 12	— 1	— 13	*l.* P. 98. *l.* P. 98. col. 2. post. lin. 11.
— 12	— 2	— 34	*l.* Livii, *l.* Livio.
— 14	— 1	— 5	*l.* tempore, *l.* tempora.
— 15	— 1	— 29	*l.* numeratur, *l.* muneratur.
— 15	— 2	— 9	*l.* P. 144. *l.* P. 144. col. 1. post lin. 2.
— 16	— 1	— 24	*l.* v o c a t, *l.* v o c a n t.
— 17	— 1	— 19	*l.* attius, *l.* altius.
— 17	— 2	— 5	*l.* P. 183. *l.* P. 183. col. 2. post lin. 11.
— 18	— 1	— 24	*l.* porrigunt, *l.* porriguntur.
— 19	— 1	— 4	*l.* Trat, *l.* Frat.
— 19	— 2	— 2	*l.* Panormitanarum, *l.* Panormitanorum.
— 21	— 1	— 26	*l.* luneola, *l.* lunula.
— 21	— 2	— 30	*l.* c. III. *l.* c. 111.
— 25	— 1	— 4	*l.* P. 109. *l.* P. 109. col. 1. lin. 15. post *deum.*
— 25	— 1	— 20	*l.* P. 120. *l.* P. 120. col. 2. lin. 19.
— 26	— 1	— 21	*l.* P. 189. *l.* P. 189. col. 1. lin. 18.
— 27	— 1	— 21	*l.* Salyaneum, *l.* Salganeum.
— 27	— 2	— 14	*l.* P. 233. col. 1. ante CORONE CORINTHVS, *l.* P. 233. col. 1 ante CORONE: CORINTHVS.
— 27	— 2	— 31	*l.* XIII. *l.* XII.
— 30	— 2	— penult.	*l.* nomem, *l.* nomen.
— 31	— 2	— 32	*l.* ΕΦΕ, *l.* ΕΦ.
— 32	— 1	— 35	*l.* P. 546. *l.* P. 546. col. 2. lin. 22.
— 35	— 2	— 4	*l.* autopto, *l.* autopta.
— 35	— 2	— 12	*l.* arra, *l.* arca.
— 37	— 1	— 38	*l.* Chishall. Ant. Asia. *l.* Chishull. Ant. Asiat.
— 37	— 2	— 19	*l.* fortuito, *l.* fortuita.
— 37	— 2	— 38	*l.* fecit, *l.* fuit.
— 38	— 1	— 11	*l.* Τε. *l.* γε.
— 39	— 1	— 38.	*l.* Philopapum, *l.* Philopappum.

ADDENDA.

ADDENDA

AD

VOLVMEN PRIMVM.

Pag. XXV.

De admixto monetae aureae cupro vide testimonia ex Pachymere apud Gibbon cap. 62 Tomo XII. p. 430.

Pag. XXIX. col. 1. post lin. 14.

Varium hunc aeris modum cum plerique hactenus crederent apud veteres fuisse arbitrarium, neque propterea auctum, imminutumve numi praetium, ad quemcumque modum numus aeneus pertineret, fuit nuper cl. Pinkertonus, qui varium monetae aeneae pretium pro varia ejus indole, ac pretio intrinseco adsignavit. Ait, instituto adcurato examine inde ab Augusto et deinceps, numos omnes I. formae compertos sibi esse constare ex aere flavo, seu orichalco, et eorum ne unum quidem ex cupro, seu aere Cyprio. Grandiores ex iis, quos mediae formae appellamus, hos quoque esse ex aere flavo. At vero, qui his sunt proximi, suntque asses, aut mediam unciam adpendunt, esse ex cupro. Jam vero, prosequitur, aes flavum (*brass*, Gallis *laiton*, nobis *Messing*), a veteribus multo fuisse majoris aestimatum, quam cuprum, et quidem pretio altero tanto. Unde necessario consequi, pro eadem argenti portione minus aeris monetarii flavi, quam Cyprii fuisse repensum. Atqui et mirum sibi videri, rei numismaticae scriptores utrumque hunc modum passim neglexisse. In causa fuisse existimat, seu quod causa inhaerentis aeruginis utrumque temere permiscuere, seu quod hac nostra aetate aes flavum non multum Cyprio, pretio, et valore, praestat. Haec vir eruditus. (Essay on medals Vol. I. p. 108 seq.) — Operae pretium, in hujus veritatem judicii inquirere. Discrimen, quod is in numis aeris flavi, Cypriique, et pro varia quidem eorum magnitudine se reperisse adfirmat, vereor, ut jure possit praedicari. Docuit me exactor officinae monetariae, quae est apud nos Vindobonae, a me consultus, et ad explorandos numos musei Caesarei arcessitus, nullum ex iis, quos ei copiosos exhibueram, cupro puro constare, et ne quidem eos moduli minoris, quos Pinkertonus ex aere Cyprio flatos adfirmat, ne-

que in utrisque apparere certam quandam metalli differentiam, mixtione, ut videri possit, in omnibus fortuita. Sane in iis quoque, qui pondere, volumine, typis sunt simillimi, hoc unum observari discrimen, quod alii plus, alii minus cupri continent, et forte vix exstat numus vetus, qui puro sit cupro, omnibus aliqua saltem materiae heterogeneae admixtione adulteratis, neque istud in romana solum moneta, sed Graeca quoque. Percurre numos urbium Maesiae Thraciaeque, Phrygiae, Syriae, Aegypti etc. Ex quo jure licet arguere, discrimen valoris esse in numis iis non potuisse, in quibus tam vaga fuit ac fluctuans metallorum eos constituentium distributio. Aes flavum in majore fuisse apud veteres pretio, quam cuprum, et quidem, ut confidenter adserit, duplo, quo auctore acceperit, ignoro. Si verum fuit orichalcum, quoniam veteres de hoc metallo aeque nobis incondita tradidere, quam de carbunculo suo, et gemmarum virtute, ejus pretium multo auctius potuit constituere; nam et ipse cl. Procopium citat (Pag. 108), quo teste illud valore fere cum argento aequiparatur. Sin cuprum ordinarium diversa mixtione temperatum, cujus naturae est omne aes flavum, tanti pretii tamque rarum esse non potuit vel propterea, quia illud vel tenuissimae omnium regionum urbes monetae suae materiam esse voluerunt.

Pag. XXXII. col. 2. lin. 12. seq.

Dele hic dicta de Faliscis.

Pag. XXXVIII. col. 1. lin. 16.

Lege ad hanc causam praefationem Romei de l'Isle, ac praecipue testimonium Barthelemyi ibid. pag. XXV. in nota.

Pag. LII.

Vide nonnulla observata ad Caput XI. in Encyclopédie méthodique des Antiquités sub *Coin.*

Pag. LXXVII.

Etiam in Neronis moneta exstant numi aenei, qui has notas suppressere.

Pag. LXXXI. col. 2. lin. 8.

Deleatur Elidis.

Pag. LXXXVII. col. 1. lin. 3. post: judicia refutata adde:

Exstat tamen locus singularis, qui huc pertinet, apud Zonaram (L. XIV. c. 22). Narrat is de Iustiniano Rhinotmeto: τας προς τους Αραβας συυθηκας παρελυσεν, ἀιτιαν ἐιληφως, ὁτι ϛαλεν το του ἐτησιου φορου χαραγμα οὐ Ρωμαϊκον ἐιχε σφραγισμα, ἀλλα νεον Αραβιον. Ουδε γαρ ἐξην ἐν χρυσῳ νομισματι χαρακτηρα ἐντυτουσθαι ἠ τον του βασιλεως Ρωμαιων, *foedus cum Arabibus rupit, causam praetexens, quod missa sibi annui tributi moneta typum non haberet Romanum, sed novum Arabicum. Neque enim licuit monetae aureae aliam imprimere notam, quam imperatoris Romani.* Ex hoc testimonio, quod Bimardi industriam fugit, eruimus, ea aetate, qua magis adhuc validae erant, imperatorum Orientis vires, et vicinis populis formidatae, exstitisse aliquam legem, quae iis monetae aureae, nisi imperatoriae usum interdiceret, aut etiam jus imprimendae alterius notae praeterquam principis Romani, eamque jam infirmis Romanorum rebus adhuc

valuisse, seu obtemperatum esset, seu non, inde licet conjicere, quod illa infracta ansam dedit Iustiniano rumpendi foederis, et belli inferendi; Licuisse adeo Romanis, quas libuit, leges ferre, at exteris quoque nationibus, iis morem gerere, aut, cum tutum fuit, aspernari. Sed haec tum tantum vera erunt putanda, cum adstruere Zonarae dictis fidem volemus.

P. LXXXIX. col. 1. *lin.* 17.

Verba: Ipse Pellerinius ------ Baeotiae. Expungantur.

P. XCII. col. 2. *lin.* 11.

Pro *Faliscorum Etruriae* lege: *Elidis.*

P. XCIII. col. 2. *post lin.* 25.

Cl. Pinkertonus mirabilem sane causam ingerit, cur saepe in numorum Graecorum antica compareat inscriptio latina, in aversa Graeca. Ait (Essay on med. T. I. p. 212), magistratus Graecos, cum statim imperatoris R. imaginem praesto non haberent, matricem monetariam Roma arcessivisse. Missam eam, ut par erat, continuisse epigraphen Latinam. Hanc ipsam deinde, ut parceretur sumptibus, ad monetam suam adhibitam, parte aversa ab artifice Graeco elaborata. Et confirmari istud, quod nulli aut pauci occurrant numi exteri, in quorum antica esset epigraphe Graeca, in aversa Latina. Haec a viro erudito prodita ab ipsis numis facile refelluntur. Exstant numi Philippopoleos Thraciae: IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. COS. XIIII. CENS. PER. P. P. in aversa: ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Ex mentione consulatus XIV. certum est, eos signatos fuisse intra annos V. C. 841, 842, qui respondent annis imperantis Domitiani VII. et VIII. An ergo ipsis annis VII. imaginem principis sui nancisci non poterant Philippopolitae? Quid quod Romae jam anno V. C. 823 cum Domitiani imagine cusi sunt numi, et per omnes provincias sparsi; satis ergo inde ab annis fere XX. cognita. Exstant numi Agrippae II. Iudaei, in quorum antica: IM. CA. D. VESP. F. DOM. AV. GER. COS. XII. in aversa: ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κς. S. C. Praeterquam quod ad hos numos idem valet, quod modo de Philippopolitis dixeram, observandum etiam, si matrix anticae fuisset in urbe confecta, monetarium illi insertum fuisse inscriptionem, quae in moneta Romana valuit. At percurre eam totam, et talem non reperies. Idem me sponsore experieris, si alios hujus generis numos, ac praecipue Antiochenos cum moneta R. contuleris. Huc accedit, quod in his quoque facile fabricam a Romana diversam discreveris. Confer iterum cumprimis Antiochenos. Ac quod praecipue rem evincit, sunt numi Othonis ejusdem Antiochiae, in quibus inscriptio capitis est Latina, at imperatoris lineamenta, et cultus capitis tam a moneta urbica aliena, ut facile appareat, eos numos Antiochiae cusos antea, quam ibi de vera ejus imagine ex moneta R. constaret, quo de argumento jam egi in numis ejus Augusti. Quae ergo causa fuit, cur numos hos bilingues ferirent Graeci? Ego in hoc instituto unum video valuisse arbitrium, quod maxime apparet ex numis Antiochiae, in quibus nulla certa lege capitis epigraphe jam Graeca est, jam Latina. In numis aliis Polemonis I. Ponti regis legas: IMP. CAESAR. AVG., in aliis ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. (Vol.

II. p. 369.) In numis aliis Agrippae II. habes IMP. CA. D. VESP. F. DOM. AVG. etc., in aliis: ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ϹЄΒΑϹ. etsi utrique eodem anno Kϛ signati sunt. (Vol. III. p. 494, 495.) Generatim observare licuit, in numis his bilinguibus, quidquid ad imperium Romanum pertinet, scribi Latine, quidquid autem ad ipsas urbes, aut cum his proprius connectitur, Graece. Sic in notis tetradrachmis Macedonum antica habes ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ, aversa ASILLAS. Q., nempe qui fuit magistratus Romanus. In cistophoris v. c. C. PVLCHER. PROCOS. et infra ΜΗΝΟΔΩΡΟϹ, nimirum ille magistratus Romanus, hic urbis suae. In numo Agrippae II. partis anticae epigraphe est. IMP. CA. D. VESP. F. DOM. etc. aversae: SALVTI. AVGVST. S. C. ΕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ΕΤ. Κϛ. Scilicet caput anticae, votaque Salus, et S. C. ad Domitianum, senatumque R. pertinent, at rex Agrippa, et addita aera propius ad urbem Graecam, quae in Agrippae ditione posita hunc numum percussit. In numis Tyri legitur Latine COL. SEPT. TYRVS, nimirum quia Romanorum colonia fuit, sed deinde Graece: ΔΕΙΔΩΝ — ΑΜΒΡΟϹΙЄ. ΠЄΤΡЄ — ΩΚЄΑΝ. etc., quia haec omnia nullum habent ad Romanos respectum, sed ad antiquitates urbis suae. Haec ergo exempla, et quae multo plura possent adferri, hujus instituti caussam affatim explicant.

P. XCIX. col. 1. l. 29.

Pro *Faliscorum Etruriae* lege: *Elidis.*

P. C.

Addi potest Priscianus (ap. Putsch. p. 560) H literam non esse, ostendimus, sed notam aspirationis, quam Graecorum antiquissimi similiter, ut Latini, in versu scribebant, nunc autem diviserunt, et dexteram ejus partem supra literam ponentes *psilen* notam habent, quam Remnius Palaemon *exilem* vocat, Grillius vero ad Virgilium de accentibus scribens *lenem* nominat; sinistram autem contrariae illi aspirationis *dasian*, quam Grillius *flatilem* vocat.

P. CLII. col. 2. lin. 12 post Fabricii: ut et Barthelemyus, qui ex eo numum Licin. Gallienae vulgavit (Mem. B. L. T. XXVI. p. 555.), quem dedimus Vol. VII. p. 411.

P. 69. col. 2. post lin. 2.

Caput juvenile virile galeatum, juxta ΑΓΑ. Ӿ MACCA. Aquila stans. AE. III.

Praeclarum hunc numulum ill. Augustus L. B. Seckendorf ex museo suo petenti mihi Dresda inspiciendum misit. Est is plane illaesus. Inscriptum MACCA primo obtutu Massiliam invitat. Verum dubitare facit numus simillimus alter, quem vulgavit Pellerinius (Rec. I. pl. V. n. 1.), et Gallicum quidem etiam agnovit, sed in cujus antica juxta caput legitur LIHO. VI., in aversa OVACIA, quae inscriptiones cum illis, quas habet numus praesens, nihil adfine. Interim donec certiora doceamur, potest in moneta Massiliensi stationem obtinere. (Conf. Sestini Class. gen. P. II. col. 1. sub *Agatha*, et Descriptio. pag. 3, et Martini Sylloge II. p. 155.)

P. 71. col. 2. lin. 23.

Numos alios incertae hujus coloniae vide a me descriptos in Vol. V. inter numos gentis Paquiae.

P. 80.

Iejunum, Fateor, hoc loco monetae Britannicae veteris catalogum dederam, atque hunc etiam tanto magis aspernandum, quia ne ipsi etiam illi tres, quos solos dederam, certam sibi possunt patriam vindicare Britanniam. Ussit ea res eruditum quempiam Anglum, qui vulgatam hanc a me veteris gazae Britannicae penuriam suae opprobrium gentis arbitratus sequentem ad me, dissimultato tamen suo nomine, epistolam dedit, quam, Latine scriptam, ut acceperam, integram, nullo vel apice aut addito, aut dempto, aut immutato hic cum lectore communicatam volo.

Vir doctissime!

»Tibi ignotus, et ergo ἀνονυμος, sed amator famae tuae, quasdam observatiunculas in opus tuum egregium, cui titulus: Doctrina numorum etc. tibi submitto. Distantia loci te litteraturae nostrae Anglicanae inexpertem reddidit, nec unus oculus omnia videre potest. Hinc de numis Britannicis judicium tuum eruditis nostris valde displicuit, presertim cum totus liber tuus inscientiam (si fas sit) tuam scriptorum nostrorum de re numismatica demonstrat. Haud equidem ignoro, censuram a te latam esse eandem viri docti Ioannis Pinkerton Scoti in opere suo, cui titulus: An Essay on Medals p. 295 seqq. Vol. I. nuperrimae editionis 1789 8vo, sed in hoc judicio Anglis nostris errare visus est. Et mihi condonabis, si obiter hunc librum tibi commendo, ut nobis illustrem pluribus editionibus, et a doctis nostris, et a cl. Barthelemio laudatum. Ibi notitiam absolutam praesentis conditionis rei nostrae numismaticae reperias, et plurima nova excogitata antea scriptoribus ignota, uti si exemplum ponere licet, numos imperatorios magni aeris, asses vulgo dictos, sestertios esse evincit. Sed haec obiter.«

»Tibi, vir erudite, maxime commendo libros nostros nuperos de re numismatica comparare, quod facile, si cl. bibliopolae Edwards in vico Pallmall Londini, cui cum Vindobona commercium, et a quo librum tuum emi, mandata deferas. Haec epistola solummodo spectat judicium tuum de numis Britonum; nam et certum est, plures hic repertos, fabrica et typis a Gallicis prorsus abhorrere, numus Cunobelini regis extare plurimos, et aliquot in Pinkertonii opere (inter pluria alia numismata Persica, Graeca, Romana, primum ex collectione Hunteriana exsculpta) extare indubiae notae. Sunt et numi Britonum ex cupro et stanno, cui similes Gallici nequaquam sunt reperti. Vale, vir erudite, et literas ornare perge. Dabam Londini mense Ianuario 1794.«

Ergo vir eruditus, quisquis is est, meam *inscientiam* scriptorum de re numismatica Britanicorum in crimen vocat, cujus me onus minus premit propterea, quoniam ei ferendo humeros quoque suos supponunt Vaillantius, Harduinus, Froelichius, Pellerinius etc., quin et Haymius, Wisius et auctor musei Pembrockiani, qui in ipsa Britannia, et aetate nostrae vicina scripsere, qui omnes in suis urbium, regumque, catalogis nihil Britannicum commemoraverunt, quod a me fuisset praetermissum. Quid quod et humeros suos commodat cl. Combius, qui nuperus praeco musei Hunteriani, quo illustrius Britannia non habet, unicum Ve-

rulamii numum reperit, quem patriae suae tribueret, atque hunc quoque me judice dubium, neque tamen a me omissum. Verum ad nuperas gentis suae lucubrationes provocat anonymus noster, et Pinkertonum mihi commendat, in cujus ait opere *notitiam absolutam praesentis conditionis rei Britannicae numismaticae reperiri.* Quo tempore meum de hac numorum classe judicium typis mandari caepit, indicatum Pinkertoni opus mihi plane ignotum adhuc fuit. Illud cum nonnisi anno proxime elapso (1795) ad me perlatum esset, nihil habui antiquius, quam ut anonymo meo morem gererem. Et legi cupide omnia, quae is vir eruditus in hac causa scripserat, quorum summa haec est (Vol. I. p. 295): jam Iulii Caesaris aetate hoc ipso teste Britannos numis aeneis usos, atque id genus numos rudi opere, et admixta magna stanni portione saepe reperiri in Anglia. Fuisse in Britannia imperante Augusto Cunobelinum Trinobantum regem, cujus forte erunt numi frequentes Cunobelini nomine inscripti, esse enim nonnullos, qui Gallicam eos monetam putant. Unum alterumve offerre epigraphen VER., ex aliquorum judicio Verulamii oppidi. Idem vir eruditus eo loco, quo regum Britanniae ex numis cognitorum catalogum instruit (Vol. II. p. 254), recenset Cunobelinum, cui addit quidem Cassibelanum, et Boadiceam, sed fide dubia. In catalogo numorum urbium non memorat, nisi Camalodunum, et Verulamium. Denique ait alibi (Vol. I. p. 294), numos inscriptos VODISIO — CISIAMBOS etc., quos plerique alii Gallicos putant, a nonnullis Britanniae antiquariis patriae suae numos putari, verum unumquemque judicem incorruptum facile confessurum, Britanniam vix sextam similis monetae partem vindicare sibi posse. Deesse in hunc diem opus, quod utriusque monetae verum discrimen doceret.

Habes hic, lector, totum id, quod de patriae suae moneta judicavit Pinkertonus, ex quo facile intelliges ipse, meum, ac eruditi ejus viri de his numis judicium unum fere idemque esse. Sed id ipsum est, quod in Pinkertono improbavit anonymus, ut vidimus in proposita ejus epistola. At quis non magnopere miretur insolentem ejus disputandi, argumentandique modum? Moleste primum fert, *censuram a me latam esse eandem viri docti Pinkertoni*, praecipit deinde, praeclarum ejus opus ut consulam, ex quo *notitiam absolutam praesentis conditionis rei Britannorum numismaticae* edocebor. Urget bonus anonymus, jubetque me comparare libros Anglorum *nuperos* de re numismatica. Equidem in beneficii loco putassem, si certiorem me fecisset, qui sint hi libri *nuperi*, qui eorum auctores, quae inscriptio, quod meritum, quae eruditorum existimatio. Nimirum vetus haec est consuetudo, qua eruditi distantes studiorum suorum socios edocent, quid apud se suorum ingenia in lucem provexerint. Non sic ille, sed dissimulato suo arbitrium omne librario Eduardo permittit, qui a me compellatus non cessabit ad me mittere ut optima in hoc argumento, sic et pessima quaeque. Atqui et posterioris hujus generis monstra nasci in solo Britannico, educarique, dubitari nequit, si verum est, quod nuper candide professus est Pinkertonus (Vol. I. p. 38): *cur antiquist exceed in visions and monsense.*

Sed misso hoc anonymi mei fastidio istud deinceps agam, ut inquiram, utrum existant numi veteres, quos Britannia jure possit suos putare, et si qui sunt tales crediti, utrum sint ea indole, ut etiam eorum qui nullo adfectu in verum inquirunt, possint fidem promereri. Qua in causa sic versabor, ut magis judicium Anglorum, quam meum ipsius secutus esse videar.

CVNOBELINVS REX.

Ejus regis scriptores plures meminere. Narrat Suetonius (in Calig. c. 44). Caligulae expeditione Germanica occupato occurrisse Adminium Cinobellini Britannorum regis filium cum exigua suorum manu, quem pulsum a patre in fidem recepit universa tradita insula. Idem factum narrat Orosius. (Hist. L. VII. c. 5.) Cynobellinum memorat etiam Dio una cum filiis Cataratacо, et Togodumno, ejusque regiam Camalodunum, subinde coloniam, de qua mox infra. (L. LX. §. 20, 21.)

Numi:

CVNO. *Capita duo imberbia in Iani morem.* ✠ CAMV. *Ursus, pone arbor.* AE. (Camden Britannia.)

CVNOBILIN. *Caput virile imberbe.* ✠ TASCIO. *Mulier sedens d. . . . .* AE. (Ibid.)

CVNO. *Equus currens.* ✠ CAMV. *Spica.* AV. (Ibid.)

CVNOBILINE. *Caput juvenile nudum.* ✠ *Equus saliens, supra quem lunula.* AR. (Ibid.)

TASCNOVANE. *Protome virilis nuda.* ✠ CVNOBE. *Apollo sedens lyra canit.* AR. (Ibid.)

CVNO. *Inscriptum tabellae, omnia intra laur.* ✠ TASCT. *Pegasus volans.* AR. (Ibid.)

CAMV. *Caput virile arrectis crinibus.* ✠ CVNO. *Victoria sedens d. protenta.* AR. (Ibid.)

CVNOBELINE. *Caput muliebre galeatum.* ✠ TASCHOVANTI. *Aper, prae quo tres globuli.* AR. (Ibid.)

TASCVANTI. *Caput muliebre.* ✠ CVNOBELI. *Apollo sedens lyra canit.* AR. (Ibid.)

CVNO. *Caput muliebre.* ✠ TASCIO. *Sphinx sedens.* AR. (Ibid. et Pinkerton. tab. 2.)

CVNOBELINI. *Caput imberbe laureatum.* ✠ TASCIOVA. *Centaurus cornu inflans.* AE. (Pinkerton, ibid.)

Horum Cunobelini numorum indicium mihi fecit ex Camdeni Britannia Franciscus Wise, sed tam obiter, ut illo ad propositum meum uti non possem. (Mus. Bodl. p. 226. col. 2.) At cum indicatum illud opus in bibliothecis Vindobonensibus non reperirem, dedi operam, ut ex ipsa Britannia arcesseretur. Sed factum tergiversando, ut nonnisi ineunte anno proxime elapso 1795 ad me perveniret. Operis inscriptio est: *Britannia, or a chorographical description of great Britain and Ireland by William Camden. The second edition. London* 1722. *Vol. II. in Fol.* Editio prima Latine scripta jam prodiit anno 1607. Atque huic praeconi numos debeo fere omnes, quos coram stiti.

Teste laudato Wisio numi hi omnes ab eruditis Britannis huic Cunobelino tribuuntur, et fuit nupera Pinkertoni sen-

tentia, ex numis omnibus, qui ad Britanniae reges referri solent, hos esse unicos, de quibus istud certa fide adfirmari possit. (Essay Vol. II. p. 255.) Tamen video, non omnibus istud fuisse aeque persuasum. Plures similes auctor musei Pembrockiani congessit in tabulam 94 Partis secundae, sed numos esse Celticos dixit, et quod magis mirum, fluctuant ipsi Wisius et Pinkertonus, qui esse eos Cunobelini sui antea diserte docuere. *Quidni autem*, inquit ille (l. c.), *mutatis vicibus CAMV sit nomen viri*, *CVNO populi aut urbis?* ac denique variis distractus sententiis his verbis orationem claudit: *in re tam incerta quisque per me suo jure utatur.* Alter Pinkertonus agens de Cunobelino (Vol. I. p. 296) addit: *cujus forte* (perhaps) *sunt numi*, *quos justo numero habemus*, ac paullo infra: *Hi Cunobelini numi forte unici sunt*, *qui esse Britannici videri possint*, (apparently British). Ejus *videri* causam in nota subjecta explicatam proponit, quia in his numis et imagines, et volumen, et apparens aetas ita variant, ut sint qui existiment, nomen illud esse cujuspiam numinis Gallici, aut herois, non Cunobelini nostri. CAMV. et VER, quae illis inscripta sunt, esse posse nomina oppidorum, aut hominum Gallicorum. Quod ad nomen TASCIA, quod in iis perfrequens est, attinet, illud saepe occurrere in numis, qui absque dubio sunt Gallici. Ex quo apparet, ne ipsis quidem Anglis satis esse exploratum, utrum numi similes majore numero intra fines suos reperiantur; nam si istud esset, possentne haerere dubii, utrum Gallici sint potius, an Britannici? Cl. Sestinus omnes hos numos Cunobelini nomine notatos pro Britannicis Gallicos edixit, sed causas reticuit. (Class. général. P. II. p. 3.)

Typi in his numis, quod barbarorum, fuisse proprium alibi diximus, capti sunt ex moneta Graecorum, et Romanorum, nullo sane ad certiores de his conjecturas subsidio.

De inscriptis nominibus aliis nonnulla infra monebimus.

CAMALODVNVM.

In Trinobantibus, serius auctore Tacito deducta a Claudio colonia, et prima quidem Romanorum in Britannia. Vide Cellarium.

TI. CLAVD. CAES. AVG. GER. P. M. TR. P. XII. IMP. XIIX. *Caput Claudii nudum.* ℞ COL. CAMALODON. AVG. *Colonus arans.* AE. I. (Camden pag. CXXI. tab. 1. num. 2.)

Hujus coloniae numum cum capite item Claudii primus dedit Goltzius: COL. CAMALODVN. (in Thes. p. 238). Goltzianae huic merci in sua urbium numismaticarum serie locum dedit Harduinus, sanius negavit Vaillantius in Coloniis, quo in opere Goltzii offucias et ludibria exclusit. Numum, quem ex Camdeno descripsi, diserte adprobat Pinkertonus: (Vol. I. p. 280) etsi eum ipse non vidit; nam recitat ex Speedii Historia Angliae, qui eum haud dubie ex Camdeno hauserit.

Praestabat numum hunc, quem praeter Camdenum ineuntis seculi XVII. scriptorem nemo alius, et ne in ipsa quidem, quod norim, Britannia vidit, in spuriorum numero habere, juvante etiam ad detegendam fallaciam inscriptione TR. P. XII. IMP. XIIX. cum constet, Clau-

dium in tribunatu XII. jam saltem fuisse IMP. XXVII.

* * *

Atque de his Cunobelini, et Camaloduni numis distinctius videbatur agendum. Reliquos omnino lubet praeterire: v. c. BOOVIKA vel BODVO, creditam Boadiceam reginam ex Tacito cognitam, CAS. Cassivelanum regem a Dione memoratum, LVCCIO, quem Bouterovius putavit esse Lucium, qui regum primus in Britannia Christi fidem professus est, REX. CALLE, apud Camdenum etc. Harum, similiumque inscriptionum plura exempla jam dedi ad calcem commentariorum in numos Gallicos. Conjecturas vero de his fallaces, et saepe absurdas pete ex auctoribus laudatis, Camdeno, et hujus commentatore Walkero, Bouterovio, Wisio. Sane quae illi ridicula ad explicandum vocabulum TASCIO, TASCVANTI etc. in his numis saepe obvium attulere, aptiora mihi scenae, quam seriis commentariis videbantur. Nisi ergo scriptores *nuperi*, quos mihi tanto hiatu commendat anonymus meus, sanius quid, ac verisimilius dixere, res vetus Britanniae monetaria, tam putanda est obscura, ac sinae nomine, quam nos nostram Germaniae experimur. At quo is pacto tantam nobis spem potest polliceri, cum ipse jam antea edixerit, in Pinkertoni opere perfectam hujus partis notitiam contineri?

P. 85. *col.* 1. *lin.* 5.

Deleatur *Falisci.*

P. 89. *col.* 1. *lin.* 22.

Omittenda, quae dicuntur de *Faleria.*

P. 90.

Numi huic Faleriae tributi sunt Elidis. V. hujus numos.

Applica huc, quae in simili causa, cum diu litigaretur de sensu vocabuli BIPIΣ, disputat Haynius in suo: Sammlung antiq. Aufs. 1 Stück. S. 64. Item perversum judicium Froelichii, Pellerinii, Barthelemii de numis Selinuntis.

P. 93. *col.* 1. *lin.* 23.

Iosephus Casalius in dissertatione anno proxime elapso Romae vulgata hos numos in insulam Pithecusam Cumis oppositam trajicit. Verum omnes hae sententiae hactenus intra conjecturas consistunt.

P. 93. *col.* 2. *lin.* 7.

Numum hunc jam olim in meis Numis veteribus, et nunc iterum Populoniae largitus sum propter concursum duarum causarum, primum larvae cum lingua ejecta, deinde globulorum in parte aversa, nimirum ex lege in his studiis recepta, eum numo anepigrapho adsignanda est patria. Pridem noveram, Camarinae quoque numos in una facie exhibere larvam, in altera globulos. Verum illo tempore, quo pagina haec typis expressa fuit, nondum mihi cognitus fuit Camarinae numus cum peristasi linguae foras projectae. Nam Princeps Turris Mutiae in Sicilia sua numismatica ejus generis nullum obtulit, sed serius binos in suo Auctario I., sed quod opus nonnisi vulgato Doctrinae meae volumine I. ad ne perlatum est, quod fieri solet in tanta regionum distantia. Veram adeo numi hujus patriam una scientia

decidet, qua in regione ejus similes frequentius reperiantur.

P. 96. *col.* 1. *lin.* 4.

In alio: ARIM. *Rana.* AE. III. (Sestini Descript.)

P. 98. *col.* 1. *lin.* 7. *post ignoro.*

Indicatum mihi serius, istud eum profiteri in Dissertatione de re numm. Etruscorum dictis Paralipomenis adjecta; non ergo, ut dixit Lanzius, in ipsis Paralipomenis, neque p. 176, sed 154, nisi forte alia ejus operis editione usus est.

P. 98.

Fugit me, cum haec scriberem, numus Tudertum argenteus, quem cl. Combius ex Hunteriano vulgavit. (Tab. 61. num. XII. *Caput Sileni.* ℞ TVTERE retrograde.) *Aquila stans expansis alis.* Haud dubie numus Amadutianus, quem hoc loco citavi, ejusdem cum Hunteriano est naturae. Serius in simillimum alterum, qui est in museo ill. Com. Vitzai, satis affabre factum incidi, verum is juxta caput Sileni offert globulum, manifestam unciae notam, ac plane geminus est aeneo illi, quem Arigonius in Miscellaneis suis Tab. XI. n. 51. pictum dedit. Is ergo, qui numum hunc volet genuinum putare, comprobet etiam, urbes Italicas aeneae quoque suae monetae unciarum notas impresisse. Neque dubitavero, et Amadutianum, et Hunterianum numum ejusdem esse naturae, etsi adstituti globuli non fiat mentio, qui forte minus conspicuus utriusque eruditi praeconis oculos fugerit.

P. 101. *col.* 2. *post. lin.* 5.

SIGNIA.

Volscorum urbs mediteranea.

Caput Mercurii, prae quo caduceus. ℞ SEIQ. *Capita Sileni et apri in Iani morem conjuncta.* AR. IV. (Mus. Princ. de Waldeck.)

Inquirenti, quam praeclaro huic cimelio patriam, locum deinde natalem constituerem, causa inscriptionis Latinae facile persuasum fuit, aut respiciendam Italiam, aut generatim Romanorum quampiam coloniam. Urbes nonnullas Italicas etiam postea quam in Romanorum potestatem venere, atque has inter colonias quoque stante republica R. propriam habuisse monetam, satis constat. Fuit haec fere tantum aenea, verum comperta quoque argentea, etsi rara admodum. Habemus ex hoc metallo numos insignes Albae Fucentiae, quae in Marsis sita, et Romanorum insuper colonia fuit. Quo ego tutus exemplo non dubitem, numum de quo agimus, adserere signatum Signiae, quae fuit pervetus Volscorum urbs et jam a Tarquinio Superbo deducta colonia. Scriptum SEIG*nia* pro SIG*nia* non repugnat perpensis iis, quae Vol. V. p. 75 de I ἀρχαϊκῶς in EI mutato observavimus. Permissus feriundae monetae propriae et quidem etiam in argento facile potest repeti ab indulgentia Romanorum in hanc coloniam, cujus illi fidem teste pluribus locis Livii difficillimis suis temporibus sinceram atque constantem sunt experti. Haec ut sunt probabilia sane, atque expedita, sic plane difficile, atque, ut mihi videatur, ἀδύνατον, miri, qui aversam occupat, typi rationem reddere. Nimirum defuit huic

terrarum tractui vir quidam non prudens modo, verum etiam curiosus, qualem in Pausania nacta est Graecia, qui in oppidorum religionem, caerimonias, antiquitates, opinionesque populares inquisivisset, atque memoriae mandasset, quippe ad urbis Romae amplitudinem et illecebras vicinarum urbium merito ac gloria fatiscente. Dubium non est, junctis sic capitibus Sileni et apri aliquam contineri allegoriam, quod ego argumentum alibi copiosius pertractavi. (Vol. V. p. 217). Capita simili modo composita videre saepe est in gemmis veteribus, sed quis inficiabitur, in his quoque illud, quod contra naturae leges sociatur, sensum aliquem mysticum, reconditumque continere? Forte Sileni caput indicat libertatem civium expensis iis, quae in hoc opere copiose de Sileno libertatis argumento disserui. (Vol. IV. p. 493.) At quid deinde significabit conjunctus aper?

Quae modo disputavi, inserere loco suo non potui, quia volumen I. vulgatum ante fuit, quam videre praeclarum hunc numulum licuisset. Nuperrime binos similes ex museo em. Card. Borgiae vulgavit abbas Sestinus. (Lettere T. V. p. XXXII.)

P. 101. *col.* 2. *post lin.* 14.

Serius auctor se retractavit, numumque hunc esse potius Asculi conjecit. (Lettere T. V. p. XXXVIII.)

P. 101. *col.* 2. *post lin.* 14.

VELITRAE.

Oppidum in Volscis. De numo ejus plumbeo agetur Vol. VIII. in tractatu de Pseudomoneta p. 319.

P. 103. *col.* 2. *lin.* 2.

Hos numos vere esse Frentanorum, paullo infra monebimus.

P. 107. *post FRENTANI.*

Frentanis numum sequentem tribuit abbas Sestinus. (Lettere Tom. V. p. XXXIII.)

ЯƎꓷTИƎꓷ8. *Caput Mercurii petaso tectum.* X *Eadem epigraphe. Pegasus saliens, infra quem tripus.* AE. III.

Hujus numi, quem jam olim Khellius, sed vitiatis aliquot epigraphes literis edidit, binis locis memini, atque uno quidem (Vol. I. p. 102), commemorando judicium cl. Lanzii, hunc numum tenui conjectura Pentris Samnii adjudicantis. Alio (pag. 119), quo et ipse conjeceram, eum videri Frentanis tribui posse, de cujus jam veritate dubitari non posse adfirmat vir eruditus.

P. 118. *col.* 2. *post lin.* 28.

Sestinius in suis Class. gen. P. II. p. 6 et 9 ait hunc numum esse Aquini. Causam non addit. Forte eam adfert in sua Descriptio num. vet.

P. 119. *col.* 2. *lin.* 17.

Hos numos esse Frentanorum, paullo supra in his addendis docuimus (ad p. 107.)

P. 127. *col.* 1. *post lin.* 6.

Nuper cl. Sestinius facili opera resecari posse difficultatem existimavit statuendo, OM positum esse pro OΣ. Nimirum το M v. g. in VOLKANOM *etruscatum* putat, et valere S, ad haec constare cum ex numis, tum monumentis aliis, non raro clementum M potentiam του Σ habuisse. (Descriptio p. 9. seq.)

Istud viri eruditi judicium ejus est generis, ut suapte sese continuo offerat omnibus iis, qui in populorum Italicorum alphabeta inquirunt, neque exspectanda fuere denique Sestinii tempore, quae hanc facem praeferrent.

Cur ergo aut ego, aut, qui in hoc argumento tanta cum laude versatus est, cel. Lanzius parabilem hanc sententiam neglexímus? Vel haec una causa suffecit, quod idonea visa non est. Quod enim ait Sestinius, M pro Σ legi in numis, intelligendum tantum est de numis Graecorum antiquissimis, ac fere tantum Graeciae magnae, de quo egimus alibi. (Proleg. gen. p. CI.) At numi praesentis argumenti cum terminatione in OM ea denique aetate cusi sunt, qua vel ipsi Graeci formam M pro Σ jam pridem abjecere. Neque probare possim, M istud in his numis esse S Etruscum. Plura quidem exempla collegit Lanzius, etiam formam M Etruscis nonnunquam pro S valuisse. (Saggio T. I. p. 212.) At certum est etiam, inter Latinos, Volscos, Oscos, omnemque eum tractum, in quo numi similes signati sunt, M semper habuisse valorem M Latini. Ejus legem certam suppeditant pondera quadrilatera cum epigraphe ROMANOM, quo in vocabulo, quia litera tertia sine dubio est M, necesse plane est, ultimam quoque ejusdem esse potentiae. Verum Secundum dictata Sestinii ea vox pronuncianda non erit *Romanom*, sed *Rosanos*. In tabula aenea Volsce inscripta, quam aeri incisam eruditis obtulit em. Card. Borgia, et explicare tentavit Lanzius (Saggio T. II. p. 616), aliquoties occurrunt vocabula in OM desinentia, sic ut *το* M certum valorem, qualem apud Latinos, obtineat, v. c. VELESTROM, SARISTROM, FEROM; nam videmus in uno eodemque vocabulo certum S alia forma exaratum. Denique si in Samnitum lingua verba quaedam poterant exire in IM, v. c. in SAFINIM, nescio, cur pro varia vicinarum gentium dialecto, vocabula alia desinere in OM non potuerint.

P. 141. *col.* 1. *post lin.* 23.

ASCVLVM.

Urbs Apuliae mediterranea. En tibi numum a Sestino huc vocatum. (Lettere T. V. p. XXXVI.)

Caput Herculis barbatum pelle leonis tectum. X VꓘƎƆΛA *Victoria stans d. palmae ramum contingit, s. extensa.* AE. III.

Ait vir eruditus, has epigraphes literas esse Graecas antiquatas, easque resolvendas legendo retrograde in AVSCL., quod est per metathesin pro AVSCVL., esse adeo numum hunc Asculi Apuliae a bello cum Pyrrho ejusque ibi clade cogniti, et forte esse coaevum huic Epiri regi, nimirum typo Victoriae ad Romanorum victoriam adludente. Haec ille. Quo in ratiocinio jam istud displicet, quod epigraphen constare literis pervetustis Graecis, deinde antiquatis adserit. Literae secundae forma, quam ille positam pro V vel Υ graecorum ait, in nullo numo vel marmore eum, quem vult valorem habet. Forma litterae tertiae, sic ut sigma sit, antiquissimae aetati ignota fuit. Rarissime etiam, et nonnisi in duarum Siciliae urbium numis reperi scriptum V pro Λ. Neque adhuc in numis scripturae Graecorum antiquissimae, quorum justum habemus numerum, simile

mihi videre licuit metathesis exemplum qualem suppetias vocat Sestinus. Ea urbs a Graecis scriptoribus vocata semper fuit Ασκλον, rarius Ασκυλον. Quid quod nullo auctore constet, Asculum istud incolas habuisse Graecos, quos novimus loca tantum mari adsita, aut ab hoc non valde distantia in hoc Italiae tractu insedisse, populis hujus viciniae mediterraneis scriptura vel Latina, vel Osca, vel Samnitica, vel quomodocunque mixta in moneta sua usis. Denique frustra adseritur, numum hunc regi Pyrrho coaevum esse posse, cujus aetate nullus amplius fuit usus ejus scripturae, quam nos pervetustam Graecam vocamus. Cujus alterius urbis esse hic numus possit, ignoro. Istud tantum audeo adfirmare, Asculi nomen ex epigraphe, quam nobis dedit auctor, erui non posse. Eadem is occasione impetit numum huic suo non multum absimilem, in quo Pellerinius legit ΔΥCΚΛΑ., quemque adeo Dyscelado Illyrici insulae tribui posse conjecit. (Suppl. I. p. 33.) Eidem ergo Asculo hunc quoque restitui vult.

Neque hic constitit auctoris nostri liberalitas, sed eidem Asculo sequentes ad huc numos numeratur:

ΑΥCΚΙΛ. in alio: ΑΥΣΚΛΙΩΝ. *Aper currens.* ℞ *Spica.* AE. III.

Stephano gentile Asculi est Ασκλιτης, Latinis fuit *Asculanus*, neutro adeo inscriptioni ΑΥΣΚΛΙΩΝ suffragante. Ad haec aper et spica typi sunt obvii in numis Arporum Apuliae. Res adeo omnis adhuc plane est incerta. Istud unum ex hac Sestini disquisitione boni nacti sumus, quod nos eodem hoc loco certos reddidit, numum, quem olim edidit (Lettere T. II. p. 3), et in quo legere sibi visus est ΑΥΡΥΝΚΩΜ, hujus quoque videri esse Asculi, non vero Auruncorum Latii [a]).

P. 144.

Si verum est, quod nonnulli conjiciunt, simili typo in numis Tarentinorum proponi Phalanthum Spartanum, ut mox infra in his docebimus, facile dabimus, eadem imagine in Brundusinorum quoque moneta effictum Phalanthum; nam hic teste Iustino (L. III. c. 4) per seditionem a Tarentinis in exilium proturbatus Brundusium se contulit.

P. 145. *col.* 1. *lin.* 20.

At non illa amplius mira videtur, ex quo Cousineryus certiorem me reddidit, hunc ipsum Sestinii numum, qui nunc penes se est, opus esse falsarii Osman Bey ab infami hac arte satis cogniti.

P. 146. *col.* 1. *lin.* 29 *post crederent:*

, praecipue quod illi post mortem divinos honores fuisse habitos testetur Iustinus. (L. III. c. 4.)

P. 146. *col.* 2. *lin.* 13 *post refert.*

Sed vide etiam, quae paullo altius in numis Brundusii monui.

---

a) Nulla tamen de hisce numis adhuc prolata sententia est, quae magis probaretur. Itaque Asculi potius, quam Dysceladi Illyr. insulae esse videntur. Inscriptio ΑΥΡΥΓΚ - - - legitur quidem in numo inedito Musei Caes. Reg. verum ejus typus distat ab numo a Sestino publicato.

P. 147. *col.* 1. *lin.* 11:

aut cum narrat Polyaenus (Strat. L. III. c. 7). Demetrium ad retrahendum ex fuga Lacharem misisse equites Tarentinos.

P. 158. *col* 1. *post lin.* 30.

BONA. MEMO. *Mulier sedens in templo distylo d. caput fulcit.* X N. CAVI. L. MARCI. IIVIR. *in medio* PAES. AE. III.

Praeclari hujus numi index fuit abbas Sestinus. (Lettere T. V. p. XXXV.) *Bonam deam* continuo vidimus. Numus praesens *Bonam Memoriam* commendat. Memoria Graecis Μνημοσυνη, secundum aliquos Musarum mater. At non existimo, hanc praeclarae sobolis genitricem hac inscriptione indicari. Neque etiam existimo, a Paestanis eam intellectam fuisse Memoriam, quam illustri allegoria Sapientiae matrem apud Gellium dixit Afranius: (L. XIII. c. 8.)

Usus me genuit, mater peperit Memoria,
Sophiam vocat me Graji, vos Sapientiam.

quibus is versiculis commonere voluit, illi, qui sapiens esse rerum humanarum velit, non libris solis, neque disciplinis rhetoricis, dialecticisque opus esse, sed oportere eum versari quoque exercerique in rebus communibus noscendis periclitandisque, ut praeclare observat Gellius. Aliud fuisse Paestanis in fingenda Memoria propositum, non vane auguror, et quidem illud ipsum, quod paullo supra Athenaeum ex Aristoxeno narasse dixi (L. XIV. p. 632), nimirum Paestanos in Romanorum servitutem prolapsos ἀγειν μιαν τινα των ἑορτων των Ἑλληνικων ἐτι και νυν, ἐν ᾗ συνιοντες ΑΝΑΜΙΜΝΗΣΚΟΝΤΑΙ των ἀρχαιων ἐκεινων ὀνοματωντε και νομιμων, ἀπολοφυραμενα δε προς ἀλληλους και ἀποδακρυσαντες ἀπερχονται, *in hunc usque diem unum ex Graecorum festis celebrare, quo in unum congregati IN MEMORIAM REVOCANT vetera illa nomina, ac instituta, lacrimantesque ac sortem suam invicem conquesti discedunt.* Quod publice celebrandum est visum, dignum hercle fuit etiam argumentum, quod in moneta publica exstaret. Et hanc quidem Memoriam dixere *bonam*, haud dubie, quod bonorum amissorum recordatio animos occupavit, et divinitatis more intra templum constituerunt uno hoc ejus consecratae exemplo; quamquam si licuit Atheniensibus ponere aram Oblivioni (Plutarch. Sympos. IX. p. 740), cur idem non facerent Paestani Memoriae? Eleganter typus hominis per otium veterem suam fortunam animo versantis imaginem exprimit. (Confer indicem Gruteri sub *Bona Dea.*)

P. 165. *col.* 2. *post lin.* 31.

Abbas Sestinus narrat (Lettere Tom. V. p. III.), exstare in museo ducis Bracciani, nunc Vaticano, numum hujus urbis aureum inscriptum literis Oscis: ᗺƧVƎꟻ nulla facta mentione typorum, ponderis etc. sic ut cupiditatem nostram irritaret magis, quam satiaret. Quippe parum nostra interesse debet, numi tam singularis omnem verumque statum nosse [a]).

a) Singularis iste numulus nunc continetur in locupletissima collectione Comitis a Wiczay, uti patet ex catalogo: *Hedervarii numi antiqui auct. Com. Mich. a Wiczay. Vindobonae*

P. 175. *col.* 1. *lin.* 3.

8Λ. *Caput aquilae serpentem rostro stringens.* X *Fulmen.* AV. IV.

Hactenus Locrorum numus aureus dempto Goltziano conspectus non fuit. Quem coram dedimus, editus est a Michaele Ardito Neapolitano in dissertatione, cui titulus: *Illustrazione di un antico vaso etc.* Testatur repertum nuper fuisse in ruinis Locrorum Italiae. Quae causa, ac praeterea, quod aquila, et fulmen obvii sunt in eorum moneta typi, dubitare non sinunt, cimelium istud ejus esse populi opus putandum. Tamen inscriptio tam est singularis, ut dubius haeream ipse, quid de ea statuendum existimem. Esse retrogradam, manifestum est. Verum quam dabimus potentiam elemento alteri 8? Vidimus attius pag. 122, illud in Oscorum alphabeto aequivalere τῷ F vel V consonanti. Obvii sunt Locrorum numi inscripti ΛΟ. At praeterquam, quod verisimile non est, Oscorum formas in Graeciam M., et usque Locros pertinuisse, quo pacto pro O scribi poterat elementum, quod cum O nihil habet affine? — Non multum absimilem formam dedi supra in Prolegomenis general. p. CI., verum praeterquam, quod illa non O, sed OΥ significat, quod cum solito ΛΟΚΡΩΝ consistere nequit, monogramma istud aevo tam remoto, cui praesens numus debetur, non competit. An in numo tam exigui voluminis, operisque tam delicati aliud vidit is, qui delineavit? Rem nobis gratam fecisset eruditus praeco, si ad rem adeo insolentem aliqua nobis de suo observata addidisset, quae dubium omne dispellerent. Neque enim illi antiquariorum in similibus causis fastidia ignota esse poterant.

P. 183.

Dixi, satis nunc constare, vagam hactenus Orram sitam fuisse in agro Locrorum Italiae, ex quo nempe cl. Michael Arditus numum protulit inscriptum ΟΡΡΑ. ΛΟΚΡΩΝ. Verum testatur vir eruditus Mathias Zarillus, in numo hoc, qui, olim ducis Nojae, nunc in museo regio Neapoli servatur, eo loco, quo scriptum ΟΡΡΑ praetenditur, literas esse confusas, et evanidas, et ΦΡΑ potius legendas videri. Atque hoc de epigraphe ΟΡΡΑ dubium tanto augetur magis, quod quatuor similes a Magnano in Bruttia numismatica video editos, omnes inscriptos quidem ΛΟΚΡΩΝ, nulla tamen τȣ ΟΡΡΑ mentione. Nondum ergo de vero Orrae situ certi sumus.

P. 184. *col.* 2. *lin.* 11 *post edoceri.*

Quae tum ignoraveram, forte fortuna aliud agens a me ipso sum edoctus, nimirum cum in Strabone legerem: (L. X. p. m. 725.) ποδας μεν γαρ λεγεσθαι τας ὑπωρειας, κορυφας δε τα ἀκρα των ὀρων, *pedes enim vocantur infimae montis partes, sicut vertices summa montium.* Et video, montis radicem viris Graeciae summis atque pervetustis dictam fuisse ποδα. Homerus: (Il. B. v. 824: seu in Catalogo v. 331.)

1814, *pag.* 15. *Tab. I. num.* 11.), et jure videtur attribui Felsinae, quam Plinius principem urbem Etruriae nominat.

Οι δε Ζελειαν ἐναιον ὑπαι ποδα νειατον Ιδης,
Qui vero Zeleam habitabant sub pedem imum Idae.

Ad quem versum scholiastes: *ποδα γαρ το κατωτατον μερος, μεταφορικως· τουτ' ἐστιν, ὁ καλουμεν ἡμεις ὑπωρειαν. Pes enim est infima pars, metaphorice, id est, quod nos vocamus radicem montis.* Sed et Eustathius ad eadem verba: *ὑπαι ποδα νειατον Ιδης, ὁ ἐστιν, ἐν τῃ ἐσχατῃ ὑπωρειᾳ της Ιδης.* Eidem Homero alibi memorantur *ποδες πολυπιδακου Ιδης, radices irriguae Idae.* (Iliad. V. 59.) Narrat Pindarus, (Pyth. XI. 54.) Strophium *Παρνασσου ποδα ναιοντα, inhabitasse radicem Parnassi.* Nolo cumulare exempla, quae plura vel ex solis his auctoribus peti possent. Pro *πους* Graecos eodem sensu dixisse etiam *προπους*, patet ex Polybio, (Hist. L. III. §. 17.) aliisque. Quare cum promontoria proprie sint montes, quorum pedes, seu radices longius in mare excurrunt, et porrigunt, non inique Siculi celebrata sua tria promontoria junctis tribus humanis pedibus expressere. Utrum urbes Italicae, aliaeque Asiae minoris, quae ibi continuo memorantur, simili triquetrae typo idem voluerint intelligi, an aliam allegoriam hac imagine involverint, hactenus mihi ignotum. Addo, mirum videri, Latinos, qui pleraque Graecorum amabant imitari, non etiam Graecorum more fundamenta montium dixisse *pedes.* Eruditi lexicographi unum ejus exemplum nobis suppeditant captum ex Ammiano Marcellino: (L. XIV. c. 26.) *imi pedes Casii montis.* Et tamen iidem vertices montium dixerunt *capita.* Cultiores hodiernae Europae linguae, Italica, Germanica, Gallica, Anglica hanc Graecorum allegoriam facile recepere.

P. 206. *col.* 1. *post lin.* 7.

Numum ΚΕΦΑΛΟΙΔ., in cujus aversa est ΗΡΑΚΛΕΑ, vide infra in his ipsis Addendis ad pag. 211.

P. 211. *col.* 1. *lin.* 5.

Nuper huic Siciliae Heracleae numum sequentem dedit Sestinus: (Lettere Tom. V. p. XXXIX.)

ΚΕΦΑΛΟΙΔ. *Caput Herculis leonis exuviis tectum.* ℞ ΗΡΑΚΛΕΑ *in imo* - - - ΩΝ. *Bos cornupeta.* AE. III.

Pars antica sine dubio Cephalaedium Siciliae respicit. Pars aversa male sana est, et forte plus, quam istud adjecta numi icon profitetur. Neque enim Graeci *Heracleam* scripsere ΗΡΑΚΛΕΑ, sed ΗΡΑΚΛΕΙΑ. Et vero pro hac epigraphe a Sestino promulgata Princeps Turris Muciae in simili suo legit ΗΡΑΚΛΕΙΟΤΑΝ. (Auctar. II. tab. II.) Differamus ergo judicium, usquedum tutius judicare liceat. Tamen si epigraphe anticae talis est, qualem auctor adserit, habemus nomen Cephaloedii pluribus literis scriptum, quam istud adhuc vidimus. Nam in hactenus cognitis legitur tantum ΚΕΦΑ.

P. 219. *col.* 1. *post lin.* 25.

MERGANA.

Prope Syracusas. De hujus oppidi numo hactenus inter incertos habito vide, quae indicabo in Addendis ad Vol. IV. p. 163.

P. 231. *col.* 1. *post lin.* 26. *adde.*

Post haec incidi in marmor fratrum arvalium, ab ill. Marinio iterum, adcuratiusque vulgatum, (Trat. arv. pag. CXLIV.) quo teste ex fratrum praescripto immolabantur IANO. PATRI. ARIETES. II. Ergo aries fuit sueta Iani victima. Verisimile igitur, a Panormitanarum civitate, quae tum Romanis magna sui parte constabat, receptum Ianum Romanorum numen, eumque insertum monetae addita ejus victima ariete.

ADDENDA
AD
VOLVMEN SECVNDVM.

P. 25. *col.* 1. *lin.* 7.

Alterum hunc Diadumeniani numum a Sestinio vulgatum opus esse impostoris Osman Bey, docuit me Cousineryus ejus nunc possessor.

P. 27.

Procopius Byzantis conditoris matrem Ceroessam vocat. (de Aedif. Iust. L. I. c. 5.) Vide plura apud Hesychium Milesium, (de reb. patr. Constantinop.) sed qui fabulas tantum narrat.

P. 28. *col.* 1. *post lin.* 11.

Lunae in Byzantiorum numis conspicuae causam non attuli, quia omnem ignoravi. Eam tamen reperit Pinkertonus, nimirum cum Philippus Macedo nocte concubia repentino incursu expugnare Byzantium tentaret, explicatam repente ex nubibus lunam splendore suo adventantem hostem civibus prodidisse. Addit, Turcos longo post tempore Constantinopoli potitos, cum lunae signum per plures urbis vicos propositum viderent, crederentque magicam illi vim inesse, illo deinceps instar insignis uti coepisse. (Essay on med. Vol. I. p. 192.) Haec omnia quo auctore acceperit vir eruditus, mihi incompertum. Caûsam vero etiam adamatae a Turcis lunae valde esse incertam, et ne his ipsis quidem satis cognitam, adfirmat cl. Toderinus, qui pluribus annis Constantinopoli degens instituto sedulo examine nihil certi intelligere potuit. (de literat. Turc. p. m. 253.) Ii, qui scribunt, legem sibi ex praecipuis unam esse impositam debent existimare, ut, cum singularia nobis, neque communis res notitiae narrant, fontes nobis suos ne invideant, aut ferant patienter, si fidem aut suspendimus, aut plane abnegamus. Sed et gratam nobis rem fecisset, si auctorem laudasset, qui sinistram Philippo Byzantium oppugnanti lunam docuerat. Illustres historici factum istud ignorant. Narrat Iustinus, omissam a Macedone obsidionem, quia in Scythas exercitum duxit, (L. IX. c. 2.) Diodorus, (L. XVI. c. 77.) et Demosthe-

nes (de Corona p. m. 487). Atheniensium ope liberatam urbem dixere. Philostratus insigne hoc beneficium in Leonem philosophum Byzantium contulit, (Vit. philos. L. I. §. 2.) sed quod anilem fabulam olet. Hesychius Milesius canum latratu proditas Philippi insidias narrat. (de reb. patriis Constantinop.)

P. 32. *col.* 1. *lin.* 19.

Consentit Hesychius Milesius (de reb. patr. Constantinop.) sed cui dicitur *πολις Αντωνινια.*

P. 32. *col.* 2. *post lin.* 6.

CYPSELA.

Inter Hebrum et Melanem fluvios ab Aegaeo nonnihil remotior, veteribus non incognita, quorum nonnullis scribitur *Cypsella.* Livio est in multitudinis numero, *τα Cypsela*, et sic Polyaeno quoque. (Stratag. L. IV. c. 16.) Usque huc numis haec urbs caruit. *Autonomum* nuper cl. Sestinus ex praeclaro museo Cousinerii vulgavit. (Lettere T. V. p. XXII.)

Caput Bacchi hedera coronatum. Ӿ ΚΥΨΕ. *Diota, superne luneola, in area ramus.* AE. III.

AE. RRRR.

P. 32. *col.* 2. *post lin.* 35.

DICAEOPOLIS.

Maritima, Abderam inter et Maroneam. Herodoto aliisque vocata *Dicaea*, Plinio *Dicaeae*, sed et *Dicaeopolis* cum numo Harpocrationi, et Suidae. Vide haec omnia apud Cellarium. Sic et Scodra et Scodropolis, Soli et Solopolis, plura exempla alia dedimus in Trajanopoli Thraciae. *Autonomum* certum hujus urbis ex museo Cousinery, nuper vulgavit abbas Sestinus.

Caput Cereris spicis coronatum. Ӿ ΔΙΚΑΙΟΠΟΛ. *Taurus tranquille stans.* AE. III.

AE. RRRR.

P. 37. *col.* 2. *post lin.* 15.

ODRYSAE.

Gens Thraciae Mediterranea. Ejus *autonomos* aliquot vulgavit Sestinus: (Lettere T. V. p. XLIII.)

Caput Herculis imberbe in leonis pelle. Ӿ ΟΔΡΟΗΣ - - - *in aliis:* ΟΔΡΟΣΙ - - *Taurus stans.* AE. III.

Odrysis hos tribuendos numos facile dedero: etsi mira videatur litera quarta O, pro qua scriptorum consensus habet Υ. Tamen non perinde dedero, argenteum fabricae per antiquae, cujus pagina sequente meminit, ad eundem populum pertinere. Est is idem in museo Caesareo, in quo nunc quoque nequaquam literas vetustas Graecas, sed plane peregrinas video.

AE. RRR.

P. 42. *col.* 2. *lin.* 17.

Narrat quoque Herodotus, (L. VII. c. III.) apud Satras Thraciae populum esse oraculum Bacchi, et vatem feminam responsa reddere perinde ac Delphis.

P. 50. *col.* 1. *post lin.* 21.

Alium typo diversum vulgavit Sestinus. (Lettere T. V. p. LXIX.)

Leo gradiens. Ӿ ΚΑΡΔΙΑ. *Hordei granum intra quadrum.* AE. IV.

Divitias hujus urbis idem auxit derivando huc numos argenteos III. formae, in quorum antica: *Leo dimidius respiciens*, in aversa: *Area in IV. partes secta.* (Lettere T. I. p. 129.) Dixi in Volumine I. p. 217, hos numos hactenus a plerisque Leontinis Siciliae fuisse tributos, sed nunquam istud satis probatum, et mox, enarrato Sestini judicio, addidi, rem adhuc esse incertam. *Incertam?* inquit idem serius, (Lettere T. V. p. LXIX.) *imo certissimam.* Reliquam ejus orationem plenam moderationis, elegantiae, humanitatisque lector ab auctore ipso petat.

P. 52. *col.* 2. *lin.* 23.

Numos hos esse Samothraciae, nunc jam dubitari nequit, ex quo Sestinus numum vulgavit cum simili utrinque typo, et scriptura plena ΣΑΜΟΘΡΑΚΩΝ.

P. 54. *col.* 2. *in fine.*

Caput Bacchi hedera coronatum. ✕ ΘΑΣΙ. *Duo pisces contrario situ.* AR. IV.

Numulum hunc ex museo Cousineryano vulgavit Sestinus, (Lettere Tom. V. p. LV.) et corrigendum illo similem alium docuit ab Haymio editum, quem is propter literas ΑΘ. Atheniensem putavit. (Thes. Br. T. II. p. 76.) Hoc pacto disperit etiam caput Epicuri, quod is in antica exhiberi putavit.

P. 70. *col.* 1. *post lineam* 34.

Addendus hic alius, et quidem argenteus: *Scuta Macedonica.* ✕ *Prora navis, cui inscriptum:* ΒΟΤΤΕΑΤΩΝ. Eum ex museo Cousineryano edidit Sestinus. (Lettere T. V. p. LXVIII.)

P. 70. *col.* 2. *post lin.* 6.

Regius.

APOLLODORVS Cassandreae rex.

Leo. ✕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΠΟΛΛΟΔΟΡΟΥ. (*verius* ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ.) *Eques.*

Insignem hunc, ac forte unicum numum ex museo Hunteriano vulgavit Pinkertonus, neglecta tamen metalli et voluminis mentione. (Essay on medals Vol. II. p. 245.) Hic Apollodorus simulato libertatis studio apud Cassandrenses suos gratiosus tyrannidem serius invasit, eamque crudelissime aliquamdiu exercuit. Hominem fraudulentum fraude item petitum dejecit Antigonus I. cognomento Gonatas. Auctores, qui ejus meminere, enarrat Rein. Reineccius, (Hist. Iul. P. III. p. 552) et Perizonius. (ad Aeliani Hist. var. L. XIV. c. 41.) Typi opus ejus aetatis Macedonicum non inficiantur.

P. 72. *col.* 2. *post lin.* 30.

Imperatorius.

ΝΕΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Fortuna stans,* Treboniani. Editus a Sestinio, (Lettere T. V. p. 25) et Neapoli cuipiam Ioniae tributus, cujus obiter meminit Strabo. (L. XIV. p. m. 947.) Causa illi praecipua, quia *fu acquistato in Smirne.* Taedet repetere, quas inter leges argumentum istud valere possit. Causam aliam repetit a signo incuso, cujus formae signum, ait, saepe reperiri in numis Ephesi. Esto, sed miror profecto, ejus indicium nullum exstare in numi iconismo, quem nobis obtulit. Non satis solidas has puto regulas, neque satis rationis, cur cime-

hium istud a nostra Macedoniae Neapoli sit arcendum.

P. 77. *col.* 1. *post lin.* 10.

SCIONE.

Sita in Chersoneso Pallene. Ejus praeter alios aliquoties meminit Demosthenes in oratione adv. Lacritum. *Autonomum* nuper edidit Sestinus ex museo Cousineryano: (Lettere T. V. p. LXIV.)

Caput Veneris. ✕ ΣΚΙΩΝΑΙΩΝ. *Duae columbae sibi obviantes.* AE. III.

Spectatis typis numus hic similis est illi, quem Goltzius tribuit Curio Cypri adficta nimirum epigraphe ΚΥΡΙΕΩΝ, cum tamen lectio genuina, etsi nullo sensu, sit ΟΥΥΣ, qualem praefert integerrimus musei Caesarei, quibus ex literis, ut suspicatur Sestinus, nullo modo formari potest lectio retrograda ΣΚΙΩ. Monere necesse non est, Venerem suas comitari columbas.

P. 81. *col.* 2. *ad lin.* 11.

Narrat cl. Sestinus, (Lettere T. V. p. XXXIX.) eo loco, quo haec Uranopolis stetit, repertos fuisse numos similes complures, ex quibus illi omnes, qui illaesi fuere, inscripti sunt: ΟΥΡΑΝΙΔΩΝ. ΠΟΛΕΩΣ, id est: *urbs coelestium*, seu *coelicolarum*, eodem fere sensu cum ΟΥΡΑΝΙΑΣ. ΠΟΛΕΩΣ, ut adeo, quae sequitur, explicatio, salva possit permanere. Hac ergo urbis suae appellatione mons Atho sese Olympi rivalem professus est, dignus nimirum propter coeli viciniam, in quem se coelestes animae demitterent.

P. 86. *col.* 2. *post lin.* 16.

AEROPVS. II.

Regis hujus bini haudita pridem detecti sunt numi:

Caput Herculis barbatum leonis exuviis tectum. ✕ ΑΕΡΟ. *Lupus dimidius aliquid devorans, superne clava.* AR. III.

Caput juvenile pileo tectum. ✕ ΑΕΡΟΠΟ. *Equus subsaltans.* AE. III.

Numus prior servatur in museo M. Ducis. Cum illud ante annos complures in ordinem redigerem, illustre hoc numisma propter scripturae parsimoniam mihi ignotum in incertorum stationem reposui. At eum cl. Abbas Sestinus ope alterius numi, qui porrectiorem habet epigraphen, feliciter explicavit, docuitque, utrumque tribuendum Aeropo Macedoniae regi. Alter aeneus ab amicissimo mihi Cousineryo olim nationis Gallicae apud Thessalonicam procuratore repertus est prope Amphipolin Macedoniae urbem. Haec ex ipsius Sestini commentariis accepi. (Lettere Tom. V. p. VII.)

Antequam definire aggredior, cui Aeropo, nam plures in Macedonia fuere hoc nomine reges, hos numos triubendos existimem, necesse puto, veram ejus nominis orthographiam stabilire, et utroque hoc numo confirmare. Auctores Graeci, qui regum, quibus istud nomen fuit, meminere, Herodotus, (L. VIII. c. 139.) Diodorus Siculus, (L. XIV. c. 37.) Polyaenus, (Stratag. L. II. c. 17.) et Plutarchus (in Demetrio p. m. 897.) unanimi censensu scripsere Ἀέροπος, quibus addi potest alius quispiam Ἀέροπος familiaris Pyrrhi laudatus Plutarcho. (in Pyrrho p. m. 387.) At Eusebio hi Mace-

doniae reges dicuntur Ἀεροπας. (in Chronico p. m. 50 et 57.) In vetustioribus Iustini editionibus vulgo legitur *Europus*, ex qua falsa lectione error fluxit in catalogos regum Macedoniae a variis vulgatos. (L. VII c. 2.) At jam viderunt eruditi, hic quoque legendum *Aeropus*. Perperam item hic rex in panegyrico, quem Nazarius Constanino Aug. dixit, vocatur *Eropus*. (Cap. 20.) Atque haec nostra lectio praeclare confirmatur utroque hoc numo, quem coram stitimus. Ex quo suapte patet, in vocabulo *Aeropus* priores literas *ae* non esse diphtongum, sed diaeresi separandas, scribendo nimirum *Aëropus*. Ceterum necesse non est admonere, modum ΑΕΡΟΠΟ esse eundem, quem jam in aliorum Macedoniae regum numis scripto ΑΡΧΕΛΑΟ, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ etc. observavimus.

Superest inquirere, ad quem ex pluribus Aeropum hi numi pertineant. Omisso vetustissimo illo, quem nonnulli ipsi Carano coaevum, quin et fratrem faciunt,

AEROPVS I. memoratur ab Herodoto, Philippi I. filius. (l. c.) Consentit Iustinus, (l. c.) qui et addit, regem hunc adhuc infantem bello Illyrico in cunis praegestatum, ejusque praesentia animatos Macedonas insignem victoriam reportasse. Factum istud refert etiam laudatus supra Nazarius. Fertur regnasse annos XXVI. relicto successore filio Alceta secundum Herodotum et Eusebium, quos citavimus, at secundum Iustinum Amynta I. Aetas hujus regis nimium remota, qui exeunte altero urbis conditae saeculo diem obivit, alium respicere hujus nominis regem jubet.

AEROPVS. II. Oresti puero Archelai filio datus tutor pupillum interficit, et ipse regnat. (Diodor. L. XIV. c. 37.) Agesilao ab expeditione Asiatica reduci, et per Macedoniam domum tendenti adversatus primum, deinde cum hospite faedus init. (Polyen. Strat. L. II. c. 17.) Mensulis et lucernulis fabricandis sedulam dedisse operam narrat Plutarchus. (in Demetr. p. 897.) Regnavit annos VI (Diodor. l. c.) et moritur V. C. circiter 359.

Atque huic Aeropo numos hos esse tribuendos, dubitari nequit. Henricus Dodwellus in suis Annalib. Thucyd. ad ann. ante Chr. 454. audacter adserit, et Orestem pupillum, et Aeropum tutorem ex regum Macedoniae catalogo esse ejiciendos, quin et Aeropum et Archelaum unum esse eundemque regem. Temerariam viri eruditi confidentiam jam argumentis historicis evertit Wesselingius ad laudatum Diodori locum, at nunc multo eam certius disperdunt numi, quorum alios habemus Archelai, alios recens repertos Aeropi.

P. 86. col. 2. in fine.

Nactus est illustris hic Pausaniae numus argenteus comitem aeneum.

Caput juvenile diadematum.

Ӿ ΠΑΥΣΑΝΙΑ. *Leo dimidius saliens.* AE. III.

Eum abbas Sestinus ex locuplete museo Cousinerii edidit. (Lettere Tom. V. p. VIII. IX.) Integerrimmi hujus numi beneficio illustratur numus simillimus musei Caesarei, quem quia spectatis aliquot literis mancus est, olim inter incertos edideram. (Catalog. mus. Caes. Tom. I. p. 289. et tab. VI. num. 10.)

P. 100. *lin.* 17. *col.* 1.

Dicitur hic et proxime *Iuppiter Nicephorus*, qui *aetophorus* dicendus fuerat.

P. 109.

, et refert Procopius, (de Aedif. Iust. L. VI. c. 2.) apud Augilam Libyae adhuc Iustiniano imperante stetisse templa sacra Ammoni, et Alexandro M. victimis utrique a sacrificulorum grege oblatis.

P. 119. *col.* 1. *lin.* 15.

Certiorem nuper hujus aversae explicationem attulit vir insignis Ennius Visconti, (Mus. Pio-Clem. T. VI. p. 16.) nimirum hanc navim esse eandem, quam indicat Athenaeus (L. V. p. 209.) nimirum qua Antigonus Ptolemaei duces superavit, quamque is deinde Apollini dedicavit.

P. 120.

Ποιητου δ' ην αρα και Φημη δουναι πτερα, και πεμψαι ταυτην επι την εσπεραν μεταρσιον δοξης αγγελον κ. τ. λ. Ad poetam autem pertinet Famae dare alas, et mittere eam via aërea ad Occidentem gloriae nunciam. (Himerius sophista Orat. XIII. §. 12.)

P. 133. *col.* 2. *lin.* 19.

Non adrisit judicium meum Sestino, quia in suo, quem meo similem placuit, legitur ΦΕΡΑ. At certum est, in meo legi manifestum, et solum ΘΕ., ut taceam, eum aliis etiam causis suo esse dissimilem.

P. 146. *col.* 1. *lin.* 14.

Sed stomachatur haec dictata Sestinus. Ait enim, (Lettere T. V. p. LXV.) numum meum esse vitiatum, neque referri posse ad urbem aliquam Othryi Thessaliae monti adsitam. Denique esse corrigendum ex numo suo simili, in cujus aversa est: ΘΕΒ. *Clypeus cum hasta.* Monendus lector, haec ad unum omnia temere, atque inconsulto esse prolata. Ait, numum meum esse vitiatum, quod esse falsum ipse nosse debuit; nam eo loco, quo numum edidi, disertis verbis monui: *numum esse integerrimum, et nulla sui parte attritum.* Si dixi, in aversa esse *forte* aram, istud vitium numi non arguit, sed quod saepe fit, typum ipsum mihi esse incompertum. Ad haec litterae ΟΘ. tam sunt evidentes, quam esse in vetere quopiam numo possunt. Cetera lectorem non monebo, qui novit, non unicum hoc esse exemplum monticolarum in numis proditorum, quos geographi reticuere. Tamen Mart. Capella Pindum et Othryn Lapitharum sedem dixit. (L. VI. de Geometr. sub Thessalia.) Ergo ille aut cum Othrytis nostris in gratiam redeat, aut nobis urbem aliam palati sui ab ΟΘ incipientem prodat, valeatque cum sua ΘΕΒ., hastaque et clypeo.

P. 159. *col.* 1. *lin.* 1.

Numum hunc Asculum Apuliae revocat Sestinus, ut diximus altius. In addendis ad Volumen I. ad pag. 141.

P. 168. *col.* 1. *post lin.* 30.

NEOPTOLEMVS.

Scuta tria in orbem composita, Ж ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΥ. *Basis cum colum-*

na super qua figura stans, *in area* ΕΠΤΡ. *in monogramate.* AE. III.

Ita numum musei Cousineryani describit Sestinus, (Lettere T. V. p. LXV.) eumque huic Epiri regi tribuit. Et verisimile istud spectata natura numorum regum Epiri. Utrum vero errasse continuo videri debeat Haymius legendo in numo suo ΕΤΠΟΛΕΜΟΤ, pro ΝΕΟΠΤΟΛΕΜΟΤ, ut istud ab eo factum diserte praedicat Sestinus, vehementer dubito. Nam adcuratus Haymius numum suum integrum profitetur, (Thes. Br. T. II. p. 78.) atque is in parte aversa longe alio est typo.

P. 187. *col.* 1. *lin.* 7.

Addendus alius: ΛΕΤΚ. *Imp. capite radiato in curru triumph. adversus vectus d. lauream*, *s. globum*, Caracallae. (Mus. com. de Sternberg.)

P. 189.

Quid quod etiam fama fuit, Diomedem apri Calidonii dentes apud Beneventum a se conditum dedicasse, eosque suo adhuc aevo fuisse monstratos narrat Procopius Caesariensis. (Bell. Goth. L. I. c. 15.)

P. 189. *col.* 2. *lin.* 5.

Verum me fuisse augurem, docuit eventus, numumque hunc restituendum Aegirae Achajae, docebo infra ad pag. 235.

P. 199. *col.* 1. *lin.* 26.

Si recte conjeceram, numos similes Erythris tribuendos, non, ut Pellerinius sanxerat, Zephyrio Ciliciae, eo tamen peccasse videor, quod Erythras Boeotiae, prae alteris Ioniae malebam. Etenim certiorem me reddidit navus Cousineryus, numos similes reperiri per Ioniam.

P. 200. *col.* 2. *lin.* 23.

Vide, quae ad p. 228 dicentur.

P. 202. *col.* 2. *lin.* 11.

Singularem epigraphen ΤΕΒΕ, omissa scilicet aspirata, citat Richardus Payne ex pervetusto tridrachmo musei van Damme, in cujus una facie est vas, in alia quadratum incusum. (Analyt. Essay. p. 25 et 27.)

P. 209. *col.* 2. *lin.* 23.

Aristoteles, ut Granius memorat, vir ingenio praepotens, atque in doctrina praecipuus, Minervam esse lunam probabilibus argumentis explicat, et literata auctoritate demonstrat. (Arnob. adv. gentes L. III. p. m. 69.)

P. 215. *col.* 2. *post lin.* 24.

Confirmat judicium istud datis ad me literis cl. Cousineryus, qui prior ope numorum suorum, eorumque comperto solo natali, tum et obvio in iis hoc Pergami monogrammate huic urbi restituendos conjecit. Ait iterum in posteriori aliqua epistola edoctum se a cive quodam Atheniensi, numorum veterum perito, hujus generis numos non reperiri in agro Attico.

P. 217. *col.* 1. *lin.* 8. *post: Sanxerunt.*

Sed Laurentius Lydus: (*περι Μηνων* in Maio cap. 3.)

Ἡφαιστοι τεσσαρες, πρωτος Ουρανου, και Ἡμερας πατηρ Απολλωνος, του Αθηναιων αρχηγετου.

P. 226. *col.* 1. *post lin.* 12.

ΑΙΓЄΙΝΗΤΩΝ. CΑΛ. *Duae mulieres stantes*, Severi, quem numum edidit abbas Sestinus, qui existimat, additum CΑΛ. indicare insulam vicinam Salaminem, et esse concordiam inter utramque insulam, hanc ipsam etiam indicante utroque genio earum muliebri. (Lettere V. p. XLIX.)

P. 228. *col.* 2. *post lin.* 5.

Autonomos binos alios vulgavit Sestinus, et huc vocandos docuit: (Lettere T. V. p. XLVIII.)

Caput muliebre. Ӿ. ΣΑΛΑ. *Clypeus pharetra insignitus.* AE. III.

Similem olim vulgavit cl. Neumannus, (Num. pop. p. 215.) eumque contra Pellerinium tribuit Larymnae Boeotiae causa inserti clypei Boeotici, ut in hac diximus, nimirum literis ΛΑ. Larymnam, ΣΑ. Salyaneum ejusdem regionis oppidum indicantibus. At vidit Sestinus numum, in quo ΣΑ. et ΛΑ. non divisim, sed continue sunt perscripta, scilicet ΣΑΛΑ., quo is permotus numos similes Salamini insulae jure esse tribuendos adserit. Sin istud, fuere urbes, quarum clypei ad formam Boeoticorum propius accessere.

P. 229. *col.* 2. *post lin.* 4.

Usque modo communis fuit sententia, numos hos propter memoratas causas esse monetam Peloponnesiam. At verisimilius nuper visum cl. Pinkertono, eos omnes Aeginae insulae restituendos, (Essay on medals Vol. I. p. 66. seq.) quae quidem jam fuit opinio Montfauconii. (Palaeogr. p. 143.) Ut argumentis iis, quae adducit, causam suam non penitus evicit, tamen justum dubium videtur obtulisse antiquariis, utri Aegio, an Aeginae tam praeclarae sint opes permittendae. Idem tamen etiam parum sibi consuluit, dum eundem secutus Montfauconium in quinque partis aversae linearum ductibus contineri literas omnes ΑΙΓΙΝΗΤΩΝ adserit. Praeterquam enim quod nemini istud sobrio persuaserit, numi hi nequaquam tantae erunt antiquitatis, quantam iis jure tribuit vir eruditus, si jam in iis comparent literae noviciae Η et Ω.

P. 233. *col.* 1. *ante CORONE. CORINTHVS.*

ΧΑΛΑΕ -- *Iuppiter stans etc.* Ӿ ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Mulier sedens etc.* AE. III. (Sestini Lettere T. V. p. L. ex museo Ainslieano.)

Existimat Sestinus, laudatum mox numum Haymianum ΚΑΡΙΝΟΙΩΝ esse eundem cum praesente, et in illo quoque legendum ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ.

Si verum est, numos hos eloqui urbem Corinthum, fallit sine dubio regula, quam mox articulo praecedente dedi, nimirum urbes in ipsa Achaia sitas non sese in his numis *Achaeos* fuisse professos. At nosse oportet, superioribus temporibus usque ad dominatum Philippi II. et Alexandri M. non recenseri Corinthum inter XIII. urbes Achaiae, quas Polybius communi faedere usas refert. (Hist. L. II. c. 41.) Pluribus post annis eam Aratus Sicyonius praetor ejecto Macedonum praesidio libertati suae restituit, et ad remp. Achaeorum adjunxit. Factum forte tum, ut Corinthii a Macedoniae regum jugo liberati sese modo palam Achaeos appellarent.

et horum sese faederi accesisse profiterentur.

P. 233. *col.* 2. *lin.* 6.

Inter urbes sinus Crissaei imperante Iustiniano terrae motu eversas praeter Chaeroniam, Patras, Naupactum Procopius memorat etiam Κορωνειαν. (Bell. Goth. L. IV. c. 25.)

P. 235. *col.* 1. *post lin.* 17.

IMPERATORII.

Binos hujus classis, utrumque Plautillae, nuper edidit cl. Sestinus, cum antehac imperatorii quoque hujus urbis ignoti fuissent.

ΑΙΓΕΙΡΑΤΩΝ. *Diana venatrix gradiens comite cane d. facem ardentem prodendit.* (Ex museo Sanclementii Romae.)

Narrat loco mox laudato Pausanias, Hyperesienses ad arcendos a finibus suis Sicyonios stratagemmate usos, nimirum ligatis inter caprarum cornua facibus, iisque accensis, qua conspecta luminum multitudine Sicyonii advenisse auxilia rati ad sua redivere. At Hyperesienses hoc defunctos periculo Dianae Agroterae templum aedificasse. Hac igitur de causa Aegiratas Dianam intulisse numis, eamque armasse face, stratagemmatis argumento, existimat Sestinus. Numus hic istud praeterea habet singulare, quod Plautillam appellat tantum ΦΟΥΛΒΙΑΝ. CЄΒΑCΤΗΝ omisso Plautillae nomine.

ΑΙΓΕΙΡΑΤΩΝ. *Aesculapius stans.* (Mus. Borgia.) Numum similem vulgavit Vaillantius, sed cum legeret ΑΙΓΑΙΑΤΩΝ, numum Aegitio Aetoliae tribuit. (Num. Graec. p. 114.) Adverti supra ad numos Aetoliae hujus urbis, numum hunc haud dubie Peloponnesi cuipiam urbi deberi additis ejus causis. Quod tum praedixeram, eventus comprobavit.

P. 265. *col.* 1. *lin.* 26.

Docuit me serius Sestinius, Viscontium idem docuisse in Tomo VI. Musei Pio-Clem. Videatur ergo ex anno editionis, uter inventor sit putandus. Eruditus L., qui me contra Sestinii criminationes acriter defendit, (neue Bibl. der ſchönen Wiſſenſchaften und der freyen Künſte, 57. Bandes erſtes Stück. 1796) ſagt Seite 120: daß Payne's Werk mehrere Jahre vor dem T. VI. des Museum P. Clem. erſchienen ſey.

P. 284. *col.* 1. *lin.* 14.

Hunc Pellerinii autonomum loco moveri vult Sestinus, adfirmans, in similibus aliis distincte legi ΘΑΣΙΩΝ. (Lettere T. V. p. LV.)

P. 286. *col.* 2. *post lin.* 12.

Veridicum me fuisse vatem, docuit in epistola ad me data cl. Cousineryus, in cujus nunc potestate numus is est, opus ejus Osman Bey, qui doctus apprime fuit, scalpri ope novas inscriptiones ementiri.

P. 287. *col.* 2. *lin.* 5. *post fuit.*

Et narrat Plutarchus, (Quaest. Graec. n. 48.) Palladium revera stetisse Argis, unde furto sublatum Lacedaemonem migravit.

P. 293. *col.* 1. *lin. ult.*

Montis Olympi in Arcadia prope

Tegeam meminit Polybius. (Hist. L. V. c. 24.)

P. 322. *col.* 1. *lin.* 1.

Quin et idem ille Tylissi numus, quem in Gotha sua vulgavit Liebeus, fusus, spuriusque adeo visus est Iulio Schlägero musei Gothani custodi, ut ipse fassus est in epistola anno 1768 ad Khellium scripta, quam ipse teneo.

P. 322. *col.* 1. *post lin.* 25.

ARTEMISIVM.

Plinio urbs Euboeae, aliis promontorium, ubi Themistocles Persarum classem attrivit. Forte fuit urbs promontorio adstituta. *Autonomum* dedit Sestinus: (Lettere T. V. p. XLVI.)

Caput Herculis imberbe in leonis exuviis. X APTE. *Caput canis, infra clava.* AR. IV.

Suapte patet, positum in hoc numo canem causa Dianae, Αϱτεμιδος, a qua oppido nomen.

AR. RRRR.

P. 334. *col.* 2. *lin.* 27.

Vide, quae de numis his argenteis Seripho tributis continuo sub Siphno observabo.

P. 336. *col.* 1. *lin.* 18.

Impugnavi hoc loco, ut vides, Sestinii sententiam, numos similes inscriptos ΣE. Seripho pro vetere more permittentis, at inscriptos ΣI. Sicyoni vindicantis. Aliter disponere argumenta mea debueram, si testatus idem fuisset, etiam numos ΣE. apud Sicyonem reperiri, et statuendum adeo, hos quoque Sicyoni deberi. Verum en tibi literas a Cousineryo anno proxime elapso ad me datas, in quibus mihi significat, amicum suum Rostanum apud eandem urbem reperisse quoque numos cum epigraphe ΣE., et, quod consequitur, hos aequo jure Sicyoni esse tribuendos, scilicet perinde atque illos cum epigraphe ΣI. Cui sententiae ut fidem facerent viri praeclari, existimat Rostanus, veteres forte perinde scripsisse Σικυων et Σεικυων, sc. cum diphthongo. At non advertit animum vir insignis, diphthongum in prima hujus vocabuli syllaba stare non posse, cum ea a poetis omnibus cum Graecis tum Latinis constanter corripiatur, ut praeteream causas alias huic conjecturae nimium adversas. Neque felicius rem expedit Cousineryus, dum tenuiter conjectat veteres forte etiam scripsisse Σεκυων, quod effugium sane perviolentum est nullo suffragante exemplo. Ad haec si monetarii in argenteis suis numis variarunt scribendo jam ΣI. jam ΣE., cur non etiam nonnunquam variarunt in aeneis, quos Sestinius, eumque secutus Cousineryus Siphno ademptos Sicyoni restituendos statuunt, in quibus aliud non legitur, quam ΣI. solitum? quam difficultatem jam agnovit etiam ipse Cousineryus. Quid igitur in universa hac causa constituendum? Ajo, argenteos hos numos propter omnium causarum concordiam nullo esse pacto dissociandos, et aut esse Siphni et Seriphi, aut ad unum omnes Sicyonis, at tum ΣI. et ΣE. non significare nomen urbis, sed esse aut literas ἀϱχαιϰστας magistratuum, vel monetariorum, aut esse quidcunque aliud nobis ignotum. Ante omnia vero attentius esse inquirendum, quo illi in tractu copiosius soleant

emergere. Audio passim inclamari, id genus numos in Peloponneso, et Sicyonis vicinia reperiri, at non video, inquisitum etiam fuisse, utrum illi non etiam justo numero in ipsa Siphno et Seripho reperiantur, quod tamen, antequam judicium ferretur, praecipue fuerat indagandum. Quod ad aeneos III. et IV. formae inscriptos vel solo Σ., vel ΣΙ. attinet, quos iidem hi viri nullo fere discrimine Siphno ademptos Sicyoni largiuntur, eam ego litem meam non facio, cum ea solum a cognitione locorum, qui eos fructus parturiunt, pendeat. Horum ergo eruditorum judicio, qui se ἀυτοπτας profitentur, sterilis nuper Sicyon nobilem hactenus monetariis suis opibus Siphnum ad turpem egestatem adegit, ne quidem longa saeculorum usucapione jus tutum sincerumque praestante.

P. 339. *col.* 1. *lin.* 22.

Tamen et Polyaenus memorat Satyrum Bospori tyrannum, et Gorgippum filium, qui successit. (Stratag. L. VIII. c. 55.)

P. 339. *col.* 2. *lin.* 20.

Hunc Sestinii numum ope scalpri fuisse refictum ab Osman Bey, ab ejus nunc possessore Cousineryo accepi.

P. 388. *col.* 1. *in fine.*

Alium ab hoc diversum nuper ex museo Cousineryano protulit abbas Sestinus: (Lettere Tom. V. p. XXIII.)

Caput juvenile galeatum. ӿ ΜΑΣΤΙΕΩ- *Pharetra.* AE. II.

Similem utrinque typum exstare in numis copiosis Ponti et Paphlagoniae urbium, ac propterea si qui numi hoc modo signati sunt, haud dubiae alterutrius esse regionis, dixi altius in Prolegomenis ad numos Ponti. Hoc igitur numo praeclare confirmantur ea, quae hoc loco de hac Paphlagoniae urbe dixi, ejusque verum nomen Μαςια invicte stabilitur.

P. 427. *col.* 1. *post lin.* 19.

ΤΟΝ. ΚΤΙΣ. ΝΕΙΚΑΕΙΣ. ΠΡΩΤΟΙ. ΠΟΝΤ. ΚΑΙ. ΒΙΘ. *Bacchus stans d. cantharum, s. thyrsum.* Domitiani. (Mus. ill. Bar. de Seckendorf.)

P. 441. *col.* 2. *lin.* 10.

Addendus his Prusiae alterutrius numis sequens, quem cl. Sestinus recens ex museo Ainslieano prodidit. (Lettere T. V. p. XXIV.)

Equus dimidius saliens. ӿ *Aper.* AE. III.

Si quis volet numum hunc Prusiae, quem diximus, *Venatori* proprium dicare, habet sententiae suae faventem typum apri.

P. 450. *col.* 2. *in fine.*

CISTHENE.

Autonomum hujus rationis:

Caput Cereris velatum et spicis coronatum. ӿ ΚΙΣ. *Eques nudus citato cursu, infra quem piscis.* AE. III.

ex museo Cousinery vulgavit abbas Sestinus, (Lettere T. V. p. XXIV.) et Cisthenem Mysiae oppidum refert. Verum plura sunt Europae oppida, quae nomem suum ab iisdem his litteris inchoant. Typus aversae magis sane in Ma-

cedoniam invitat, in qua constat fuisse oppidum Cissi nomine.

Res adhuc plane incerta videtur.

P. 477. *col.* 1. *post lin.* 11.

Idem Sestinus serius jam vulgatis plures autonomos alios adjecit.

P. 485. *col.* 2. *lin.* 7. *post Augusti:*

quo modo et alium cum capite Vitellii ab eodem auctore editum perstringemus in Addendis ad Volum. VI. p. 319.

P. 500. *col.* 2. *lin. ult.*

Payne in hoc numo, aut simili suo legit ΝΩΙΚΣΗΡΩ, etsi iconismus, quem tab. I. dedit, non satis in omnibus literis adstipuletur.

Cum haec vox, ait, nihil habeat adfine cum lingua Graeca, hanc inscriptionem existimat esse mysticam, ductamque ex obsoleta quadam dialecto. In alio simili, quem ipse vidit in museo regis Galliarum, legit ΝΟΙΑΤΞΝ, quod vocabulum suspicatur esse genitivum pluralem a ϜΕΤΗΣ, atque iterum mysticum. Proh nugas mysticas! Vide haec in ejus *Analytical Essay* p. 18. Ceterum existimo, posteriorem hunc numum esse eundem, in quo Pellerinius legere sibi visus est ΛΕΣΒΙΟΝ.

P. 505. *col.* 1. *lin.* 24.

Moleste fero, quae hoc loco dixeram, esse irrita, numumque tam praeclare historicum, si talis esset, qualis ferebatur, aliter explicandum. Alium similem, et magis integrum in museo Cousineryano reperit Sestinus. (Lettere T. V. p. LXI.)

ΑΡΧΕΛΑΟϹ. *Caput Agrippinae sen.*, *prae quo* ΘЄΑ. ✠ ΘЄΟΦΑΝΗϹ. *Caput Germanici nudum*, *prae quo* ΘЄΟϹ., *in area* ΜΥΤΙ. ΑΕ. III.

Ergo cum ΘЄΑ partis anticae referatur ad Agrippinam, consequens erit, *το* ΘЄΟϹ partis aversae referendum ad Germanicum, non ad ΘЄΟΦΑΝΗϹ, qui in hoc numo, non minus atque ΑΡΧЄΛΑΟϹ, est magistratus. Ex aliis Mytilenaeorum numis satis constat, hos Germanico et uxori valde fuisse devotos, et utrumque adhuc vivum consecrasse. Interim certum est, in numo Neumanniano manifeste legi ΑΡΧΕΔΑΜ - - non ΑΡΧΕΛΑΟΣ.

P. 519. *col.* 1. *lin.* 19.

deleantur verba: *in numo Trajani* ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ. ΓΡΑ. ΤΟ. Δ. Causam continuo dabimus.

Ibid. post lin. 24.

Propter varias causas describendus numus sequens:

Capita jugata Claudii laur. et Agrippinae. ✠ ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ. Ϯ. Δ. ΕΦΕ. *Cervus stans.* AE. III. (Cousinery, Mus. Caes.)

Numus hic pridem cognitus inique semper fuit promulgatus. Vaillantius in numi similis parte antica agnovit capita Augusti et Liviae, in ✠ legit ΑΡΧ. ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ. Δ. ΕΦΕ. (Num. Graec. p. 3. lin. ult.) Pellerinius in Augusto et Livia consentit quoque, sed in aversa legit ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ. Γ. Δ. ΕΦΕ. (Mel. II. p. 10.) Nimirum certum T cum ο imminente, quod scriptum est pro ΤΟ, putavit esse literam Γ, nempe ἀρχαιϐσαν vocis Γραμματευς. Sestinius capita an-

ticae dixit Trajani et Plotinae, et in aversa legit: ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ. ΓΡΑ. ΤΟ. Δ. ΕΦΕ. (Lettere Tom. IV. p. 113.) At enim verum numi hujus statum probavit Cousineryus ex numo praeclari musei sui, in cujus antica est caput juvenile Neronis, in ·X· ΚΟΥΣΙΝΙΟΣ. ✝. Δ. ΕΦΕ., ergo si caput Neronis, necesse est, capita numi, quem mox descripseram, non esse vel Augusti et Liviae, vel Trajani et Plotinae, sed Claudii et Agrippinae. Aversam autem esse talem, qualem dictavi, probant bini numi nitidissimi, quorum unus est in museo Cousineryi Smyrnae, alter in museo Caesareo, quem huic idem vir ornatissimus liberaliter cessit. Ex quo exemplo iterum apparet, quam parum fidere possimus lineamentis Augustorum in minutis his numis, quando praeterea eorum nomina non adduntur.

P. 533. col. 1. in fine.

NEAPOLIS.

Imperatorium Treboniani, in cujus aversa est: ΝЄΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Fortuna stans*, quia Smyrnae Cousineryo in manus venit, Neapoli Ionicae dedicavit Sestinus, (Lettere T. V. p. XXV.) atque una autonomum, quem Combius Neapoli Cariae permisit, cujusque nos in Neapoli Macedoniae mentionem fecimus, huic Ioniae restituendum censet, quam nos conjecturam, utpote in re valde incerta, in incerto quoque relinquimus.

P. 546.

Quam modo memoravi difficultatem in dignoscendis numis minutis, qui hoc aevo in variis Asiae urbibus signati sunt, confirmabit numulus sequens, quem nuper museum Caesareum beneficio ornatissimi Cousineryi nactum est:

ΖΜΥΡ. *Caput Neronis nudum barbatulum.* ✕ ΕΠΙ. ΦΙΛΙΣΤΟΥ. ΕΙΚΑΔΙΟΣ. *Victoria gradiens s. tropaeum super humero.* AE. III.

Numum similem vulgavit Haymius, et conjecit, partem anticam praeferre caput Lucii Caesaris. (Tom. II. p. 225.) Non tulit judicium istud Liebeus alter numi similis praeco. (Goth. num. p. 334.) Nam cum in numo, quem pagina praecedente dedit, videret capita jugata Caligulae, ejusque matris Agrippinae scripto item in aversa ΕΠΙ. ΦΙΛΙΣΤΟΥ. ΕΙΚΑΔΙΟΣ., jure arguit, numum, qui *Philistum Icadiumque* Smyrnae sub Caligula magistratus contineret, in tempora Augusti non posse retrahi, neque adeo vultum Lucii insculpi numo, qui pridem fato functus esset. Non advertit vir eruditus suam ipsius causam postremo hoc argumento labefactari. Nam si istud valet, quo pacto cum Caligula jugari potuit, ut ipse hoc loco docuit, caput Agrippinae matris, quae mortua jam fuit, quando imperium filius adivit? Atque vel propterea exploratum puto, capita haec Caligulae et Agrippinae non esse, nam vix aliqua, aut certe paucissima exstant exempla jugati capitis vivi cum capite mortui. Decisam litem puta, si statuas, in numo Liebeano proponi capita Claudii et Agrippinae junioris, quam sententiam plane confirmat numus praesens, isque integerrimus cum capite Neronis juvenis certissimo, docetque praeterea, numos omnes, qui Philisti et Icadii meminere, Claudii imperio deberi. Notandum praeterea, Wildium edidisse

autonomum inscriptum: ΣΜΤΡΝΑ. ΝΙΚΑΔΙΟΣ, (Sel. num. tab. 24. n. 143.) pro quo legendum ΕΙΚΑΔΙΟΣ, jam vidit Liebeus.

P. 581. *col.* 2. *post lin.* 12.

EVHIPPE.

Imperatorium Lucillae ex museo Sanclementii Romani edidit cl. abbas Sestinus. (Lettere T. V. p. XXVI.)

ЄΤΙΠΠЄΩΝ. *Salus stans.*

Stephanus: ΕΤΙΠΠΗ, δημος Καριας, ὁ οικητωρ Ευιππευς. Non possum satis mirari consilium Sestini, qui ad stabiliendam suam Cariae Euhippen omisso, quod laudavi, Stephani testimonio unum advocat Plinium, docentem: (L. V. §. 31.) *Intus et Thyatira alluitur Lyco Pelopia aliquando et Euhippa cognominata*, quae quidem omnia non ad Euhippen Cariae, sed una Thyatira Lydiae pertinent, et si careremus indicio Stephani, nesciremus, aliquam stetisse in Caria Euhippen.

P. 581. *col.* 2. *post lin.* 15.

Autonomum nuper Sestinus ex museo Cousineryano vulgavit: (Lettere T. V. p. XXVI.)

Iuppiter cultu Iovis Labrandensis stans. Ӿ ЄΤΡΩ. *Bipennis.* AE. III.

Idem in sequente imperatorio vocatur ΖЄΤC. ЄΤΡΩΜЄΤC.

Adde autonomum alium:

Iuppiter Labrandensis stans, ut in praecedente. Ӿ ЄΤΡΩΜΑΙΩΝ. *Aquila stans.* AE. III.

Vulgavit hunc numum Sestinius, sed, cum in eo legerit ΕΤΜΕΝΕΩΝ, Eumenensibus Phrygiae tribuit. (Lettere T. IV. p. 125.) At Cousineryus in eo ipso numo legendum docet ЄΤΡΩΜΑΙΩΝ, quod et plane verisimile causa Iovis Labrandensis, typi Carici.

P. 586. *col.* 2. *lin.* 17.

Cousineryus, qui hunc Sestini numum nunc possidet, pro ΣΩΝΩΝ legendum docet ΣΩΧΩΝ, tamen neque sic hujus epigraphes explicatio juvatur.

P. 587. *col.* 2. *lin.* 26.

Sed et in hoc Sestinii numo legendum ΠΛΟΤΤΟΛΟΓΗC, non ΠΛΟΤΤΟΛΟΓΟC, nunciavit Cousineryus.

ADDENDA

AD

VOLVMEN TERTIVM.

P. 32. *col.* 1. *post lin.* 2.

ΚΛΑΤΔΕΙΚΟΝΙΕΩΝ. *Perseus nudus stans d. caput Medusae, s. harpam, in numo Hadriani.* (Sestini Lettere T. V. p. XXX.)

P. 86. *col.* 1. *lin.* 11.

Similis utrinque typus est in numis Sciones Macedoniae, quam vide in Addendis ad Vol. II.

P. 109. *col.* 1. *post lin.* 5.

MOSSYNA.

Mossynos conventui Pergameno subjecit Plinius, perinde ac Thyatirenos et Hermocapelitas, certos Lydiae populos. (L. V. §. 33.) Phrygiae Pacatianae Mosynam inseruit Hierocles, (in Synecd. p. 665.) tum et variae Notitiae, quas dabunt Harduinus et Wesselingius in suis ad hos auctores commentariis. Alios Mossynos in Ponto versus Colchidem constituit Plinius *notis signantes corpora.* (L. VI. §. 4.) Ergo cum non una esset hujus nominis urbs, videtur nostra haec Mossyna discriminis causa se in Lydis sitam profiteri.

Autonomi.

Caput Cereris velatum, pone spica. ℞ ΜΟΣΣΥΝΩΝ. ΛΥΔΩΝ. *Spica, omnia intra coronam spiceam.* AE. III.

Numum hunc vulgavit Sestinius, sed legit: ΜΟΣΤΗΝΩΝ. ΛΥΔΩΝ, deceptus nimirum adfinitate nominis, et quia Mostenos revera in numo Hadriani apud Vaillantium dictos Lydos vidit. Verum iterato mihi adfirmavit Cousineryus hujus ipsius numi possessor, absque dubio in hoc suo numo legi ΜΟΣΣΥΝΩΝ, eumque adeo Mossynae nostrae esse restituendum. Vide etiam proximum imperatorium.

AE. forte unicus.

Imperatorii.

Unum Hadriani vulgavit Vaillantius: ΜΟCΤΗΝΩΝ. ΛΥΔΩΝ. *Amazon eques.* At miratur Cousineryus, in nullo

alio numo Mostenos dici Lydos, praeeunte adeo autonomo praecedente jure illi verisimile videtur, in hoc quoque Hadrianeo legendum ΜΟCCΥΝΩΝ. ΛΥΔΩΝ.

AE. RRRR.

P. 109. *col.* 2. *lin.* 3.

sed verisimiliter restituendus Mossynae, de quo continuo egimus.

P. 113. *col.* 1. *lin.* 11.

Quam inique Sestinius notos hos autonomos inter imperatorios Vitellii collocari jusserit, docebimus in Addendis ad Volumen VI. p. 319.

P. 119. *col.* 2. *lin.* 3.

Alium aeneum I. formae cum capitibus Gordiani et Tranquillinae et typo Hermi jacentis a se conspectum Mediolani nunciavit er. Caronius.

P. 120. *col.* 1. *lin.* 20.

Lectionem Μ. ΤΥΛΛΙ. confirmat etiam Sestinus ex pluribus aliis sibi conspectis. (Lettere T. V. p. LVI.)

P. 126. *col.* 2. *lin.* 31.

Verum nunciavit nuper cl. Cousineryus, in cujus nunc museo vulgatus hic a Sestinio numus servatur, in eo perinde atque in aliis hujus urbis numis legi ЄΠΙ. ΓΡΑ., non ЄΠΙ. CΤΡΑ. Nondum ergo constat, Trallianos in moneta sua alio magistratu, quam scriba, usos. Eodem loco Sestinius alium Trallianorum numum edidit cum mira epigraphe ΕΠ. ΑΥΡ. ΜΑΥΡ. ΚΡΙΤΙΟΥ. Ergo, (cogitabam, cum istud legerem) non soli marmorum veterum interpretes nobis obtrusere gentem *Maureliam*, sed jam nunc ex numis quoque Sestinius. Melius in eodem hoc numo legendum docet autopto Cousineryus: ЄΠΙ. ΓΡ. Μ. ΑΥΡ. ΚΡΙΤΙΟΥ. recte secundum alios Trallianorum numos.

P. 139. *col.* 2. *lin.* 15.

Quae de horum numorum typo ad diluvium Noemiticum referendo dixi, confirmantur etiam marmore sepulcrali, quod dedit Maffeius. (Mus. Veron. p. 279.) Fingitur in eo arra undis innatans, stansque intus Noe acceptans oleae ramum, quem ei advolans columba rostro porrigit, pictura tota ad eum plane modum comparata, qui est in ipsis hujus argumenti numis. Ex quo manifeste apparet, hac ratione Noemi cataclysmum exprimi fuisse solitum. Ne vero quis Deucalionis diluvium eo intelligendum existimet, vetat, quod addita inscriptio aperte docet, monumentum istud esse ex sepulcralibus unum.

P. 153. *col.* 1. *lin.* 26.

In catalogo musei d'Enneryani p. 593. legitur: ЄΠΙ. ΓΡΑ. ΚΛ. ΦΛΑΚΚΟΥ. Unde sequitur solitarium Γ. in numis hactenus citatis non explendum Γαιου, ut credideram, sed Γραμματεως, estque adeo Eucarpia earum urbium una, cui magistratus scriba praefuit.

P. 153. *col.* 2. *lin.* 10.

Tollendus hic Sestinii numus, et restituendus Euromo Cariae, ut monui supra in Addendis ad numos Euromi, (volumini II. ad p. 581.)

P. 164. *col.* 2. *lin.* 13.

Haec adoptio, sic ut quis eodem tempore plurium esse urbium filius posset, ut inter Graecos valuit, ita Romae vetita fuit. Diserte istud Cicero: (pro Corn. Balbo c. 11.) *Duarum civitatum civis esse nostro jure civili nemo potest, non esse hujus civitatis civis, qui se alii civitati dicarit potest.* Et infra: (Cap. 12.) *Atqui ceterae civitates omnes non dubitarent nostros recipere in suas civitates, si idem nos juris haberemus, quod ceteri.—— Itaque in Graecis civitatibus videmus, Athenis Rhodios, Lacedaemonios, ceteros undique adscribi, multarumque esse eosdem homines civitatum.*

P. 165. *col.* 1. *lin.* 32.

Alium nuper cum simili typo ejusdem Caracallae edidit cl. Visconti, sed in quo epigraphen legit: Λ. ΑΙΛ. ΤΕ. ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΗC. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. (Mus. Pio-Clem. T. VI. p. 81.) En exemplum alterum gymnasiarchae in numis praeter numum Pergami Mysiae. Minus tamen adridet, quod vir eruditus videatur innuere, alias omnes lectiones; quas alii ex numis similibus promulgaverunt, fallere. Plures sane in magistratu *Pigrete* conspiraverunt, et Pigretem Carem memorat Polyaenus, (L. VII. c. 3.) et Suidas. (*NB.* Ait ibidem Visconti, numos similes ad Laodiceam Syriae *ragionevolmente et unanimemente* referri, cum tamen plerique alteram Phrygiae malint, ac praecipue Pellerinius (Mel. I. p. 70.)

P. 172. *col.* 2. *post lin.* 3.

Adjecit alium abbas Sestinus cum capite Philippi senioris. (Lettere T. V. p. XXIX.)

P. 208. *col.* 1. *post lin.* 17.

TIGRANES II. et soror ERATO.

ΒΑCΙΛΕΥC. ΒΑCΙΛΕΩΝ. ΤΙΓΡΑΝΗC. *Caput regis juvenile tiara Armeniaca tectum.* ✗ ΕΡΑΤΩ. ΒΑCΙΛΕΩC. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ΑΔΕΛΦΗ. *Caput Eratus.* AE. II.

ΒΑCΙΛΕΥC. ΜΕΓΑC. ΝΕΟC. ΤΙΓΡΑΝΗC. *Caput regis simile* ✗ --- ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ΑΔΕΛΦΗ. *Caput muliebre simile.* AE. II. (Pinkerton Ess. on med. Vol. I. p. 300. ex museo Hunter.)

Priorem numum, nactus est Romae insignis vir doctrinae Henricus Sanclementius, subinde Vaticano numorum museo liberaliter cessit. Eum postea cl. abbas Sestinius addita icone vulgavit. (Lettere T. V. p. V. et XVIII.) Noster hic Tigranes quotus sit inter Armeniae reges numerandus, non satis tuto potest definiri. Ex regibus hujus nominis omnium maxime illustris fuit is, qui se primus Magnum, regemque regum dici voluit, Syriam rapuit, victus deinde a Lucullo a Pompejo M. debellatus fuit. Fueritne ante hunc aliquis alter Tigranis nomine, non satis liquet, Vaillantius in suo regum Armeniae catalogo, quem principio indicavi, magnum hunc Tigranem vocat II. natum Tigrane I., et ejus testem laudat Strabonem, verum quae hic ibi de Tigrane narrat, non ad praetensum hujus patrem Tigranem sed Tigranem M. pertinent, quem vage ait fuisse Αρταξιν απογονον, id est: traxisse

genus ab Artaxia, qui defecit ab Antiocho M., regnumque Armeniae fundavit. (L. XI. p. m. 804.) Unus forte Appianus Tigranem M. vocat Tigranis filium, (in Syriac. c. 48.) sed fuere, qui hunc propter famam nimium incertam negligendum putarent, quos inter fuit Reinerus Reineccius, quem secutus sum ego. Fuit etiam Tigranes Magni filius, primum in patrem pius, deinde impius. Vide Reineccium. Utrum vere in Armenia regnaverit, non satis compertum. Eum sane inter Armeniae, saltem majoris, reges non recepere neque Vaillantius, neque Brotierus. (ad Tacit. Tom. I. p. 365.)

Serius inter Armeniae reges memoratur alius Tigranes, quem omissis aliis minus certis lubet Tigranem II. appellare, et ad quem numus praesens haud dubie pertinet. Tigrani I. Magno succedit filius Artavasdes, quem Antonius IIIvir fraude circumventum cepit, et Alexandriam deduxit, postea interfecit, ut narrat Tacitus, (Ann. L. II. c. 3.) sed Dio post cladem Actiacam a Cleopatra caesum refert. (L. LI. §. 5.) Ejus numum supra dedi. Patris regnum adit filius Artaxias, quo per dolum propinquorum occiso, ut eodem loco perhibet Tacitus, Augustus V. C. 734 in Syria degens Armeniis Tigranem praefecit, et per Tiberium Neronem in regnum deducendum curavit. Idem refert Dio, (L. LIV. §. 9.) sed in nonnullis variat. Caesi Artaxiae, et Tigranis ab Augusto constituti regis meminit etiam monumentum Ancyranum, (Chishall. Ant. Asia p. 175.) Quare mirum, regem hunc a Tiberio Armeniae impositum a Veleio contra omnium fidem non Tigranem, sed Artavasdem vocari. (L. II. c. 94.) Hunc Tigranem Dio fratrem Artabazis appellat, melius secundum dicta Artaxiae.

Iam quae ad explicandum hunc numum propius pertinent, petenda ex Tacito jam a Sestino praeclare indicata. Is postquam narasset, Tigranem ab Augusto Armeniae fuisse impositum, subjicit: (Ann. II. 4.) *Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, neque liberis ejus, quamquam sociatis more externo in matrimonium regnumque. Deinde jussu Augusti impositus Artavasdes, et non sine clade nostra dejectus. Tum C. Caesar componendae Armeniae deligitur. Is Ariobarzanen origine Medum ob insignem corporis formam, et praeclarum animum volentibus Armeniis praefecit. Ariobarzane morte fortuito absumpto stirpem ejus haud toleravere, tentatoque feminae imperio, cui nomem ERATO, eaque brevi pulsa, incerti, solutique, et magis sine domino, quam in libertate, profugum Vononem* (*Parthiae regem*) *in regnum accipiunt.*

Praeclarus hic numus una cum Taciti verbis collatus non pauca nos edocet. Dicitur Erato regis Tigranis soror, et verisimile plane, fuisse et conjugem cum adserat Tacitus, in Tigranis gente more externo cum sororibus sociata fuisse matrimonium regnumque. Ergo Tigranes suam et sororem et conjugem in moneta sociando idem fecit, quod multo ante reges Aegypti, et serius Commagenes. Narrat Tacitus, Armenios Ariobarzanis mortui stirpem, haud dubie, quia peregrina fecit, non tolerasse. Verisimile ergo, eos respexisse Erato, mulierem quidem, tamen gentis suae, et Tigranis fratris uxorem. Ex hoc iterum numo

discimus, etiam reges Tigranis M. successores, quamquam imminuta multum potentia, sese *reges regum* appellari voluisse.

Reginae Eratus nomine meminit etiam Dio in illustri fragmento, quod in bibliotheca Veneta reperit μȣσικωτατος Iac. Morellius, ediditque Bassani anno 1798. Is, dum res a Caio Caes. Augusti F. annis U. C. 754 et 755 in Oriente gestas persequitur, narrat etiam: ὁι Τε μην Αρμενιοι, και περ τȣτε Τιγρανȣ ἐκ πολεμȣ τινος βαρβαρικȣ φθαρεντος, και της Ερατȣς την ἀρχην ἀφεισης, ὁμως ἐπειδη Αριοβαρζανει τινι Μηδῳ, ὁς ποτε μετα τȣ Τειριδατȣ προς τȣς Ρομαιȣς ἀφικτο, παρεδιδοντο, ἐπολεμησαν σφισι τῳ ἑτερῳ ἑτει, ἐν ᾧ Πȣπλιος τε Ουϊνικιος και Πȣπλιος Ουαρος ὑπατευσαν. *At vero Armenii, etsi Tigranes in bello quopiam cum barbaris gesto interiisset, et Erato regno cessisset, tamen, posteaquam Ariobarzani cuidam Medo, qui olim cum Tiridate Romam pervenit, traditi sunt, bellum illis intulerunt anno sequente, quo consules processerunt P. Vinicius, et P. Varus.* En tibi et Tigranem et Erato perinde atque in numo praesente conjunctos.

Verum collatis Taciti et Dionis verbis necesse est, binas fuisse Armeniae reginas nomine Eratus, unam, quae Ariobarzanem praecessit, aliam quae hunc secuta est, nisi alteram hanc cessisse primum, postea revocatam velimus statuere, sed quam ego difficultatem, praecipue in his rerum incertis intactam relinquo, contentus indicasse, numi nostri Erato esse eam ipsam, quae illo teste fuit Tigranis soror, et ex mente Dionis una cum Tigrane aut regnavit, aut illi proxime successit.

Ceterum mirum mulierem Armeniam sibi Graecum Eratus nomen imposuisse, non amantibus vel in ipso nomine peregrinitatem Armeniis, quod non multo post patuit, cum Zenonem Polemonis Pontici filium, quem ipsi sibi regem expetierant, *Artaxiam* appellavere. (Tacit. Ann. II. 56.)

Nemo non videt, numum alterum Hunterianum ad eundem Tigranem pertinere. Unum discrimen faciunt tituli partis anticae, sed arbitrarii sane, nimirum ΒΑϹΙΛΕΥϹ. ΜΕΓΑϹ pro ΒΑϹΙΛΕΥϹ. ΒΑϹΙΛΕΩΝ. Additur ΝΕΟϹ, seu *novum* istud vertere velis, seu *juniorem* nempe respectu Tigranis I.

P. 221. col. 1. lin. 33.

Sestinius numum hujus Antiochi III. cum anno AP. citat (Lettere T. IV. p. 7.) quo anterior alius adhuc conspectus non est.

P. 234. col. 1. lin. 24. post AE. III. adde:

Similem, sed Æ. I. sistit Pembrock. P. II. tab. 62.

P. 234. col. 2. in fine adde:

Caput regis diadematum. X ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΡΥΦΩΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. *Aquila fulmini insistens, in area* L. Δ. *et monogramma.* Æ. I. (Sanclementius de vulgari aera. p. 269.)

Cimelium istud nunc primo promulgatum etiam propterea illustre, quod annos regni sistit, quae peristasis in numis regum Syriae observata nondum fuit.

P. 258. col. 2. lin. 10.

Non praetereundum hoc loco epigramma illustre inscriptum monumento

lapidibus sectis constructo, et figuris anaglyphis exornato, quod hodieque exstat Athenis:

C. IVLIVS. C. F.	ΒΑΣΙΛΕΥΣ
FAB. ANTIO	ΑΝΤΙΟΧ
CHVS. PHILO	
PAPPVS. COS.	ΟΣ ΦΙΛΟ
FRATER. AR	ΠΑΠΠΟΣ
VALIS. SVLLE	
CTVS. INTER	ΒΑΣΙΛΕ
PRAETORI	ΩΣ ΕΠΙ
OS. AB. IMP.	
CAESARE	ΦΑΝΟΥΣ
NERVA	ΤΟΥ ΑΝ
TRAIANO	
OPTVMO	
AVGVSTO	ΤΙΟΧΟΥ
DACICO.	

Praeclari hujus monumenti Athenis sibi conspecti meminere indefessi antiquitatum venatores Sponius, (Voyage T. II. p. 204.) et Whelerus, (Voyage T. II. p. 449.) sed negligendum duxi, non quod his auctoribus de ejus fide dubitarem, sed de sincera lectione, quam in utriusque operibus nimium saepe fallacem, sive inscriptiones, sive numos vulgarent, comperi. At modo gratissimam nobis rem fecit ill. Marinius, dum insigne hoc epigramma ex codice saeculi XV. bibliothecae Barberinae sincerum vulgaret addita insuper ejus monumenti imagine. (Frat. arv. Tab. LVI.) Docet haec inscriptio, Epiphanem Antiochi IV. Commageni filium Romae, quod jam constabat, sedem fixisse, factumque patrem filii Antiochi, qui sese ob adfectum in avum Antiochum IV. Philopapum, *avi amantem*, et jure avito *regem*, sed ad vitandam invidiam tantum in inscriptione Graeca, vocari voluit, neque est aspernatus, sublata regni sui recuperandi spe, fungi muneribus, quae tum Roma in viros illustrioris seu meriti, seu fortunae conferre consuevit. Reliqua eximia, quae epigramma istud multiplicis eruditionis locuples continet, vide praeclare explicata ab ipso Marinio.

P. 264. *col.* 2. *l.* 30. *post:* (*Arigoni*)

vel ЄΠΙ - - - ΟϹЄΙΡΟϹΙ. (Sestini T. V. p. 62.)

P. 281. *col.* 1. *l.* 18. *post:* (*Mus. Caes.*)

$\mathrm{I}\overset{\mathrm{H}}{\ }\mathrm{P}$ (Mus. Caes.)

P. 281. *col.* 2. *post: quae sua fuit.*

Huic, quem proposui, numorum Neronis calculo adversatur cl. Sanclementius. (de vulg. aera p. 183.) Is, ut probaret, Antiochenis anni initium fuisse finem Octobris, aut saltem post diem XIII. Octobris, advocat tetradrachma Neronis, quae annos epochae Caesarianae cum annis hujus Augusti conjungunt, scilicet: AIP. Θ., AIP. I., BIP. I., quorum primum cognitum jam est ex museo Caesareo, alterum ex museo d'Ennery, et cujus ipse quoque exemplar possidet, tertium item ex museo Caesareo. Cum idem Neronis annus I., seu decimus, legatur juxta binos annos diversos aerae, nempe AIP. et BIP., necesse est, eum convenire parti anni Antiocheni AIP., et parti anni BIP., Annus primus Neronis coepit die XIII. Octobris V. C. 807, ergo annus decimus eodem die anni U. C. 816 inivit. Annus aerae AIP. coepit in autumno U. C. 815. Quod si coepisset ante diem XIII. Octobris, non potuisset cum hoc conjungi annus Neronis deci-

mus, qui nonnisi die XIII. Octobris anni 816 currere coepit. Erit ergo secundum Sanclementium annorum combinatorum ordo sequens.

V. C. 815 die XIII. Octob. coepit Neronis annus IX., seu Θ. Currebat tum adhuc annus aerae IP.

Sub finem ejusdem mensis coepit annus aerae AIP. Cum hoc ergo currebat annus Neronis Θ, atque idem exivit die XIII. Octobris U. C. 816, currente deinceps anno I. sociato cum anno aerae AIP. usque ad ejusdem Octobris finem, quo deinde initium habuit annus aerae BIP, cum quo adeo ἀναλογως jungitur annus Neronis I.

Quo olim tempore in numos Antiochenos commentabar, eosque commentarios anno 1786 in lucem dedi, eam difficultatem non attigi, neque attingere potui, quippe nondum tum mihi cognito numo AIP. I., quem deinde in catalogo d'Enneryano reperi. Eum subinde in hoc opere loco suo inserui quidem, sed quod fieri debuerat, utriusque anni naturam investigare neglexi, quod nunc a Sanclementio praestitum, et ita quidem, ut satis pateat, ex horum numorum praecepto aerae Antiochenae initium longius esse differendum, meamque et aliorum sententiam adfligi, qui ejus initium in Septembrem retraxerunt. Sed fuisse mihi istud statuendi causam, et quidem ex his ipsis etiam Neronis numis Antiochenis, modo comprobare instituam, ex quo examine patebit etiam, si qui numi suffragantur Sanclementio, refragari alios. Exstant duo tetradrachma Neronis, quorum singula exhibent annum aerae HP., at in horum uno est annus Neronis E, (Noris epoch. Syrom. p. 489.) in altero annus ς. (Pellerin, Morelli.) Miror, utrumque hunc numum, aut saltem eorum priorem fugisse industriam Sanclementii. Praeclari ejus viri more calculis rem agamus. Coepit annus aerae HP. in autumno U. C. 812, et quidem ex mente Sanclementii in fine Octobris. Annus Neronis E coepit die XIII. Octob. U. C. 811 exiturus eodem die U. C. 812. Quo igitur pacto annus E sociari potest cum anno aerae HP., qui non nisi a fine Octobris U. C. 812. fluxit? Iam igitur supponamus, aeram coepisse mense Septembri, aut certe ante diem XIII. Octobris. Qualicunque ergo ejus temporis die U. C. 812. coepit annus HP., et cum hoc currebat adhuc annus Neronis E coeptus die XIII. Octob. U. C. 811. exiturus proximo die XIII. Octob. 812, quo incepit annus Neronis ς. Quapropter ut Sanclementius ex numis suis probavit, initium aerae Antiochenae esse differendum, ita ego ex meis, esse anticipandum.

P. 300. *col.* 2. *lin.* 15.

quin et Commodi et Severi. (Lettere T. IV. p. 38.)

P. 314. *col.* 1. *lin.* 28.

Necesse est, verum numi hujus statum planius describere, qui iterum a me adcurate inspectus talis est:

. . . . . . ΝЄΡ. ΚΑΙC. ΤΡΑ. - - - *Caput laur.* ✕ ΓΑΒΑΛЄΩΝ. ΓΜΡ. *Mulier tutulata sedens d. spicas, s. hastam, prae ejus pedibus* ΙΙΙΡ.

Ejus similes duos alios his verbis describit Abbas Sestinus, (Lettere T. V. p. LXVII.)

ΝЄΡ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙΑΝ. CЄΒ. ΓЄΡΜ. *Caput laur.* ✕ ΓΑΒΑΛЄΩΝ.

ΓMP. *Mulier tutulata sedens d. spicas, s. hastam, in area quasi ad pedes* HKP.

Ex omnibus apparet, numum priorem cum sequentibus Sestinianis eundem esse, et evanidas prioris literas ex his supplendas. Sin istud, indicium hoc aeram Gabalensium non parum turbat. Dixi post Norisium, Vaillantium, Froelichium, Belleyum, eam coepisse in autumno U. C. 707. Huic si addatur annus Gabalensium ΓMP, seu 143, is coepit in autumno U. C. 849 exiturus in autumno U. C. 850. At quoniam Trajanus nonnisi circa autumnum U. C. 850 a Nerva adoptatus, et Caesar dictus fuit, sanxit Froelichius, (IV. Tent. p. 176.) ac post eum Belleyus, (B. L. T. XXI. p. 442. Mem.) Trajanum adoptatum fuisse circa autumnum anni 850, et antequam Gabalensium annus ΓMP exiret, atque id tanto magis videri verisimile, quia Froelichius in numo suo Trajanum tantum dictum Caesarem vidit, nondum vero Augustum, qui posterior titulus ei nonnisi exeunte Ianuario anni sequentis 851 per Nervae mortem accessit. Haec omnia ultro collabuntur, si verum est, quod adfirmat Sestinius, in numis suis Trajano Augusti titulum addi. Nimirum si aera duceretur ab anno U. C. 707, annus ΓMP. exiret in autumno 850, quo tempore Trajanus nondum Augustus fuit. Ergo praecipiente hoc numo pro initio aerae statuendus esset autumnus U. C. 708, in qua sententia jam fuit Harduinus. (Opp. sel. sub *Gabala.*) At quid tum statuendum erit de numo Aquiliae cum anno CΞH. 268? qui, si ab anno 708 ducatur, incipiet in autumno U. C. 975, verum Elagabalus jam mense Martio ejusdem anni mortem oppetiit. Unde fit, ut numus Trajani pro aerae exordio exigat annum U. C. 708, numus Aquiliae annum 707.

Ad eandem causam magnopere pertinet inquirere in literas HKP, numis Sestinianis insuper additas. Hae literae in meo, hac parte illaeso, sic exaratae sunt: IIIP. Sin forte linea horizontalis priores duas perpendiculares conjungens evanuit, dare illae possent annum HIP. Istud certum, in numo meo lineam tertiam K non esse, sed I indubitatum. Verum esto annus HKP. Sin istud, is multo magis probabit, aerae Gabalensis initium ducendum esse ab anno U. C. 708. Iam primum dubitari nequit, annum HKP, 128 pendere ab aera, quam alii Augustanam, ego libentius vitandi ambigui causa, Actiacam appellare soleo, quae coepit in autumno U. C. 723. Ad hunc additus annus numi 128 invicte comprobabit, numum signatum fuisse ab autumno U. C. 850 usque ad sequentem autumnum 851. Ergo, ut idem annus U. C. 850 pro initio aerae Gabalensis obtineatur, necesse pariter erit, ejus initium capere ab anno U. C. 708. Quo pacto Sestinius, qui post Vaillantium initium aerae statuit annum 707, adserere potuerit, annum utrumque, ΓMP et HKP. concurrere ad annum U. C. 850, ignoro. Ex quo sequitur, si modo vere in numis, quos laudavi, inscriptum reperitur HKP, dubium non esse, Gabalenorum aeram ducendam esse ab anno U. C. 708, ac praeterea illustre aliud nos habere exemplum duplicis epochae uni eidemque numo inscriptae, quod hactenus tantum in numis Antiochiae, Ascalonis, et Gazae est observatum, ut diximus alibi. (Vol. IV. p. 403.)

Ad Aquiliae numum quod attinet, ad eum ego explicandum facilem exitum

non reperio. Esset quidem, si statuere quis vellet, ac posset, Gabalensibus anni initium veri fuisse adfixum. Ceterum molestam annorum hujus urbis confusionem jam in ejus numis perstrinximus.

NB. Operae pretium esset scribere Romam, et sciscitari, utrum hi Gabalorum numi revera tales sint, quales illos profitetur Sestinius. Illo teste eorum unum exemplar est in museo Sanclementii.

P. 326. *col.* 1. *lin.* 7.

Hunc numum ex hujus Seleuciae moneta eximit Sestinius, et restituit Seleuciae Syriae, nam in suo magis integro et qui Macrini item est, legit additum: ΠΡΟC. ΤΩ. ΚΑΛΥΚ. (Lettere T. V. p. LXIII.)

P. 336. *col.* 2. *post lineam* 21.

HIERAPOLIS.

Exhibet Patinus numum Antonini Pii, (Num. impp. p. 182.) in cujus aversa: ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. ЄΝ. ΤΩ. ΛΙΒΑΝΩ. *Figura militaris stans d. vexillum.* Auctori hic numus *Hierapolim designat, quae ad Libanum sita est, in Phoenicia Cyrrhesticae regionis.* Ergo is sua unius auctoritate Libanum usque ad Hieropolin Cyrrhesticae in septemtriones promovet, quin et Cyrrhesticam Phoenices partem efficit. Ad haec Hieropolis Cyrrhesticae nunquam se in numis scripsit Ιεϱαπολις, semper Ιεϱοπολις. Non lubet quaerendae ad Libanum Hierapoli, quae nulla a geographis huic monti imponitur, multum inhaerere, cum suspicio sit epigraphen male lectam, numumque esse Caesareae Libani, cujus alium cum typo simili, et capite item Antonini Pii edidit Belleyus. (B. L. T. XXXII. p. 685.)

P. 402. *col.* 2. *lin.* 24.

Insere hic epistolam V. Torremuzzae ad Khellium datam, in qua is eodem plane modo ridet eos, qui numos Siculophoenicios explicare conati sunt.

— — — — — —

— — — — — —

Piacemi infinitamente la notizia della medaglia di Neto acquistata da Mons[r] *Pellerin; è ella invero rarissima, e la prima, che si scuopra di tale città, poichè quella portata dal Paruta, convengo benissimo, che ad essa non appartenga. Se ella mi facesse grazia di mandarmene un disegno, mi riuscirebbe di sommo piacere.*

Per ciò poi che riguarda alle Medaglie con testa d' Ercole da una parte e dall' altra testa di Cavallo, Palma ed Iscrizione Punica, pelle quali V. S. Ill[a] *desidera sapere, in qual luogo si rinvenga di esse maggior quantità per tirare da tal notizia il giudizio, a quale antica città possano appartenere, devo dirle, che tal verifica di luogo non fà al caso perche medaglie* [illegible] *che se ne trovano ordinariamente da per tutta la Sicilia, ne puo dirsi, che in un luogo se ne rinvengano più che in un' altro. Sul proposito però di queste Medaglie debbo dire uno sperimento pratico da me fatto, che i Caratteri di quante io ne abbia vedute originali, li trovo sempre diversissimi uni dagli altri, e resto assai meravigliato, come con tanta franchezza da taluni se ne diano le interpretazioni.*

Io posso dire aver avuto sotto gli occhi quanto finora si ha scritto sulla lingua, e Caratteri Fenicj, e Punici, vi feci un tempo una lunga fatica sull' occasione di molte Iscrizioni Puniche, la maggior parte inedite, che dovrò publicare nella mia opera, ho lungamente fatta riflessione a quanto ne scrissero ultimamente Monsr Swenton e l' Abbé Barthelemy nelle memorie dell' Academia di Parigi, e a quanto ne avean prima detto il Rhenferd, il Maffei, il Gori, Monsr de Gujot, Monsr de Majo, l' Abbé Agius, gli Autori francesi della Diplomatica, lo Spagnolo Sig^r Florez, e tant' altri, e conchiudo nel sentimento, che tutte sono belle idee, e che si sa in oggi della lingua Punica, quanto se ne sapeva due Secoli addietro. Questo sistema d' incertezza sarebbe stato l' oggetto di una dissertazione, che io volevo premettere alla mia opera delle Iscrizioni della Sicilia col titolo »de Phaenicia Siculorum literatura,« mi astengo però di farla; prima per non conoscere in me tanta perizia di lingue Orientali, e poi per non tirarmi addosso la indignazione di tanti grand' uomini, e mi son contentato di accennarne soltanto qualche picciola cosa, dove riporto le Iscrizioni Puniche. Tutta la base dove questi Letterati si appoggiano, si è quella di credere i Caratteri Fenicj molto analogi agli Ebrajci, nel non far distinzione da Caratteri Fenicj a Caratteri Punici, e nel credere che dalle radici ebrajche possa tirarsi il significato delle parole Puniche. Io a questo sistema trovo che ripugni così la storia, come il fatto; credo che la Fenicia fosse stata assai diversa dalla lingua Ebrea, e che i Caratteri di questa, niente abbiano di comune con Caratteri di quella. Di più io vedo, che tutte le lingue col corso del tempo han cambiato forma di Caratteri, ed anche di locuzione; i Caratteri Ebrajci dopo di Esdra, non furono gli stessi, co' quali prima si scrivea; lo stesso successe nella lingua Greca, ed anche nella Latina; dovrà dunque credersi, che la sola Fenicia abbia avuta la sorte dell' immutabilità? vedo di più, che li stessi Monumenti Fenicij e Punici non convengono tra di se nella forma de Caratteri poichè le lettere, che vedonsi nelle medaglie de' Rè di Siria, non sono le stesse, che nelle medaglie Puniche; queste poi non convengono colle Iscrizioni trovate in Cipro, in Malta, e nella Sicilia, e molto meno i Caratteri delle medaglie di Spagna si accordano con quelli di Cipro, di Cartagine, di Siria e della Sicilia. Ne questo è tutto, anzi Iscrizioni trovate in uno stesso luogo portano Caratteri tra di se diversissimi, come lo sono quelle di Malta e di Sicilia; le medaglie Puniche di Cartagine e le altre di Cossura, quelle di Solunto e di Dionisio, che sono vere Siciliane, e tant' altre, delle quali ho voluto fare esatto confronto. Or, se non si conviene nella forma de' Caratteri, se nulla si sà del valore delle parole, e della forma della Sintassi della lingua Punica, come poi si vuole fare un sistema generale, e rifondere il tutto alla lingua Ebrajca e passarsi così spiritosamente a far versioni di qualunque Punico monumento, che venga alle mani? Se io volessi dir tutto, anderebbe troppo a lungo questa lettera, ed in vece di una lettera farei

una dissertazione; onde soltanto mi contento di proporre brevemente a V. S. Ill.ª il mio sistema di dubiezza ne seguenti Capi.

1) *Tengo per fermo, che la lingua Fenicia era diversissima dalla Ebrea, come diversissimi erano di origine gli Ebrej, da quei Popoli, ch' essi scacciarono dalla terra promessa conosciuti nelle sacre Carte coi nomi di Cananej, Filistej etc. ed in Europa distinti col nome di Fenicj.*

2) *Crederei che anche questa fu soggetta alle variazioni delle altre lingue, talchè non in tutti i tempi, e non in tutte le Regioni ebbe la stessa forma di Caratteri in quanto allo scrivere, e di voci in quanto al parlare.*

3) *Entro in dubbio che anche la lingua Fenicia abbia avuto i suoi diversi dialetti come la Ebrea, la Greca, la Italiana, e tant' altre, talchè non parlavasi la stessa lingua dai Sirij in Asia, dai Cartaginesi in Africa, e dalle diverse colonie Fenicie stabilitesi in Europa.*

4) *Che ne anche in quanto allo scrivere usavansi da per tutto gli stessi Caratteri, e da ciò viene la diversa forma di essi, che vedesi in tanti Monumenti, e tante medaglie.*

Posto adunque tutto ciò, io ne tiro la conseguenza, che il tutto resta nello stesso stato d' incertezza come prima lo era, e le stesse fatiche fatte dai Moderni interpreti di questa lingua favoriscono la mia opinione, poichè si vede, che ognuno fa interpretazioni in suo modo, e ripugnanti a quelle degli altri, come ha successo colle iscrizioni Bilingue di Malta, delle quali finora in quanto alla scrittura Punica, che è in esse, ho vedute ben quattro Versioni tutte fra se diverse e ripugnanti, quali sono quella di Mons.ʳ Gujot, l' altra dell' Abb.ᵉ Fourmont, la terza degli Autori Francesi della Diplomatica, e la quarta in fine dell' Abb.ᵉ Barthelemy.

Senza fine poi la ringrazio dell' avvertenza di quell' errore, che trovò nel foglio della mia opera, che le mandai, ove in vece di ΠΡοΑΓοΡοΥΝΤΟΣ, *corse* ΠΡοΑΓοΥΡΥΝΤΟΣ, *ne farò avvertenza nell' errata corrige. Chi ha stampato compatisce, si usi quanto si vuole diligenza nelle Correzioni, sempre qualche cosa sfugge dagli occhi.*

Sento con dispiacenza la morte del Sig.ʳ Ilgnero, come intesi già quella disgraziatissima del Sig.ʳ Winkelmann; l' anno 1768 è stato fatale agli Antiquarj, in Napoli morì il Duca di Noja, Cavaliere quanto nobile, altrettanto dotto e Padrone di una richissima Raccolta di Medaglie della Magna Grecia, quale fu ammirata con stupore da S. A. R. il Gran Duca di Toscana.

Qui non abbiamo ancora avuto i Volumi Acta Eruditorum Lips. etc. dopo dell' anno 1760. Avrei premura di sapere, se in alcuno di essi si dia estratto delle mie opere Storia di Alesa, ed Iscrizioni di Palermo; priego V. S. Ill.ª a farne diligenza, ed avvisarmelo con qualche distinzione. Nel volume dell' anno 1754 si diè ragguaglio della mia prima opera, che fu la dissertazione sulla Statua di Alesa, ma quei Letterati di Lipsia pigliarono un forte abbaglio nel punto delle Medaglie di Alesa, come potrà V. S. Ill.ª agevolmente vederlo; mi fece però giustizia il Sig.ʳ Burmanno

nelle addizioni ai Commentarj alle Siciliane Medaglie stampate in fine dell' opera »Sicula« di Dorville.

Palermo 13 *Agosto* 1768.

Divot. ed Obb. Servitore,
Gabriele Lancilotto Castello,
Principe di Torremuzza.

P. 452. *col.* 1.

Vidi serius, in eadem mecum sententia fuisse Wesselingium, sed qui vitium non barbarae Graecitati, sed inconsulto descriptori tribuit, cum haud dubie in marmore scriptum sit: ΕΞ. ΕΝΚΕΛΕΥΣΕΩΣ. (ad Hieroclis Synecdem. p. 719.)

P. 498. *col.* 2.

Numis Tiberii, et Iuliae inserendus sequens:

ΤΙΒ. ΚΑΙ. Α. *intra coronam.* ΙΟΥΛΙΑ. L. Δ. *Ramus palmae.* AE. III.

Numum hunc vulgavit cl. Sanclementius. (de aera vulg. p. 330.) In litera A partis anticae annum epochae videt. Malim ea indicari vocabulum: Αυτοκρατωρ.

P. 510. *col.* 2. *post lin.* 35.

Quae hoc loco praecipientibus artis nostrae causis tantum divinaveram, verissima tandem sunt comperta. Numus hic una cum aliis musei Osman Bey servatur nunc Smyrnae in museo cl. Cousinerii, quo auctore comperi, esse eum ex eorum numero, qui frequentes ex aere II. formae cum capite Trajani et Hadriani Laodiceae Syriae signati sunt, ac denique maligna scalpri arte Gordianum et Edessam recepisse. En in quod monstrum numus hic, quem Sestinius *praestantissimum* adserere non dubitavit, denique desinat.

P. 514. *col.* 2. *lin.* 30.

Addo marmor huc pertinens, quod reperi in Opusculis Calogeranis Tom. XIX. p. 15, 9, translatum in museum Capitolinum:

D. M.	ORRHENORV
ABGAR	HODDA
PRAHATES	CONIVGI. BENE
FILIVS. REX	MERENTI. FEC.
PRINCIPIS	

P. 556. *col.* 1. *lin.* 10.

Post molestam longi temporis moram accepi denique laudatum continuo *Silvestri de Sacy* opus. Offert illud inde a pagina 166 dissertationem de numis regum Persiae ex gente Sasanidarum, quorum primus, dictus a suis *Ardeschir*, a scriptoribus Graecis *Artaxarus*, vel *Artaxerxes*, imperante Alexandro Severo, armis, et caede Artabani Parthiae regis, et postremi ex gente Arsacidarum, illustre illud Parthorum regnum sibi Persisque suis restituit. Quae quidem nova stirps non minus, quam deturbata proxime Arsacidarum, Romano nomini gravis infestaque exstitit, perpetuis Romanos inter Persasque bellorum feralium causis.

Duravit haec Sasanidarum dynastia usque ad annum P. X. 651, quo irruentes Arabes captum Turcorum proditione Iezdegerdem morte adfecerunt, omnique Persia potiti sunt. (Gibbon Hist. of the decline etc. chap. 51.)

Hoc in suo opere cl. Sacyus nihil aliud sibi proposuit, quam ut inscriptio-

nes his Sasanidarum numis insertas explicaret; reliquas eorum causas modosque fere neglexit. Ad eas evolvendas usus est inscriptionibus illis, quae exstant in *Nakschi-Roustam*, loco parum distante a *Tchehel-minar*, ubi hodieque inter amplas ruinas columnae XL. cum admiratione conspiciuntur, quae, ut vulgo creditur, fuere pars veteris Persepolis, regum Persarum sedis, quarum nobis descriptionem dedere tot viri celeberrimi ἀυτοπται, quos idem pag. 1. collectos sistit.

Hoc igitur ille nixus fundamento inscriptiones his numis insertas interpretari aggreditur, et sic harum unam, quae exstat in numo, quem esse Saporis cujuspiam adfirmat, his verbis Gallice reddit: *L'adorateur d'Ormusd, l'excellent Sapor, roi des rois de l'Iran, germe céleste (ou ce qui est la même chose) de la race céleste des dieux:* et hoc pacto aliorum hujus classis numorum epigraphen explicare, et judicium suum operose rationibus stabilire pergit.

Equidem video, cl. auctorem ad ea, quae scripserat, cum ratione apteque confirmanda, non modo praeclaram linguarum orientalium cognitionem, sed laborem quoque indefessum, patientiamque attulisse. Verum non ego is sum, qui ejus dictata vel impugnare ausim, vel adprobare, quam suscipere provinciam non potest, nisi qui pertinace multorum annorum studio ad cognoscenda linguae Persicae ejusque characterum mysteria incubuit, qua in disciplina me plane esse rudem ac hospitem, lubenter profiteor. Iuvari viri eruditi conatus multum potuissent, si adhibere ad judicium potuisset numos hujus classis triginta duos, quos museum Caesareum continet.

Quod ad typos attinet, vix habeo quod addam ad ea, quae hoc loco jam generatim praecepi, etsi, qui tractare hanc partem curatius vellet, laxum haberet ad conjecturas campum propter infinitam varietatem in cultu capitum, et adjectorum utrinque signorum, sed quae omnia solo aspectu possunt percipi, verbis explicari non possunt. Horum vix aliquid delibavit Sacyus. De binis viris arae adstantibus, haud dubie custodiendi sacri ignis causa, ait, (pag. 199.) eos propterea facie ab igne aversa plerumque proponi, ne is halitu profanetur. Tamen de capite humano igni imposito, et cur tum uterque custos facie sit ad ignem conversa, nullam fecit mentionem. Apparet, numos cum hoc typo esse valde raros, nam eorum nullum in aeneis suis tabulis protulit. Eorum binos dedit Pellerinius, fassus tamen, singularis hujus typi se causam ignorare. (Supplem. III. p. 37.) Cum hoc argumento decem omnino sunt in museo Caesareo.

Est in eodem numus perelegans, in cujus adversa est protome adversa, facie senili et barbata, in aversa protome adversa, facie juvenili et imberbi, sed ex capite, aut pone caput flammae in altum emicant. Non dubito, utroque hoc capite proponi patrem et filium, cumque in nullo adhuc Sasanidarum numo in parte aversa observaverim alium typum, quam arae ignitae, credo, adstitutum pone ignem, ne sacra haec religionis Persicae imago ex numo plane exturbata videatur.

Nonnisi unicus hujus generis numus ex auro usque modo est cognitus, atque is ex museo Pellerinii. (l. c. Tab. II. n. 1.)

Mirum istud videtur cl. Sacyo, (p. 194.) cum Procopius diserte testetur, (Bell. Goth. L. III. cap. 33.) non fuisse permissum Persarum regibus signare aurum. Verum de jure hoc, si modo verum istud, negato jam alibi egi. (Vol. I. Proleg. p. LXXXVI.) Froelichius inter numos musei Caesarei memorat unum, qui constat flavo metallo etiam peritis incognito. (Reg. vet. num. p. 66.) Verum instituto a me examine argenteus compertus est, sed inauratus.

ADDENDA
AD
VOLVMEN QVARTVM.

P. 48. *col.* 1. *post lin.* 11.

In marmore, quod nuper vulgavit Marinius, (Frat. arv. p. 798.) Aur. Papirius dicitur ЄΠΑΡΧΟϹ. ЄΥΘЄΝΙΑϹ (sic) *praefectus annonae.* Magis igitur proprie ΕΥΘΗΝΙΑ in his numis reddideris ANNONA.

P. 90. *col.* 2. *lin.* 18.

Annus B vere exstat apud Zoegam. Sed adfirmat Sanclementius, in hoc musei Borgiani numo esse potius caput et epigraphen Philippi patris. (de vulg. aera p. 305. col. 2.)

P. 97. *col.* 2. *lin.* 2.

Postquam hoc scripseram, certiorem me reddidit Cousineryus, ex solis numis Alexandrinis musei Osman Bey, nunc sui, ex quo Sestinius inde a pag. 84. Tomi IV. tot eximiae raritatis numos vulgavit, quadraginta plures aut esse moderna arte fusos, aut scalpro corruptos. Quare arbitretur lector, fueritne judicium meum aut iniquius, aut inconsultius, quod hoc loco de numismaticis his Sestinii prodigiis tuleram.

P. 141. *col.* 1. *lin.* 20.

Numulum hunc num. 20 propositum collatis aliis, qui postea se mihi obtulere, sic plenius legendum video:

P. S. S. C. *Caput Tiberii laureatum.* L. CAEL. CLEM. FLA. TI -- *Apex pontificalis.* AE. III.

Eundem hunc, sed aeque vitiatum, edidit etiam cl. Neumannus in fronte operis, quod *Populorum numi* inscribitur.

P. 151. *col.* 2. *lin.* 8.

In marmoribus Africanis, quae recitat Maffeius in Museo Veron. inde a pag. 457, obvium est legere molestum istud DD. PP., quae examinare non inutile foret, ac praecipue illud, quod est p. 458. 1, in quo est EX. DECRETO. DD. PP.

P. 160. *col.* 1. *lin.* 13.

Anno 1786 juxta promontorium Ma-

tafus 9 circiter milliaria ab Algerio distans reperta est insignis series numorum argenteorum hujus Ptolemaei, qui omnes in museum ill. Baronis de Schellersheim Musarum nostrarum peramantis commigrarunt. Anni his inscripti sunt: B. A. V. VI. VII. VIII. X. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIIII. Eos omnes conscripsit, et aeri incisos dedit cl. abbas Sestinus. (Lettere T. V. p. IX.) Typi nihil aut hactenus ignotum, aut aliud quid eximium offerunt, neque etiam varietas annorum, cum ejus regnum in annum XXI. duraverit. Tamen tantus unius regis numorum numerus, qui generatim perrari sunt, etiam regio cuipiam museo illustre posset adferre ornamentum [a]).

P. 163. *col.* 2. *lin.* 19.

Posteaquam haec typis mandata fuere, factum favente fortuna, ut in locum Polybii inciderem, qui numi hujus locum natalem nullo amplius, ut spero, residuo dubio stabilit. Narrat is (Hist. L. I. c. 8.) copias Syracusanorum militares, quae apud *Merganen* (περι την Μεϱγανην) haerebant, collisas cum iis, quae Syracusis stetere, delectos e suo numero magistratus creavisse Artemidorum et Hieronem, eum ipsum, qui postea regnum apud Syracusanos obtinuit. Factum istud, quo tempore Mamertini a Poenis pressi Romanorum praesidium recepere, quae fuit belli Punici I. causa. Cum urbs hujus nominis a nemine veterum prodita reperiatur, existimavit Casaubonus in sua ad hunc locum nota, pro *Mergana* scribendum *Morgantia.* Sed Cluverius *Megara* maluit. Cellarius ejus mentionem non fecit, haud dubie, quia illi quoque haec lectio suspecta visa fuerit. Melius Schweighauserus in novissima sua ac praeclara sane Polybii editione nihil in eo vocabulo mutandum censuit, quia nullus in eo apparet codicum dissensus, neque etiam ejus, qui est in bibliotheca Caesarea, quem consului. Nihil igitur dubii superest, quin praeclarum istud κειμηλιον, et propter omnes remotae antiquitatis notas plane spectabile, quodque peritiores omnes primo adspectu esse partum Siculum conjectavere, non modo, quod repertum fuit in Sicilia, sed etiam quod monetae Siculae antiquissimae modos omnes offert, Polybianae huic Merganae proprium statuamus. Hujus ergo numi beneficio et rem numismaticam nova urbe auximus, et lectionem Polybianam confirmavimus [b]).

---

a) Hi numi praesto sunt in Museo Caes. Reg. Vindobonae.

b) In notis manuscriptis defuncti Abbatis Neumann de hac re sequentia leguntur:

Mergana: Memoratur Polybio L. I. c. VIII. et consule commentatores meae quidem editionis Casaubonum P. III. p. 127. et Palmerium l. c. p. 384. Vide etiam Stephanum Byz. in Μοϱγυνα, et Holstenii notas ad hanc urbem et ad Μοϱγεντιον; item Cellarium p. 812.

Huic urbi, sive alia sit, sive eadem quae Morgentia, tribuendus videtur celebris ille maximae vetustatis argenteus cum ep. MEP. Omnia bellissime conspirant, si modo numi numis comparentur. Confer itaque Naxum Hunteri T. 39. n. XV., cujus quidem typi diversi, sed eaedem peristases, quae alterum MEP ejusdem patriae, imo vicinae urbis indicant. Id magis etiam indicat alter Naxi numus e Burmanno petitus a Torremuzza T. LIII. n. 5., cujus aversae typus egregie juvat. Hinc ergo patet numum signatum in quadam urbe sita in eadem

P. 164. *col.* 1. *lin.* 19.

Vidi postea numum Sestiniano huic simillimum in museo ill. com. Vitzai, sed in quo tantum legitur ΠΟΙΗΤΟΥ ΚΑ---ΝΟC. In hujus aversa illud, quod numus Sestinii instar duorum lignorum offert, certae sunt faces. Caput coronatum partis anticae, sitne maris, an feminae, non satis discerno.

P. 164. *col.* 2. *post lin.* 11.

Caput Vulcani pileo conico tectum, retro forceps. Ӿ PALA. *Larva Dyonysiaca, alata, sub qua pedum vel thyrsus cum taeniis.* AE. III.

His verbis Sestinius numum hunc ex museo comitis Verità descripsit. Ei sedem adsignavit Palantiam urbem claram in Vaccaeis Hispaniae Tarraconensis. Parum istud verisimile. Typus utriusque partis ex pura Graecorum Latinorumve mythologia petitus parum favet oppido Hispaniae Tarraconensis tam longe in Aquilonem remoto, cujus tractus si qui numi exstant, ii potius bovem, aprum, aut aliquem cum re Romana nexum sistunt. Quod ait Sestinius, typo partis aversae posse adludi ad deum Pana, et sic notari Palantinorum originem a Pallantio Arcadiae ductam, jure in incredibilibus putandum. Nam quis sibi persuadebit, remoto illo aevo, quo colonos Graeci emisere, Arcadum examen evasisse in Hispaniam Borealem Graecis constanter ignotam, et nonnisi Romanorum armis apertam tandem cognitamque? Quapropter cimelium istud in plagam quampiam cultiorem est retrahendum, at quorsum, incertum sane, ac propterea praestabit, in hac illud incertorum statione detineri, donec probabiliora quis adferat.

P. 175. *col.* 2. *lin.* 2.

Deleatur: non.

P. 194. *col.* 1. *post lin.* 12.

Eucarpia Phrygiae. ΓΡΑ. Vide Addenda ad hanc urbem, vol. III. ad p. 153.

P. 215. *col.* 1. *post lin.* 16.

Laodicaea Phrygiae: Λ. ΑΙΛ. ΤЄ. ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΗC. ΑΝЄΘΗΚЄΝ.

Vide, quae de numo hoc recens reperto diximus in Addendis ad Vol. III. p. 165.

P. 250. *col.* 2. *lin.* 17.

Post *acceperat.* At multo istud cer-

---

insulae parte, qua sita erat Naxus, serius Tauromenium. At enim e Polybii verbis patet Merganam haud procul Syracusis stetisse, itaque omnia egregie concordant, etiam si Merganam Polybii et Morginam Stephani, et Morgantium sive Morgentium unam eandemque urbem contenderis, nam Morgantium vicina Catanae, media fere inter Naxum et Syracusas. Exinde patet immerito negasse Palmerium aliosque, extitisse in Sicilia memoratam a Polybio urbem Merganam, gravissimo teste numo.

Conjeci alias forte primam literam M non esse interpretandam M sed Σ, scriptam nempe, uti saepissime in pervetustis argenteis Sybaritarum et Posidonii, in quibus ΜΥ et ΠΟΜ pro ΣΥ et ΠΟΣ, unde suspicio erat Sergentii urbis Siculae. Sed cur vim inferamus literae M nulla necessitate, cum Merganam teneamus? Praeterea Sergentium urbs mediterranea. Sed ut Siciliae urbes maritimae numis argenteis abundant, sic egent mediterraneae; nam pauci sunt, et plerique minoris formae.

tius illustre marmor, quod nuper edidit Marinius, (Frat. arv. p. 5.) in quo C. Minicius dicitur PROC*urator* PROVINCIAE. ASIAE. QVAM. MANDATV. PRINCIPIS. VICE. DEFVNCTI. PROCOS. REXIT.

P. 253. *col.* 2. *lin.* 32.

Adde similis argumenti tabulas hospitales ex aere alias, quas nuper repertas vulgavit cel. Marinius. (Frat. arv. 782. 783.)

P. 311. *col.* 2. *post lin.* 10.

Lydia, ΛΥΔΩΝ in autonomo Mostenes Lydiae, quem vulgavit Sestinius, (Lettere, T. IV. p. 121.) et altero Hadriani. (Vaillant.) Verum utrumque hunc numum esse potius Mossynae Lydiae, diximus in Addendis ad Vol. III. p 109.

P. 313. *col.* 1. *lin.* 20.

- - - ЄΝ. ΤΩ. ΛΙΒΑΝΩ in numo Hierapolis incertae seu Caelesyriae, seu Phoenices. Sed videtur hic numus potius esse Caesareae Libani. Vide Addenda ad Vol. III. p. 336.

P. 378.

Post lin. 33. insere: Chalcis Syriae - - - - - - 845.

P. 384. *col.* 1. *lin.* 14.

Haec forma inter episema locum vix habet, ut jam indicavi in Tractatu de numis inf. aevi Vol. VIII. p. 510.

P. 403. *col.* 2. *lin.* 17.

Addenda quarta Gabala Syriae urbs, in cujus uno numo ajunt existere annos ΓΜΡ et ΗΚΡ, ut dixi in Addendis ad ejus numos, Vol. III. p. 314.

P. 411. *col.* 2. *post lin.* 26.

Tryphonis Syriae regis. V. addenda Voluminis III. p. 234.

P. 469. *col.* 2. *lin.* 32.

Miratur Asconius, Placentiam a Cicerone dici municipium, quae certa fuit colonia. (ad orat. in Pison. sub init.)

P. 476. *col.* 1. *lin.* 10.

Cicero in orationibus suis L. Pisonem, qui Capuae IIvir honorarius fuit, jam IIvirum, jam consulem Campanum vocat, sed postremum εἰρωνικῶς. Vide Post redit. in sen. c. 7. Pro domo sua c. 23. Pro Sextio c. 8. in Pison c. 11. Marinius municipales hos consules plane condemnat. (Frat. arv. p. 430.)

P. 476. *col.* 1. *lin.* 19. *post: rumque.*

Annuum hunc IIvirorum, vel IIIIvirorum magistratum confirmat lapis Vindobonensis jam ex Maffeio cognitus: (Mus. Veron. p. 248.)

I. O. M. AETERN
C. IVL. VALENTI
NVS. IIIVIR. PRI
MVS. ANNVALIS.

in quo non dubitem barbarum vocabulum ANNVALIS positum esse pro ANNVVS. Verbum PRIMVS, quod praecedit, indicat haud dubie, Valentinum inter conlegas primo loco fuisse creatum, quo modo magistratus domestici in urbibus Graecis se scripsere in numis ΑΡΧΩΝ. Α., *Archon primus.*

P. 516. *col.* 1. *lin.* 5.

Mossyna Lidiae. V. Addenda ad Vol. III. p. 109.

ADDENDA
AD
VOLVMEN QVINTVM.

P. 22. col. 2. post lin. ult.

Tertium huic numo nomen, nempe τροπαϊκȣ fuisse, comperio ex Iulio Africano, cujus verba laudari video a cl. Dupuy: (Mem. B. L. Tom. XXVIII. p. 681.) το δηναριον κατα Ῥωμαιȣς ἐχει τροπαϊκα δυο, νȣμμȣς δ, ἀσσαρια ις. Non dubitem vocabulum istud enatum ἀπο τȣ τροπαιȣ, quod cum victoria connectitur, a qua numo huic *Victoriati* nomen inditum. Neque hic Africani locus ignotus fuit Gronovio. (de Sestert. p. 423.) Lego apud Hesychium: Τροπαι, νομισματα τινα.

P. 216. col. 2. lin. 8.

Dele vocabulum *Rhegii*, nam obvia sunt capita sic disposita in ejus moneta aenea.

P. 253. col. 1. lin. 21.

Pro IMP. solo lege IMP. F.

P. 281. col. 2. lin. 7.

Pro IMP. solo lege IMP. F.

P. 282. col. 2. post lin. 11.

Ait Pinkertonus advocato in testimonium numo Hunteriano, in laudato numo Minatii Sabini capitis epigraphen esse CN. MAGNVS. IMP. F., at in imagine ejusdem numi, quam dedit Morellius in gente Pompeia tab. I. num. IV., pro IMP. F. perperam legi IMP. P. (Essay on med. Vol. I. p. 277.) Revocavi in examen numos ejusdem commatis binos musei Caesarei, verumque esse Pinkertoni indicium comperi. Quo praeclare confirmatur, quod hoc loco conjeci, caput pertinere ad Cn. Pompeium M. patrem, epigraphen ad Cn. Pompeium M. filium, quem modum et Sex. Pompeius in numis suis tenuit. Hunc ergo sensum epigraphe facit: CN. MAGN*us*. IMP*erator* F*ilius*, quo modo et in denariis Livineii Reguli *το* REGVLVS. F. legendum docui REGVLVS. F*ilius*.

ADDENDA
AD
VOLVMEN SEXTVM.

P. 45. *col.* 2. *post lin.* 24.

Huic sociandus numus alter, quem vulgavit cl. Pinkertonus, addito, putari unicum, et fuisse olim in museo card. Quirini. (Essay on medals Vol. I. p. 301.)

M. ANTONIVS. M. F. M. N. AVG. VII. IMP. TER. *Caput M. Antonii nudum.*

COS. ITER. ET. TER. IIIVIR. R. P. C. *Caput Octaviae.* AV.

Bina hic numus offert vitia, quae excusari non possunt. In parte antica legitur AVG. VII., at quae hujus significatio? In aversa COS. ITER. ET. TER., quam epigraphen ut comprobem veram esse non posse, necesse foret, multa huc conferre, quae copiose disputata jam sunt in moneta hujus IIIviri. Ex quo ultro consequitur, aut singularem hunc numum minus fideliter esse promulgatum, aut lapsum graviter veterem monetarium, aut cimelium istud esse spurium. Pro AVG. VII. scribe AVGVR, pro COS. ITER. ET. TERT. scribe COS. DES. (vel DESIG.) ITER. ET. TERT., et habes epigraphen veritati, puritatique restitutam. Addit Pinkertonus, idem argumentum extare etiam in numo AE. I. formae, sed quem mihi omnino esse ignotum profiteor.

P. 56. *col.* 2. *lin.* 7.

Pro L. ANTONIVS lege L. ATRATINVS.

P. 74. *col.* 1. *lin.* 19.

Adverte, numum hunc jam extare vulgatum ab auctore Musei Pembrock. Tom. I. tab. 13, sed qui in imo loco non, ut nos, proram navis, sed caput apri vidit.

P. 110. *col.* 1. *lin.* 5.

IMP. XII. adde XIII.

P. 113. *col.* 2. *lin.* 7.

Denique delatum hoc anno patris patriae nomen invicte probatur ex fragmento Dionis, praesentis anni facta complente, quod in codice bibliothecae Ve-

netae repertum anno 1798 vulgavit Iacobus Morellius, ejusdem bibliothecae praefectus dignissimus, in quo legitur: και ἡ ἐπονυμια ἡ τȣ πατρος ἀκριβως ἐδοϑη, προτερον γαρ ἀλλως ἀνευ ψηφισματος ἐπεφημιζετο, *et nomen illi patris rite datum est, nam antea non legitime sine decreto sic appellabatur.*

P. 143. *col.* 2. *lin.* 9.

At jam anno praecedente, nempe U. C. 744. fuisse IMP. XIII., efficit marmor Musei Veronensis pag. 95, in quo Augustus dicitur COS. XI. TRIBVN. POTEST. XIII. IMP. XIII.

P. 175. *col.* 1. *lin.* 12.

Exemplar hujus numi, quod Sestinius loco hic citato ex museo olim Osman Bey vulgavit, esse artis modernae, docuit me cl. Cousineryus ejus nunc musei possessor.

P. 192. *col.* 1. *lin.* 1.

Pro COS. III. lege COS. IIII.

P. 203. *col.* 1. *lin.* 29.

Sane et Pellerinio non probantur numi cum TR. P. XXV. pro XXXV., ut video ex epistola, quam is anno 1765 ad Khellium nostrum dederat.

P. 211. *col.* 1. *post lin.* 6.

ΔΡΟΥΣΟΣ ΚΑΙ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ ΚΑΙΣΑΡΕΣ ΝΕΟΙ ΘΕΟΙ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΙ. *Idem typus.*

ΓΑΙΩ ΑΣΙΝΙΩ ΠΟΛΛΙΩΝΙ ΑΝΘΥΠΑΤΩ. *Idem typus.* AE. 2 (Mus. cl. Cousineryi Smyrnae.)

P. 228. *col.* 1. *lin.* 14.

Poenitet, me tam diu explicandis hujus numi causis immoratum. Illum credam aeque spurium, atque alium Vitellii, quem idem auctor ab iisdem Iliensibus signatum confidenter, at perperam jactavit. Vide infra Addenda ad pag. 319.

P. 241. *col.* 2. *lin.* 17.

Similem argenteum, sed propalam spurium, nuper in museum Caesareum intuli. Neque majoris fidei videtur esse alter Philippi sen. cum eadem epigraphe. Non puto exstare numos sic inscriptos nisi in moneta Severi et filiorum.

P. 244. *col.* 2. *lin.* 25.

Ejus templi meminit marmor editum a Maffeio: (Mus. Ver. p. 96.) QVOD. EST. SVB. TEMPLO. DIVI. CLAVDI.

P. 319. *lin.* 2.

Meum istud judicium liberaliter nuper confirmavit praeclarus Cousineryus communicato mecum numo Iliensium, quem Sestinius ex museo Osmani Bey vulgavit, (Lettere T. IV. p. 110.) quod nunc penes Cousineryum est. Numus hic genuinus sane est, fuitque ante oblatum vitium talis: ΦΡΟΝΤΙΝΟΥ. ΑΝΘΥ. *Caput Herculis.* ✠ ЄΠΙ. ΜΥΡΤΟΥ. ΡΗΓЄΙΝΟϹ. ϹΜΥΡ. *Fluvius decumbens*, estque obvius Smyrnae. At nunc ope ejus impostoris evasit talis: Λ. ΟΥΙΤΕΛΛΙΟϹ. ΚΑΙΣ. ΓΕΡ. *Caput Vitellii, sic tamen, ut adhuc verissima Herculis lineamenta appareant.* ✠ ΙΛΙΕΩΝ. ΣΚΑΜΑΝ. *Fluvius decumbens.* Numum Sardianorum, quem idem Sestinius ex eodem museo edidit, (l. c. p. 123.) Cousineryus item nunc possidet;

hunc quoque ex obvio Sardium numo autonomo in imperatorium Vitellii conversum, jam plane constat, quantumcunque Sestinius ejus conetur probitatem tueri. Est hic Sardianorum numus, qui in antica habet caput Herculis, in aversa Omphalen gradientem, in museis non infrequens, in multis jam catalogis vulgatus, omnibus in eo caput Herculis agnoscentibus. Est is in museo Caesareo, tam certo Hercule, quam is certe Vitellius esse non potest, quod quisque fatebitur, cuicunque aut adficta ab antiquis Herculi lineamenta, aut certa Vitellii sunt cognita. Vitellium ergo fecit propudiosum mangonis Osmanni scalprum. Istud Sestinii peccatum non tam anxiam merebatur enucleationem, nisi is inde legem intulisset inconsultis vel tironibus perniciosam hercle, qua sanxit, numos similes omnes, qui exesa Vitellii inscriptione praeferre caput Herculis videbantur, ex autonomorum numero exceptos inter imperatorios Vitellii esse locandos. Post haec arbitretur lector, quale judicium ferendum sit de numo tertio Macedonum, quem eruditus abbas ex eodem fonte edidit. (l. c. p. 97.)

P. 422. *col.* 2. *post lin.* 28.

Rota rupesque partis aversae indicant aperta per rupes invias itinera modo et vehiculorum commeatui idonea, quem typi sensum confirmat marmor Gruteri: (p. 149. 1.) C. IVLIVS. CAESAR. VIAM. INVIAM. SOLERT. S. ET. IMPENDIO. ROTAB*ilem* REDDIDIT. Non audebam tum, cum praesentem numum illustrarem, monumenti hujus auctoritatem advocare, quia pleraque Iulii Caesaris marmora suspectae mihi semper fidei sunt visa, quam suspicionem auxit vocabulum *rotabilis* Latinitati aureae, quin et argenteae incompertum, propter quod et Maffeio reprobandum visum. (Ars crit. lap. p. 293.) At nunc commemorandum visum, quia illud summus artis lapidariae magister Marinius stomachatus non est. (Frat. arv. p. 697.)

P. 525. *col.* 1. *lin.* 5.

Pro *numum* lege *numerum*.

P. 526. *col.* 2. *post lin.* 3.

Iam inde ab Occone circumferuntur numi L. Aelii in parte aversa inscripti: PANNONIAE. CVRTA. AEL. Pro instituto meo, quo negligendos decrevi eluviem numorum aperte falsorum, cujus causam dedi in praefatione ad hunc tomum sub finem, hunc quoque numum negligendum duxi. Omnes enim ejus generis, quotquot viderim, (vidi autem plurimos, neque desunt in museo Caesareo) spurios comperi, et constat, eorum exstare matricem Patavinam, vulgatam a Molineto inter numos Patavinos. (Cabin. de Genev. num. 24.) Quae sane causa fuit, cur spuria haec progenies a castissimo Vaillantio in dilectum suum recepta non sit. Commemorandum istud visum est, quia forte fortuna vidi, similem a cl. viro Schönwisnero ex museo Bar. Sandor vulgatum, adprobatumque, quem tamen a reliquis eo differe ait, quod pro CVRTA legitur CVRIA. (Iter per Pannon. P. II. p. 116.)

ADDENDA
AD
VOLVMEN SEPTIMVM.

P. 7. col. 2. lin. 27.

Pro *pecunia* lege *corona.*

P. 28. col. 1.

Addendum hoc loco, hanc columnam procumbentem a Pio VI. fuisse erectam, et vide, quae de eadem dixi Vol. VI. p. 431. col. 1.

P. 188. col. 1. lin. 33.

Pro BRITANNICAE lege BRITTANNICAE.

P. 194. col. 1. lin. 29. post: d i x i m u s.

Haec cum scriberem, non adverti animum, Dionem hunc nuptiarum curante Faustina apparatum non tanquam verum, sed Severo nonnisi secundum quietem oblatum enarrare. Ad vidi etiam, eadem Dionis verba nonnihil ambigue proposita Tillemontium quoque in errorem induxisse. (Nota VI. in Severum.) Causam ergo non habemus, quae nos cogat, nimium maturare Severi cum Domna conjugium, praecipue cum obstent non pauca, quae illud aliquot annis differendum potius suadeant.

P. 207. col. 2. lin. 23.

Pro BRITANNICAE lege BRITTANNICAE.

P. 319. col. 2. lin. 15.

Pro *generum* lege *socerum.*

P. 384. col. 2. lin. 28.

Alterum testimonium Taciti, agentis de iis, quae adversus ignis pericula post grave incendium Neronianum decreta fuere, (Annal. XV. 43.) nimirum ut *aedificia ipsa certa sui parte sine trabibus, saxo Gabino Albanove solidarentur, quod is lapis ignibus impervius est.* Herodianus causam propagati tam celeriter Romae, imperante Maximino, incendii confert in *ligneas aedificiorum projecturas, quales*, addit, *in urbe sunt plurimae*, *και ἐι τινες ἠσαν ξυλων ἐξοχαι, πολλαι δε ἀυται κατα την πολιν*, tum in *domos nimis constipatas, et materiae ligneae copiam,*

δια πυκνοτητα των συνοικιων, ξυλειας τε πληθος επαλληλον. (L. VII. in fine.) De Praetextato sub Valentiniano I. urbis praefecto narrat Ammianus, (L. XXVII.) eum *Maeniana sustulisse omnia, fabricari Romae priscis quoque vetita legibus.* Non dubito, Maenianorum nomine intelligi id ipsum, quod hoc loco Herodianus *ligneas projecturas* vocat. Ait Festus (sub *Maeniana*): *Maeniana aedificia a Maenio sunt appellata; is enim primus ultra columnas extendit tigna, quo ampliarentur superiora.* Et Isidorus: (Orig. L. XV. c. 3.) *Maenianus collega Crassi in foro projecit materias, ut essent loca, in quibus spectantes insisterent, quae ex nomine ejus* Maeniana *appellata est. Haec et* solaria, *quia patent soli; post haec alii lapide, alii materia aedificare porticibus Maeniana, et foribus et domibus adjecerunt.* Etiam Asconius, ubi agit de columna Maenia, (ad Ciceronis divinationem cap. 16.) meminit *columnae, super quam Maenius tectum projiceret, ex provolantibus tabulatis.* Fuere ergo haec Maeniana solariorum quoddam genus, quae et nos ornamenti et commodi causa aedibus saepe adjicimus, et ex Gallorum lingua *Balcons* appellamus. At quia haec Romae ligno plerumque constitere, ut arguunt verba *tigna*, *materia*, *tabulata*, orto forte incendio idoneum fuere flammis pabulum; jure adeo, ut ait Ammianus, priscis quoque legibus vetita. — Vide descriptionem incendiorum urbis bene longam apud Iuvenalem. (Sat. VI. inde a versu 197.)

P. 476. *col.* 2. *lin.* 23.

Dixi hoc loco, non exstare marmora, quae Claudio Gothico *Germanici* nomen tribuant, et tamen altius p. 405 marmor proposui, in quo is *Germanicus* dicitur. Monendum igitur, nonnisi rarissime nomen istud in marmoribus legi.

ADDENDA
AD
VOLVMEN OCTAVVM.

P. 455. *col.* 2. *lin.* 33.

Omittendum *forte*, nam Vol. VII. p. 405 produxi marmor haud ita pridem repertum, in quo Claudius hic palam Germanicus dicitur.

P. 499. *col.* 2. *lin.* 11.

Dixi altius, (p. 497. col. 1.) repertos nonnunquam fuisse numos una cum trajecta per foramen catenula, visumque nonnullis, ejus ope hos numos ex signis militaribus pependisse. Rectius Buonarrotius, quem semper expertus sum sane ac sobrie de re quacunque judicare, in phylacteriorum eos loco habuit, illosque ex collo, aut nodo pendulos fuisse gestatos, cum constet, multis veterum persuasum fuisse, reges ac principes occultam quandam vim, et adversus ipsum fatum efficaciam in se habuisse repositam. (Osserv. istor. p. 413.) Dixi alibi, (Doct. Vol. II. p. 107.) ex simili causa aeneos Alexandri M. numos a vulgo superstitioso fuisse gestatos, tametsi dubitari non potest, saepe unius in principes suos adfectus causa eorum fuisse numos suspensos, quomodo tot alii principum vultus in gemma caelatos gestare consueverunt.

I N D E X.

Praefatio . . . . Pag. III

NOTITIA LITERARIA de vita et scriptis Iosephi Hilarii Eckhel . . . . — V

ADDENDA ad Volumen Primum . . . . Pag. 3

» » ad Volumen Secundum . . . . — 20

» » ad Volumen Tertium . . . . — 34

» » ad Volumen Quartum . . . . — 48

» » ad Volumen Quintum . . . . — 52

» » ad Volumen Sextum . . . . — 53

» » ad Volumen Septimum . . . . — 56

» » ad Volumen Octavum . . . . — 58

VINDOBONAE 1826.

TYPIS HAEREDIS VAN GHELEN.

[illegible]

SPECIAL 83-B
1358
V.4

GETTY CENTER LIBRARY